8
f d
25

9
16 C
25

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
III. 14. K

17
e
34
8. f. d. 25.

22. 1. B. 11

k. 8/2n

M

AVDOMARI TALAEI

QVEM PETRI RAMI
Theſeum dicere iure poſſis,

OPERA

ELEGANTIORIS METHOdicæ Philoſophiæ Studioſis perneceſſaria.

CVIVS CATALOGVS SEQVENS
declarabit Pagina.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE



BASILEAE
EX OFFICINA PETRI PERNAE,
anno CIↃ IↃ LXXV.

AUDOMARI TALAEI
Opera quæ hoc Volumine continentur.

I. Academia.
II. In Cic.Fragm.Acad.
III. In Lucullum Cic.
IIII. In tres Dialogos Cic.de Oratore ad Q.Frat.
V. In Topica Cic.ad Trebatium.
VI. In Paradoxa ad M.Brutum.
VII. In 1.Ethic.Ariſtotelis ad Nicomachum.

Ioan. Thomæ Freigij

PRAEFATIO,

AD

REVERENDISSIMVM PRINcipem IAC. CHRISTOPHORVM PLARERVM electum Epiſcopum Baſilien.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AVDOMARVS TALAEVS *communione ſtudiorum & vigiliarum* PETRI RAMI *ſummi viri ſocius fuit. vtrique enim hoc propoſitum fuit, è via ingenuarum artium & diſciplinarum, ſpinas, ſilices, cæteraque ſtudioſæ iuuentutis impedimenta tollere, vt iter planum, ſimplex, expeditum, directum eſſet, quò facilius ad laudandarum doctrinarum, non intelligentiam modò, ſed vtilitatem & fructum perueniretur. Ad eam rem præcipuè iudicandi ſentiendiq́; libertatem aſſumpſerunt, neque vllius philoſophi, quantumlibet antiqui aut celebrati, autoritatem pluris fecerunt, quàm vnam* NATVRAE & VSVS *vocem ac teſtimonium. Sed ita fit, vt plerique errare malint, eamq́ue ſententiam, quam à ſemiphiloſopho aliquo per manus traditam acceperunt, pertinaciſſimè defendere, quàm ſine pertinacia, quòd conſtantiſſimè dicatur, exquirere. Fit enim vt ratum id habeant homines, quod ab eo quem probant, iudicatum vident: cùm tamen non tam authoritatis in diſputando, quàm rationis momenta quærenda ſint. Quinetiam obeſt plerumque ijs,*

qui diſcere volunt, autoritas eorum qui ſe docere profitentur. Deſinunt enim ſuum iudicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo quem probant, iudicatum vident. Vnde Pythagoreorum αὐτὸς ἔφα: *quos ferunt, ſi quid affirmarent in diſputando, cùm ex eis quæreretur quare ita eſſet, reſpondere ſolitos, Ipſe dixit: ipſe autem erat Pythagoras. Sed de illa iudicij inconſtantia, & hominum alijs in ſentiendo mancipatorum ſeruitute, in Academia prolixius â Talæo diſſeritur. Quem cùm Petrus Perna Typographorum non poſtremus, ad ſtudioſorum vtilitatem rurſus publicare vellet, eum ad te, Reuerendiſſime Princeps, mittendum cenſui, vt non modò ſuæ ſententiæ orator, ſed etiam tuorum honorum gratulator adeſſet. Accipies eum itaque ſerena fronte, ac de libertate iudicij diſſerentem: ac de adepta ſumma Epiſcopatus dignitate tibi gratulantem benignè audies. Vale. Datum Friburgi menſe Iulio,*

Anno CIↃ IↃ LXXV.

TYPO-

TYPOGRAPHUS LEctori Salutem.

POST Ramum ſuperioribus nundinis editum, fratrem eius Talæum tibi nunc damus, Lector beneuole: idque nulla alia de cauſſa, quàm vt tua ſtudia iuvemus, tuumque diuturnum Rami & Talæi deſiderium expleamus. Singuli enim ſuo loco in ſtudiis promouendis laborare, & Spartam quam nacti ſumus exornare, vocationemq; noſtram diligenter exequi debemus. Sperasſemus quidem alios futuros fuiſſe, qui Rami & Talæi libros ad communem ſtudioſorum vtilitatem ederent: ſed illi nimis diu te, Lector, ſuſpenderunt, ac ſtudiorum tuorum nullam rationem habuerunt. Cùm igitur nos in proſcenium prodiuimus, & ipſis ceſſantibus operi manum admouimus, quid eſt quòd de noſtra induſtria & diligentia conqueri poſsint? Ramum ipſum & Talæum, qua fuerunt in ſtudiis liberalibus adiuvandis ſedulitate, ſi adhuc viverent, noſtrum ſtudium & laborem approbaturos fuiſſe minimè dubitamus. Nec verò quicquam refert an hæc à Ramo ipſo aut Talæo denuò emendata fuerint, nécne: omnia enim duarum iſtarum animarum monumenta in pari bonitatis loco ponimus, nihil perire aut ſupprimi volumus: tam pridiana quàm recentia tenemus, amamus, ſuſpicimus. Γνήσια ipſorum æſtimet & iudicet qui volet: facilis animaduerſio eſt: nemo, ſat ſcimus, tale quid his Heroibus pro ſuo ſubiiciet, quod non

ſtatim ſeipſum prodat, ſi cum veris ipſorum operibus conferatur. Sed quid multis opus eſt? in medio omnibus hæc palma poſita eſt, nec cuiquam peculiariter aut præcipuè vllo vel priuilegio, vel poſſeſsionis iure debita: æquo animo vel vincere, vel vinci volumus. Nullius hîc propria meſsis, nullius propria prꝣſcriptio: communium rerum communis vſus eſt, ex lege Ramea κατ' παντός. Quòd ſi alij ſua diligentia, ſuoq; ſtudio nos vicerint (quod vt faciant per Rami & Talæi beatos genios rogamus & obſecramus) id ſanè tantum abeſt vt iniquo animo laturi ſimus, vt etiam Reipub. literariꝣ ſummopere gratulari, & ijs qui tanti boni autores fuerint, gratias ingentes habituri ſimus. Nã & nos ea in re & mortuorum exiſtimationi, & ſtudioſorum vtilitati conſultum voluimus. Fuerint alij Rameorum fœtuum obſtetrices, nihil enim id moramur, immò laudamus, & gratias habemus, qui tam ſedulò, tam fideliter liberos tam elegantes, tam ſuaues educauerint, nutrierint, exhibuerint, & ad adoleſcentiam produxerint: quænam autem, quæſo, iura prohibent, Rami pupillorum, præſertim paſsim neglectorum, hinc inde diſperſorum, ac oſtiatim quaſi auxilium implorantium, curam ac tutelam alios, pietatis officio ductos, gerere? Obſtetrices alij, inquam, fuerint, eo quidem tempore cum recenti partu Ramei liberi in hanc lucem prodierunt: at nunc cùm ab vberibus ablactati ſunt, cùm pubertatem attigerunt, cùm miſeri pupilli ſine re, ſine ſpe temerè vagantur: nos tutores illis & curatores profitemur; neque tamen ob-

ſtamus

ſtamus, quò minus & alij hos pupillos hoſpitio ſuo recipiant: plures enim Rami liberos obambulare nouimus, qui tamen noſtra oſtia nondum pulſarunt: quod ſi facient, gratis animis & hoſpitali beneuolentia ſuſcipientur. Interea omnes Rami diſcipulos, omnes familiares rogamus, ac in his præcipuè Bergeronium, Loſellum, Oſſatum, Poiteuinum, & alios, qui nobis auditione noti ſunt, vt ſicut nos Rami pupillos, ita ipſi eiuſdem poſthumos liberos curent liberaliter ac fideliter educandos, eoſque nutriant, veſtiant, exhibeant: præſertim poſthumos Muſicos, Opticos, Aſtrologicos, Phyſicos, Ethicos. Quos ſi exhibebunt, officio, vel potius pietate erga Ramum omnibus ſatisfacient, æternam laudem ac immortalem gratiam referent; modò id vnicum curent, ne pro γνησίοις νόθοι ſupponantur. Quod ſi fiet, ſciant illi, qui nobis talia obtrudent, quòd etiam apud nos ſint, qui ſuppoſititios Rami liberos ex parentis genio & lineamentis agnoſcere poſsint. Tu interim, Lector, fœliciter his Rameis fruere, & plura à nobis breui expecta: in quibus iamdudum ita elaboramus, vt in ijs Ramum ipſum ac Talæum facilè ſis agniturus.

Vale.

AD LECTOREM IOANNES Martinus Oltingerus I. V. D.

QVID veri ratio valeat, quid turpe ſophiſma,
Quàm rara illa ſcholis hocq́; frequensq́; ſuis.
Thalæus ſcriptis longè doctiſſimus edit
Ciuili ex vſu conſtituitq́; ſcholam.
Hinc poteris laruas falſi vidiſſe ſophiſtæ
Vanum & Ariſtotelem ſat placuiſſe ſcholis.
Thalæi ergo modò iungas verum, vtile & vſum
Artibus ingenuum: & non piguiſſe poteſt.

IN TALAEI ACADEMIAM M. Iacobi Bilonij δωδεκάστιχον.

VIrtutum radix teneræ ſi recta iuuentæ
Cura, quod à multis dicitur, eſtq́; bona:
Hunc quis non meritò ſummis Talæe libellum
Laudibus ornandum diceret eſſe tuum?
Illius quis enim modus optimus inſtituendæ
Sit, breuibus verbis inſtruit atq; docet.
Ergo bonas teneram quicunque docere iuuentam
Conaris technas: Hunc age ſume librum:
Hunc manibus verſa nocturnis atque diurnis,
Eius & ingenio dogmata fige tuo.
Sic labor ipſe leuis non te faciliſq́; grauabit,
Afferet & fructus gaudia magna tibi.

Audomari Talæi
ACADEMIA
AD
CAROLUM LOTHARINgum Cardinalem Guiſianum.

ETSI ſatis ſcio, Cardinalis illuſtriſsime, Petrum Ramum fratrem meum Ariſtotelicæ oppreſsionis inuidia per te liberatum, maiores tibi & vberiores gratias agere, communis tamen cum illo beneficij non communem lætitiam exiſtimare non potui, cùm perpetuò vnus vtrique noſtrum, idemq́ue victus & cultus fuerit. Vt autem tantopere tuis iſtis erga nos meritis lætemur, vitæ noſtræ communis inſtitutio efficit: nam commune vtriuſque noſtrum ſtudium & inſtitutum fuit, vt veterem in erudienda iuuentute diſciplinam iampridem obſoletam reuocaremus, vt coniunctis eloquentiæ & ſapientiæ ſtudiis iuuentus diſceret de rebus propoſitis non ſolùm ſubtiliter & acutè ſentire, ſed grauiter & ornatè dicere, & artium ſubtilitatem eatenus probare, quoad vſus popularis, & humanæ prudentiæ ratio poſtularet. Itaque cùm duplex error in ſcholas iampridem inuaſiſſet, non ſolùm quòd philoſophi, qui tum erant, eloquentiam ita fugerant, quaſi rem à philoſophia prorſus abhorrentem: ſed etiam quòd totam philoſophiam, & imprimis dialecticam vanis & inutilibus ſcholaſticarum altercationum argutiis planè ſophiſticam effecerant: Petrus Ramus magno Reipublicæ ſtudio certamen ſibi quidem, vt ipſe præſagiebat, periculoſum & graue, ſed tamen publicis ſtudiis ſalutare contra hæc vitia ſuſcepit: quos conatus, licèt honeſtiſsimos, quàm inhoneſta fraus, quamq́ue fœda calumnia conſecuta ſit, cùm tu ipſe indigniſsimè tuleris, tandemq́; pro tua ſingulari virtute vindicaueris, quid neceſſe eſt hoc tempore recenſere? præſertim cùm hi, qui ſe huic cauſſæ tam acres aduerſarios præbuerunt, ſatis intelligant, quàm malis artibus potentiam ſuam oſtentarint, vel potius ne oſtentarint quidem: non enim magna potentia fuit, cùm principis authoritatem improbis criminibus induxiſſent, Petro Ramo os occludere, manus ligare, ſapientiæ ſtudia prohibere, maledictis omnibus, & conuitijs, & probris priuatim & publicè inſultare: ſed multò maior & verior potentia fuiſſet, multos pro vno, Ra-

mos ad docendum,ſcribendum,omnes philoſophiæ partes illuſtrandum præmio & laude excitare: quibus tamen ſtimulis non fracti aut retardati,ſed vehementius ad omnes partes optimi & ſanctiſsimi con ſilij noſtri perſequendas incitati ſumus. Quid autem frater meus effecerit, magno induſtriæ ſuæ & amplo teſtimonio tibi in dialecticis inſtitutionibus, & Ariſtotelicis animaduerſionibus declarauit: ego verò pro mea parte curaui,vt iſtam quoq; rationem adiuuarem: nam vt homines pertinaces & certis opinionibus in philoſophia mancipati, addictique indigna ſeruitute liberarentur,intelligerentque verum philoſophandi genus iudicio & æſtimatione rerum liberum eſſe,non autem opinione & affectione conſtrictum, libellum quendam Academiæ nomine ex aliquot Ciceronis locis deſcripſi,& Academicum Ciceronis fragmentum de quatuor Academicis libris reliquum alio ſeparatim libello explicaui. Accipies igitur,Cardinalis illuſtriſsime,geminum laborem & Academiæ, & Academici fragmenti tibi dedicatum, laborem,inquam, teſtem dediti tibi animi, incenſiq; non ſolùm tua ſingulari in fratrem meum Petrum Ramum beneuolentia, ſed etiam obſeruantia tuis maximis & nobiliſsimis virtutibus debita.

In explicatione igitur quæſtionis Academicæ primùm rem ipſam definiam, deinde partes conſtituam, poſtremò quid inter Academicos & reliquos Philoſophos interſit, oſtendam.

Academiæ definitio. Academia, vt ait Suidas, gymnaſium erat Athenis ſuburbanum & nemoroſum, vbi Plato morabatur, & docebat, ab Ecademo quodam heroe nominatum. primùm autem per, E, Ecademia dicebatur. Ariſtophanes in Nubibus,

Sed in Ecademiam deſcendens ſub oleis curres
Arundine coronatus alba, cum modeſto æquali tuo
Milacem redolens, & apragmoſynen, & populum alba dimittētem folia.
Gaudens veris tempore cum platanus vlmus ſuſurrat.

Tria erant Athenis gymnaſia, Academia,Lycæum,Cynoſarges. Academia ab Academo qui eam condidit:& neutro genere Academium: dicitur etiam Academia amicorum cætus,& conſuetudo.

Heſychius.

Academia, balneum, aut ciuitas: dicitur etiam gymnaſium Athenis ab Academo authore, & locus Ceramicus eodem nomine. hinc *Acad.1.* Platonis æmuli, ſectatoresque Academici nominati. Cicero, Qui autem, ait, Platonis inſtituto in Academia quod eſt alterum gymnaſium,cœtus erant & ſermones habere ſoliti, ex loci vocabulo nomen habuerunt. Atque hæc deſcriptio Academiæ notatioque ſit: Academicorum ſpecies quæ ſint,deinceps videamus.

Academiarum duo genera. Eorum igitur philoſophorum qui Platonis inſtituto in Academia permanſerunt,alij veteres dicuntur, alij noui.

Veteres Academici. Veteres à Platone numerantur vſque ad Archeſilam, Speuſippus, Xenocrates,Polemo,Crates,Crantor, qui in Academia Platonis decreta

creta quædam ſua tradebant, omiſſa penè vetere diſſerendi philoſophandiq́ue modeſtia: ſic enim de Academicis & Peripateticis Cicero *Acad. 1.* confirmat: *Sed vtrique Platonis vbertate completi certam quandam formulam diſciplinæ compoſuerunt, & eam quidem plenam ac refertam: illam autem Socraticam dubitationem de omnibus rebus, & nulla adhibita affirmatione conſuetudinem diſſerendi reliquerunt: ita facta eſt diſſerendi (quod minimè Socrates probabat) ars quædam philoſophiæ, & rerum ordo, & deſcriptio diſciplinæ.* In illis igitur Academicis veteribus Academica diſſerendi conſuetudo videtur eneruata, fractaq́; iam fuiſſe, qui non cum Socrate, & Platone philoſophiam in ratione & veritate conſtitutam, ſed multò magis in ſua opinione atque authoritate quaſi præclarè fundatam reliquerunt, & tanquam in ciuitate leges & decreta ſanxerũt, quibus neceſſariò credendum, parendúmque eſſet.

Noui autem Academici à Crantore vſque ad Ciceronem nominantur hoc ordine, *Noui Academici.* Archeſilas, Lacydes, Euander, Egeſinus, Carneades, Clitomachus, Philo, Cicero: ſic enim Lucullus apud Ciceronem de Archeſila, *Cuius primo* (ait) *non admodum probata ratio (quanquam floruit tum acumine ingenij, tum admirabili quodam lepore dicendi) proximè à Lacyde ſolo retenta eſt, pòſt autem confecta à Carneade, qui eſt quartus ab Archeſila: audiuit enim Egeſinum qui Euandrum audierat Lacydis diſcipulum, cùm Archeſilæ Lacydes fuiſſet: ſed ipſe Carneades diu tenuit: nam nonaginta vixit annos: & qui illum audierant, admodum floruerunt: è quibus induſtriæ plurimùm in Clitomacho fuit: declarat multitudo librorum ingenij nõ minus in hoc, quàm in Carneade eloquentiæ, in Melonthio Rhodio ſuauitatis. Bene autem noſſe Carneadem Stratoniceus Metrodorus putabatur: iam Cleomacho Philo noſter operam multos annos dedit: Philone autem viuo patrocinium Academiæ non defuit.* Horum nouorum Academicorum inſtitutum erat de rebus obſcuris vtrinque diſputare, philoſophorum placita, non deorum oracula putare, nullam ſcholam perpetuò ſequi, & tamen in omnibus ſcholis, quod verum aut veriſimile videretur, liberè ſequi: *Defendat* *Lib. 2. de Finibus.* *quidem*, ait Cicero, *quòd quiſque ſentiat: ſunt enim libera hominum iudicia: nos inſtitutum tenebimus, nullisq; vllius diſciplinæ legibus aſtricti, quibus in philoſophia neceſſariò pareamus: quid ſit in quaque re maxime probabile, ſemper requiremus.* Idem, *Cum Academicis incerta luctatio eſt, qui nihil affirmant* *Lib. 2. de Finibus.* *& quaſi deſperata cognitione certi, id ſequi volunt, quodcunque veriſimile videatur.* Idem, *Geram, ait, tibi morem, & ea quæ vis, vt potero, explicabo: nec tamen* *Idem 2. Tuſc.* *quaſi Pythius Apollo certa vt ſint, & fixa, quæ dixero, ſed vt homunculus vnus è multis probabilia coniectura ſequens: vltrà enim quò progrediar, quàm vt veriſimilia videam, non habeo: certa dicent hi qui & percipi poſſe dicunt, & ſe ſapientes profitentur.*

Hæc eſt Academiæ nouæ adumbrata quædam deſcriptio, quæ tamen non noua, ſed vetus videtur potiùs appellanda, cùm iſto modo *Noui Academici. Veteres.* Democritus, Anaxagoras, Empedocles, Socrates, Plato diſputarint, & eorum conſuetudinem qui noui dicuntur, poſtea reuocarint. Ci-

Lib. 1. Acad.

cero, *Cum Zenone,* ait, *Archeſilas ſibi omne certamen inſtituit, non pertinacia, aut ſtudio vincendi, ſed earum rerum obſcuritate, quæ ad confeſsionem ignorationis adduxerunt Socratem, & veluti amantes Socratem, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omnes penè veteres, qui nihil cognoſci, nihil percipi, nihil ſciri poſſe dixerunt, anguſtos ſenſus, imbecillos animos, breuia curricula vitæ, &, vt Democritus, in profundo veritatem eſſe demerſam, opinionibus & inſtitutis omnia teneri, nihil teneri, nihil veritati relinqui, deinceps omnia tenebris circunfuſa eſſe dixerunt: itaq; Archeſilas negabat eſſe quicquam, quod ſciri poſſet, ne illud quidem ipſum, quod Socrates ſibi reliquiſſet: ſic omnia latere cenſebat in occulto, neque eſſe quicquam, quod cerni, aut intelligi poſſet, quibus de cauſis nihil oportere, neque profiteri, neque affirmare quicquam, neque aſſertione approbare, cohibereq; ſemper, & ab omni lapſu continere temeritatem, quæ tum inſignis eſſet, cùm aut falſa, aut incognita res approbaretur: neq; hoc quicquam eſſet turpius, quàm cognitioni & perceptioni aſſertionem approbationemq; præcurrere. huc, rationi quod erat conſentaneum, faciebat, vt contra omnium ſententias dies iam pleroſque deduceret, vt cùm in eadem re paria contrarijs in partibus momenta rationum inuenirentur, facilius ab vtraque parte aſſertio ſuſtineretur. Hanc Academiam nouam appellant, quæ mihi videtur vetus: ſiquidem Platonem ex illa vetere Academia numeramus, in cuius libris nihil affirmatur, & in vtramque partem multa diſſeruntur: de omnibus quæritur, nihil certi dicitur: ſed tamen illa, quam expoſui, vetus, hæc noua nominetur, quæ vſque ad Carneadem perducta, qui quartus ab Arceſila fuit, in eadem Arceſilæ ratione permanſit.*

Lib. 1. de Natura deorũ.

Veteres cur ſe nihil ſcire dicebant.

Idem, *Hæc in philoſophia ratio contra omnia diſſerendi, nullamq; rem apertè iudicandi profecta à Socrate, repetita ab Archeſila, confirmata à Carneade ad noſtram vſq; viguit ætatem.* Hæc igitur vnica fuit antiquorum & primorum Philoſophorum ſapientia, *Hoc vnum arbitrari ſe ſcire, quod nihil ſcirent.* nam cùm ſapientia ſit omnium rerum diuinarum & humanarum, cauſſarumque, quibus hæ continentur, cognitio, quænam tum ſapientia potuit eſſe nondum inueſtigatis rerum cauſsis, nondum inuentis & deſcriptis artium diſciplinis? neque tamen illos latuit ſolem eſſe luminoſum, aut ignem calidum, aut aurum fuluum, ſed cauſſas earum rerum, ſicut reliquarum, quæ in philoſophia diſputabantur, hominibus ignotas eſſe dicebant, quarum inſpectione perfectaq;

Socrates contra Sophiſtas.

cognitione ſapientia conſtaret: in quam confeſsionem ignorantiæ Socrates adductus impudentiſsimos ſui temporis Sophiſtas exagitare ſolitus eſt, qui arrogantiſsimis verbis ſapientiam, cuius erant penitus ignari, priuatim publiceque polliceri auderent: neque tamen rerum

In Lucullo.

obſcuritas vehemens eius in philoſophia ſtudium retardauit. Cicero, *Neque tamen Socrates, atque veteres illi ab inuentione earum rerum quæ latebant, deterriti ſunt, aut alios deterruerunt.*

In Lucullo.

Idem, *Etſi enim cognitio multis eſt obſtructa difficultatibus, ea quidem eſt & in ipſis rebus obſcuritas, & in iudicijs noſtris infirmitas, vt non ſine cauſſa antiquiſſimi & doctiſsimi ſe quod cuperent inuenire diffiſi ſint, tamen nec illi defecerunt, neque nos ſtudium exquirendi defatigati relinquemus.* Poſtea cùm eſſent in Græcia multæ ac va-

riæ

riæ altercantium inter ſe philoſophorum ſcholæ, turbulentæque opi
nionum ſeditiones, quemadmodum antea modeſtiſsimus Socrates
cum arrogantiſsimis ſophiſtis, ſic Socraticus Archeſilas cum Peripa- *Socraticus*
teticis, Stoicis, Epicureis, quorum contentiones inaniſsimas ſapien- *Archeſilas*
tiæ & veritatis, fraudis verò & ſtultitiæ pleniſsimas videbat, ſibi om- *contra philo-*
ne certamen inſtituit, priſtinumque philoſophandi morem, qui lon- *ſophorum ſe-*
gè ſanctiſsimus & optimus erat, & ad eruendam rerum obſcurarum *ctas.*
veritatem accommodatiſsimus, reſtituit, vt ex Cicerone conſtat: *Sed* *Lib. 2. de Fi-*
tamen & illum (ait) *quem nominaui, & cæteros ſophiſtas, vt ex Platone in-* *nibus.*
telligi poteſt, eluſos videmus à Socrate: is enim percontando atque interrogando
elicere ſolebat eorum opiniones, quibuſcum diſſerebat, vt ad ea quæ ipſi reſpon-
diſſent, ſi quid videretur, diceret. qui mos cùm à poſterioribus non eſſet retentus,
Archeſilas eum reuocauit, inſtituitq́ue, vt hi, qui audire vellent, non de ſe quære-
rent, ſed ipſi dicerent quid ſentirent: quod cùm illi dixiſſent, ille contrà: ſed qui
audiebant, quoad poterant, defendebant ſuam ſententiam: apud cæteros autem
philoſophos qui quæſiuit aliquid, tacet. Archeſilas autem à cæteris philo- *Archeſilæ*
ſophis, qui ſe ſcire multa profitebantur, valde diſſentiens, duas res im *inſtitutũ in*
primis à vera philoſophia remouendas eſſe cenſebat, κατάληψιν, id eſt, *philoſophia.*
comprehenſionem, & συγκατάθεσιν, id eſt, aſſenſionem & approbatio-
nem: quamuis enim multa vera eſſent, quæ ſenſibus aut animo conti
nerentur, ea tamen à philoſophis comprehendi negabat, id eſt certa,
& penitus exploratis cauſsis perſpecta, & nunquam fallente veritate
cognoſci. Itaque in motionibus ſenſuum & animorum opinionem
tantùm relinquebat, ſcientiam tollebat. nec eam tam multis ſeculis vl
la omnino in re à quoquam homine aut inuẽtam, aut perceptam eſſe
arbitrabatur. cumque philoſophia tres in partes eſſet diuiſa, phyſi-
cam, moralem, dialecticam: oſtendebat primùm rationes de natura,
rebus occultis ex coniectura tantùm, & ea quidem leuiſsima pendê-
re, quæ Thaletis, Anaximandri, Anaximenis, Anaxagoræ, Parmeni-
dis, Democriti, Empedoclis, Heracliti, Meliſsi, Platonis, Ariſtotelis, a-
liorumq́; phyſicorum diſputationibus huc & illuc diſtrahuntur: dein
de bonorum & malorum notionem eſſe confuſam & perturbatam,
quæ tam variè ab Academicis, Epicureis, Stoicis, Magaricis, Eretria-
cis, Heriliis diſceptatur, vt ſatis conſtet illud quod incertum eſt, nec
euidenti veritate patefactum, à philoſophis temerè & impudenter af-
firmari. Poſtremò, ne in dialecticis quidem vllum veſtigium veræ, &
conſtantis ſcientiæ reperiebat, cùm de iudicio ipſo veritatis inter Pro
tagoram, Platonem, Epicurum, reliquos dialecticos, magna eſſet orta
contentio. Cùm igitur in omni parte philoſophiæ omnia opinioni-
bus & inſtitutis tenerentur, nec in ſcholis philoſophorum quicquam
certa ſcientia & veritate teneretur, hinc Archeſilea illa ἐποχή, id eſt, aſ-
ſenſionis retentio, nata eſt, in qua ſapienter permanſit Archeſilas, qui
nihil in tam multis & variis philoſophorum decretis certum, ratum,
firmum, comprehenſum vidit, quod ſine vlla dubitatione poſſet affir-

mare. Quamobrem quantum certamen veris & modeſtis philoſophis contra fallaces & impudentes ſophiſtas perpetuó fuerit, hinc apparet: Democritus, Anaxagoras, Empedocles, modeſtiam illam philoſophandi, & nihil temerè decernendi prudentiam tenuerunt: Gorgias, Protagoras, cæteraque ſophiſtarum turba illius ſapientiæ vanum nomen, quàm veram laudem maluerunt: & quantum vanitas efficere potuit, labefactarunt. His ſe Socrates ſummo ſtudio oppoſuit, ab eorumque impudentia veterem philoſophandi morem vindicauit: cuius omnis philoſophia veritatis inquiſitio fuit, non affirmatio: talesque ſunt eius omnes interrogationes apud Platonem & Xenophontem, partim ad refellendum arrogantiam ſophiſtarum, partim ad diſcendum quod ipſe neſciebat, compoſitæ. Socratis conſuetudinem Plato non ſolùm tenuit & probauit, ſed mirificè auxit, atque amplificauit: poſt quem rurſum in ſcholaſticis altercationibus periclitari cœpit, cùm ſibi quiſque ſua ſcita & edicta promulgaret, quæ ſequerentur hi, qui ſe in eam ſcholæ ſeruitutem nulla legitimæ cauſæ, aut rationis perſuaſione adhibita dediſſent: hinc Peripatetici à Stoicis, & Stoici ab Epicureis, & Epicurei ab vtriſq; de Deo, de natura, de ſummo hominis bono, de ſtudiis artium, id eſt, de omni ſapientiæ regno diſſenſiones extiterunt: in quibus ſua quiſque vt veriſsima, certiſsimaque defendit: cùm tamen in tam varia contradictione ſatis conſtet plus vno, aut potius nihil omnino verum eſſe. Contra hos igitur homines Archeſilas, cæterique viriliter & fortiter Socratis exemplo, & virtute ſe armarunt, vt nos ab eorum latrunculorum ſeruitute liberarent, & in naturæ, quam veteres illi ſummopere probauerant, libertatem præſtantiamque reſtituerent: eſt enim veræ philoſophiæ proprium, homines ab opinione ad veritatem, à ſenſibus ad mentem, à ſingulis rebus ad vniuerſitatem, à caducis & mortalibus ad conſtantiam & æternitatem conuertere: contrà verò Sophiſtæ illi ad ſenſus & opiniones nos tanquam pecudes alligant. At diſcipulum, inquies, credulum eſſe oportet, liberalem, modeſtum, beneuolum, attentum, diligentem, docilem. intelligentem eſſe oportet, credulum in philoſophia non oportet: tu enim mihi præceptor ignarus, imperitus, rudis, infans, flagitioſus etiam, & ſceleratus ſis, an tibi in tuis erroribus & flagitiis credulum diſcipulum putas eſſe oportere? tu diſcipulo tuo opiniones mendaces plerunq; & falſas pro catholicis & indubitatis proponas, & vetes ne cauſſam aut rationem vllam eorum requirat, ſed tuam authoritatem pro omni veritate habeat? ſic enim diſcipulum tanquam ſeruum moroſo domino addictum, iudicio arbitrioque carentem ſuo inſtituis, & ſtultiſsimam diſcipuli perſonam in philoſophiam inducis: nec verò artes & diſciplinæ ob id traduntur puero, vt ab eo credantur, ſed vt cauſsis omnibus diligentiſsimè & accuratiſsimè perſpectis, ingenium eius & iudicium confirmetur. Atque vt animaduertatur diligentius, & attendatur quod dicturus ſum (magnum

Credulitas in philoſophia.

enim

enim & graue eſt, & minimè fortaſſe in hac diſputatione ſperatum) dico & confirmo, quod non facerem in re leui, crimenque temeritatis pertimeſcerem. dico, inquam, & confirmo, Credulitatem iſtam in philoſophia principium & fontem infiniti erroris extitiſſe. Epicurus hoc ſibi fundamentum ad ſtultiſsimam fœdiſsimamque ſententiam de deorum noncurantia, de animæ interitu, de voluptate confirmandam aſſumpſit, vt ſibi nullam rationem reddendi à diſcipulis crederetur: atque omnino ne qua iudicandi poteſtas eſſet, non modò Academicam, verùm etiam dialecticam omnem differendi rationem de medio ſuſtulit: *Epicurus*, ait Cicero, *totam dialecticam contemnit & irridet.* Et eodem libro, *Iam in altera philoſophiæ parte, quæ eſt quærendi ac differendi, quæ λογικὴ dicitur, iſte veſter planè, vt mihi videtur, inermis & nudus eſt: tollit definitiones, nihil de diuidendo ac partiendo docet: nō quomodo efficiatur, concludaturque ratio, tradit: non qua via captioſa ſoluantur, ambigua diſtinguantur, oſtendit: iudicia rerum in ſenſibus ponit, quibus ſi ſemel aliquid falſi pro vero probatum ſit, ſublatum eſſe omne iudicium veri & falſi putat.* Hoc ſibi erroris principium Ariſtoteles commune cum Epicuro poſuit: qui cùm Platonis præceptoris ſui veriſsima & ſanctiſsima dicentis ſententiis non credidiſſet, credulitatem tamen iſtam à ſuis diſcipulis tribui ſibi poſtulauit: & iniquum eſſe iudicauit, vt contra ſua principia, cùm tamen omnium antiquorum philoſophorum principia calumniatus eſſet, diſputaretur: videlicet vt non modò nulla ratione, ſed contra omnem rationem & veritatem diſcipuli eius crederent, quæ ab eo falſò & impiè tradita ſunt. Plato docuerat mundum à Deo conditum, quæ præcipua eſt Dei optimi maximi gloria: at creduli Ariſtotelei id falſum putant: Ariſtotelis enim principium contrarium eſt. Plato prouidentia Dei omnipotentis mundum regi & gubernari dixit: at creduli Ariſtotelei derident, quoniam Ariſtotelis de fato, vt Cicero teſtis eſt, ſententia repugnat. Plato putauit animam immortalem eſſe, idque multis rationibus & argumentis confirmauit: at idiotam Platonem creduli Ariſtotelei exiſtimant, quoniam (quod etiam eius ſubtiles interpretes confirmant) Ariſtoteli immortalitas animæ diſplicuit. Plato hominis fœlicitatem à Deo accipi, & ad Deum referri docuit: at creduli Ariſtotelei, quoniam Ariſtoteles Platonis illam ſententiam captioſè & impiè calumniatus eſt, & principium & finem fœlicitatis humanæ Deo detrahunt, hominique non minus arroganter, quàm inſipienter attribuunt. Nihil neceſſe eſt infinitos humanarum opinionum errores commemorare, quæ non aliò quàm huius ſtultæ credulitatis principio innituntur. Quid ergo? nullàne in re fides ſine certa ratione, argumentoque perſpicuo laudanda erit? Imò verò diuinis in rebus plus certa firmaque fides ponderis habebit, quàm omnes omnium philoſophorum diſputationes: hæc autem de humana philoſophia contentio noſtra eſt, in qua prius cognoſcendum, vt credas: in diuinis autem, quæ humana intelligentia ſu-

Epicurei credули.

Lib. 1. de Finibus.

Ariſtotelicorum credulitas.

periora ſunt, fidendum credendumque eſt, vt poſtea cognoſcas. Sed ſatis multa de duobus Academicorum generibus, de eorum etiam inſtitutis nimis fortaſſe multa. Venio ad genus orationis, quo in ſuis diſputationibus vſi ſunt.

Genus orationis.

Vtriuſque igitur Academiæ duas fuiſſe communes diſputationis vias & rationes, libri Platonis & Ciceronis teſtantur: vnam qua res dubiæ & controuerſæ vtrinque diſceptarentur: alteram, qua probabiles diſputationes præceptis & inſtitutionibus perpetuis explicarentur: priorem dialogi Platonis de Moribus, & Ciceronis de Finib. poſteriorem Timæus ille Platonis, & tres Ciceronis libri de Officiis declarant. & Quintilianus: Sunt alij, inquit, Socratis ſermones ad coarguendos, qui contra diſputant, cōpoſiti, quos ἐλεγκτικοὺς vocant, alij ad præcipiendum, qui δογματικοὶ appellantur.

Cap.16.lib.2.

Ac ſi quis imaginem aliquam humanæ prudentiæ factis hominum expreſſam contempletur, illam priorem contradictionis conſuetudinem animaduertet in priuatis & publicis negotiis verſari. Nam ſi cui difficilis & grauis proponitur deliberatio, non prius ſtatuit de reipſa, quàm contraria inter ſe perſonarum, negotiorum locorum, temporum momenta contulerit: nec ſapientes iudices prius ſententiam de reo ferunt, quàm cauſſam ab oratoribus vtriuſq; partis concertatam, diſputatamque audierint, vt ex pugnantium argumentorum comparatione verum, aut ex omnibus maximè veriſimile quantum licet humana prudentia, poſsint elicere. Quare nulla cauſſa eſt, cur mirentur homines Ciceronem in examine veritatis pro Epicureis, & aduerſus Epicureos: pro Stoicis, & contra Stoicos: pro Peripateticis, & contra Peripateticos contrarias orationes inſtituiſſe. Etenim cùm diſcrepantium illorum philoſophorum ſententiæ ſatis argumento eſſent, omnes ſtultitia & temeritate lapſos fuiſſe, quòd res non ſatis exploratas affirmare auderēt, ſapienter ille à rebus controuerſis aſſenſionem, iudiciumque cohibuit: *Quid enim* (vt ait) *temeritate turpius? aut quid tam temerarium, tamq́; indignum grauitate ſapientis, atque conſtantia, quàm aut falſum ſentire, aut quod non ſatis exploratè perceptum ſit, aut cognitum, ſine vlla dubitatione defendere?* Hoc antiquiſsimum, & penè cum philoſophia natum Academiæ inſtitutum, cùm per vniuerſum terrarum orbem diuulgatum, receptumque, tum Lutetiæ in ſcholis Theologorum, Medicorum, Iureconſultorum, Philoſophorum à multis annis probatum, celebratumque eſt, quod maximum momentum habet, vt veritas, aut ſaltem probabilitas aliqua his contrariis diſputationibus in omni re propoſita cognoſci poſsit.

Lib. de Nat. deor.

Cicero, *Neque noſtræ diſputationes quicquam aliud agunt, niſi vt in vtranque partem dicendo & audiendo eliciant, & tanquam exprimant aliquid, quod aut ſit verum, aut ad id quàm proximè accedat.* Idem, *Contra autem omnia diſputatur à noſtris, quod hoc ipſum probabile elucere non poſſit, niſi ex vtraque parte cauſſarum facta eſſet contentio.* Quod etiam in ſtudiorum ſuorum mentione Horatius nobis obiter indicauit,

In Lucullo.

Lib.2. Offic.

Lib.2. Epiſt.

Adiecêre bonæ paulò plus artis Athenæ,
Scilicet vt poſſem curuo dignoſcere rectum:
Atq; inter ſyluas Academi quærere verum.

Ideoque, quod veræ ſolidæque laudis argumentum eſt, gymnaſia tot locis, tot regionibus inſtituta, non Lycæa Peripateticorum, non porticus Stoicorum, non horti Epicureorum, ſed nomine ipſo conſentiente cum Academica veritate Academicæ nominantur. Primus itaque differendi modus in contrarias partes hic fuit. Secundus autem ab Academicis in philoſophando adhibitus eſt, quò præceptis ea includerent, quibus erant propter aliquam probabilitatem aſſenſi: neque tamen ſuam ſententiam tanquam ab aliquo Deo, ſed tanquam ab homine profectam videri vellent, retinerentque perpetuò libertatem illam mentibus noſtris inſitam de omnibus rebus ad ſuum, non alienum arbitrium iudicandi, nec tanquam de coloribus per alienos oculos, ſed per proprios, & ſuos æſtimandi. Itaque Cicero cùm rem aliquam in philoſophia perpetua oratione docet, liberè dicit quæ ſentit, & parem iudicandi poteſtatem cæteris relinquit, ſumit ab vnoquoque quod verum aut veriſimile putat: *Sequemur igitur* (ait) *hoc quidem tempore, & in hac quæſtione Stoicos, non vt interpretes: ſed, vt ſolemus, è fontibus eorum iudicio, arbitrioq; noſtro quantum, quoq; modo videbitur, hauriemus.* Et alio loco, *Occurritur autem nobis, & quidem à doctis & eruditis, quærentibus ſatiſne conſtanter facere videamur, qui cùm nihil percipi poſſe dicamus, tamen & de alijs rebus diſſerere ſoleamus, & hoc ipſo tempore præcepta officij perſequamur. Quibus vellem cognita eſſet ſatis noſtra ſententia: non enim ſumus ij, quorum vagetur animus errore, nec habeat vnquam quid ſequatur. Quæ enim eſſet iſta mens, vel quæ vita potius, non modò diſputandi, ſed etiam viuendi ratione ſublata? nos autem, vt cæteri, alia certa, alia incerta eſſe dicunt, ſic ab ijs diſſentientes alia probabilia, alia contrà non probabilia eſſe dicimus. Quid eſt ergo, quod me impediat ea quæ mihi probabilia videntur, ſequi: quæ contrà, improbare, atq; affirmandi arrogantiam vitantem fugere temeritatem, quæ à ſapientia diſſidet plurimùm?* Idem, *Dictum eſt omnino de hac re alio loco diligentius, ſed quia nimis indociles quidam, tardiq; ſunt, admonendi videntur ſæpius: non enim ſumus ij, quibus nihil verum eſſe videatur, ſed hi, qui omnibus veris falſa quædam adiuncta eſſe dicamus, tanta ſimilitudine, vt in ijs nulla inſit iudicandi & aſſentiendi nota. Ex quo exiſtit & illud, certa eſſe probabilia multa, quæ quanquam non perciperentur, tamen quia viſum quendam habent inſignem & illuſtrem, his ſapientis vita regeretur.* Atque hæc de Academicis differendi generibus. Nunc itaque Academicorum differentiam à reliquis philoſophis intelligere planè poſſumus: Academici enim tantùm diſtant à reliquis philoſophis, quantum liberi à ſeruis, ſapientes à temerariis, conſtantes à pertinacibus. Cicero, *Neq; inter nos & eos qui ſe ſcire arbitrantur, quicquam intereſt, niſi quòd illi non dubitant, quin ea vera ſint, quæ defendunt: nos probabilia multa habemus, quæ ſequi facilè, affirmare vix poſſumus. hoc etiam liberiores & ſolutiores ſumus, quòd inte-*

[Margin notes, top to bottom:]

Secundus Academicæ diſputationis modus.

Lib. 1. Offic.

Lib. 2. Offic.

Lib. 1. de Natura deor.

Differentia Academicorum à reliquis philoſophis

In Lucullo.

gra eſt nobis iudicandi poteſtas, neq; vt omnia, quæ præſcripta, & quaſi imperata ſint, defendamus, neceſsitate vlla cogimur. Nam cæteri primùm antè tenentur aſtricti, quàm quid eſſet optimum, iudicare potuerint: deinde infirmiſsimo tempore ætatis aut obſequuti amico cuidam, aut vna alicuius, quem primùm audierint, oratione capti, de rebus incognitis iudicant, & ad quamcunque ſunt diſciplinam quaſi tempeſtate delati, ad eam tanquam ad ſaxum adhæreſcunt: Nam quod dicunt omnino ſe credere ei, quem iudicent fuiſſe ſapientem, probarem, ſi idipſum rudes & indocti iudicare potuiſſent: ſtatuere enim quis ſit ſapiẽs, vel maximè videtur eſſe ſapientis: Sed vt potuerunt, omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum ſententijs iudicauerunt, aut re ſemel audita ad vnius ſe authoritatem contulerunt. Itaque ſi fortè in delicatos Epicureorum greges de deorum otio inter pocula philoſophantes incideris, audies Epicurum vnicum authorem eſſe deumque, & beatæ & fortunatæ vitæ: Platonem autem & Ariſtotelem, reliquosq; philoſophos præ hoc vno ſtultos & deliros. ſi in Peripateticorum deambulationem veneris, magnas hominum admirationes audies, Magnus ille vir Ariſtoteles, & quem natura nihil celauit. ſi Stoicos de Zenone interrogaueris, nihil hoc vno in vita conſtantius, nihil in philoſophia admirabilius aut diuinius fuiſſe reſpondebunt: denique quam quiſque ſibi philoſophiæ ſectam delegit, quamuis ea ſit plerunque impia, aut à veritate aliena: tamen ita mente & animo ad hanc adhæreſcit, vt eum nec ratio ab errore, nec libertatis amor à ſeruitutis turpitudine, nec conſtantia veritatis ab obſtinatione, pertinaciaque reuocare poſsit. Quæ cùm ita ſint, cumque Academia ſit magiſtra pudoris, vindex libertatis, indagatrix ſapientiæ, robur ac firmamentum humani iudicij, occurret tamen nomen nobis, Cur tam multi Epicurei, Peripatetici,

Cur tã pauci Academici, cùm cæterarum ſectarũ tam multi æmuli ſint

Stoici: Academici autem tam pauci fuerint? Duas intelligo fuiſſe huius erroris cauſſas, imbecillitatem & amorem: permulti enim deſperatione debilitati id experiri noluerunt, quod ſe conſequi poſſe diffiderent, aut pro ſuo quiſque ingenio affectum animi ad amorem diſciplinarum tranſtulit. Cur enim tam multi Epicurei? quia voluptates blandiſsimæ dominæ ſunt, quæ facilè ſuis illecebris non tantùm homines aliquot, ſed vrbes & nationes maximas alliciunt. Cur tam multi Peripatetici? quia facillimum eſt, vel imperitiſsimis in ſchola totos dies muliebriter altercari, & popularem illam ſententiam de fine bonorum, quòd opes, quòd honores, quòd bona valetudo, quòd pulchra coniunx, quòd perpetua ſine vlla offenſione proſperitas beatum faciant, amplexari. Cur tam multi Stoici? quia multi agreſtes & inhumani, quibus nulla miſericordia, nulla humanitate flecti aut moueri, rigidè atq; auſterè loqui, pulchrum gratumque eſt. Quibus omnibus Epicureis, Peripateticis, Stoicis cùm ſententia ſemel aliqua in animo

In Lucullo.

inſedit, nefas putant eam deponere, vt Cicero ſcribit: *Sed neſcio quomodo pleriq; errare malunt, eamq; ſententiam, quam ſemel adamarunt, pugnaciſsimè defendere, quàm quid conſtantiſsimè dicatur, exquirere.* Cur tam pauci igitur

tur Academici? quia pauci firmo conſtantique iudicio ſunt, & pleriq; diſcendi, cognoſcendique laborem fugiunt. Itaq; Cicero Academicorum paucitatem, ſolitudinemq; Academiæ ſic excuſat, *Quam*, ait, *nunc propemodum orbam eſſe in ipſa Græcia intelligo, quod non Academiæ vitio, ſed tarditate hominum arbitror contigiſſe: nam ſi ſingulas diſciplinas percipere magnum eſt, quanto maius omnes? quod facere his eſt neceſſe, quibus propoſitum eſt veri reperiendi cauſſa, & contra omnes philoſophos & pro omnibus dicere.*

Lib. 1. de Natura deor.

Plerunque autem cæcus ille amor ex aliqua authoritatis opinione efficitur, quod vehementer eſt in hac libera philoſophandi veritate reprehendendum. Cicero, *Qui autem requirunt quid quaque de re ipſi ſentiamus, curioſius id faciunt, quàm neceſſe eſt: non enim tam authores in diſputando, quàm rationis momenta quærenda ſunt: Quinetiam obeſt his plerunque, qui diſcere volunt, authoritas eorum qui ſe docere profitentur: deſinunt enim ſuum iudicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo quem probant, iudicatum vident. nec vero probare ſoleo, quod de Pythagoreis accepimus, quos ferũt, ſi quid affirmarent in diſputando, cùm ex his quæreretur quare ita eſſet, reſpondere ſolitos, αὐτὸς ἔφα, ipſe dixit, ipſe autem erat Pythagoras: tantùm opinio præiudicata poterat, vt etiam ſine ratione valeret authoritas.*

Lib. 1. de Natura deor.

Eiuſdem erroris vanitas in quibuſdam Ariſtoteleis eſt, qui tantùm tribuunt ſuo magiſtro, vt eum deum quendá exiſtiment, & Ariſtoteli repugnare idem propemodum eſſe credant, quod naturæ, veritati, deo repugnare. Itaq; cùm frater meus Petrus Ramus in Ariſtoteleorum ſentẽtiam vſitatiſsimo illo, & omnibus temporibus approbatiſsimo more dixiſſet, duo homines tam vehementer irati, commotiq; ſunt, vt qui Ariſtotelem reprehenderet, exiſtimarent eum omnes artes conturbare, iura humana & diuina peruertere, omnem humani iudicij libertatem eripere: denique è mundo quaſi mundi ſolem tollere: atque Ariſtotelico ſpiritu afflati exclamarent, tantum ſcelus igne expiandum eſſe, & ne teſtimonio tantæ ſtultitiæ careremus (vix enim credibile id eſſet, niſi ſcripto teſtatum, proditumque teneretur) libellis contra Ariſtotelicas animaduerſiones deſcriptis, & per orbem terrarum miſsis ad prædicandum & diuulgandum cenſuerunt: quos homines, quoniam à ſeipſis ſatis vexati ſunt, & à fratre meo perpetuò contempti, tandemque Ariſtoteleo iudicio reſciſſo ſatis refutati, non puto mihi ſeuerius notandos eſſe. Sed quid Ariſtoteleos duos hîc commemoro, cùm tota iſtorum hominum natio eadem ſit? Enimuerò quid ſingularem, & poſt homines natos inauditam hiſtoriam referá? ſumma ſemper libertas fuit grammaticis, rhetoribus, mathematicis, philoſophis, contra grammaticos, rhetoras, mathematicos, philoſophos dicendi & ſcribendi: eaq; libertas, quia ad omnium artium perfectionẽ pertinere magnopere videbatur, maximè probata eſt, & omnium philoſophorum, Ariſtotelis præſertim, pręceptis vnicè commendata. At quoniam Petrus Ramus Ariſtotelicis animaduerſionibus Ariſtoteleos dormientes vellicare auſus erat, Deus bone, meminiſſe horret, quæ contigerint:

Ariſtotelicũ iudicium de Ramo.

res atrociores prætermittam: ex Ariſtoteleis neminem nominabo: ſummam rerum ſimpliciter attingam. Vix Ariſtotelicæ animaduerſiones lectæ erant, cùm Petrus Ramus repentè non ad humanam aliquam, & literis vſitatã diſputationẽ ab Academia vocatur, ſed ad Prætorij Tribunalis capitalem contentionem per certos homines falſò Academiæ nomine rapitur, nouique & ante hunc diem inauditi criminis accuſatur, quòd Ariſtoteli repugnando Theologiam & artes eneruaret: hac enim oratione Ariſtotelea actio inſtituta eſt. hinc Ariſtoteleorum clamoribus agitatus ad ſummum Pariſienſis curiæ conſilium traducitur: deinde cùm legitimo iudicij more res agi atque apertius iniquiſsimæ fraudis inuidia percipi videretur, nouis artibus à Senatu Pariſienſi ad Regiam cognitionem diſiicitur, qua conſtitutis quinque iudicibus, binis ex vtraque parte, quinto regia denominatione deſignato, cauſam de ſingulis animaduerſionum capitibus dicere iubetur. Hîc tametſi de quinque iudicibus tres infenſiſsimos Ramus habebat, tamen vt mandato Regio obtemperaret, ad diem conſtitutam adfuit: ſcriba vnus aderat, qui rationes Rami, & Iudicum ſententias exciperet: defenſionis ſuæ teſtem Ramus impetrare neminem potuit. Biduo magna contentione de dialecticæ artis definitione & partitione, quæ in Logici Organi libris nullæ eſſent, concertatum eſt. tres Ariſtotelei iudices primo die contra omnes bene deſcriptæ artis leges iudicarunt, ad dialecticæ artis perfectionem definitione nihil opus eſſe. Iohannes Quintinus Heduus, Iohannes Bomontius Pariſienſis, qui duo iudices erant à Ramo delecti, pro ſingulari ſua eruditione & doctrina cenſuerunt, omnem diſputationem, quæ via & ratione procederet, à definitione proficiſci debere, idque perſcriptum obſignarunt. Poſtridie tres iudices Ariſtotelei vehementer conturbati de partitione aſſentiuntur, Dialecticæ legitimas eſſe partes, inuentionem & iudicium, atque hac de re ſententias ſuas perſcribunt. verùm cùm Ramus vrgeret Ariſtoteleos igitur merito à ſe reprehendi, quòd propria partitione prętermiſſa totam Dialecticam mille tenebris obruerent, tribus Iudicibus ampliari cauſſam placuit, & in alium diem reiici, quia iſta via Ariſtotelei ſuperiores eſſe non poſſent. Hîc audiendi Rami finis fuit: deinceps enim Ariſtotelei Iudices æſtuare, rixari inter ſe, & iurgare, quòd eò ſe per imprudẽtiam demerſiſſent, vnde incolumes emergere non poſſent. Itaq; ne non damnaretur Ramus, nouum conſilium initur, vt ab initio tota diſputatio retexatur, & adhuc iudicata induceretur, proque nihilo haberetur. Id verò Ramus ſe facturum pernegauit, cœpitque liberius conqueri his ſe Iudicibus eſſe traditum, quibus ſatis non eſſet eius ſententiam tam cæca cupiditate oppugnare, niſi ipſi quoque ſuam dictam præſertim, & obſignatam nullo inconſtantiæ pudore reſcinderent: quare tum Ramus à tribus illis accuſatoriis Iudicibus, cûm eos neque ſua conqueſtione, neque reliquorum Iudicum admonitione de tanta vio

lentia deduceret,appellauit.Poſtremum igitur illud fuit,tanta autho ritas contra Ramum impetratur, vt tribus Ariſtoteleis Iudicibus infi nita poteſtate,ſine auxilio,ſine prouocatione,iudicium de Ariſtotelicis animaduerſionibus permitteretur: tam variis ſcilicet machinis, tam multis copiis, tot poteſtatibus ad confutandum dialecticæ diſpu tationis argumentum opus fuit,vix,ita me Deus amet,

Vix Priamus tanti totaq́ Troia fuit.

Sed cætera attendamus: huic tantæ poteſtati,maiori etiam cupidi tati Quintinus & Bomontius conceſsêre, perſcripta tamen antè de vniuerſa diſputatione ſententia, teſtati ſibi placere, vt in philoſophia ſicut antea ſemper fuiſſet, liberum eſſet in omnem partem diſputare: ex eo autem conſeſſu ſe diſcedere, quia ſe non ſocios conſilii,ſed iniuriæ,quæ Ramo fieret,adhibitos teſtes intelligerent. idemque Ramus ipſe non ſine ſtomacho,cùm à tribus illis contumelioſè illuderetur,fecit: & ea ſe tempora ſperare dixit, quibus tales Iudices de ſuo facto nequaquam parem eſſent voluptatem percepturi: ita vi victa,vel certè hominum quorundam opinione, ad tempus oppreſſa cauſſa eſt. Condemnantur igitur triumuirali ſententia non modò indicta, ſed incognita planè cauſſa animaduerſiones Ariſtotelicæ. hoc expectari à talibus Iudicibus potuit.Eiuſdem incendij ruina inſtitutiones dialecticæ affliguntur, non alia quippe ratione, quàm quòd eiuſdem artificis opus erant: neque enim verbo Ariſtoteleos læſerant, imò ne ab his quidem accuſatæ vnquam fuerant, ſed ante illum diem ab Ariſtoteleis ipſis laudatæ. quis Iudex præter hos damnauit vnquã quod accuſatum non eſſet? de quo reus nihil interrogatus eſſet? Authori animaduerſionum & inſtitutionum toto philoſophiæ regno velut aqua & igni,graui etiam pœna addita interdicitur,ne vnquam vel ſcribendo, vel docendo in vllam philoſophiæ partem ingrederetur. hoc verò non eſt dialecticum acumine refellere,ſed dialecticum de ſuggeſtu deturbare: atque hæc omnia Regis,licèt omnium Regum & humaniſsimi, & literarum amantiſsimi, tamen per falſas & improbiſsimè confictas calumnias inducti authoritate confirmãtur. Conſtricta itaque lingua,vinctis manibus,cùm ſic afflictus Ramus teneretur, vt Ariſtoteleis vel impunè diſcerpere liceret, Ramo contrà ne mutire quidem liceret,triumphus de tam nobili victoria mirificus agitur: triſtis illa & horrida triumuirûm ſententia impreſsis & Latina & Gallica oratione libellis, non modò per huius vrbis compita, ſed per orbis terrarum loca omnia,quò exportari potuit,promulgatur.ludi magno apparatu celebrantur, vbi ſpectantibus & plaudentibus Ariſtoteleis omni ludibrij & conuitij genere Ramus afficitur. quid reliqua his indigniora commemorem? quæ tametſi veriſsima ſunt, & memoria recenti tenentur, tamen ita ſunt ab honeſtis ſtudiis aliena, vt verear ne iis etiam qui interfuerint,& viderint,res tam incredibilis non facta,ſed ficta eſſe videatur.Hæc Ariſtotelici iudicij breuis & ſumma-

ria hiſtoria eſt:plurima enim prætereo,quæ ſine certorum hominum infamia commemorari non poſſunt: neque hæc pauca idcircò commemoro,vt maleuolo cuiquam ſtomachum moueam. quid enim minus eſt, quàm vt tam inhumaniter vexatis ſaltè præteriti laboris meminiſſe liceat?ſed vt omnes intelligant,Cardinalis illuſtriſsime, non ſolùm quantum tibi tali abrogato iudicio Ramus Talæusq; debeant, ſed etiam quàm formidabilis & iracunda Ariſtoteleorum logica ſit, quæ talibus argumentis aduerſarium perſequatur: ac ne me Ariſtotelei pari iracundia appetant, ad Academiam refugio minimè ſuperbam, atque violentam, ſed contrà facilem & benignam, quæ tantùm abeſt,vt ſibi contradicentibus tam ferociter iraſcatur, vt etiam amatores ſuos exiſtimet,à quibus ſibi veritatis inquirendæ gratia diligenter & accuratè contradicatur. Hanc itaq; velut certiſsimam humanæ prudentiæ regulam ſemper homini propoſitam eſſe oportebit, quiſquis volet rectè & conſtanter de rebus omnibus iudicare. Quòd ſi in his emendis & contrahendis quæ ad corporis vſum & cultum pertinent,tantum diligentiæ adhibetur, vt non niſi adhibito magno delectu quicquam emas, nec ſi tibi mercator merces ſuas, quas vænales exhibet,optimas eſſe iureiurando confirmauerit,idcircò plus eius teſtimonio,quàm tuo iudicio tribuas: quanto maiore ſtudio & conſideratione merces animorum, quas philoſophi nobis venditant, explorandas & deligendas eſſe arbitraris? nam,vt ait Horatius,

Non qui Sydonio contendere callidus oſtro
Neſcit Aquinatem potantia vellera fucum,
Certius accipiet damnum,propiúſue medullis,
Quàm qui non poterit vero diſtinguere falſum.

Sunt autem illi ipſi philoſophi mercatores, atq; inſtitores ſapientiæ.Itaq; ſi quid in Platonis ſermonibus & ſcriptis commodum mihi & vtile eſt,accipio:ſi quid boni in hortis Epicuri proſtat,non contemno:ſi quid melius Ariſtoteles vendit, quantum, quoquo modo videtur,aſſumo: ſi magis ſunt vendibiles Zenonis, quàm Ariſtotelis merces,Ariſtotelem relinquo,ad Zenonis officiná diuerto:ſi vana ſunt & inutilia,quæ venduntur in tabernis philoſophorum omnia, omnino nihil hinc emo,neque tamen optima quærendi finem facio,notoque

Lib.1. Epiſt. illo Horatij conſilio,atque inſtituto admonitus,

Quod verum atq; decens,curo & rogo,& omnis in hoc ſum:
Ac ne fortè roges,quo me duce,quo lare tuter,
Nullius addictus iurare in verba magiſtri
Quò me cunque rapit tempeſtas,deferor hoſpes:
Nunc agilis fio,& merſor ciuilibus vndis:
Virtutis veræ cuſtos, rigidusq; ſatelles:
Nunc in Ariſtippi furtim præcepta relabor:
Et mihi res,non me rebus ſubmittere conor.

Hæc eſt Academicorum, id eſt, verorum hominum (vtrunq; enim tantun-

tantundē valere exiſtimo) propria & germana libertas, nullius homi nis legibus & inſtitutis in philoſophia neceſſariò parère: modeſtia in rebus incertis iudicium ſuum nullum interponere: prudentia, cauſſas rerum conferre, & quid in quamque ſententiam dici poſsit exprimere, nulla adhibita ſua authoritate: ſapientia, vnicam veritatem in omni vita tanquam deam colere, eamque pluris quàm omnium Philoſophorum teſtimonia æſtimare.

Habes, Cardinalis illuſtriſsime, Academiæ conſuetudinem, non ex meo, ſed Ciceronis ſenſu atque oratione breuiter expoſitam: quam ſi quis melius & luculentius oſtenderit, hunc ego non modò mihi aduerſarium non putabo, ſed verum Academicum, verumque philoſophum nominabo, qui mea oratione nihil exterritus, perfectius aliquid & accuratius exquiſierit.

AVDOMARI TALAEI IN ACADEMICVM CICERONIS FRAGMENTUM, EXPLICATIO.

AD *CAROLVM LOTHARINgum Cardinalem Cuiſianum.*

ACademicos Philoſophos, Cardinalis illuſtriſsime, fuiſſe accepimus, qui in Academia verſati, philoſophatiq; ſunt: Academia autem, vt ait Laertius, locus erat Athenis ſuburbanus, & nemoroſus, ab Academo heroe ſic appellatus, ſicut Eupolis in Aſtrateutis,

Ἐν εὐσκίοις δρόμοισιν Ἀκαδήμου θεοῦ. id eſt,

In vmbroſis ambulacris Academi Dei. Et Timon,

Τῶν πάντων δ' ἡγεῖτο πλατύστακος, ἀλλ' ἀγορητὴς
Ἡδυεπὴς τέττιξιν ἰσογράφος, οἵθ' Ἑκαδήμου
Δένδρει ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι. hoc eſt,

Hos inter dux ille Plato celſiſsimus ibat,
Cuius ab ore melos manabat, quale hecademi
Arbuſtis lepida modulantur voce cicadæ.

Qui igitur poſt Platonem Platonis Academiam ſequuti ſunt, è loci vocabulo nomen habuerunt, quemadmodū ſuperiore libello docuimus: quorum alii veteres, alij noui dicebantur: & veteres quidē à Platone vſq; ad Archeſilā, qui excepto Platone in philoſophia tanquam in Republ. princeps certas leges inſtituerunt, quibus eorū auditores

ſectatoresq́ue neceſſariò parerent; noui autem ab Archeſila vſque ad ætatem Ciceronis viguerunt, qui ſectas illas ſeruitutis aſpernati, libertatis ſcholam tenuerunt, in qua liberum eſſet de omnibus rebus, nulla adhibita cuiuſquam authoritatis perſuaſione iudicare. quibus Academicis nouis duplex differendi ratio propoſita fuit, vna de rebus propoſitis in contrarias partes, qualis eſt Ciceronis de Finibus bonorum & malorum, de Natura deorum, de Diuinatione. Altera doctrinæ cuiuſdam & artis via progreditur, cùm ea quæ probabilia videntur, perpetuis præceptis explicant: quod differendi genus Cicero in diſputatione Officiorum ſecutus eſt: quem cùm ſui temporis homines inceſſerent, vt leuiſsimum transfugam, nec in vlla parte ſtantem, ſed modò Epicureum, modò Stoicum, modò Peripateticum, modò ab his ipſis alienum, ille pulcherrimæ inſtitutionis ſuæ declarandæ cauſſa Academiæ nouæ cauſſam primùm duobus libris egit Catulo & Lucullo, quibus aliqua ex parte retractatis, idem argumentum quatuor aliis libris Academicis perſecutus eſt. Ac duos illos prioris editionis nominibus eorum qui loquerentur, inſcripſit, quos, cùm non ſatis philologos animaduertiſſet, de philologia indecorè loqui, libros eos non argumenti quidem, ſed perſonarum cauſſa mutandos

Libro 13. ad Atticum.

eſſe exiſtimauit. *Hæc,* ait, *Academica, vt ſcis, cum Catulo, Lucullo, Hortenſio contuleram: ſanè in perſonas non cadebant: erant enim λογικώτερα, quam vt illi de his ſomniaſſe vnquam viderentur.* Efficere tamen Cicero non potuit, quia iam in manus hominum peruenerant, vt omninò ſupprimerentur, cùm Lucullus adhuc integer habeatur: quinetiam his libris iam editis noua prooemia addidit, quibus Catulus & Lucullus laudarentur. Atque hæc de priore editione. Secundę autem editionis quatuor Academicos libros M. Terentio Varroni multis de cauſsis nuncupatos eſſe voluit: vnà, quòd doctus ille, & Antiochiarum partium, quas

Ibidem.

ei in dialogo tribuit, mirificè ſtudioſus erat. *Ergo,* inquit, *illam ἀκαδημαϊκὴν, in qua homines nobiles illi quidem, ſed nullo modo philologi nimis acutè loquuntur, ad Varronem transferamus: etenim ſunt ἀπόχεια, quæ iſte valde probat: Catulo & Lucullo alibi reponemus, ita tamen ſi tu hoc probas, deq́ eo mihi reſcribas velim.* Altera cauſa fuit, quòd de ea re à Titio Pomponio Attico admonitus fuerat. *Quòd ad me,* inquit, *de Varrone ſcribis, ſcis me antea orationes, aut aliquid id genus ſolitum ſcribere, vt Varronem nuſquam poſ-*

Ibidem.

ſem intexere. Et alia epiſtola, *Commotus tuis literis quod ad me de Varrone ſcripſeras, totam Academiam ab hominibus nobiliſsimis abſtuli, tranſtuliq́ ad noſtrum ſodalem, & ex duobus libris contuli in quatuor. Grandiores omnino ſunt, quàm erant, ſed tamen multa detracta: tu autem per mihi velim ſcribas, quid intellexeris illum velle: illud vtiq́ ſcire cupio, quid intellexeris ab eo ζηλοτυπεῖσθαι.* Poſtrema cauſſa fuit, quòd hoc munus gratum Varroni fore ſenſerat.

Libro 13. ad Atticum.

In Varrone, ait, *iſta cauſſa me non moueret, ne viderer φιλόδοξος: ſic enim conſtitueram neminem includere in dialogo eorum, qui viuerent, ſed quia ſcribis & deſiderari à Varrone, & magni illum æſtimare, eos cōfeci & abſolui, neſcio quàm*

bene

benè,ſed ita accuratè,vt nihil poſſet ſuprà. His igitur de cauſsis Academica diſputatio à Catulo & Lucullo ad M. Terentinum Varronem translata eſt, in qua quæ ratio perſonarum dignitaſque ſit, idem Cicero in Ibidem. epiſtolis oſtendit, *Academiam,* ait, *omnem quæſtionem libris quatuor abſolui: in eis quæ erant ἀκαταληψίας præclarè collecta ab Antiocho, Varroni dedi: ad ea ipſe reſpondeo: tu es tertius in ſermone noſtro: ſi Cottam & Varronem feciſſem inter ſe diſputantes,vt à te proximis literis admoneor, meum κωφὸν πρόσωπον eſſet: hoc in antiquis perſonis ſuauiter fit, vt & Heraclides in multis, & nos ſex libris de Republica fecimus.* Cùm hoc opus iam confectum & abſolutum eſſet, an Varronis nomine ederet in lucē, an de dialogo Varronem detraheret, perſonaſque mutaret, Cicero diu multumque dubitauit, vt ipſe teſtis eſt in epiſtolis ad Atticum: *Ecce,* inquit, *tuæ literæ* Ibidem. *de Varrone: nemini viſa eſt aptior ἀντιοχεία ratio, ſed tamen velim ſcribas, placeátne tibi ad illum: deinde ſi placebit, hocne potiſſimùm.* Et alibi, *Illud e-* Libro 13. ad *tiam atque etiam conſideres velim, placeátne tibi mitti ad Varronem quod ſcri-* Atticum. *pſimus, etſi etiam aliquid ad te pertinet: nam ſcito te ei dialogo adiunctum eſſe, tertium opinor: igitur cōſideremus, etſi nomina iam facta vel induci, vel mutari poſſunt.* Cauſam ſuæ dubitationis aliquot in locis tacet, vt, *De Varrone* Ibidem. *nō ſine cauſſa quid tibi placeat, diligēter exquiro: occurrūt mihi quædā, ſed ea coràm: te autem ἀσμενίσαντα intexui, faciamq;: proximis enim literis primùm id te non nolle cognoui.* Et alio loco, *Varroni ſimulatque te videro, ſi videbitur,* Ibidem. *mittam: quid autem dubitarim, cùm te videro, ſcies.* Se tamen quadam epi- Ibidem. ſtola ſe graue iudicium Varronis de hac Academica diſputatione vereri ſignificat: *Volo,* inquit, *Varronem, præſertim cùm ille deſideret: ſed eſt, vt ſcis, δεινὸς ἀνὴρ τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο. Ita mihi ſæpe occurrit vultus eius, quærentis fortaſſe vel hoc, meas partes in his libris copioſius defenſas eſſe, quàm ſuas: quod tamē me hercule intelliges non eſſe, ſi quando in Epirum veneris: iam nunc Alexionis epiſtolis cedimus, ſed tamen non deſpero probatum iri Varroni, & id quoniam impenſam fecimus in Macrocola, facilè patior teneri. ſed etiam atq; etiā dico, tuo periculo fiet: quare, ſi dubitas, ad Brutum tranſeamus: eſt enim is quoq; Antiochius.* O Academiá volaticá, & ſui ſimilē, modò huc, modò illuc. Eos libros primū Romá miſit, nec tantū librariis Attici deſcribendi poteſtatē fecit, ſed etiam totē editionē Attici iudicio arbitrióque permiſit. *Quid ego de Varrone reſcribam? διφθέραι ſunt in tua poteſtate,* Libro 13. ad *quid egeris, id probabo, nec tamen αἰδέομαι Τρῶας. quid enim? ſed ipſi quàm res* Atticum. *illa probaretur, magis verebar: ſed quoniam tu ſuſcipis, in alteram aurem.* Et Ibidem. alia epiſtola, *Ego interea admonitu tuo perfeci ſanè argutulos libros ad Varronem, ſed tamen expecto quid ad ea, quæ ſcripſi ad te, primùm quid intellexeris eum deſiderare à me, cùm ipſe homo πολυγραφώτατος nunquam me laceſſiſſet: deinde quàm ζηλοτυπεῖν multò Hortenſium minus, aut eos qui de Republica loquuntur. Planè hæc mihi explices velim, imprimis maneáſne in ſententia, vt mittam ad eum quæ ſcripſi, an nihil neceſſe putes. ſed hæc coràm.* Quanta autem accuratione & diligentia quatuor Academicos libros limatos edi- Libro 13. ad derit, iiſdem epiſtolis indicat, *Vt legi,* inquit, *tuas literas, de Varrone tan-* Atticum.

quam ἕρμαιον arripui: aptius eſſe ad id philoſophiæ genus nihil potuit, quo ille maximè mihi delectari videtur, easq; partes vt non ſim conſecutus, vt ſuperior mea cauſſa videatur: ſunt enim vehementer πιθανὰ Antiochia, quæ diligenter à me expreſſa acumen habeant Antiochi, nitorem orationis noſtrum, ſi modò eſt aliquis in nobis. Et alio loco, *Libri quidem ita exierunt, niſi fortè me communis φιλαυτία decipit, vt in tali genere ne apud Græcos quidem ſimile quicquam. Tu illam iacturam feres æquo animo, quòd illa, quæ habes de Academicis fruſta deſcripta ſunt, multò tamē hæc erunt ſplendidiora, breuiora, meliora.* De quatuor Academicis libris fragmentum duntaxat primi hac noſtra ætate reſiduum eſt, in quo primùm captata ſermonis occaſione, quæſtio ſtatim diſputatur, an Latinè philoſophandum ſit, deinde veteris Academiæ explicatio, eiusque à Peripateticis primùm, deinde à Stoicis facta correctio traditur, reliqua diſputatio primi libri, triumq; proximorum deſideratur.

M. T. Cic.

M. Tullij Ciceronis ACADEMICARVM

Quæſtionum liber primus,ab Audomaro Talæo explicatus.

IN Cumano nuper quum mecum Atticus noſter eſſet, nuntiatum eſt nobis à M. Varrone, veniſſe eum Roma pridie veſperi,&,niſi de via feſſus eſſet, continuò ad nos venturum fuiſſe. Quod quum audiſſemus, nullam moram interponendam putauimus,quin videremus hominem nobiſcum & ſtudijs eiſdem, & vetuſtate amicitiæ coniunctum. Itaq; confeſtim ad eum ire perreximus,paulumq; quum eius villa abeſſemus, ipſum ad nos venientem vidimus,atq; illum complexi(vt mos amicorum eſt) ſatis eum longo interuallo ad ſuam villam reduximus.

Cumanum Ciceronis villa fuit non procul à Cumis oppido Lucaniæ, cui vicina eiuſdem nominis villa Varronis erat.Occaſionem autem dialogi qui ſequitur,attulit tum Varronis aduentus in ſuum Cumanum , tum profectio Ciceronis & Attici ad Varronem doctiſſimum ſimul & amiciſſimum hominẽ ſalutandum, tum Varronis ad vtrumque venientem feſtinatio, tum mutuus & plenus amoris complexus,tum locus ipſe Varronis ad philoſophandum aptiſſimus: quæ omnia vt breuiter,ita congruenter ad apparatum ſermonis ficta deſcriptaq; ſunt. *Cumanum Ciceronis.*

Hic pauca primò, atque ea percontantibus nobis, & ſi quid fortè Roma noui, Atticus. [2] Omitte iſta quæ nec audire ſine moleſtia poſſumus, quæſo, inquit, & quære potius ecquid ipſe noui. Silent enim diutius muſæ Varronis quàm ſolebant:nec tamen iſtum ceſſare,ſed celare quæ ſcribat,exiſtimo. [3] Minimè verò,inquit ille.Intemperātis enim arbitror eſſe ſcribere, quod occultari velit. Sed habeo opus magnũ in manibus,quod iampridem ad hunc eũ ipſum(me

autem dicebat) quædam inſtitui, quæ & ſunt magna ſanè, & limantur à me politius. Et ego iſta quidem, inquam, Varro iandiu expectans, non audeo tamen flagitare. Audiui enim è Libone noſtro, cuius noſti ſtudium (nihil enim eiuſmodi celare poſſumus) non te ea intermittere, ſed accuratius tractare, nec de manibus vnquam deponere.

1 Iam tres doctiſſimi homines, & ſumma neceſſitudine coniuncti ad colloquendum parati ſunt. Primus ingreſſus ad ſermonem fit ex vſitata percontatione: ferè enim fit, vt eos, qui ex aliqua celebri vrbe veniunt, interrogemus, quid noui? 2 Quæ tamen interrogatio ex Attici correctione gratior efficitur, Omitte, inquit, Varronem de turbulentis rebus, & moleſtiarum plenis percontari: ſed quære potius quid ipſe noui agat, de huius enim ſcriptis iampridem nil accepimus: quem tamē non ceſſare, ſed celare quæ ſcribat, exiſtimo. Hoc loco prima capiatur occaſio de ſtudiis literarum colloquendi. 3 Varro autem Attico dupliciter reſpondet, & quòd ineptum ſit labores ſuos nolle in lucem aſpectumq́; proferre, & quòd magnum opus diligenter & accuratè poliat, quod de lingua Latina multis libris ad M.Ciceronem, his Academicis editis miſſum poteſt intelligi: cuius προσφώνησιν biennio antè Varro Ciceroni denuntiauerat, vt ex epiſtola quadam ad Atticum ſuſpicari licet: quod opus Cicero ex Tribonio Libone audierat à Varrone limari politius, ſed tamen cùm tardius mitteretur, ab eo requirere non dubitauit. Expectabam, inquit, omnino iamdiu, meq́ue ſuſtinebam, ne ad te prius quid ſcriberem, quàm aliquid accepiſſem, vt poſſem te remunerari quàm ſimillimo munere: ſed cùm tardius id faceres: id eſt, vt ego interpretor, diligentius, teneri non potui, quin coniunctionem ſtudiorum amoriſque noſtri, quo poſſem literarum genere declararem.

Illud autem mihi ante hoc tempus nunquam in mentem venit à te requirere: [1] ſed nunc poſtea quàm ſum ingreſſus res eas, quas tecū ſimul didici, mandare monumentis, philoſophiamq́ veterē illam à Socrate ortam Latinis literis illuſtrare: quæro quid ſit, cur, quum multa ſcribas, genus hoc prætermittas: præſertim quum & ipſe in eo excellas, & id ſtudium, totáque ea res longè cæteris & ſtudijs & artibus antecedat. Tum ille, [2] Rem à me ſæpe deliberatam, & multum agitatam requiris. Itaque non multum hæſitans reſpondebo: ſed ea dicam, quæ mihi ſunt in promptu, quòd iſta ipſa de re multum, vt dixi, & diu cogitaui. Nam quum philoſophiam viderem diligentiſſimè Græcis literis explicatam,

tam, exiſtimaui, ſi qui de noſtris eius ſtudio tenerentur, ſi eſſent Græcis doctrinis eruditi, Græca potius quàm noſtra lecturos: ſin à Græcorum artibus & diſciplinis abhorrerent, ne hæc quidem curaturos, quæ ſine eruditione Græca intelligi non poſſunt. Itaque ea ſcribere nolui, quæ nec indocti intelligere poſſent, nec docti legere curarent. [3] Vides autem eadem ipſe: didiciſti enim non poſſe nos Amafanij, aut Rabirij ſimiles eſſe, qui nulla arte adhibita de rebus ante oculos poſitis, vulgari ſermone diſputant, nihil definiunt, nihil partiuntur, nihil apta interrogatione concludunt, nullam deniq; eſſe artem nec dicendi, nec diſſerendi putant. [4] Nos autem præceptis dialecticorum & oratorum, quoniam vtranque vim vnam eſſe noſtri putant, ſic parentes vt legibus verbis, quanquam nouis, cogimur vti, quæ docti, vt dixi, à Græcis petere malunt: indocti à nobis ne accipiunt quidem, vt fruſtrà omnis ſuſcipiatur labor. [5] Iam verò phyſica, ſi Epicurum, id eſt, ſi Democritum probarem, poſſem ſcribere ita planè vt Amafanius. Quid eſt enim magnum, quum cauſſas rerum efficientium ſuſtuleris, de corpuſculorum (ita enim appellat Atomos) concurſione fortuita loqui? [6] Noſtra tu phyſica noſti, quæ contineantur ex effectione, & ex materia ea, quam fingit & format effectio. [7] Adhibenda enim geometria eſt: quoniam quibúſnam quiſquam enuntiare verbis, aut quem ad intelligendum poterit adducere, hæc ipſa de vita & moribus, de expetendis fugiendiſq; rebus. Illi enim ſimpliciter pecudis & hominis idem bonum eſſe cenſent: apud noſtros enim non ignoras quæ ſit & quanta ſubtilitas. [8] Siue enim Zenonem ſequare, magnum eſt efficere, vt quis intelligat, quid ſit illud verum & ſimplex bonum, quod nō poſſit ab honeſtate ſeiungi: quod bonum quale

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſit, negat omnino Epicurus ſine voluptatibus ſenſum mouentibus nec ſuſpicari. [9] *Si verò Academiam veterem perſequamur, quam nos, vt ſcis, probamus: quàm erit illa acutè explicanda nobis, quàm argutè, quàm obſcurè etiam contra Stoicos diſſerendum?* [10] *Totum illud philoſophiæ ſtudium mihi quidem ipſe ſumo, & ad vitæ conſuetudinem & conſtantiam, quantam poſſum, & ad delectationem animi: nec vllum arbitror (vt apud Platonem eſt) maius, aut melius à dijs datum munus homini: ſed meos amicos, in quibus eſt ſtudium, in Græciam mitto, id eſt, ad Græcos ire iubeo, vt ea à fontibus potius hauriant, quàm riuulos conſectentur.* [11] *Quæ autem nemo adhuc docuerat, nec erat vnde ſtudioſi ſcire poſſent: ea quantum potui (nihil enim magnopere meorum miror) feci vt eſſent nota noſtris. A Græcis enim peti non poterant, ac poſt Lælij noſtri occaſum, ne à Latinis quidem.* [12] *Et tamen in illis veteribus noſtris, quæ Menippum quidem imitati, non interpretati quadam hilaritate conſperſimus, multa admixta ex intima philoſophia, multa dicta dialecticè: quæ quò facilius minus docti intelligerent, iucunditate quadam ad legendum inuitati, in laudationibus, in ijs ipſis antiquitatum proœmijs philoſophiæ ſcribere voluimus, ſi modò conſequuti ſumus.*

Prima quæſtio ab Attico poſita eſt de literis Varronis, ex cuius ſolutione alia deinceps nectitur. 1 Poſteaquam, ait Cicero, ingreſſus ſum, edito iam libro, qui Hortenſius inſcribitur, philoſophiam à Socrate ortam, à quo Peripatetici, Academici, Stoici, Epicurei profecti ſunt, Latinis literis illuſtrare quæro, cur quum πολυγραφώτατος, ipſe ſis, genus hoc Latinè philoſophandi prætermittas? Hæc quæſtio in vtramque partem diſceptatur à Varrone & Cicerone, quorum ille negationem, hic affirmationem tuetur & ſuſtinet. 2 Primum Varronis argumentum ex adiunctis eſt Latinè philoſophantium, quod hac concluſione diſponitur. Ea Latinis literis mandanda non ſunt, quæ nec intelligant indocti, nec docti legere curent. Philoſophiam Latinam imperiti non intelligent, & docti Græcam quàm Latinam legere mallent. Latinis igitur literis explicanda mihi non eſt. Hoc argumentum collatione Epicureorum cum reliquis Philoſophis illuſtratur, non ſolùm ad indicandam diſſimilitudinem eorum inter ſe, verùm etiam

tiam ſeriò & conſtanter philoſophandi magnitudinem & difficultatem.

Prima diſſimilitudo eſt in dialecticis ſtudiis, quę ab Epicureis contemnuntur, à reliquis philoſophis diligenter in omni diſputatione exercentur. Nulla ferè Latina ſunt, ait Cicero, aut pauca admodum monumenta, ſiue propter magnitudinem rerum, occupationemq; omnium, ſiue etiam quòd imperitis ea probari poſſe non arbitrabantur, quum interim illis ſilentibus C. Amafanius extitit, dicens, cuius libris editis commota multitudo contulit ſe ad eandem potiſſimùm diſciplinam, ſiue q; erat cognitu perfacilis, ſiue q; inuitabatur illecebris blandis voluptatis, ſiue etiam quia nihil probatum erat melius: illud quod erat, tenebant. Poſt Amafanium autem multi eiuſdem æmuli rationis, multa quum ſcripſiſſent, Italiam totam occupauerunt, quodq; maximum argumentum eſt non dici ea ſubtiliter, q; etiam facilè ediſcantur, & ab indoctis probentur, id illi firmamentum eſſe diſciplinæ putant. Hic Amafanius & reliqui Epicurei, Epicurei authoritatem ſequuti, totam dialecticam contempſerunt. Epicurus enim, ait Cicero, in altera parte philoſophiæ, quæ eſt quærendi ac diſſerendi, quæ λογικὴ dicitur, planè (vt mihi quidem videtur, inermis & nudus eſt: tollit definitiones, nihil de definiendo diuidendo docet, non quomodo efficiatur concludaturque ratio, tradit: non qua via captioſa ſoluãtur, ambigua diſtinguantur, oſtendit. 4 At Academicus Varro ſi dialecticas definiendi, diuidendi, concludendique ſubtilitates diligenter, vt par eſt, perſequatur, induſtriam ſuam nec doctis, nec indoctis probare poterit, vt iure meritoque Latinè philoſophandi ſtudium prætermittendum eſſe concludat. 5 Iam verò in altera parte philoſophiæ, quæ eſt de natura & rebus occultis, ſi Epicureus eſſe velit, imperitis quidem ſatisfaciet, ſed doctis ineptus ac ridiculus apparebit. Epicurus in phyſicis, vt ait Cicero, ex Democriti fontibus hortulos ſuos irrigauit: quinetiam, vt author eſt Laërtius, Democriti libros de Atomis vt ſuos aſſeruit: cuius ineptias Cicero irridet, his verbis, Principiò in phyſicis, quibus maximè gloriatur, primùm totus eſt alienus: Democrito adiicit perpauca mutans, ſed ita, vt ea quæ corrigere vult, mihi quidem deprauare videatur. ille Atomos, quas appellat, id eſt, corpora indiuidua propter ſoliditatẽ cenſet in infinito inani, in quo nihil nec ſummum, nec infimum, nec medium, nec vltimum, nec extremum ſit, ita ferri, vt concurſionibus inter ſe cohæreſcant, ex quo efficiantur ea quæ ſunt, quæque cernantur omnia: eumq; motum Atomorum à nullo principio, ſed ex æterno tempore intelligi conuenire. Et ibidem, Homo acutus quum illud occurreret, ſi omnia deorſum è regione ferrentur, &, vt dixi, ad lineam, nunquam fore, vt Atomus altera alteram poſſet attingere, attulit rem commentitiam: declinare dixit Atomum perpaulum, quo nihil poſſet fieri minus, ita effici complexiones & copulationes & adhæſiones Atomorum inter ſe, ex quo efficeretur mundus, omneſq; partes mundi, quæq; in eo eſſent. 6 Academici quos M. Varro magiſtros habet, principia rerum naturalium non Atomum, & inane, vt Epicurei, ſed materiam & formam ſtatuunt: nec quicquam temerariis fortuitiſque cauſſis effici cenſent, ſed naturalibus & neceſſariis, & ad certum finem deſtinatis. Itaque quum Epicureorum doctrina tota puerilis ſit, Academicorum ſcientia multò ſubtilior, & ad imperitorum animis longius diſiuncta, Varroni non placet philoſophiam naturalem Latinè ciuibus ſuis explicare. 7 Quod item confirmat in tertia parte, quæ eſt de vita & moribus, propoſita diſſimilitudine philoſophorum, de ſummo bono diſputantium: qui locus tametſi lacunoſus eſt, in eo tamen, ſicut in ſuperioribus, veſtigia quædam diſſimilitudinis apparent. Ariſtippus & Epicurus ſumma bonum voluptate, quæ maxima dulcedine ſenſum moueret, definiebant: qui, vt ait Cicero, non viderunt vt ad curſum equum, ad arandum bouem, ad indagandum canem, ſic hominem ad duas res, vt ait Ariſtoteles, intelligendum & agendum eſſe natum, quaſi mortalem Deum: contrà, vt tardam aliquam & languidam pecudem ad paſtum, & procreandi voluptatem hoc diuinum animal ortum eſſe voluerunt, quo nihil mihi videtur eſſe

Tuſcul. 4.

Lib. 1. de Finibus.

Lib. 1. de Natura deor.

Lib. 1. de Finibus.

Lib. 2. de Finibus.

Lib.10. abſurdius. Homerus in Odyſſea quum de veneficiis & carminibus Circes loquitur, hoc ipſum ſignificare vult blandis voluptatibus homines in pecudum vitam degenerare: vnde illud Horatij:

Syrenum voces & Circes pocula noſti:
Quæ ſi cum ſocijs ſtultus cupidusq́ bibiſſet,
Sub domina meretrice fuiſſet turpis & excors,
Vixiſſet canis immundus, vel amica luto ſus.

8 Nec minus eſt abſtruſa & admirabilis Zenonis, quàm ſtulta & contemnenda Epicuri ſententia: magnum eſt enim hominibus probare id ſolùm eſſe bonum, quod honeſtum ſit, nec quicquam aliud in bonis ponendum, idq́ue optimum & perfectiſſimum cenſeri oportere: quod cuiuſmodi ſit, detractis voluptatibus ſe
Tuſcul.3. neſcire clamat Epicurus in libro de Finibus: quem locum Cicero Latinè conuertit. Quid tergiuerſamur, inquit, Epicure, nec fatemur iam nos dicere voluptatẽ, quam tu idem, quum os perfricuiſti, ſoles dicere, ſunt hæc tua verba, nécne? In eo quidem libro, qui continet omnem diſciplinam tuam, (fungar enim iam interpretis munere, ne quis me putet fingere) dicis hæc: nec equidem habeo, quod intelligam bonum illud, detrahens eas voluptates, quæ ſapore percipiuntur, detrahens etiam eas quæ auditu & cantibus, detrahens etiam eas quæ ex formis percipiuntur oculis, ſuaues motiones, ſiue quæ aliæ voluptates in toto homine gignuntur. 9 Varro nec plebeiam, & ex media fæce populi depromptam diſciplinam Epicureorum, nec admirabilia paradoxa Stoicorum probat: ad Academicos enim ſeipſum contulerat magis tolerabiles, moderatosq; philoſophos, quorum diſputationes de moribus & ſummo bono, ſi ea ſubtilitate qua par eſt, perſequi velit, nec eas imperiti, vt ait, percipere poterũt, nec inſtituti Græcis literis Latinum opus legere curabunt, vt fruſtrà ſuſceptus labor ille ſcribendi videatur.

10 Itaque deliberationis huius ſummam hac diſtinctione concluſionis efficit, philoſophiam eſſe multis de cauſſis expetendam, quòd leges virtutis adipiſcendæ tradat, quòd pleniſſima ſit infinitæ delectationis, quòd præſtantiſſimum ſit à diis immortalibus hominum generi collatum bonum, vt Plato ſcribit in Epinomide: & tamen philoſophiæ ſtudioſis Græcos fontes potius adeundos eſſe, quàm Latinos libros legendos, qui velut riuuli quidam ſunt ex immenſa Græcorum copia & ſubtilitate deriuati: ab his enim omnis ſapientia liberaliſq́ue doctrina & eruditio manauit. 11 Studium autem Varronis fuit, omnẽ antiquitatem populi Romani, quæ in tenebris iacebat, excitare, Latiniſq́ue literis illuſtrare: cuius inſtituti ratio quædam à Lælio præceptore Varronis inchoata, & quo-
In Bruto. dammodo informata fuerat. Fuit enim is Lælius, vt ait Cicero, vir egregius, & eques Romanus cum primis honeſtus, idemq́ue eruditiſſimus, & Græcis literis & Latinis, antiquitatiſq́ue noſtræ & in inuentis, & in actis, ſcriptorumq́ue veterum literatè peritus: quam ſcientiam Varro noſter acceptam ab illo, auctamq́ue per ſeſe vir præſtans ingenio, omniq́ue doctrina, pluribus & illuſtrioribus literis explicauit. 12 Nec de antiquitatibus Varro tantũ ſcripſit, verùm etiam Menippi libros in Satyris æmulatus eſt, quas, vt ait Gellius, alij Cynicas: ipſe appellat Menippeas: quarum nomina quædam apud Gellium leguntur, vt, Neſcis quid ſerus veſper vehat, cap.11.lib.13. & Teſtamentum, cap.16.lib.3. & de Officio mariti, cap.17.lib.1. & περὶ ἐδεσμάτων, id eſt, de Eduliis, cap.19.lib.5. & ὕδωρ χρυσὸν, id eſt, aqua frigida, cap.29. lib.13. quibus in libris grauitatem & ſubtilitatem ſententiarum iocis & ſalibus temperauerat, vt lectorem varietate orationis inuitatum in ea lectione magna cum voluptate diutiſſimè retinere poſſet.

' Tum ego, ſunt, inquam, iſta Varro. nam nos in noſtra vrbe peregrinantes, erranteſq́, tanquam hoſpites, tui libri quaſi

quaſi domum deduxerunt, vt poſſemus aliquando, qui, & vbi eſſemus, agnoſcere. Tu ætatem patriæ, tu deſcriptiones temporum, tu ſacrorum iura, tu ſacerdotum, tu domeſticam, tu bellicam diſciplinam, tu ſedem regionum, locorum, tu omnium diuinarum humanarumq́ rerum nomina, genera, officia, cauſſas aperuiſti: [2] *plurimumq́ Poetis noſtris, omninoq́ Latinis & literis luminis, & verbis attuliſti, atq́ ipſe varium & elegans omni ferè numero poema feciſti, philoſophiamq́ multis locis inchoaſti ad impellendum ſatis, ad docendum parum. Cauſſam autem probabilem tu quidem affers. Aut enim Græca legere mallent, qui erunt eruditi: aut ne hæc quidem, qui illa neſciunt.* [3] *Sed da mihi nunc, ſatiſne probas? Imò verò & hæc, qui illa non poterunt, & qui Græca poterunt, non contemnent ſua. Quid enim cauſſa eſt, cur Poetas Latinos Græcis literis eruditi legant, philoſophos non legant? An quia delectat Ennius, Pacuuius, Accius, multi alij, qui non verba, ſed vim Græcorum expreſſerunt Poetarum? Quantò magis Philoſophi delectabunt, ſi, vt ille Aeſchylum, Sophoclem, Empedoclem, Euripidem: ſic hi Platonem imitentur, Ariſtotelem, Theophraſtum? Oratores quidem laudari video, ſi qui è noſtris* [4] *Hyperidem ſint aut Demoſthenem imitati. Ego autem (dicam enim vt res eſt) dum me ambitio, dum me honores, dum Reipublicæ non ſolùm cura, ſed quædam etiam procuratio multis officijs implicatum & conſtrictum tenebat, hæc incluſa habebam, & ne obſoleſcerent, renouabam quum licebat, legendo.* [5] *Nunc verò & fortunæ grauiſſimo percuſſus vulnere, & adminiſtratione Reipub. liberatus, doloris medicinam à philoſophia peto, & otij oblectationem hanc honeſtiſſimam iudico. Aut enim huic ætati hoc maximè aptum eſt, aut ijs rebus, ſi quas*

dignas laude geſſimus, hoc in primis conſentaneum, aut etiam ad noſtros ciues erudiendos nihil vtilius: aut, ſi hæc ita non ſunt, nihil aliud video, quod agere poſſimus. ° Brutus quidem noſter excellens omni genere laudis, ſic philoſophiam Latinis literis perſequitur, nihil vt iiſdem de rebus Græcia deſideret, & eandem quidem ſententiam ſequitur, quam tu. Nam Ariſtum Athenis audiuit aliquandiu, cuius tu fratrem Antiochum. Quamobrem da quæſo te huic etiam generi literarum.

1 Varroni totum hoc philoſophari non diſplicet, ſed Latinis verbis Græcorum philoſophiam explicare non placet. Ad quem refellendum Cicero conſuetudine Socratis vtitur: primùm enim eius induſtriam in ornandis Latinis & rebus & literis commendat: deinde cum his honeſtis veſtibulis aditum ſibi ad cauſſam fecit, paulatim ad refellendum Varronis conſilium deſcendit. Scripſerat ille de diuinis rebus & humanis quadraginta vnum libros, vt teſtis eſt

Lib.6. de Ciuitate Dei.
Lib.1. de Falſa religione.

Diuus Auguſtinus, ad Caium Cæſarem Pontificem maximum, vt ait Lactantius, quibus populum Romanum in maiorum ſuorum inſtitutis hæſitantem, & quaſi in aliena ciuitate peregrinantem, omnia & humana & diuina, quæ Imperij Romani magnitudine continebantur, edocuit. Atque hoc tam ingens & magnum volumen ita partitus erat, vt rebus humanis viginti quinque libros, diuinis ſexdecim tribueret: qua in partitione eam viam & rationem tenuit, vt libros rerum humanarum in quater ſenos diſtribueret. Quum enim quatuor operis humani capita propoſuiſſet, qui agant, vbi agant, quando agant, quid agant, ſex primos de hominibus ſcripſit, ſex deinceps de locis, totidem conſequentes de temporibus, ſex poſtremos de rebus: id eſt, humanis factis abſoluit: quibus omnibus præpoſitus eſt liber, qui generaliter de rebus humanis præfaretur. Alteram autem totius operis partem de rebus diuinis in quinquies ternos libros hac ratione diuiſit, vt tres primi ad Pontifices, Augures, & quindecim viros ſacrorum ſpectarent: tres deinceps ad ſacella, ſacras ædes, & loca religioſa: tres ordine conſequuti ad ferias, ludos Circenſes & ſcenicos: tres inde quarto loco diſpoſiti ad conſecrationes, ſacra publica & priuata: tres vltimi ad deos certos, incertos, præcipuos & ſelectos: quibus omnibus libris quum ſingularis inſtar procœmij præpoſitus eſſet, propoſitum ſexdecim librorum numerum explebat: qui ſi in manibus eſſent, nec iniuria temporum periiſſent, facilè intelligeremus quanto ſtudio Marcus Varro ætatem populi Romani ab Vrbe condita vſque ad tempora ſua, & iura ſacrorum ſacerdotúmque, & vrbanam militaremque diſciplinam, & regiones quæ tum erant in ditione populi Romani, &, vt ſummatim complectar, res omnes diuinas & humanas nominibus, generibuſque ſuis, officiis cauſiſque deſcriptis aperuiſſet. 2 Idem quoque vir, & ingenio & ſtudio propè ſingulari, magnum lumen Poetis & literis Latinis attulit: libros enim de Poetis ediderat, vt ait Gellius, & de Plautinis Comœdiis, & de lingua Latina: quibus non modò ſignificationem, cuiuſque nominis explicauit, ſed rationem & cauſſam cur ita quidque eſſet nominatum, reddere conatus eſt: Menippeaſque Comœdias magna cùm elegantia, tum varietate numerorum condidit: & permultis locis ciues ſuos ad philoſophiam cohortatus eſt: philoſophiam verò nuſquam via & ordine tractauit. Hac laude Cicero gratiam

tiam Varronis aucupatus, deinceps eius conſilium, repetito ſuperiore dilem-
mate, per antiſtrephon eleuat. 3 Imò verò, inquit, & Latina legent, qui Græ-
ca non poterunt intelligere: & qui Græca poterunt, non contemnent ſua. Quod
poſtremum comparatione minorum confirmat, hoc modo: Quid cauſſæ, cur
Poëtas Latinos Græcis literis eruditi legant, Philoſophos non legant? Simili *Lib. 1. de Fi-*
argumento vituperatoribus Latinæ philoſophiæ reſpondet. Hoc primum eſt in *nibus.*
quo admiror, cur in grauiſſimis rebus non delectet eos patrius ſermo, quum
idem fabellas Latinas ad verbum de Græcis expreſſas non inuiti legant: quis e-
nim tam inimicus penè nomini Romano eſt, qui Medeam Ennij, aut Antio-
pam Pacuuij ſpernat, aut reiiciat? quiſe iiſdem Euripidis fabulis delectari di-
cat, Latinas oderit? Synephebos ego, inquit, potius Cæcilij, aut Andriam Te-
rentij, quàm vtramque Menandri legam? à quibus tantùm diſſentio, vt quum
Sophocles vel optimè ſcripſerit Electram, tamen malè conuerſam Attilij mihi
legendam putem, de quo Licinius ferreum ſcriptorem, verum (opinor) ſcripto-
rem tamen, vt legendus ſit. Atque (vtinam ne in nemore) nihilominus legi-
mus, quàm hoc idem Græcum: quæ autem de bene beateque viuendo à Plato-
ne diſputata ſunt, hæc explicare non placebit Latine? 4 Tranſit ab alienis per-
ſonis ad ſuum ipſius exemplum, quò magis Varronem ſuũ familiarem ad ſtu-
dium philoſophiæ cohortetur: narrat enim per gradus ætatis, quos in hoc ge-
nere literarum progreſſus fecerit, & cur ingraueſcente ætate ſe potiſſimùm ad
tractandam philoſophiam contulerit. Quum Philo princeps Academiæ Ro- *Cic. in Bru-*
mam veniſſet, totum ſe ei tradidit: erat etiam cum Diodoro Stoico, à quo cùm *to.*
in aliis rebus, tum ſtudioſiſſimè in dialectica exercebatur: cumque biennium
verſatus eſſet in cauſſis, Roma profectus, ſex menſes Athenis cum Antiocho ve-
teris Academiæ nobiliſſimo & prudentiſſimo philoſopho fuit, ſtudiumque phi-
loſophiæ nunquam intermiſſum, à primaque adoleſcentia cultum & ſemper au-
ctum hoc rurſus ſummo authore & doctore renouauit: poſteaquam cœpit ho-
noribus inſeruire, tantùm erat philoſophiæ loci, quantum ſupererat amicorum,
& Reipublicæ temporis: id autem omnino conſumebatur in legendo: ſcriben-
di otium non erat. 5 Cauſſas huius ſenilis exercitationis tres adfert, Reipubli-
cæ perturbationem, oblectationem otij, & philoſophiæ dignitatem, quas in aliis
etiam libris ſimiliter commemorat, Cum otio, ait, langueremus, & is eſſet Reipu- *Lib. 1. de Na-*
blicæ ſtatus, vt eam vnius conſilio atque cura gubernari neceſſe eſſet, primùm i- *tura deor.*
pſius Reipublicæ cauſſa philoſophiam noſtris hominibus explicandam putaui,
magni exiſtimans intereſſe, & ad decus & ad laudem ciuitatis, res tam graues ac
tam præclaras Latinis etiam literis contineri. Hortata etiam eſt, vt me ad hæc con
ferrem, ægritudo fortunæ magna, & graui commota iniuria: cuius ſi maiorem ali
quam alleuationem reperire potuiſſem, non ad hanc potiſſimùm confugiſſem:
Ego verò ipſa, nulla ratione melius frui potui, quàm ſi non modò ad legendos
libros, ſed etiam ad totam philoſophiam pertractandam dediſſem. Idem, Ac mihi *Lib. 1. de Di-*
quidem explicandæ philoſophiæ cauſſam attulit grauis caſus ciuitatis, quum in *uinatione.*
armis ciuilibus nec tueri meo more Rempublicam, nec nihil agere poteram,
nec quid potius, quod quidem me dignum eſſet, agerem, reperiebam. Itaque
quum orbatus eſſet muneribus Reipublicæ, hæc philoſophiæ ſtudia renouari
cœpit, tum vt animus moleſtiis potiſſimùm releuaretur, tum vt prodeſſet ciuibus
ſuis quacunque re poſſet: tum etiam quòd philoſophiam celebrandæ & ornandę
ſenectuti honeſtiſſimum profugium eſſe ſentiret. 6 Nec ipſe Cicero ſuo tan-
tùm, ſed etiam Marci Bruti, qui vtriuſque familiaris erat, exemplo impellit Var-
ronem. Hic Brutus cùm omni laude virtutis excelluit, tum ſic flagrauit ſtudio *Plutarchus.*
& amore ſapientiæ, vt vnus ex Romanis maximè Græcorum Philoſophorum
conſuetudinem & familiaritatem appetierit: audiuit enim penè omnes, nec vl-
lius ſectæ fuit ignarus: Platonicos tamen mirificè coluit, & ab Academia noua
migrauit ad veterem, permotus authoritate Antiochi Aſcalonitæ, cuius erat

perſtudioſus, cuius fratrem Ariſtum Philoſophum, præditum ſingulari virtute, non ſolùm ſibi beneuolentia deuinxit, ſed etiam ſocium & familiarem adiunxit. Scripſit ad Ciceronem librum de virtute, de quo mentio quædam fit lib. 1. de Finibus. His itaque exemplis Varro ad ingrediendam & ſuſcipiendam eius generis exercitationem inuitatur, concluditurque ſuperioris quæſtionis affirmatio, elaborandum eſſe Latinis ſcriptoribus, vt philoſophia per eos Latinè loquatur & illuſtretur.

[1] *Tum ille, Iſthuc quidem conſiderabo, nec verò ſine te. Sed de te ipſo quid eſt, inquit, quod audio? Quánam, inquam, de re? Relictam à te veterem iam, inquit, tractari autem nouam.* [2] *Quid ergo, inquam, Antiocho id magis licuerit noſtro familiari remigrare in domum veterem è noua, quàm nobis è vetere in nouam? Certè enim recentiſſima quæque ſunt correcta & emendata maximè.* [3] *Quanquam Antiochi magiſter Philo, magnus vir, vt tu exiſtimas ipſe, negarit in libris (quod coràm etiam ex ipſo audiebamus) duas Academias eſſe, erroremque eorum qui ita putarunt, coarguit. Eſt, inquit, vt dicis. Sed ignorare te non arbitror, quæ contra Philonem Antiochus ſcripſerit. Imò verò & iſtam & totam veterem Academiam, à qua abſum tandiu, renouari à te, niſi moleſtum eſt, velim.* [4] *Et ſimul aſſidamus, inquam, ſi videtur. Sanè iſtud quidem, inquit: ſum enim admodum infirmus. Sed videamus idémne Attico placeat fieri à me, quod te velle video. Mihi verò, inquit ille: quid eſt enim, quod malim, quàm ex Antiocho iampridem audita recordari? & ſimul videre, ſatíſne ea commode dici poſſint Latinè? quæ quum ſunt dicta, in conſpectu conſedimus omnes.*

1 Superioris quæſtionis diſputatio apparatus tantùm fuit ad Academicam quæſtionem, ad quam deinceps explicandam officia perſonarum diſtinctione quadam ſignificantur: nam Varro veteris Academiæ patrocinium ſuſcipit, Cicero nouæ, Atticus tertius velut honorarius arbiter adiungitur. 2 Cicero primùm cur ad Academiam nouam ſe tranſtulerit, ſatisfacit Varroni ex comparatione parium. Antiocho licuit è noua Academia migrare in veterem, cur nobis è vetere in nouam non licebit? Hic Antiochus vir politiſſimus & acutiſſimus ſuæ memoriæ fuit, qui quum Philonem tandiu audiſſet, vt conſtaret diutius audiſſe nemi-

Cic. in Lucullo.

neminem, múltaque pro nouis Academicis acutiſſimè ſcripſiſſet, tamen ab his deſciuit, & in ſenectute hos acrius accuſauit, quàm antea defenſitauerat: nunquam autem à Philone diſceſſit, niſi poſtea quàm ipſe cœpit qui ſe audirent, habere. Vnde autem ſubitò vetus Academia reuocata eſt? nominis dignitatem videtur, quum à re ipſa deſciſceret, retinere voluiſſe: quòd erant qui illud gloriæ cauſſa fecerunt, ſperâre etiam fore, vt ij qui ſequerentur, Antiochei vocarentur.

3 Superiorem verò collationem parium corrigit ex ſententia quorundam philoſophorum, quibus placuit non duas, ſed vnicam tantùm Academiam eſſe. Ea de re Philo duos libros ſcripſerat, quibus vnam omnino Academicorum cauſſam & doctrinam eſſe probabat: ſed Antiochus teneri non potuit, quin contra Philonem doctorem ſuum librum ederet, qui Soſus inſcribitur. 4 Atque vt tota inter Academicos controuerſia commodius exponatur, tres doctiſſimi viri conſidunt in conſpectu, Varro veteris Academiæ laudator, Cicero nouæ patronus, Atticus auditor.

[1] Tum Varro ita exorſus eſt: Socrates mihi videtur, id quod conſtat inter omnes primus à rebus occultis, & ab ipſa natura inuolutis, in quibus omnes ante eum philoſophi occupati fuerunt, auocauiſſe philoſophiam, & ad vitam communem adduxiſſe, vt de virtutibus & vitijs, omninoq; de bonis rebus & malis quæreret: cæleſtia autem, vel procul eſſe à noſtra cognitione cenſeret: vel, ſi maximè cognita eſſent, nihil tamen ad bene viuendum conferre. [2] Hic in omnibus ferè ſermonibus, qui ab ijs, qui illum audierunt, perſcripti variè & copioſè ſunt, ita diſputat, vt nihil affirmet ipſe, refellat alios: nihil ſe ſcire dicat, niſi idipſum, eoq; præſtare cæteris, quod illi, quæ neſciant, ſcire ſe putent, ipſe ſe nihil ſcire id vnum ſciat, [3] ob eamq; rem ſe arbitrari ab Apolline omnium ſapientiſſimum eſſe dictum: quòd hæc eſſet vna omnis ſapientia, non arbitrari ſeſe ſcire quod neſciat. [4] Quæ quum diceret conſtanter, & in ea ſententia permaneret, omnis eius oratio tum in virtute laudanda, & in hominibus omnibus ad virtutis ſtudium exhortandis conſumebatur, vt è Socraticorum libris, maximeq; Platonis intelligi poteſt. [5] Platonis autem authoritate, qui varius & multiplex, & copioſus fuit, vnà & conſentiens, duobus vocabulis philoſophiæ forma inſtituta eſt, Academicorum & Peripatetico-

corum, qui rebus congruentes, nominibus differebant. Nam quum Speuſippum ſororis filium, Plato philoſophiæ quaſi hæredem reliquiſſet, duos autem præſtantiſſimos ſtudio atque doctrina, Xenocratem Calcedonium, & Ariſtotelem Stagiritem, qui erant cum Ariſtotele, Peripatetici dicti ſunt, quia diſputabant inambulantes in Lycio: illi autem qui Platonis inſtituto in Academia, quod eſt alterum gymnaſium, cœtus erant & ſermones habere ſoliti, è loci vocabulo nomen habuerunt. [6] *Sed vtrique Platonis vbertate completi, certam quandam diſciplinæ formulam compoſuerunt, & eam quidem plenam ac refertam: illam autem Socraticam dubitationem de omnibus rebus, & nulla affirmatione adhibita, conſuetudinem differendi reliquerunt. Ita facta eſt differendi (quod minimè Socrates probabat) ars quædam philoſophiæ, & rerum ordo, & deſcriptio diſciplinæ. Quæ quidem erat primò duobus, vt dixi, nominibus vna. Nihil enim inter Peripateticos & illam veterem Academiam differebat. Abundantia quadam ingenij præſtabat, vt mihi videtur quidem Ariſtoteles: ſed idem fons erat vtriſque, & eadem rerum expetendarum, fugiendarúmque partitio.* [7] *Sed quid ago? inquit, aut ſúmne ſanus, qui hæc vos doceo? Nam etſi non ſus Mineruam, vt aiunt, tamen ineptè quiſquis Mineruam docet. Tum Atticus, Tum verò, inquit, perge Varro. Valde enim amo noſtra, atque noſtros, méque iſta delectant, quum Latinè dicuntur, & iſto modo. Quid me, inquam, putas, qui philoſophiam iam profeſſus ſim, populo noſtro exhibiturum? Pergamus igitur, inquit, quoniam placet.*

1 Principium huius diſputationis ſumitur à Socrate, quem conſtat non ſolùm Academicorum parentem fuiſſe, ſed etiam reliquorum philoſophorum: hic primus à rebus occultis auocauit philoſophiam: nam, vt ait Cicero, ab antiqua philoſo- *Tuſcul.4.*

philoſophia vſque ad Socratem, qui Archelaum, Anaxagoræ diſcipulum audie-
rat, numeri motuſque tractabantur, & vnde orirentur omnia, quoque recede-
rent, ſtudioſeque ab his ſyderum magnitudines, interualla, curſus inquireban-
tur, & cuncta cœleſtia. Socrates autem primus philoſophiam deuocauit è cœlo, *Diog. Laert. lib. 2.*
& in vrbibus collocauit, & in domos etiam introduxit, & coëgit de vita & mori-
bus, rebuſque bonis & malis quærere: quum enim animaduerteret rerum na-
turalium ſcientiam non magnopere ad bene beateque viuendum prodeſſe, pri-
mus philoſophiam de moribus induxit, quam cùm in officinis, tum in publicis
locis profiteretur admonebat ea eſſe quærenda, quæ mores formarent, quæque
ad domeſticas vtilitates neceſſaria eſſent. Nam domi, vt, ait Homerus, *κακόντ' ἀγαθόντε τέτυκται*, id eſt, Agitur prauumque bonumque. Videtur tamen in-
terdum de phyſicis diſſeruiſſe, vt ex Socraticorum libris, maximeque Xenophon-
tis perſpici poteſt, apud quem de mundo, eiuſque partibus, rerumque mirabili
vſu & varietate plerunque diſputat. 2 Socraticus autem diſputandi mos mi-
nimè arrogans, maximeque conſtans, & ad inueſtigandam veritatem accom-
modatus fuit: Plato enim & Xenophon, qui præceptoris ſui ſermones immor-
talitati conſecrarunt, ſic eum diſputantem inducunt, vt nihil affirmet: ſophi-
ſtas, quibuſcum certamen inſtituit, modeſtiſſimè refellat: cuius inſtituti ratio-
nem ipſe reddit: Si ex quo hominum numero ſim, quæras, ex his me eſſe di- *In Gorgia*
cam, qui libenter refelli ſe patiantur: ſi quid aut falſum, aut ineptum dixerint: *Platonis.*
libenter etiam refellant, ſi quid ab alio minus verè dictum fuerit, & quibus non
minus reprehendi, quàm reprehendere gratum, iucundumque ſit: tantò enim
maius bonum eſſe arbitror, quantò maius eſt maximo liberari malo, quàm alios
liberare. In Theæteto autem nihil ſcire ſe dicit: Quod obſtetricibus, idem quo-
que mihi accidit, ſterilis ſum, & ſapientia vacuus: & quod multi mihi obiiciunt,
quod vnumquenque interrogo, reſpondeo nemini: quum nihil habeam, quod
ſapienter reſpondere poſſim, verè nimis obiiciunt: cuius rei cauſſa eſt, quòd
Deus me opem ferre parturientibus iubet, generare prohibuit: quamobrem ne
ipſe quidem ſum vlla in re omnino ſapiens, nec vllum ingenij inuentum extat,
quod ex me prodierit. Qui verò mecum verſantur, primò quidem videntur ru-
des, ſed mea conſuetudine (ſi Deo propitio fruantur) mirum in modum pro-
ficiunt, vt ſibi & aliis perſuadent, ſed tamen eos nihil à me didiciſſe & accepiſſe
conſtat, verum quum multis egregiis dotibus eſſent inſtructi, ex ſe ipſis inue-
niſſe. Hanc ironiam Socratis Atticus apud Ciceronem prædicat, facetamque & *In Bruto.*
elegantem indicat. Eſt enim & minime inepti hominis, & eiuſdem etiam faceti,
quum de ſapientia diſceptetur, hanc ſibi ipſum detrahere, eius tribuere illuden-
tem, qui eam ſibi arrogant: vt apud Platonem Socrates in cœlum effert laudibus
Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, cæteros: ſe autem omnium rerum
inſcium fingit & rudem. Decet hoc neſcio quomodo illum: nec Epicuro, qui id
reprehendit, aſſentior. Idem Cicero, Socrates, ait, de ſe ipſo detrahens in diſputa- *In Lucullo.*
tione plus tribuebat his, quos volebat refellere, ita quum aliud agnoſceret atque
ſentiret, libenter vti ſolitus eſt ea diſſimulatione, quam Græci *εἰρωνείαν* vocant,
quam ait etiam in Aphricano fuiſſe Fannius, idq; propterea vitioſum in illo non
putandum, quod idem fuerit in Socrate. 3 Hæc quum de ſeipſo tam modeſtè
diceret, Apollinis oraculo ſapientiſſimus omnium iudicatus eſt. Pythias Apol-
linis ſacerdos Chærephonti de Socrate percontanti hoc edidit, vt eſt apud Dio-
genem Laërtium, *ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος*, id eſt, virorũ omnium
Socrates ſapientiſſimus. quod oraculum in Apologia ſua apud Platonẽ ſic inter-
pretatur, Solus Deus videtur eſſe ſapiens: ſed hoc reſponſo ſignificat hominis ſa-
pientiam parui æſtimandam eſſe, aut certè pro nihilo habendã. Socratem autem
ſapientem nominat, quaſi eius exemplo vſus dixerit hominẽ ſapientiſſimum eſ-
ſe, qui more Socratis iudicauerit ſapientiam ſuam pro nihilo eſſe ducendam.
4 Quam ſcientiæ laudẽ ac prædicationẽ cũ prorſus ſibiipſi derogaret, ſermones

ſuos conſumebat in hominibus ad virtutis ſtudium cohortandis: Socratem e-
Lib. 1. de Oratore. nim, vt ait Cicero, ſolitum dicere aiunt, ſibi perfectum opus eſſe, ſi quis eſſet ſatis
concitatus oratione ſua ad ſtudium percipiendę cognoſcendæque virtutis. Qui-
bus enim id eiſet perſuaſum, vt nihil mallent ſe eſſe quàm viros bonos, his reli-
quam facilem eſſe doctrinam. His Socraticis monitis pleni ſunt Xenophontis
ἀπομνημονευμάτων libri, plenæ Platonis de moribus & virtutibus diſputationes:
ſed ne infinitam penè copiam exemplorum perſequar, locum duntaxat vnum ex
Clitiphone ſubiiciam. Clit. Equidem quum tecum eſſem ſæpenumero, Socra
tes, valde commotus ſum, quum te dicentem audirem, mihiq́; pulcherrimè om-
nium dicere viſus es, quum ad homines obiurgandoș velut è tragica machina
deus aliquis repentè exclamares, Quò præcipites ruitis homines? neſcitis quò
vos rapiat impetus, nec quicquam quod deceat agitis, qui in congerendis opibus
penitùs eſtis occupati, liberorum autem quibus hæ comparantur, curam habetis
nullam: nec vt eis iuſtè vti diſcant, iuſtitiæ præceptoribus commendatis, qui iuſti
tiam doceant, ſi modò doceri poſſit, & diligenter exerceant, ſi quidem aſſiduitate
exercitationis comparanda ſit. Addis etiam eos qui corpus quidem exercent, ani
mum verò negligunt, illam partem quæ ſuaptè natura paret, colere, hanc quæ im
perat, ſpernere. Item vnicuique vſum eius rei, qua nouit vti, prodeſſe: vt ſi quis o-
culis, auribus, toto corpore vti neſciat, ſatius ei ſit non videre, aut audire, aut alio
quouis modo corpore non vti, quàm vti: eademq́ue ratio ſit in artibus: vt ſi quis
ſua lyra neſciat vti, neque aliena lyra vtetur: idemq́ue valeat in cæteris inſtrumen
tis & artibus: atque huc dicendo peruenis, vt concludas, qui animo neſcit vti,
huic ſatius eſſe, vt animus agat otium, quàm vt viuat, & ſui iuris in agendo ſit. his
tuis ſermonibus, & aliis multis, qui virtutem doceri poſſe confirmant, nunquam
ſum aduerſatus: eos enim perutiles eſſe, & ad homines cohortandos, & quaſi è
ſomno excitandos plurimùm conferre arbitror. 5 Socrates ſummus philoſo-
phus multos habuit diſcipulos, ſed imprimis Platonem ſapientiæ patrimonio au
xit: Plato Academicos & Peripateticos hæredes ſuæ doctrinæ reliquit: qui ex ea-
dem familia velut cognati, diſſimilitudine tantùm nominis differebant: nam qui
poſt obitum Platonis in Academia ſchola ſuburbana Athenis docuerunt, Acade-
mici ſunt appellati, vt Speuſippus Platonis ex Potona ſorore nepos, qui octo an-
nos Academiæ præfuit: vt Xenocrates Agathenoris filius, oriundus Calcedone
Thraciæ oppido: vt Polemo, Crates, Crantor, & multi alij. Quæ verò in Lycio (ſic
enim Ariſtotelis ſcholam, in qua quatuordecim annos docuit, vocabant) Ariſto-
telem audierunt, ἀπὸ τοῦ περιπατεῖν, id eſt, deambulando Peripatetici ex euentu
dicti ſunt. Ariſtoteles, authore Laërtio, quum à Macedonia legatus rediiſſet, ele-
giſſe dicitur in Lycio περίπατον, vbi vſque ad frictionem & vnctionem deambu-
lando cum ſuis diſcipulis philoſophari ſolitus eſt. Inter hos autem & illos diuer-
ſa ratio nominis erat, quum doctrina prorſus eſſet eadem. 6 Nec tamen vt v-
trique Academici & Peripatetici, ornatam & elegantem doctrinam, ſic Socrati-
cam ac verè modeſtam conſuetudinem Platonis in philoſophando retinuerunt.
Platonis enim libri Socraticam dubitationem de omnibus rebus, nulla adhibita
affirmatione continent: Ariſtoteles, Theophraſtus, cæteri Peripatetici & Academi
ci libris ſuis deſcripſerunt, velut κυρίας δόξας, id eſt, ratas & immutabili neceſſi-
tate definitas ſententias, quas eorum ſectatores ſine vlla dubitatione ſequeban-
tur. Hactenus Academicorum deſcriptionem ex cauſſis & adiunctis adumbratam
tenemus. 7 Hoc loco Varro reuocationem ſuiipſius, & correctionem ſimulat,
ne videaẗ ineptus. id quod adiectione veteris prouerbij declarat, ὗς τὴν Ἀθηνᾶν,
Sus Minernam, quod in eos transferri poteſt, qui quũ inepti ſint, aut indocti, do-
cere tamẽ eos cupiunt, à quibus potius docẽdi ſunt. Cuius ſimile exemplum eſt
Lib. 2. de Oratore. in Oratoriis Ciceronis libris, Loquar, ait Cæſar, ego de facetis, & docebo ſus, vt
aiunt, oratorẽ, quẽ cùm Catulus nuper audiſſet, fœnũ alios aiebat eſſe oportere.

I Fuit

[1] *Fuit ergo iam à Platone accepta philoſophandi ratio triplex. Vna, de vita & moribus: altera de natura & rebus occultis: tertia, de diſſerendo, & quid verum, & quid falſum: quid rectum in oratione prauúmve, quid conſentiens, quid repugnet iudicando.* [2] *Ac primam partem illam bene viuendi à natura petebant, eiq; parendum eſſe dicebant, neq; vlla alia in re, niſi in natura quærendum eſſe illud ſummum bonum, quò omnia referrentur.* [3] *Conſtituebántq; extremum eſſe rerum expetendarum, & finem bonorum, adeptum eſſe omnia è natura,* [4] *& animo, & corpore, & vita.* [5] *Corporis autem alia ponebant eſſe in toto, alia in partibus. Valetudinem, vires, pulchritudinem in toto: in partibus autem ſenſus integros, & præſtantiam aliquam partium ſingularem, vt in pedibus celeritatem, vim in manibus, claritatem in voce, in lingua etiam explanatam vocum expreſſionem.* [6] *Animi autem quæ eſſent ad comprehendendam ingenij virtutem idonea, eáq; ab ijs in naturam & mores diuidebantur. Naturæ celeritatem ad diſcendum, & memoriam dabant, quorum vtrunq; mentis eſſet proprium, & ingenij: morum autem putabant ſtudia eſſe, & quaſi conſuetudinem, quam partim exercitationis aſſiduitate, partim ratione formabunt, in quibus erat philoſophia ipſa. In qua quod inchoatum eſt, neq; perfectum, progreſſio quædam ad virtutem appellatur: quod autem abſolutum, id eſt virtus, quaſi perfectio naturæ, omniumq; rerum, quas in animis ponunt, vna res optima. ergo hæc animorum.* [7] *Vitæ autem (id enim erat tertium) adiuncta eſſe dicebant, quæ ad virtutis vſum valerent. Iam virtus animi bonis & corporis cernitur in quibuſdam, quæ non tam naturæ, quàm beatæ vitæ adiuncta ſunt. Hominem eſſe cenſebant, quaſi partem*

Virtus perfectio naturæ. Vide Quintilianum lib. 12. cap. 2.

quandam ciuitatis & vniuerſi generis humani, eúmque eſſe coniunctum cum hominibus humana quadam ſocietate. Ac de ſummo quidem atque naturali bono ſic agunt: cætera autem pertinere ad id putant, aut ad agendum, aut ad tuendum, vt diuitias, vt opes, vt gloriam, vt gratiam. Ita tripartita ab iis inducitur ratio bonorum. Atque hæc illa ſunt tria genera, quæ putant plerique Peripateticos dicere: id quidem non falsò. Eſt enim hæc partitio illorum: illud imprudenter, ſi alios eſſe Academicos, qui tum appellarentur: alios Peripateticos arbitrantur. Communis hæc ratio, & vtriſq; hic bonorum finis videbatur, adipiſci quæ eſſent in prima natura, quæq; ipſa per ſeſe expetenda, aut omnia, aut maxima. Ea ſunt autem maxima, quæ in ipſo animo, atque in ipſa virtute verſantur. [8] *Itaque omnis illa antiqua philoſophia ſenſit in vna virtute eſſe poſitam beatam vitam: nec tamen beatiſsimam, niſi adiungerentur, & corporis, &* Complexio. *cætera quæ ſuprà dicta ſint, ad virtutis vſum idonea.* [9] *Ex hac deſcriptione, agendi quoque aliquid in vita, & officij ipſius initium reperiebatur, quod erat in conſeruatione earum rerum, quas natura præſcriberet. Hinc gignebatur fu-* Effecta philoſophiæ. *ga deſidiæ, voluptatumq; contemptio: ex quo laborum, dolorumq; ſuſceptio multorum, magnorumq; recti honeſtiq; cauſſa, & earum rerum, quæ erant congruentes cum deſcriptione naturæ. Unde & amicitia exiſtebat, & iuſtitia, atque æquitas. Hæc & voluptatibus, & multis vitæ commodis anteponebantur. Hæc quidem fuit apud eos morum inſtitutio, & eius artis, quam primam poſuit, forma atque deſcriptio.*

1 Philoſophiæ tripartita diuiſio propterea Platoni attribuitur, quòd dialogos ſcripſerit partim morales, vt Alcibiadem, Menonem, Lachetem, Charmidem, libros de Republica & legibus: partim naturales, vt Timæum: partim dialecticos, vt Po-

vt Politicum, Parmenidem, Sophiſtam: qua partitione, quamuis non omnem philoſophandi materiam complectente, Peripatetici tamen & Academici, & Stoici contenti fuerunt. Nam quum viderent, ait Cicero, nos ita eſſe natos, vt & communiter ad virtutes apti eſſemus, quæ notæ illuſtresque ſunt, Iuſtitiam dico, temperantiam, cæteraſque generis eiuſdem, quæ omnes ſimiles artium reliquarum materia tantùm ad meliorem partem, & tractatione differunt, eaſque virtutes viderent nos magnificentius appetere, & ardentius, habere etiam inſitam quandam, vel potius innatam cupiditatem ſcientiæ, natoſque eſſe ad congregationem hominum, & ad ſocietatem, communitatemque generis humani, eaque in maximis ingeniis maximè illucere, totam philoſophiam tres in parteis diuiſerunt: quam partitionem à Zenone retentam eſſe videmus. 2 Ac prima philoſophiæ pars, quę eſt de vita & moribus, docet quid ſit ſummum hominis bonum, quò referantur omnia, quæ ſunt ad beatam vitam neceſſaria: vt enim in vita & factis, ſic in doctrina bene viuendi propoſitum aliquid eſſe oportet, cuius gratia vt facienda, ſic dicenda atque explicanda ſint omnia. 3 Summum itaque bonum definitione & partitione declaratur: quæ duo præcipua ſunt in explicandis artium inſtitutis inſtrumenta. Quod autem Græci τέλος nominant, Cicero ſummum bonum, & vltimum, & extremum, & finem dicit: interdum beatitatem & beatitudinem: ſæpe etiam beatam vitam: his enim nominibus quum eadem notio ſubiecta ſit, promiſcuè & indifferenter vtitur. Paucis autem hoc loco finem bonorum ex Academicorum ſententia definit, adeptum eſſe ea, quæ ſunt ſecundùm naturam: quem pluribus verbis in diſputatione de finibus explanat, ſed vnum duntaxat locum aſcribam. Sumus, inquit, homines, ex animo conſtamus & corpore, quæ ſunt eiuſdem modi, noſque oportet, vt prima naturalis appetitio poſtulat, hæc deligere conſtituereque ex his finem illum ſummi boni atque vltimi, quem, ſi prima illa vera ſunt, ita conſtitui neceſſe eſt, ſcilicet earum rerum, quæ ſunt ſecundùm naturam, quàm plurima & quàm maxima adipiſci. Hunc igitur finem tenuerunt, quodque ego pluribus verbis, illi breuius ſecundùm naturam viuere. 4 Partitio autem beatæ vitæ, quæ ſecundo loco adhibetur, ex cauſſis efficientibus conſtat, quæ ſunt bona corporis, animi & fortunæ, eaque nobis ab Ariſtotelis authoritate repetenda eſt: In actione virtutis, ait, beatam vitam eſſe putamus: ſed tamen bonis externis indiget: vix enim poteſt, ac ne vix quidem, res magnas & honeſtas agere is, cui nullæ opes, nullæ ſuppetunt copiæ, quũ pleraque vel amicorum ſtudio, vel diuitiis, vel publica authoritate, non ſecùs atque inſtrumentis efficiantur: etſi nonnulla defuerint hominibus, vt nobilitas, liberi, pulchritudo, magnam labem vitæ ſoleant aſpergere: neque enim planè beatus eſt, qui in deformitate corporis, aut ignobilitate generis, aut ſolitudine & orbitate liberorum vitam degit: ac minus etiam fortaſſe beatus, cui liberi ſint ſcelerati ac perditi, aut cuius amici viri boni ex hac vita migrarint: quare ad bene beateque viuendum fortunæ commoda neceſſaria videntur eſſe: ideoque permulti facilè ſunt adducti, vt ex his alij beatam vitam, proſperam fortunam, alij virtutem eſſe crederent. 5 Hæc Ariſtoteles de cauſſis beatam vitam efficientibus, quarum primum genus ad commoda corporis pertinet, idque duas in partes diuiditur: ex bonis enim corporis quædam ſunt vniuerſa, quædam propria partium ſingularum. Ex illis eſt bona valetudo, quæ in optimo totius corporis ſtatu cernitur: & pulchritudo, quæ fit ex apta figura membrorũ cum coloris quadam ſuauitate, cùm inter ſe omnes partes lepore quodã conſentiſit: & robur, quod in neruorum firmitate & conſtantia conſiſtit, vnde bellicæ fortitudinis laudes plerunq; ducuntur. Quæ propria ſunt ſingularũ partium, aliquod ſimiliter pondus afferũt beatæ vitæ, vt in ſenſibus integritas, quum omnes ſani valenteſq; ſunt: in pedibus celeritas, qualis olim in ſtadiodromis laudabatur: in manibus ad comprehendendum vis, quæ in Milone Crotoniate plurimũ valuiſſe dicitũ: in voce claritas, quũ ea perſpicuè percipitur auribus: in lingua explanata vocũ impreſſio, quũ ea ſonos vocis

Lib. 1. de Finibus.

Libro 1. 3. de Finib. & 1. de Nat. deo.

Lib. 4. de Finibus.

Cap. 8. lib. 1. de Mor.

diſtinctos & preſſos efficit. in his omnibus Academici putant aliquam vim ineſſe ad beatè viuendum: & ſi quid in corpore peccatum fuerit aut morbo, aut diſtorſione & deprauatione aliqua, aut motu ſtatúve deformi, aut imbecillitate partium non eſſe omnibus numeris abſolutum fœlicem, in quo tale vitium reperiatur: nec tamen eiuſmodi bona tantam authoritatem habere, vt cum animi virtutibus, quæ præcipuam vim habent ad conſtituendum ſummum bonum comparanda ſint. 6 De quibus nobis deinceps dicendum eſt principio à definitione virtutis ſumpto, quæ recta mentis affectio nominatur, eius actiones præclaras & laudabiles efficiens: virtutis autem genera duo veteres philoſophi notauerunt, vnum naturale & ingeneratum, alterum morale & voluntarium. Animi, inquit

Lib.5 de Finibus. Cicero, plures ſunt virtutes, ſed duo genera prima: vnum earum quæ ingenerantur ſuapte natura, appellanturque non voluntariæ: alterum earum, quæ in voluntate poſitæ magis proprio nomine appellari ſolent, quarũ eſt excellens in animorum laude præſtantia. Prioris generis eſt docilitas, & memoria, quæ ferè omnia appellantur vno ingenij nomine, easque virtutes qui habent, ingenioſi vocantur. Alterum autem genus eſt magnarum, verarumque virtutum, quas voluntarias appellamus: vt prudentiam, fortitudinem, temperantiam, iuſtitiam, & reliquas eiuſdem generis. Hoc autem ſecundum genus Peripatetici biſariam diuidunt, vt quædam virtutes ſint actionis: vt fortitudo, liberalitas, magnificentia, manſuetudo animi, modeſtia, temperantia, comitas, veritas, affabilitas, iuſtitia. quædam ſunt cognitionis: vt intelligentia, ſcientia, ſapientia, ars & prudentia, & in vtriſque tum διάθεσιν, tum ἕξιν conſiderant. nam quum quis in rectis animi ſtudiis ſeſe exercet, idq; facere perſeuerat, hæc affectio & progreſſio διάθεσις: quum verò naturà, arte & exercitatione multa cõfirmatus eſt, tum ἕξις, ſiue habitus, efficitur virtus: quæ nihil aliud eſt, niſi perfecta, & ad extremum conſummata natura. 7 Atque ita de duabus cauſſis, quę principes ſunt ad beatam vitam, diſſerunt bonis corporis, & bonis animi: quibus tertiam cauſſam adiuuantem adiungunt proſperam fortunam: vt opes, diuitias, gloriam, potentiam, nobilitatem, gratiam, quæ ex populari hominum opinione ad finem bonorum referri ſolent: tantum enim fortunæ vulgus tribuit, vt eam non ſolùm in bonis & rebus expetendis numeret, ſed etiam reginam bonorum, vel potius deam quandam conſtituat. 8 Quamobrem omnis illa antiqua philoſophia ſenſit in vna virtute poſi

Cap.8. lib.1. tam eſſe beatam vitam, quam definit Ariſtoteles actionem perfectæ virtutis, & in vita perfecta, nec tamen beatiſſimam, niſi reliqua duo bonorum genera adiungantur, quæ ſunt partim inſtrumenta, partim ornamenta virtutis. nam, vt ait Virgilius,

Gratior è pulchro veniens in corpore virtus
Adiuuat.—

Illa igitur complent vitam beatiſſimam: ſed ita, vt ſine illis poſſit beata vita exiſtere. Sunt enim acceſſiones quædam, & cauſſæ adiuuantes extrinſecùs aſſumptæ, quæ ſi adſint, clariorem & illuſtriorem laudem virtutis efficiunt: ſin autem abſint, non propterea virtutis authoritatem deprimunt: ſed tamen quia ſunt ſecundùm naturam, ſine illis ſummum bonum vndique perfectum & abſolutum eſſe non poteſt: quod ita definitur à veteribus philoſophis, vt ſit ſecretis omnibus malis cumulata omnium, aut quàm plurimorum bonorum complexio. Eſſe autem gradus fœlicitatis Ariſtoteles exiſtimat, quum ait virtutem, ſi ab aliis bonis ſeiungatur, anteponendam quidem eſſe omnibus: ſin coniungatur, pluris eſſe cum minimo bono coniunctam, quàm ſeparatim: vt quò plura quis habeat, quæ in corpore magni æſtimantur, eò ſit beatior: ſic enim diſputat, commodis corporis & fortunæ non modò virum bonum adiuuari, ſed etiam illuſtriorem & ſplendidiorem apud ſuos effici. 9 Ex hac deſcriptione ſummi boni certa genera officiorum naſcuntur, fuga deſidiæ, voluptatiſque contemptio. eſt enim vt deſidia, ſic

voluptas

voluptas contra naturam hominis: & vt naturalis animi magnitudo in periculis & laboribus, ſic temperantia in prætermittendis voluptatibus cernitur. Hinc etiam charitas generis humani, iuſtitiaque omnis manauit, cæteræque virtutes: quæ maximè ſunt congruentes cum deſcriptione naturæ. In ſumma quatuor fontes officiorum commonſtrantur: aut enim honeſtum in perſpicientia veri, ſolertiaque verſatur: aut in hominum ſocietate tuenda, tribuendoq; ſuum cuique, & rerum contractarum fide: aut in animi excellentis, atque inuicti magnitudine ac robore: aut omnium quæ fiunt, quæq; dicuntur, ordine & modo, in quo ineſt modeſtia & temperantia. Atque hæc Academicorum & Peripateticorum communis inſtitutio de moribus fuit.

[1] *De natura autem (id enim ſequebatur) ita dicebant, vt eam diuiderent in res duas: vt altera eſſet efficiens, altera autem quaſi huic ſe præbens, eaq; efficeretur aliquid. In eo, quod efficeret, vim eſſe cenſebant: in eo autem quod efficeretur, materiam quandam: in vtroque tamen vtrunque. Neque enim materiam ipſam cohærere potuiſſe, ſi nulla vi contineretur, neq; vim ſine aliqua materia. Nihil eſt enim quod non alicubi eſſe cogatur.* [2] *Sed quod ex vtroq;, id iam corpus, & quaſi qualitatem quandam nominabant. Dabitis enim proſ.cto, vt in rebus inuſitatis, quod Græci ipſi faciunt, à quibus hæc iam diu tractantur, vtamur verbis interdum inauditis. Nos verò, inquit Atticus. Quinetiam Græcis licebit vtare, quum voles, ſi te Latina fortè deficient. Bene ſanè facis: ſed enitar vt Latinè loquar, niſi in huiuſcemodi verbis, vt philoſophiam, aut rhetoricam, aut phyſicam, vt dialecticam appellem, quibus, vt alijs multis, conſuetudo iam vtitur pro Latinis. Qualitates igitur appellaui, quas* ποιότητας *Græci vocant: quod ipſum apud Græcos non eſt vulgi verbum, ſed philoſophorum, atque id in multis. Dialecticorum quoq; verba nulla ſunt publica: ſuis vtuntur. Et id quoque commune omnium ferè eſt artium. Aut enim noua ſunt rerum nouarum facienda nomina, aut ex alijs transferenda. Quodſi Græci faciunt, qui in ijs rebus tot iam ſecula verſantur, quantò id magis nobis concedendũ eſt, qui hæc nunc*

primùm tractare conamur? Tu verò, inquam, Varro bene etiam meriturus mihi videris de tuis ciuibus, ſi eos non modo copia rerum auxeris, vt effeciſti, ſed etiam verborum. Audebimus ergo, inquit, nouis verbis vti te authore, ſi neceſſe eſt. [3] *Earum igitur qualitatum ſunt aliæ principes, aliæ ex ÿs ortæ. Principes ſunt vnius modi & ſimplices. Ex ÿs autem ortæ variæ ſunt, & quaſi multiformes. Itaq; aer quoq; (vtimur enim pro Latino) ignis & aqua, & terra, prima ſunt. Ex ÿs autem ortæ animātium formæ, earumq; rerum, quæ gignuntur è terra. Ergo illa initia, &, vt è Græco vertam, Elementa dicuntur: è quibus aer & ignis mouendi vim habēt, & efficiendi: reliquæ partes accipiendi, & quaſi patiendi, aquam dico & terram.* [4] *Quintum genus, è quo eſſent aſtra, menteſq; ſingulares, eorumq; quatuor, quæ ſuprà dixi, diſsimile Ariſtoteles quoddam eſſe rebatur.* [5] *Sed ſubiectam putāt omnibus ſine vlla ſpecie, atq; carentem omni illa qualitate (faciamus enim tractando vſitatius hoc verbum, & tritius) materiam quandam, ex qua omnia expreſſa atque effecta ſint, quæ tota omnia accipere poſsint, omnibuſq; modis mutare, atq; ex omni parte, eoq; etiam interire non in nihilum, ſed in ſuas partes, quæ infinitè ſecari atq; diuidi poſsint, quū ſit nihil omnino in rerū natura minimū, quod diuidi nequeat. Quæ autē moueātur, omnia interuallis moueri, quæ interualla itē infinitè diuidi poſsint. Et quū ita moueatur illa vis, quā qualitatē eſſe dicimus, & quū ſic vltrò citroq; verſetur, & materiam ipſam totā penitus commutari putāt, & ita effici quæ appellant qualia,* [6] *è quibus in omni natura cohærente, & continuata cū omnibus ſuis partibus effectum eſſe mundum, extra quem nulla pars materiæ ſit, nullumq; corpus. Parteis autem eſſe mundi omnia,*

quæ

quæ inſint in eo, quæ natura ſentiente teneantur, in qua ratio perfecta inſit, quæ ſit eadē ſempiterna. Nihil enim valentius eſſe à quo intereat. [7] *Quam vim animū dicūt eſſe mundi, eandemq́ eſſe mentem, ſapientiâmque perfectam, quem Deum appellāt, omniumq́ rerū, quæ ſunt ei ſubiectæ, quaſi prudentiam quandam procurantē cæleſtia maximè, deinde in terris ea quæ pertinent ad homines: quam interdum eandem neceſſitatem appellant, quia nihil aliter poſſit, atq́ ab ea conſtitutum ſit, inter quaſi fatalem & immutabilem continuationem ordinis ſempiterni. Nonnunquā quidem eandem fortunam, quòd afficiat multa improuiſa hæc, nec opinata nobis, propter obſcuritatē ignorationemq́ cauſſarum.*

1 Tranſit Varro à philoſophia morali ad explicationem naturæ, quā alij eſſe cenſent vim quandam ſine ratione cientem motus in corporibus neceſſarios: alij vim participem rationis, atq; ordinis tanquā via progredientem, declarantemq́ quid cuiuſq; rei cauſſa efficiat, quid ſequatur: cuius ſolertiam nulla ars, nulla manus, nemo artifex conſequi poſſit imitando. Sunt autem qui omnia naturæ nomine appellent, vt Epicurus. Hanc vim quæ per ſe motus efficit, Academici duas in ſpecies diſpertiunt, materiam, ex qua, & formam, per quam res omnes gignuntur, & fiunt: è quibus illa patiendi, hæc efficiendi vim in ſe continet: nam quum materia vaga ſit, à formis cohibetur: quum iners, impellitur, quū rudis informatur. *Cic. lib. 2. de Nat. deor.*

2 Sed quod ex vtroq; conſtat, id iam naturale corpus eſt: Græcis ποιότης appellatur, Latinè qualitas redditur: ſed quia vocabulum hac in re nouū & inauditum eſt, ad excuſationem huius nouitatis Varro digreſſiunculam interpoſuit, in qua diſputat his, qui res nouas tractant, eſſe concedendum, vt aliquando vocabulis inuſitatis vtantur: cuiuſmodi libertatis veniam Cicero etiam ſibi dari poſtulat. *Lib. 3. de Fin.* Quod quidem, ait, nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans in omni arte, cuius vſus vulgaris communiſq́; nō ſit, multam nouitatē nominū eſſe, quum conſtruantur earum rerum vocabula, quæ in quaq́; arte verſentur. Itaq; & dialectici & phyſici, verbis vtunt his, quæ ipſi ſcientiæ nota ſunt: Geometræ verò, Muſici, Grammatici etiam, more quodam loquuntur ſuo. Item ipſæ Rhetorum artes, quæ ſunt totæ forenſes atq; populares, verbis tamen in dicendo quaſi priuatis vtuntur ac ſuis: idq́; argumentum comparatione minorum concludit. Quòd ſi in ea lingua, quam plerique vberiorem putant, conceſſum à Græcia eſt, vt doctiſſimi homines de rebus non peruulgatis, inuſitatis verbis vterentur, quantò id vel nobis magis eſt concedendum, qui ea nunc primùm audemus attingere? Duos autem modos ſtatuit nouandorum nomium, vnum fingendi quod non fuerat, alterum ex alia lingua transferendi. De primo Horatius,

In verbis etiam tenuis cautusq́ ſerendis, *In Arte poetica.*
Dixeris egregiè, notum ſi callida verbum
Reddiderit iunctura nouum: ſi fortè neceſſe eſt,
Indicijs monſtrare recentibus abdita rerum:
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis,

Contingет, dabiturque licentia ſumpta pudenter.

Lib.1. de Natura deor. Eiuſmodi ſunt illa à Cicerone nouata, Beatitas & beatitudo: quæ dura quidem ſentit eſſe, veruntamen vſu putat poſſe molliri. Fauorem & vrbanum noua credit, Lib.8. cap.3. ait Fabius: nam in epiſtola ad Brutum, Eum, inquit, amorem, & (vt hoc verbo vtar) fauorem in concilium aduocabo. Et ad Appium Pulchrum, Te hominē non ſolùm ſapientem, verùm etiam, vt nunc loquuntur, vrbanum. De ſecundo modo idem Horatius,

Et noua fictaque nuper habebunt verba fidem, ſi
Græco fonte cadant parcè detorta. quid autem
Cæcilio, Plautoque dabit Romanus, ademptum
Virgilio, Varioque? ego cur acquirere pauca
Si poſſum, inuideor? quum lingua Catonis, & Enni
Sermonem patrium ditauerit, & noua rerum
Nomina protulerit? licuit, ſemperq; licebit
Signatum præſente nota producere nomen.

Quintilianus quum verba in Latina & peregrina diuidit, plurima ex omnibus Lib.1. cap.10 penè gentibus in linguam Latinam veniſſe teſtis eſt, Taceo, ait, de Tuſcis & Sabinis, & Prænestinis quoque: nam vt eorum ſermone vtentem Vectium Lucilius inſectatur: quemadmodum Pollio deprehēdit in Liuio Patauinitatem: licèt omnia Italica pro Romanis habeam, plurima Gallica valuerunt, et Rheda & Petoritum, quorum altero Cicero tamen, altero Horatius vtitur: & mappam quoque vſitatum circo nomen Pœni ſibi vendicant: & gurdos, quos pro ſtolidis accipit vulgus, ex Hiſpania duxiſſe originem audiui: ſed hæc diuiſio mea ad Græcum ſermonem præcipuè pertinet: nam & maxima ex parte Romanus inde conuerſus eſt. 3 Vt igitur ad inſtitutum reuertatur oratio, quas ποιότητας Græci vocant, liceat qualitates Latinis appellare, & res naturales: his enim promiſcuè vti poſſumus: quæ ſic ab antiquis diſtinguntur, vt aliæ principes ſint, aliæ de principibus ortæ. Principes à Latinis dicuntur elementa, ſiue principia, ſiue initia, ſiue ſimplices naturæ, ignis, aër, aqua, terra: ex quibus duæ primæ, ſi cum reliquis duabus comparentur, efficientes videri poſſunt: propterea quòd calor, quem ignis, & humor, quem aër propriè & naturaliter ſibi vendicant, efficientiam quandam in ſe continent naturalem: reliquæ verò duæ, aquam dico & terram, quaſi patientes ſunt, quòd ſiccitas & frigus, quæ terræ & aquæ attribuuntur, tardam, aut nullam propemodum vim habent, nec niſi vel à calore ad ſuos motus excitari, vel ab humore cohiberi, & quaſi informari poſſe videntur. de quibus ſuperioribus ſic Ouidius ait,

Quippe vbi temperiem ſumpsêre humorq; calorq;,
Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus:
Cumq; ſit ignis aquæ pugnax, vapor humidus omnes
Res creat, & diſcors concordia fœtibus apta eſt.

4 His quatuor ſimplicibus naturis quintam adiungendam eſſe Ariſtoteles ex adiunctis motionibus diſputat. nam quum ſic ſtatuat, ſimplices motus naturis ſimplicibus congruere, eos autem qui in gyrum & in orbem fiunt, à quatuor illis ſuperioribus elementis alienos eſſe, quæ rectis lineis vel ſua leuitate ſurſum, vel ſuopte nutu & pondere deorſum mouentur, cenſuit eſſe quintam ſimplicem Tuſcul.1. naturam, ad quam propriè motus ille ſimplex pertineret: vnde (vt ait Cicero) eſſent aſtra, menteſque ſingulares: cogitare enim & prouidere, & diſcere, & docere, & inuenire aliquid, & tam multa meminiſſe, amare, odiſſe, timere, letari, angi: hæc & ſimilia eorum, in horum quatuor generum nullo ineſſe putat. Quintum genus adhibet, vacans nomine, & ſic ipſum animum ἐντελεχίαν appellat nouo

nomine

nomine, quaſi quandam continuatam motionem & perennem. Idem alio loco, Si ab Ariſtotele inducta eſt quinta natura, primùm hæc & deorum eſt, & animorum: animorum enim in terris origo nulla inueniri poteſt. nihil eſt in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum eſſe videatur. Nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil ineſt, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat, & futura prouideat, & complecti poſſit præſentia, quæ ſola diuina ſunt: nec inuenietur vnquam vnde ad hominem venire poſſint, niſi à Deo. Singularis igitur eſt quædam natura atque vis animi, ſeiuncta ab his vſitatis notiſque naturis. Hactenus de elementis: qualitates ex his ortas deinceps videamus, quæ variæ multiformesque ſunt: ſed earum duo prima genera: nam aut inanimæ ſunt, vt nubes, pluuia, grando, cæteræque res eiuſmodi, quæ in aëre gignuntur: aut animatæ: quæ tripartitò diſtingui ſolent: aut enim viuunt tantùm, vt ſtirpes, arbores, plantæ: aut vita ſenſuque præditæ ſunt, vt aues in aëre, piſces in aquis, variæ ſpecies beſtiarum in terris: aut vitæ, ſenſus, rationiſque ſimul compotes ſunt: vt homines, ad quorum vſus & commoditates cætera quæ prius diximus, genita ac procreata ſunt. 5 Ac de prima materia ſic Academici diſputant, vt eam ſubiectam rebus omnibus eſſe putent, ſine vlla ſpecie, atque carentem omni qualitate: id eſt, per ſe non formarum modo, ſed etiam caloris, & coloris, aliarumque qualitatum, quæ ſenſus afficiunt, expertem. Qua de re Plato vt ſubtiliter, ſic clarè & perſpicuè philoſophatus eſt: Tria, ait, genera conſtituere licet: vnum quod gignitur, alterum in quo gignitur, tertium à quo ſimilitudinem trahit, quod naſcitur: idcircò ſic aptè comparabuntur: quod recipit, matri: vnde recipit, patri: natura horum media, fœtui. Sed animaduertendum eſt, cùm debeat eſſe rerum effigies, omnium formarum varietate diſtincta, nunquam illud generationis gremium bene præparatum iri, niſi ſit informe, & ſuapte natura formis omnibus, quas poteſt capere, careat. Nam ſi erit alicuius eorum, quæ in ſe recipit ſimile, cùm contrariam eius, cuius eſt ſimile, naturam, aut aliam prorſus ſuſcipiet, nequaquam eius ſimilitudinem & effigiem exprimet, cùm præ ſe tulerit ſuam. Quo fit vt nullam ſibi propriam habeat ſpeciem, quòd omnia rerum genera capere debeat: vt qui vnguenta ſuaui odore confecturi ſunt, humidam materiam, quam certo odore condire volunt, ita præparant, vt nullum proprium odorem retineat: & qui in re molli figuras aliquas imprimere volunt, nullam omnino priorem figuram in ea videri patiuntur, ſed accurata leuigatione poliunt: ſic illud quod paſſim in omnibus æternorum omnium ſimulachris rectè figurandum eſt, his omnibus formis ſuapte natura carere neceſſe eſt. Quamobrem huius vniuerſi quod genitum, & ſenſibus ſubiectum eſt, matrem & receptaculum neque terram, neque aërem, neque ignem, neque aquam eſſe dicamus, neque rurſus aliquid ex his factum, ſed ſpeciem potius quandam ſenſus fugientem, & informem ſinum omnium rerum capacem, qui ambigua quadam ratione, & quæ vix dici queat, diuinæ, & ſolo animo comprehendendæ naturæ ſit particeps. Hæc Plato. vnde conſtat materiam poſſe omnia accipere, omnibuſque modis mutari. Eſt enim, vt ait Ariſtoteles, appetentiſſima formarum: neque tamen in nihilum redigi, ſed in ſuas partes, quæ dimenſionibus præditæ infinitè diuidi poſſunt: nec id mirum cuiquam videri debet: quamuis enim in omni magnitudine ſit aliquid actu minimum, quo nihil ſit minus, poteſt tamen ipſum in alias minores partes diuidi. Quæ autem moueantur, omnia interuallis moueri, id eſt, ſpatiis vel locorum, vel temporum: locus autem & tempus ratione magnitudinis infinitam diuiſionem capiunt, vt docet Ariſtoteles in Phyſicis. Quæ autem natura conſtant, quoniam fatali quadam neceſſitate mutabilia ſunt, propter inconſtantiam formarum variis modis afficiuntur: & pro ſua quæque vi & facultate materiam commutant: vnde exiſtunt tam variæ rerum viciſſitudines, vt non modò quę genita ſunt, neceſſariò intereant, ſed pro variis momentis vltrò citroque verſentur, nec diu-

In Timæo.

Lib. 1. Phyſ.

Lib. 3. Phyſ.

f

tius in eodem ſtatu permanere poſſint. 6 Quæ dicuntur de compoſitione & *In Timæo.* anima mundi, à Platone principe Academicorum accepta ſunt. De fabrica enim & conſtructione mundi ſic ait, Cùm ſoliditas mundo quæreretur, ſolida autem omnia vno medio nunquam, duobus ſemper copulentur, ita contigit, vt inter ignem & terram, aquam Deus aëremque poneret: eaque inter ſe compararet, & proportione quadam coniungeret: vt quemadmodum ignis aëri, ſic aër aquæ, quodque aër aquæ, id aqua terræ proportione redderet: qua ex coniunctione cœlum ita aptum eſt, vt ſub aſpectum & tactum cadat: itaque & ob eam cauſſam, & ab iis rebus numero quatuor, mundi eſt corpus effectum, ea conſtructum proportione, quam dixi, ex quo ipſe ſe concordi quadam amicitia & charitate complectitur, atq; ita aptè cohæret, vt diſſolui nullo modo queat, niſi ab eodem à quo eſt colligatus. earum autem quatuor rerum, quas ſuprà dixi, ſic in omni mundo omnes partes collocatæ ſunt, vt nulla pars huiuſce generis excederet extrà, atque in hoc vniuerſo ineſſent genera illa vniuerſa. id ob eas cauſſas primùm, vt mundus animans poſſit ex perfectis partibus eſſe perfectus: deinde vt vnus eſſet, nulla parte vnde altera gigneretur relicta: poſtremò ne quis morbus eum poſſit aut ſenectus affligere. omnis enim coagmentatio corporis vel calore, vel frigore, vel aliqua impulſione vehementi labefactatur & frangitur, & ad morbos ſenectutémque compellitur. Hanc igitur habuit rationem effector mundi, molitorq; Deus, vt vnum opus totum atque perfectum ex omnibus totis atque perfectis abſolueret, quod omni morbo ſenioque careret. His verbis Plato docet ex omnibus naturis mirabili proportione inter ſe cohærentibus conflatum, ſuaque magnitudine omnia complexum eſſe mundum: quem etiam eodem loco definit animal rationis & intelligentiæ particeps, re vera diuina prudentia conſtitutum: veruntamen animum mundi non Deum, vt nunc Varro, nominat, ſed à Deo creatum eſſe vult. 7 Multis autem nominibus rationem in mundo perfectam ſempiternamque veteres philoſophi ſignificabant: ab iis enim animus mundi dicebatur, per quem mundus ipſe ſpirat, ſentit, intelligit, ratiocinatur: & mens, ſapientiáque perfecta, quòd omnia conſilio & ratione gubernet: & θεὸς, id eſt, Deus, ἀπὸ τοῦ θεῖν, id eſt, à perpetua motione, vt Socrates in Cratillo docet: & φύσις, id eſt,
Aeneid.6. natura, quòd omnia gignat. quorum nominum rationem verſibus his Virgilius incluſit,

Principio cœlum & terras, camposq; liquentes,
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; aſtra
Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet:
Inde hominum, pecudumq; genus, vitæq; volantum:
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus:
Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo
Seminibus.—

Eandem mundi mentem πρόνοιαν id eſt, prouidentiam appellant, quòd omnibus rebus prouideat: & εἱμαρμένην, id eſt, fatalem neceſſitatem, quòd diuina decreta mutari non poſſint. vnde illud,

Deſine fata deûm flecti ſperare precando:

& τύχην, id eſt, fortunam, ex hominum errore, qui exiſtimant, quod occultis & ignoratis cauſſis factum ſit, à Deo factum eſſe: quæ opinio occultam rerum fortuitarum vim apud veteres in diuorum numero cœtuque collocauit: toto quip-
Lib.2.cap.7. pe mundo, ait Plinius, & locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus, fortuna ſola inuocatur: & vna nominatur: vna accuſatur: vna agitur rea: vna cogitatur: ſola laudatur: ſola arguitur: & cum conuitiis colitur: volubilis, à pleriſque ve-

rò &

rò & cæca etiam exiſtimata, vaga, inconſtans, incerta, varia, indignorumque fautrix: huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium ſola vtramq; paginam facit: adeoque obnoxiæ ſumus ſortis, vt ſors ipſa pro Deo ſit, quia Deus probatur incertus. Hæc fuit ab Academicis & Peripateticis tradita, & à Varrone breuiter, vt decuit, expoſita naturæ deſcriptio.

[1] Tertia deinde Philoſophiæ pars, quæ erat in ratione, & in diſſerendo, ſic tractabatur ab vtriſque: quanquam oriretur à ſenſibus, tamen non eſſe iudicium veritatis in ſenſibus. [2] Mentem volebant eſſe rerum iudicem, ſolam cenſebant idoneam cui crederetur, quia ſola cerneret id quod ſemper eſſet ſimplex, & vnius modi, & tale quale eſſet: Hanc illi Ideam appellabant, iam à Platone ita nominatam: nos recte Speciem poſſumus dicere. [3] Senſus autem omnes hebetes & tardos eſſe arbitrabantur, nec percipere vllo modo res eas, quæ ſubiectæ ſenſibus viderentur, quæ eſſent aut ita paruæ, vt ſub ſenſum cadere non poſſent: aut ita mobiles & concitatæ, vt nihil vnquam vnum eſſet conſtans, ne idem quidem, quia continenter laberentur, & fluerent omnia. [4] Itaque hanc omnem partem rerum opinabilem appellabant. Scientiam autem nuſquam eſſe cenſebant, niſi in animi motionibus atque rationibus. Qua de cauſa definitiones rerum probabant, & has ad omnia, de quibus diſceptabatur, adhibebant. Verborum etiam explicatio probabatur, qua de caſſua quæq; eſſent ita nominata: quam Etymologiam appellabant. Poſt argumentis, & quaſi rerum notis ducibus vtebantur ad probandum & concludendum id, quod explanari volebant, in qua tradebatur omnis dialectica diſciplina, id eſt, orationis ratione concluſæ. [5] Huic quaſi ex altera parte oratoria, vis dicendi adhibebatur explicatrix orationis perpetuæ, ad perſuadendum accommodatæ. Hæc erat illis prima à Platone tradita, cuius quas acceperim diſputationes, ſi vultis, exponam.

1 Expoſitis duabus primis philoſophiæ partibus, dialectica tertia ſequitur, in cuius præceptis multa (quæ tamen aliena videri, & ad phyſicos potius referri poſ ſunt) de ſcientia & opinione traduntur, propter apodicticos & dialecticos ſyllogiſmos, quorum alteri ex perſpicuis & neceſſariis cauſſis ſcientiam concluſionis efficiunt: alteri ex probabilibus argumentis, minimeque neceſſariis opinionem gignunt. Varro totam ſcientiæ & opinionis diſtinctioné ex Platone penè tranſtu lit: apud quem Socrates ita diſputat, vt veritatis iudicium ſenſibus conuenire neget, mentem ſtatuat rerum iudicem, quæ veram & ſimplicem cuiuſque rei ſpeciem, formamque percipiat. Cuius diſtinctionis argumentum cum Theæteto communicans, accuratè perſequitur, multiſque verbis vltrò citroque habitis, demùm ad eam concluſionem peruenit. Socrates. An veritatem eo percipere poſſumus, quo eſſentiam non percipimus? Theæt. Non. Socrat. Cuius autem quis veritate caret, huius ſcientiam vllam habet? Theæt. At quomodo id fieri poſſet? Socrat. In motionibus igitur ſenſuum ſcientia non eſt, in ratiocinatione tamen, quæ circa illas verſatur, ineſſe videtur: hac enim naturam rerum & veritatem attingere poſſumus, illis non poſſumus. Theæt. Conſtat. Socrat. An illud & hoc, idem vocas, cùm tantùm inter ſe diſcrepent? Theæt. Non equidem decet. Socrat. Quod illi nomen tribuis, quod eſt exempli gratia videre, audire, odorari, guſtare, calere, frigere, num ſentire? Theæt. Hoc ipſum: quid enim aliud? Socrat. Hoc igitur totum ſenſum vocas? Theæt. Neceſſe. Socrat. Huic veritatis perceptionem conuenire negauimus, cùm eſſentiam non percipiat. Theæt. Ita eſt. Socrat. Neq; igitur ſenſus ſciétiæ particeps erit. Theæt. Non. Socrat. Hinc efficitur, ò Theætete, ſcientiam & ſenſum nunquam in idem recidere. Theæt. Prorſus nunquam. 2 Plato in Timæo eam vim mentis eſſe putat, vt ſola ſimplices rerum ſpecies & ideas cernat, vnde omnis vera ſcientia & ſapientia defluxit. Siquidem, ait, mẽs & vera opinio duo genera ſunt, omnino ideæ & ſpecies quædam per ſe ſunt, quæ non percipiuntur ſenſibus, animo autem tantùm & intelligentia continentur. ſin autem, vt quibuſdam placet, vera opinio ab intelligentia mentis nihil differt, omnia quæ corpore ipſo ſentiuntur, certiſſima ſtatuere oportebit. verùm hæc duo dicenda ſunt, quòd ſeparatim fiunt, & diſſimili ratione ſe habent: alterum enim horum doctrina, alterum perſuaſione comparatur: & illud quidem ſemper cum ratione vera; hoc autem ſine ratione: illudque nulla ratione diuelli poteſt, hoc aliter poteſt perſuaderi: cuius quidem quemuis participem eſſe dicimus, ſcientiæ autem deos eſſe compotes, homines perpaucos. Quæ cùm ita ſint, cogimur fateri eſſe aliquam ſpeciem & ideam, quæ ſemper eadem ſit, ſine ortu & interitu, quæ nihil aliunde in ſe accipere, nec ad aliud procedere, nec oculis, aut alio ſenſu percipi poſſit. Hæc autem idea ad ſolam vim mentis pertinet: ſed ſecundum homonymum eſt, & illi ſimile, ſenſibile, genitum, ſemper inhærens, factum alio in loco, rurſuſque inde recedens, atque interiturum: quod per ſenſus opinione comprehendi debet. 3 Senſus autem omnes hebetes & tardos, & plerunque fallaces Academici arbitrantur, tum mentis comparatione, quæ celerrimè in rebus perſpiciẽdis agitetur, tum ſuapte natura, quòd exiguam vim ad percipiendum habeant: tum duplici culpa earum rerum quæ ſub ipſos ſenſus cadunt: aut enim ita paruæ ſunt: vt ſenſus effugiant, vt Atomi Epicureorum, & multæ res minutæ & exiles: aut ita mobiles & concitatæ, vt nihil ſit conſtans, quod certo comprehendi poſſit. quale ſit, quod etiam ex auguſto Platonis oraculo, ſicut reliqua ferè omnia, depromptum eſt. Dicam, ait Socrates, rem non contemnendam, quòd nihil in ſeipſo vnum certum eſt, neq; rectè ipſum per ſe aliquid, aut quale ſit, dicere potes. Etenim ſi quid magnum dicis, ſtatim paruum etiam videtur: & ſi quid graue, protinus etiam leue. Cæteraque eiuſdem generis ſunt: vt nihil ſit vnum quod aut hoc, aut tale ſit: ſed omnia quæ dicimus eſſe falſa appellatione, in motu & alterna commutatione & viciſſitudine verſantur. nihil enim vnquam eſt, ſemper autem fit: quod quidem omnes ex ordine ſa-

In Theæteto.

ne ſapientes vno conſenſu præter Parmenidem confirmarunt Protagoras, Heraclitus, Empedocles, poëtæ in vtroque poëmate excellentes: in Comœdia Epicharmus: in Tragœdia Homerus. Nam cùm Oceanum diceret deorum parentem, & matrem Thetyn, omnià ex fluxu motuq́ue genita prædicauit. 4 Itaque veteres philoſophi opinionem à ſciẽtia ſubiecti ratione ſepararunt, vt illa ſit in ſenſibus, hæc in notionibus animi, quas ἐννοίας vocant: quemadmodum ex Theæteto Platonis perſpici poteſt, & ad hos duos fines totam diſſerendi rationem, quæ geminam vim inueniendi & diſponendi habet, ſtultè & ineptè accommodarunt: nam cauſſæ, effecta, ſubiecta, adiuncta, diſſentanea, notationes, coniugata, comparationes, definitiones, partitiones, inuentionis dialecticæ partes ſunt, quibus omnia quæ poſſunt in hominum cogitationem cadere, comprehenduntur & diſtinguntur: & ſyllogiſmus, methodusque diſponendi prudentiam tradunt, & regulam quandam verè auream: qua non ſolùm vera in omnibus rebus & falſa diiudicari, ſed etiam facilius doceri percipique poſſunt, quam dialecticæ artis partitionem tanquam in nebula viderunt, ſed tamen ſecuti & præceptis interpretati nõ ſunt.
5 Dialecticæ autem eloquentiam, quaſi ex altera parte reſpondere monet Ariſtoteles, Lib.1.Rhet. cap.1. vt hoc videlicet differant inter ſe, quòd hæc dicendi ratio latior ſit, illa loquendi contractior. qua de cauſa Zeno Rhetoricam palmæ, Dialecticam pugno ſimilem eſſe dicebat: quòd latius loquerentur Rhetores, Dialectici comprehenſius. quæ diſtinctio ex natura artium facta non eſt: vis enim dialectica eſt tam in copioſa & dilatata, quàm in tenui & anguſta oratione, ſed ex hominum inſtitutis, è quibus qui tenuiter & ſuccinctè in ſcholis diſputabant, Dialectici: qui in foro copioſius & vberius cauſas tractabant, Oratores appellati ſunt. Hæc fuit prima philoſophiæ ratio à Platone tradita, & in tres partes diſtributa, vnam de moribus, alteram de natura & rebus occultis, tertiam de diſſerendo: quarum partium deſcriptionem Varro generaliter & ſummatim complexus eſt.

1 *Nos verò volumus, inquam, vt pro Attico etiam reſpondeam. Et rectè, inquit, reſpondes. Præclarè enim explicatur Peripateticorum, & Academiæ veteris authoritas.* 2 *Ariſtoteles primus ſpecies, quas paulò antè dixi, labefactauit, quas mirificè Plato erat amplexatus, vt in his quiddam diuinum eſſe diceret.* 3 *Theophraſtus autem vir & oratione ſuauis, & ita moderatus, vt per ſe probitatem quandam & ingenuitatem ferat, vehementius etiam fregit quodammodo authoritatem veteris diſciplinæ. Spoliauit enim virtutem ſuo decore, imbecillamq; reddidit, quod negauit in ea ſola poſitum eſſe beatè viuere. Nam Strato eius auditor, quanquam fuit acri ingenio, tamen ab ea diſciplina omnino ſemouendus eſt: qui quum maximè neceſſariam partem philoſophiæ, quæ poſita eſt in virtute & moribus, reliquiſſet, totumq; ſe ad inueſtigationem naturæ contuliſſet:*

in ea ipſa plurimùm diſcedit à ſuis. [5] *Speuſippus autem & Xenocrates, qui primi Platonis rationem, authoritatemq́ ſuſceperant, & poſt hos Polemo & Crates, vnaq́ Crantor, in Academia congregati, diligenter ea quæ à ſuperioribus acceperant, tuebantur. Iam Polemonem audiuerunt aſſiduè Zeno & Arceſilas.*

1 Tranſit à vetere Platonis & Academicorum philoſophia ad contrarias diſputiones, primùm Peripateticorum, deinde Stoicorum. Ex Peripateticis Ariſtoteles in dialecticis, Theophraſtus in Ethicis, Strato in Phyſicis aliquid corrigere & emendare conatus eſt. 2 Platoni viſum eſt Ideas in Deo, & in hominibus ineſſe: & in Deo quidem æterna rerum exemplaria, quibus propoſitis non ſolùm mundum, parteſque mundi conſtruxit, ſed omnia quæ ſunt, fuerunt, futuráve ſunt, perſpicit: id eſt, Dei Patris ſapientiam, quam Zeno philoſophus antiquus λόγον appellabat. in homine verò ſpecies rerum mente & animo comprehenſarum ſimiliter Ideas nominat: eaſque nobis diuinitùs informatas & ingeneratas eſſe arbitratur, quòd animi noſtri antequam delabantur in corpora, vigeant in omnium rerum cognitione: quam ſententiam Ariſtoteles Platonis diſcipulus in Metaphyſicis & Ethicis labefactare conatus eſt. 3 Theophraſtus elegantiſſimus omnium philoſophorum, & eruditiſſimus, à diuinitate ſermonis nomen inuenit, cùm antea Tirtamus diceretur. diſſenſit autem ab antiquis in eo libro, quem de beata vita ſcripſit: illi namque beatam vitam cenſebant ex maiori parte nominari: id eſt, ex virtute, quæ per ſe beatum hominem efficeret, quamuis tamen non beatiſſimum, niſi bona fortunæ & corporis adiungerentur. Hic verò ſolam virtutem ne ad beatam quidem vitam ſeipſa contentam eſſe voluit, nedum ad beatiſſimam: nec omnes bonos eſſe beatos, præſertim ſi in aduerſa fortuna fuerint. Itaque Theophraſti ſententia Ciceroni videtur eſſe delicatior & mollior, quàm virtutis vis, grauitaſque patiatur. 4 Strato Lampſacenus vir eloquentiſſimus, Theophraſto ſucceſſit olympiade 123. vt Apollodorus ait. Phyſicus ideò dictus eſt, quòd perpauca, eaque magna ex parte noua de moribus ſcripſit, & ad inueſtigationem contemplationemque rerum naturalium ſeſe conuertit, in quibus ita degenerauit à ſuis, vt ex ſe natus videretur. 5 Qui autem in Academia commorati ſunt, vt Speuſippus Platonis nepos, Xenocrates Calcedonius, Polemo Athenienſis Xenocratis auditor, Crates Athenienſis, Crantor Solenſis Polemonis diſcipulus & ſocius, diligenter authoritatem veteris Academiæ tuebantur, & ne ſibi quidem fas eſſe ducebant, vel tranſuerſum, vt aiunt, vnguem ab antiquis Platonis inſtitutis diſcedere.

[1] *Sed Zeno quum Arceſilam anteiret ætate, valdéque ſubtiliter diſſereret, & peracutè moueretur: corrigere conatus eſt diſciplinam. Eam quoque, ſi videtur, correctionem explicabo, ſicut ſolebat Antiochus. Mihi verò, inquam, videtur: quod vides idem ſignificare Pomponium. Zeno igitur nullo modo is erat, qui, vt Theophraſtus, ner-*

uos virtutis inciderit: ſed contrà, qui omnia, quæ ad beatam vitam pertinerent, in vna virtute poneret. [3] *Nec quicquam aliud numeraret in bonis, idq; appellaret honeſtum, quod eſſet ſimplex quoddam, & ſolum, & vnum bonum. cætera autem etſi nec bona, nec mala eſſent, tamen alia ſecundùm naturam dicebat, alia naturæ eſſe contraria. Iis ipſis alia interiecta & media numerabat. Quæ autem ſecundùm naturam eſſent, ea ſumenda, & quadam æſtimatione dignanda docebat, contraq; contraria. Neutra autem in medijs relinquebat: in quibus ponebat nihil omnino eſſe momenti:* [4] *ſed quæ eſſent ſumenda, ex ijs alia pluris eſſe æſtimanda, alia minoris. Quæ pluris, ea Præpoſita appellabat: Reiecta autem, quæ minoris.* [5] *Atq; vt hæc non tam rebus, quàm vocabulis commutauerat: ſic inter recte factum atq; peccatum, officium: & contra officium, media locabat quædam, recte facta ſola in bonis actionibus ponens: praue, id eſt peccata, in malis. Officia autem, & ſeruata, prætermiſſaq;, media putabat, vt dixi.* [6] *Quumq; ſuperiores non omnem virtutem in ratione eſſe dicerent, ſed quaſdam virtutes natura, aut more perfectas: hic omnes in ratione ponebat. Quumq; illi ea genera virtutũ, quæ ſuprà dixi, ſeiungi poſſe arbitrarētur, hic nec id vllo modo fieri poſſe diſſerebat,* [7] *nec virtutis vſum modo, vt ſuperiores, ſed ipſum habitum per ſe eſſe præclarum, nec tamen virtutē cuiquam adeſſe, quin ea ſemper vteretur.* [8] *Quumq; perturbationem animi illi ex homine non tollerent, naturaq; & condoleſcere, & concupiſcere, & extimeſcere, & efferri lætitia dicerent, ſed ea contraherent, in anguſtumq; deducerent: hic omnibus his quaſi morbis voluit carere ſapientem.* [9] *Quúmque eas perturbationes antiqui naturales eſſe dicerēt, & rationis expertes,*

aliaq́ in parte animi cupiditatem, alia rationem colloca-rent, ne ijs quidem aſſentiebantur. Nam & perturbationes voluntarias eſſe putabat, opinioniſq́ iudicio ſuſcipi: & omnium perturbationum arbitrabatur matrem eſſe, immoderatam quandam intemperantiam. Hæc ferè de moribus.

1 Vetus Academia primùm à tribus Peripateticis oppugnata eſt, quemadmodum paulò antè diximus: deinde à Stoicis, quorum princeps Zeno Cittieus ex Cypro inſula, Cratis auditor, vir, vt ait Laërtius, ad inquirendum ſolers & ſubtilis & induſtrius, in omni parte philoſophiæ plurima mutauit verborum nouitate & magnificentia delectatus. Ac primùm in philoſophia morali variam ac multiplicem correctionem adhibuit: quæ quò faciliùs percipiatur, tres in partes diſtribuenda eſt nobis. Primum enim caput erit de beata vita & partitione bonorum: Secundum de virtutum diuiſione & earum natura: Tertium de perturbationibus. 2 Zeno beatam vitam non in tribus generibus (vt ſuperiores illi) ſed in vna virtute poſuit: eandemq́ue beatam & beatiſſimam ſola virtute fieri iudicauit, vt qui eam haberet, omnes felicitatis & beatitudinis numeros eſſet adeptus: quam ſententiam Atheneus hoc Epigrammate commendat,

Ὦ στωϊκῶν μύθων εἰδήμονες, ὦ πανάριστα
  Δόγματα ταῖς ἱεραῖς ἐνθέμενοι σελίσι,
Τὰν ἀρετὰν ψυχᾶς ἀγαθὸν μόνον· ἅδε γὰρ ἀνδρῶν
  Μοῦνα καὶ βίοτον ῥύσατο, καὶ πόλιας.
Σαρκὸς δ' ἡδυπάθημα φίλον τέλος, ἀνδράσιν ἄλλοις,
  Ἡ μία τῶν μνήμας ἤνυσε θυγατέρων.

Id eſt,

O Stoicæ gnari ſectæ, quàm inſignia veſtra
* Dogmata, quæ ſacris ſcribitis in tabulis.*
Eſſe bonum vnam animi virtutem, ſola tuetur,
* Quòd validas vrbes, quodq́ ea ſola homines.*
Aſt alijs vitæ ſcopus eſſet ſpurca voluptas,
* Vna egit pulchrè filia Mnemoſynes.*

3 Cùm igitur à Zenone conſtitutum eſſet, id ſolùm eſſe bonum, quod honeſtum eſt, idq́ue ſolùm malum quod turpe: tum reliqua quæ neque in bonis ſunt, neque in malis, nouis nominibus, & communiter quidem ἀδιάφορα, id eſt, indifferentia nominabat: quòd eiuſmodi ſint, vt his bene & malè vti liceat, quæq́ue indifferenter prodeſſe & obeſſe hominibus poſſint: & quamuis nullam vim habeant ad miſerè & beatè viuendũ, ſunt tamen eiuſmodi, vt partim προηγμένα, id eſt, commoda ab eodem Zenone dicantur: non expetenda quidem, vt ille ait, ſed tamen eligenda, & ſumenda, & aliqua æſtimatione dignanda: cùm ſint ſecundùm naturam: vt ſanitas, pulchritudo, robur, opes, gloria, nobilitas: partim ἀποπροηγμένα: id eſt, incommoda & inæſtimabilia, quæ ſunt contra naturam: vt morbus, paupertas, ignobilitas, deformitas corporis, infamia: partim μέσα: id eſt, media comparatione boni & mali: ſunt enim inter virtutem & vitium interiecta.
4 Commoda autem quæ ſunt ſecundùm naturam, gradibus æſtimationis diſtinguntur: alia enim pluris, alia minoris æſtimanda ſunt. pluris: vt valere malis, quàm

quàm diues eſſe: robuſtus, quàm agilis. Minoris contrà, vt Diuitiæ minoris æſti-
mentur, quàm bona valetudo. Illa dicuntur à Græcis προηγμένα, quę Latinè vel
præpoſita, vel promota, vel præcipua, vel producta Cicero cōuertit. Hæc ἀποπροη-
γμένα, id eſt, reiecta, vel reiectanea, tametſi hoc vocabulum propriè pertinet ad
incommoda, quæ ſunt contra naturam: & Cato apud Ciceronem libro tertio de
Finibus, in hac ſignificatione vſurpauit. De incommodis autem quæ ſunt con-
tra naturam, ſimilis diuiſio ex comparatione fieri poteſt, vt eorum quædam ſint
grauiora, vt morbus, paupertas: quædam leuiora, vt ignobilitas, & leuis aliqua ia-
ctura. 5 In neutris officium medium, quod Græci καθῆκον vocant, & contra
officium ponitur: diciturque officium, quod ita factum eſt, vt eius facti proba-
bilis ratio reddi poſſit: quod Cato libro tertio de Finibus hac concluſione ratio-
nis declarat: Quoniam videmus eſſe quiddam, quod rectè factum appellemus,
id autem eſt perfectum officium, erit etiam inchoatum: vt ſi iuſtè depoſitum red
dere, in rectè factis ſit, in officiis ponatur depoſitum reddere: illo enim addito iu-
ſtè, facit rectè factum: per ſe autem hoc ipſum reddere, in officio ponitur. Zeno
igitur hic inter κατόρθωμα, id eſt, rectè factum: & inter ἁμάρτημα, id eſt, prauè
factum ſiue peccatum medium quoddam poſuit, quod per ſe nec bonum, nec
malum eſſet, ſed adiectis certis circunſtantiis, nunc in bonis, nunc in malis nume
retur: vt patri obtemperare, medium officium eſt: & patrem necare, contra offi-
cium: quæ ſi nuda ponantur, nec in bonis ſunt, nec in malis: adiectis autem cir-
cunſtantiis in alterutrius rei naturam tranſeunt. 6 Atque hæc de beata vita
& generibus bonorum. Secunda Zenonis emendatio ad diuiſionem virtutum
adhibetur: Cùm enim Ariſtoteles virtutes ita partiatur, vt aliæ ſint morales & vo *Cap.1. lib.2.*
luntariæ, quarum munus ſit naturales impetus & motus animi iudicio & volun- *& cap.1. lib.*
tate moderari: vnde fortitudo, liberalitas, magnificentia, magnitudo animi, mo- *6.*
deſtia, manſuetudo, veritas, comitas, affabilitas, iuſtitia exiſtunt: aliæ ſint in ra-
tione rerum poſitæ, vt intelligentia, ſcientia, ſapientia, ars, prudentia, Zeno
omnem virtutem in ratione & cognitione poſuit: virumque bonum appellauit
ſapientem, quòd hæc eſſet vna ſapientia non tantùm virtutem noſſe, ſed etiam
vita factiſque præſtare. Virtutes verò ſi quando ſeiungi poſſe veteres Philoſophi
dixerunt (id enim ipſum nec in Platonis Dialogis, nec in Ariſtotelicis Ethicis *Lib.2.*
inuenio) non ex ſuo, ſed ex populari ſenſu eos locutos eſſe arbitror. Atque ita Ci
cero in Officiis loquitur: Ne quis ſit admiratus, cur cùm inter omnes philoſo-
phos conſtet, à meque ipſo ſæpe diſputatum ſit, qui vnam haberent, omnes ha-
bere virtutes: nunc ita ſeiungam, quaſi poſſit quiſquam qui non idem prudens
ſit, iuſtus eſſe: alia eſt illa, cùm veritas ipſa limatur in diſputatione ſubtilitas, alia
ad opinionem communem omnis accommodatur oratio. Quamobrem, vt vul-
gus, ita nos hoc loco loquimur, vt alios fortes, alios viros bonos, alios prudentes
eſſe dicamus: popularibus enim verbis eſt agendum, & vſitatis, cùm loquimur de
opinione populari. Zenoni aūt, ſicut reliquis omnibus penè philoſophis, ita ſunt
copulatæ, connexæque virtutes, vt omnes omnium participes ſint, nec alia ab alia
poſſit ſeparari. Scis, ait Cicero, Zenonis æmulus, ſi quid de Corinthiis tuis amiſe *Tuſcul.2.*
ris, poſſe te habere reliquam ſuppellectilem ſaluam, virtutem autem vnam ſi ami
ſeris (& ſi nō poteſt amitti virtus) ſed ſi confeſſus fueris te non habere, nullam te
habiturum. 7 Quòd autem ad vim virtutis attinet, Ariſtoteles libro primo de
Moribus, beatam vitam in virtute eſſe negat, quod fieri poſſit, vt qui virtute ſit
præditus, dormiat, & nihil agat in vita. Idemque libro decimo, Beatam vitam, in-
quit, habitum eſſe negauimus: quòd dormienti per omne tempus ætatis adeſſe
poſſit, etiamſi plantarum vitam degat. quo loco Ariſtoteles à Stoicis vehementer
vexatur, ab iiſque dormire & ſomniare dicitur: virtus enim otioſa eſſe non po-
teſt: ſed quemadmodum ignis, in ſubiecta ſibi materia, quamdiu eam nactus eſt,
flammas excitat: ſic virtus ipſa, virum bonum, in quo ineſt, ad honeſtas & lauda-

biles actiones ſemper inflammat. 8 Tertia diſſenſio Zenonis ab antiquis philoſophis in perturbationum quæſtione verſatur, ſed omnis eorum controuerſia ex definitionis contentione nata eſt, quòd quid ſit perturbatio, inter eos non conuenit. Peripatetici in perturbationibus, quas Græco nomine πάθη nominant, naturalem volebant eſſe modum, vt ait Cicero, atque etiam vtiliter animis noſtris à natura datas: metum cauendi cauſſa, miſericordiam, ægritudinemque, clementiæ, atque ipſam iracundiam fortitudinis quaſi cotem eſſe dicebant, vt virtus ea nullam propemodum vim habitura ſit: niſi quibuſdam ſtimulis iracundiæ ad res magnas, & laborioſas animus hominis excitetur. Naturaliter autem hominibus quadruplices inſitas eſſe permotiones: duas ex opinatis malis, metum futuris, ægritudinem præſentibus, totidemque ex opinatis bonis libidinem & lætitiam, vt ſit lætitia præſentium bonorum, libido futurorum: quæ quidem genera ad certam mediocritatem reuocari poſſe diſputabant. Nam timere, vt Ariſtoteles ait, & confidere, & concupiſcere, & iraſci, & miſereri, & animo gaudere, & dolere poſſumus, nimium & parum: quorum neutrum rectè fit: at verò quando, quibus de cauſſis, quibusque rebus licet, & quomodo æquum eſt facere hæc omnia, præclarum & optimum & cum virtute iunctum eſt. Zeno ſuperiorem diuiſionem perturbationum concedit Peripateticis: definitionis autem controuerſia torquetur. Perturbationem nullam moderatam contendit eſſe, quin potius omnem auerſam à recta ratione, & contra naturam animi vehementem impetum definit. Modum tu adhibes vitio, ait, an vitium nullum eſt non parere rationi? an ratio parum præcipit, nec bonum illud eſſe, quod aut cupias ardenter, aut adeptus te efferas inſolenter: nec porrò malum, quo aut oppreſſus iaceas, aut ne opprimare mente vix conſtes? eaque omnia aut nimis triſtia, aut nimis læta errore fieri? qui igitur modum vitio quærit, ſimiliter facit, vt ſi poſſe putet eum, qui ſe è leucade præcipitarit, ſuſtinere ſecum velit: vt enim id non poteſt, ſic animus perturbatus & incitatus nec cohibere ſe poteſt, nec quo loco vult, inſiſtere. Quamobrem nihil intereſt vtrum moderatas perturbationes approbent, an moderatam iniuſtitiam, moderatam ignauiam, moderatam intemperantiam: qui enim vitiis modum apponit, is partem ſuſcipit vitiorum. Sed hæc altercatio Zenonis nominis magis eſt, quàm rei. Peripatetici enim quemuis appetitum & motum nomine perturbationis volunt intelligi, ſiue rationi obtemperet, ſiue repugnet: Stoici verò duntaxat turbulentos affectus, & rationi inimicos perturbationes vocant.

In Lucullo.

Cap.6.lib.2. de Morib.

Tuſcul.4.

9 Cumque ſuperiores illi, vt Plato & Ariſtoteles duas in partes animum diuiderent, vnam participem rationis, quæ quid faciendum, fugiendúmve ſit, præſcribit. Alteram rationis expertem, in qua ſunt naturales appetitus, quos antè diximus, Zeno nullam perturbationem voluit eſſe naturalem, ſed voluntariam, & iudicio ſuſceptam. In quo, ſicut antea, captionis tantùm nomine diſſentit: neque enim Peripatetici ita naturales eſſe dicunt, vt à voluntate non proficiſcantur. Triplicem igitur in moribus correctionem à Zenone factam videmus, vnam de beata vita, & generibus bonorum: alteram de diuiſione & natura virtutum: tertiam de perturbationibus: in quibus tamen nõ magna cauſſa fuiſſe videtur, quamobrem à ſuperiore authoritate diſcederet, præſertim cùm ab illis non tam rerum, quàm verborum nouitate diſſentiat.

[1] *De naturis autem ſic ſentiebat, Primùm, vt in quatuor initijs rerum illis quintam hanc naturam, ex qua ſuperiores ſenſus & mentem effici rebantur, non adhiberet: ſtatuebat enim ignem eſſe ipſam naturam, quæ quidq; gigneret, & mentem atq; ſenſus.* [2] *Diſcrepabat etiam ab iiſdem,*

quòd nullo modo arbitrabatur quicquam effici poſſe ab ea, quæ expers eſſet corporis. Cuius generis Xenocrates, & ſuperiores etiam animum eſſe dixerunt: nec verò aut quod efficeret aliquid, aut quod efficeretur, poſſe eſſe non corpus.

1 Quid Zeno in explicatione morum ab Academicis tradita non probarit, ſatis conſtat. Sequuntur eiuſdem reprehenſiones duæ de rebus phyſicis: prima de partitione elementorum: ſecunda de Deo cauſſa principe rerũ omnium. Cùm enim Ariſtoteles elementa ſiue ſimplices naturas in quinque genera diſtinxiſſet, ignẽ, aërem, aquam, terram, & cœlum, Zeno cœlum quidem nõ ſuſtulit, ſed ſtatuit eſſe ignem: & eam naturam ita definit, vt dicat ignem eſſe artificioſum ad gignẽdum progredientem via. Cenſet enim artis maximè proprium eſſe creare & gignere: quodque in operibus artium noſtrarum manus efficiat, id multò artificioſius naturam efficere: id eſt, vt dixi, ignem artificioſum magiſtrum artium reliquarum. *Cic. lib. 2. de Nat. deor.*

2 Diſcrepabat etiam à ſuperioribus, q illi principem rerum omnium cauſſam ſimplicem, & corporis expertẽ ponant: hic autẽ mundum Deum appellat, eumq; animatum & ratione præditum definit: quemadmodum indicat diſputatio Ciceronis de Natura deorum. Zenonis ratiocinatio ad hunc modum concluditur:

Nihil quod aliquid efficit eſt expers corporis:
Deus autem quidque efficit:
Non eſt igitur Deus expers corporis.

[1] *Plurima autẽ in illa tertia philoſophiæ parte mutauit. In qua primũ de ſenſibus ipſis quædam dixit noua: quos iunctos eſſe cenſuit è quadam quaſi impulſione oblata extrinſecùs: quã ille φαντασίαν, nos viſum appellemus licet, & teneamus hoc verbum quidem: erit enim vtendum in reliquo ſermone ſæpius.* [2] *Sed ad hæc, quæ viſa ſunt, & quaſi accepta ſenſibus, aſſenſionem adiungit animorum, quam eſſe vult in nobis poſitam & voluntariam. Viſis non omnibus adiungebat fidem, ſed his ſolùm, quæ propriam quandam haberent declarationem earum rerum, quæ viderentur. Id autem viſum, quum ipſum cerneretur, comprehenſibile. Feretis hæc? Nos verò, inquam, Quónam enim modo καταληπτὸν diceres? ſed quum acceptum iam, & approbatum eſſet, comprehenſionem appellabat.* [3] *Similem ijs rebus quæ manu prenderentur, ex quo etiam nomen hoc duxerat. At quum eo verbo antè nemo tali in re vſus eſſet, plurimíſque*

idem nouis verbis (noua enim dicebat) vſus eſt. [4] *Quod autem erat ſenſu comprehenſum, idipſum ſenſum appellabat: &, ſi ita erat comprehenſum, vt conuelli ratione non poſſet, ſcientiam: ſin aliter, inſcientiam nominabat, ex qua exiſteret etiam opinio, quæ eſſet imbecilla, & cum falſo incognitóque communis. Sed inter ſcientiam & inſcientiam, comprehenſionem illam, quam dixi, collocabat, eámque neque in rectis, neque in prauis numerabat, ſed ſoli credendum eſſe dicebat.* [5] *E quo ſenſibus etiam fidem tribuebat; quòd (vt ſuprà dixi) comprehenſio facta ſenſibus, & vera eſſe illi, & fidelis videbatur. non quòd omnia, quæ eſſent in re comprehenderet: ſed quia nihil quod cadere in eam poſſet, relinqueret, quodq́ natura, quaſi normam ſcientiæ & principium ſui dediſſet, vnde poſtea notiones rerum in animis imprimerentur, è quibus non principia ſolùm, ſed latiores quædam ad rationem inueniendam viæ reperiuntur.* [6] *Errorem autem, & temeritatem, & ignorantiam, & opinationem, & ſuſpicionem, & vno nomine omnia quæ eſſent aliena firmæ & conſtantis aſſenſionis, à virtute, ſapientiáq; remouebat. Atq; in iis ferè commutatio conſiſtit omnis, diſſenſioq́; Zenonis à ſuperioribus.*

1 De duabus dialecticæ artis partibus, Zeno priorem inuentionem reliquit: in altera autem parte, quæ tradit iudicandi leges, cùm ſe diligentius exerceret, multa de ſenſibus & ſcientia, vocabulis magis quàm rebus innouauit: quam explicationem ad ſyllogiſmos apodicticos & dialecticos, ſicut illi veteres, pertinere exiſtimauit. Senſus autem iunctos dicit, quòd omnium rerum, quę ſenſibus percipiuntur, aliquod ſit commune, velut domicilium, non in hominibus ſolùm, ſed etiam in beſtiis: in quo ſpecies comprehenſæ manent, & reconduntur, & imprimuntur. quæ impreſſio, φαντασία dicitur, à verbo φαίνομαι, id eſt, videor: Latinè viſum dicitur, per Antonomaſiam, quòd acerrimus & præſtantiſſimus omnium ſenſuum ſit viſus, qui maximè notas & illuſtres rerum imagines in ſenſu communi impreſſas relinquit. Viſum autem Zeno apud Ciceronem definiuit, impreſſum, effectumq́ue ex eo vnde eſſet, quale eſſe non poſſet, ex eo vnde nõ eſſet: quæ definitio viſis veris tantùm conuenit, cuiuſmodi ſunt ea quæ cadunt in ſapientem. Fabius libro octauo viſionẽ interpretatur, Quas φαντασίας, inquit, Græci vocant, nos ſanè viſiones appellemus, per quas imagines rerum, non præſentium,

In Lucullo.

tium ita repræſentantur animo, vt eas cernere oculis, ac præſentes habere videamur. 2 Viſorum duo ſunt genera: vnum falſorum, quibus minimè fides adiungitur: qualia ſunt phantaſinata plæraque ſomniorum, cùm dormientibus nobis, falſæ rerum ſpecies obiciuntur, de quibus Tibullus,

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pauidas mentes falſa timere iubent.

qualia ſunt etiam furioſorum, vel ebriorum cogitata: quæ plerunque falſis imaginibus eluduntur. Vnde illud Alcmeonis,

Sed mihi cor neutiquam conſentit cum oculorum aſpectu.

Alterum genus eſt verorum viſorum, quæ merentur aſſenſionem & approbationem, fiuntque καταληπτὰ, id eſt, comprehenſibilia: quorum cognitio, adiuncta aſſenſione, κατάληψιν gignit, id eſt, comprehenſionem: vnde poſtea exiſtit ſcientia & notio ita mente comprehenſa, vt conuelli ratione nõ poſſit. 3 Quæ omnia Zeno geſtu & manibus exprimebat: nam cùm extenſam aduerſam manum oſtenderat, viſum, inquiebat huiuſmodi eſt: deinde cùm paulùm digitos extrinxerat, aſſenſus huiuſmodi: tum cùm planè compreſſerat, pugnumque fecerat, comprehenſionẽ illã eſſe dicebat: qua ex ſimilitudine etiam nomen ei rei, quod antè non fuerat, κατάληψιν impoſuit: cùm autem læuam manum admouerat, & illum pugnum arctè vehementerque compreſſerat, ſcientiam talem eſſe dicebat. 4 Primi igitur conceptus, qui à ſenſibus imprimuntur, ſenſa & ſenſus *Lib.8.cap.5.* dici ſolent: nec ita rarò homines loquuti ſunt, vt ait Fabius, vt ſenſa ſua dicerent: nam ſenſus corporis videbantur. Sed conſuetudo iam tenuit, vt mente cõcepta, ſenſus vocaremus: ab illis autem ſenſis venit κατάληψις, & ſcientia, & inſcientia: quæ ſic à Stoicis diſtinguntur, vt prima ſit in rebus mediis, ſecunda in bonis, tertia in malis: κατάληψιν enim eſſe dicunt, ex obiectis primis viſis inchoatam perceptionem, quæ per ſe, nec ſcientia nec inſcientia ſit: ſed aliquo addito, harum altera fiat: vt ſi κατάληψις ſit, animal ſenſibus oblatum comprehendere, ſcientia erit certa & indubitata veritate comprehendere: itemque inſcientia, inconſtanti & imbecilla ratione percipere: itaque κατάληψις prima informatio rerum à ſenſibus facta dicitur: quæ ſi conſtantia rationis & veritate confirmata fuerit, ſcientiam: ſi minus, inſcientiam efficiet: ſcientiam enim comprehenſionem certam & æternam Stoici eſſe cenſent: quæ ex rebus penitus perſpectis, & nunquam fallentibus, & ad aliquem exitum ſpectantibus conſtat; inſcientiam leuem & infirmam, & cum falſo incognitoque ſæpe communem.

5 Cumque duæ res (vt antè dictum eſt) κατάληψιν efficiant, ſenſus & primus aſſenſus, Zeno ſenſibus etiam fidem tribuebat: à quibus illa κατάληψις fieret, duabus de cauſſis: vna, quòd in ſenſibus veritas inſit, ſi ſani ſint & incolumes, & omnia remoueantur, quæ obſtant & impediunt: tum enim quicquid ſenſibus oblatum fuerit, fideliter percipietur: altera, quòd à ſenſibus omnes artes & diſciplinæ natæ ſint: natura enim (vt Lucullus apud Ciceronem diſputat) ſummo artificio ſenſus fabricata eſt: in quibus ea eſt vis, vt prima nos viſa pellant: deinde appetitio ſequatur: tum ſenſus ad res percipiendas intendamus. Mens enim ipſa, quæ ſenſuum fons eſt, atque etiam ipſa ſenſus eſt, naturalem vim habet, quam intendit ad ea, quibus mouetur: itaque alia viſa ſic arripit, vt his ſtatim vtatur: aliqua ſic recondit, è quibus memoria oritur. Cætera autem ſimilitudinibus conſtant, ex quibus efficiuntur notitiæ rerum, quas Græci tum ἐννοίας, tum προλήψεις vocant: eò cùm acceſſit ratio, argumentique concluſio, rerúmque innumerabilium multitudo: tum & perceptio eorum omnium apparet, & eadem ratio perfecta his gradibus ad ſapientiam peruenit: vnde conſtat princi-

pium ſcientiæ eſſe in ſenſibus: è quibus non principia ſolùm, id eſt, primæ & ſingulares rerum notiones, ſed latiores quædam viæ, id eſt, generales notitiæ ad inueniendam doctrinam reperiuntur. Atq; hæc de ſcientia, quæ ſapientis propria & germana eſt. 6 Inſcientiæ ſpecies quædam deinceps commemorantur, vt

Pro Ligar. error lapſus animi, quo res incognita pro cognita habetur: vnde illud Ciceronis,

Pro Marc. Errauit, lapſus eſt, temerè fecit, non putauit: ſi vnquam poſthac. Temeritas, eſt præceps & inconſideratus aſſenſus, vt nunquam temeritas cum ſapientia permiſcetur: Ignorantia, vitium eſt ingenij, cùm quis non ſatis quid agat, aut dicat in-

Tuſcul. 4. telligit: Opinatio, ſiue opinio, imbecilla aſſenſio definitur, cui Cicero omnes perturbationes ſubiectas eſſe arbitratur: Suſpicio eſt, cum aliquo metu dubia cogitatio. Hæc, & ſimilia, quæ ſunt aliena firmæ & conſtantis aſſenſionis vno inſcientiæ nomine comprehenduntur: quæ Zeno à virtute ſapientiaque remouebat: atque ita diſputabat, ſapientem nihil opinari, nulli rei temerè aſſentiri, nihil ignorare, nunquam errare, nunquam ſententiam mutare, nihilque eſſe ab ea cogitatione, quæ de grauitate ſapientis fingitur, errore, leuitate, temeritate diſiunctius.

" Hactenus Varro tripertitam veteris Academiæ philoſophiam, moralem, phyſicam, dialecticam breuiter expoſuit: correctionem etiam eius diſciplinæ duplicem docuit. Primam ab Ariſtotele, Theophraſto, Stratone, Peripateticis inſtitutam: ſecundam à Zenone Stoicorum principe, per omnes philoſophiæ gradus repetitam, & copioſius amplificatam.

[1] *Quæ quum dixiſſet: Breuiter ſanè, minimeq́; obſcurè expoſita eſt, inquam, à te Varro, & veteris Academiæ ratio, & Stoicorum: verum eſſe autem arbitror, vt Antiocho noſtro familiari placebat, correctionem veteris Academiæ potius, quàm aliquam nouam diſciplinã putandam. Tunc Varro, Tuæ ſunt nunc partes, inquit, qui ab antiquorum ratione nunc deſciſcis, & ea, quæ ab Arceſila nouata ſunt, probas, docere, quod, & qua de cauſſa diſsidium factum ſit: vt videamus ſatíſne iſta ſit iuſta defectio. Tum ego,* [2] *Cum Zenone, inquam, vt accepimus, Arceſilas ſibi omne certamen inſtituit, non pertinacia, aut ſtudio vincendi (vt mihi quidem videtur) ſed earũ rerum obſcuritate,* [3] *quæ ad confeſsionem ignorationis adduxerant Socratem, & veluti amantes Socratem, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omnes penè veteres: qui nihil cognoſci, nihil percipi, nihil ſciri poſſe dixerunt,* [4] *anguſtos ſenſus, imbecillos animos, breuia curricula vitæ, & (vt Democritus) in profundo veritatem eſſe demerſam, opinionibus & inſtitutis omnia teneri,*

neri, nihil veritati relinqui: deinceps omnia tenebris circũ fuſa eſſe dixerunt. Itaque Arceſilas negabat eſſe quicquam quod ſciri poſſet, ne illud quidem ipſum, quod Socrates ſibi reliquiſſet. Sic omnia latere cenſebat in occulto, neque eſſe quicquam, quod cerni, aut intelligi poſſit. [5] *Quibus de cauſſis nihil oportere, neque profiteri, neq; affirmare quenquam, neque aſſertione approbare, cohibereq; ſemper, & ab omni lapſu continere temeritatem: quæ tum eſſet inſignis, quum aut falſa, aut incognita res approbaretur: neque hoc quicquam eſſe turpius, quàm cognitioni & perceptioni, aſſertionem, approbationémque præcurrere.* [6] *Huic rationi quod erat conſentaneum faciebat, vt contra omnium ſententias dies iam pleroſque deduceret, vt quum in eadem re paria contrarijs in partibus momenta rationum inuenirentur, facilius ab vtraque parte aſſertio ſuſtineretur.* [7] *Hanc Academiam nouam appellabant, quæ mihi vetus videtur: ſiquidem Platonem ex illa vetere numeramus, cuius in libris nihil affirmatur, & in vtramque partem multa diſſeruntur, de omnibus quæritur, nihil certi dicitur. Sed tamen illa, quam expoſui, vetus, hæc noua nominetur, quæ vſque ad Carneadem perducta, qui quartus ab Arceſila fuit, in eadem Arceſilæ ratione permanſit. Carneades autem nullius philoſophiæ partis ignarus, &, vt cognoui ex ijs, qui illum audierant, maximeq; ex Epicureo Zenone: qui quum ab eo plurimùm diſſentiret, vnum tamen præter cæteros mirabatur, incredibili quadam fuit facultate.*

1 Varro partes Antiochianas habuit, & quæ erant ab Antiocho de vetere Academia collecta, docuit: deinceps Ciceroni Philonis partes dat: Scripſerat enim Philo (vt antè dixi) duos libros pro nouis Academicis: quibus docebat quomodo, & qua de cauſſa ab antiquis deſciuerint: ex quibus libris Cicero capita huius diſputationis deſcripſiſſe potuit, quæ ſtatim ab initio abrumpitur poſt primam Academię nouę informationem: in Lucullo autẽ adhuc integra Ciceronis

u.

oratio ſupereſt, in qua nouam Academiam ſingulari patrocinio tuetur, & ad ea, quæ contra illam à Lucullo dicta erant, ipſe reſpondet: vnde huius libri (ſicut reliquorum trium) iacturam ſarcire aliqua ex parte poſſumus. 2 Arceſilas Pritaneus ex Aeolide, cum ingenij acumine, tum admirabili quodam lepore dicendi floruit, primusque (authore Laërtio) Academiam nouam induxit, vel potius antiquam Socratis conſuetudinem nihil temerè affirmandi, aut decernendi reuocauit, & cum Zenone non obtrectandi cauſſa pugnauiſſe, ſed verum inuenire voluiſſe ſic intelligitur. Nemo, inquam, ſuperiorum non modò expreſſerat, ſed ne dixerat quidem, poſſe hominem nihil opinari: nec ſolùm poſſe, ſed ita neceſſe eſſe ſapienti: viſa eſt Arceſilæ cùm vera ſententia, tum honeſta, & digna

Cicero in Lucullo. ſapiente. Quæſiuit de Zenone fortaſſe quid futurum eſſet, ſi nec percipere poſſet quicquam ſapiens, nec opinari ſapientis eſſet. Ille, credo, nihil opinaturum, quoniam eſſet quod percipi poſſet: quid ergo id eſſet? viſum credo. Quale viſum? tum illum ita definiuiſſe, ex eo, quod eſſet, ſicut eſſet impreſſum, & ſignatum, & effectum. Poſt requiſitum, etiam ne ſi eiuſmodi eſſet viſum verum, quale falſum? Hic Zenonem vidiſſe acutè, nullum eſſe viſum quod percipi poſſet, ſi id tale eſſet ab eo quod eſt, vt eiuſmodi ab eo quod non eſt, poſſet eſſe. Rectè conſenſit Arceſilas ad definitionem additum, neque enim falſum percipi poſſe, neque verum, ſi eſſet tale quale, vel falſum. Incubuit autem in has diſputationes, vt doceret nullum tale eſſe viſum à vero, vt non eiuſmodi etiam à falſo poſſit. Hæc autem eſt vna contentio, quæ adhuc permanſerit. Arceſilas igitur Zenoni & aliis philoſophis, qui aliquid ſciri poſſe dicebant, ſeſe oppoſuit, non pertinacia. nam pertinaciter in philoſophia diſputare ineptum, aut ſtudio vincendi (decet enim philoſophum veritatis magis cupidum eſſe, quàm gloriæ) ſed obſcuritate earum rerum, quæ ad confeſſionem ignorationis adduxerant veteres, in quorum authoritate delituit. 3 Ex Socratis enim ſermonibus, qui à Platone perſcripti ſunt,

In Lucullo. dubitari non poteſt, quin ei viſum ſit, nihil percipi. Empedocles autem, ait Cicero, cùm aliquo loco hæret, exclamat, vt furere videatur, Abſtruſa eſſe omnia, nihil nos ſentire, nihil nos cernere, nihil nos quale ſit, poſſe reperire. Democritus naturam accuſabat, quæ in profundo veritatem abſtruſerit: neque tamen à ſtudio inquirendi deterritus eſt, ſed cupiditate ſcientiæ terras vltimas peragrauit, & ſeipſum excæcauit, quod aciem animi impediri oculorum aſpectu arbitrabatur. ſimiliter Anaxagoras, Empedocles, omnes penè veteres ignorantiæ ſuæ conſcij nihil percipi poſſe profitebantur. 4 Triaque maxima impedimenta percipiendæ ſcientiæ iudicabant, anguſtos ſenſus, qui exiguis foraminibus ad animum permeant: imbecillos animos, quorum vis & acies in corpore retunditur: breuitatem vitæ; nam ſi natura diuturniorem vitam hominibus largiretur, futurum aliquando eſſet, vt ad ſapientiam peruenirent. His de cauſſis quicquam ſciri, id eſt, certa & indubitata, & nunquam veritate fallente comprehendi negabant: quod quidem in antiqua philoſophia veriſſimè dictum fuit, in qua contentionum varietas, & altercationum multitudo declarat philoſophorum libris non ſcientiæ cuiuſquam doctrinam tradi, ſed opinionum duntaxat artes varias & multiplices deſcribi: prudenterq; Arceſilam, cùm philoſophiam commetitiarum opinionum refertam videret, nec in ea quicquam certa veritate patefactum, ſeipſum ab arroganti, & ſtulta ſcientiæ affirmatione cohibuiſſe, idque etiam vnum ſibi ipſi detraxiſſe, quod Socrates ſibi reliquiſſet. exceperat enim Socrates vnum tantum ſe ſcire, ſe nihil ſcire, nihil amplius. 5 Arceſilas autem non is fuit, qui aut ſcientiam contemneret, aut aſſenſum omnem de medio tolleret, ſed qui nulli rei temerè aſſentiri, nihilque ſe ſcire profiteri, maximam vim ſapientis eſſe iudicaret: ita eſſe finitima falſa veris, vt in præcipitem locum non debeat ſe ſapiens committere, ne præcipitet, ſi temerè proceſſerit. Inter hunc autem & alios philoſophos qui certas ſcientiæ ſcholas inſtituerant, hoc maximè interfuit, quòd hi non dubitabant, quin veriſſima & certiſſima eſſent, quæ ipſi docerent ac profiterentur:

Arceſilas

Arceſilas cùm nihil in philoſophia, atque omnino in vita humana certum videret, quæ magis probabilia in quaque re viderentur exquirenda eſſe, & ſequenda commonebat: quæ quamuis certa veritate non perciperentur, tamen quia notam aliquam haberent illuſtrem, his ſapientis vita regeretur. 6 Huic inſtituto quod erat conſentaneum, faciebat, vt veri reperiendi cauſſa contra omnes philoſophos, & pro omnibus diſputaret. Inſtituit enim, vt hi qui ſe audire vellent, non de ſe quærerent, ſed ipſi dicerent, quid ſentirent: quod cùm dixiſſent, ille contrà: ſed qui audiebant, defendebant quoad poterant ſuam ſententiam: apud cæteros autem philoſophos, qui quæſiuit aliquid, tacet. Quod philoſophandi diſſerendique genus modeſtiſſimum, & ſapiente digniſſimum eſt, vt ab inquiſitione & iudicio veritatis temeritas abſit. quid enim temeritate turpius? aut quid tam temerarium, tamque indignum grauitate ſapientis, quàm aut falſum ſentire, aut quod nõ ſatis exploratè perceptum ſit, ſine vlla dubitatione defendere? 7 Hactenus ex adiunctis & effectis philoſophorum Academiæ nouæ circunſcriptio quædam facta eſt. de nomine ipſo quæſtio oritur, vetúſne an noua ſit appellanda. Hæc enim ratio philoſophandi à Platone principe Academicorum profecta eſt, qui in ſuis libris ſub perſona Socratis nihil affirmat, & in vtramque partem multa diſſerit, de omnibus penè rebus dubitat, nihil certi dicit, quod probabile eſt ſequitur: ſed tamen docendi gratia, illam Platonicam veterem, hanc verò Arceſileam, quæ ad Carneadem vſque producta eſt, nouam licet appellemus: Carneades quartus fuit ab Arceſila, audiuit enim Egeſinum, qui Euandrum audierat, Lacydis diſcipulum, cùm Arceſilæ Lacydes fuiſſet, atque in eadem ratione diſſerendi permanſit: ſeque ex animis noſtris aſſenſiones extraxiſſe gloriatus eſt. verùm Stoicorum & Chryſippi libris perlectis, minus vehementer eis reluctari cœpit, & in aſſenſionis retentione, quam vocant ἐποχὴν, minus conſtitit ſibi, quàm ipſe Arceſilas, vt ex Laërtio & Lucullo perſpici poteſt: quantum autem ingenio & eloquentia valuerit, teſtis fuit Zeno eius auditor, ſed tamen Epicureus, & voluptatis patronus, cuius ſententiam Cicero in Tuſculanis expoſuit: Teſtis Antonius apud Ciceronem, cùm ait, Carneadis vis illa incredibilis dicendi & varietas perquàm eſſet optanda nobis, qui nullam vnquam in illis ſuis diſputationibus rem defendit, quam non probarit: nullam oppugnauit, quã non euerterit.

Cic lib. 2. de Finib.

Cic. in Lucullo.

Lib. 2. de Oratore.

HIC abrumpitur, Cardinalis ampliſſime, Academicæ quæſtionis explicatio, & de quatuor Academicis libris hoc duntaxat fragmentum reſtat: totius autem operis pars multò maxima communibus incommodis temporum nobis erepta eſt. nihil enim eſt in rebus humanis tam firmum, quod non violare ſoleat longæ & diuturnæ vetuſtatis iniuria: ſed cùm viderem quantum damnum artes ingenuæ, & in primis philoſophia horum librorum interitu accepiſſet, idem argumentum ex varijs Ciceronis locis collectum philoſophiæ ſtudioſis ſuperiore libello explicandum eſſe duxi, vt amatores Academiæ, id eſt, veræ ſapientiæ ſententiam Ciceronis de optimo philoſophandi genere ex eiuſdem authoris teſtimonijs confirmatam facilius perſpicerent: quibus tamen legendis non tam philoſophorum veterum ſcholas, vt opinor, admirabere, quàm ſingularis tuæ ſapientiæ, quæ maximis in rebus ſumma cernitur, exempla tecum recognoſces, præſertim cùm recordaberis te in ea principis aula ſumma cum authoritate verſari, in qua Socraticam & Academicam prudentiam non tam præceptis quàm conſilijs & factis exerceas.

h

AVDOMARI TALAEI IN LVCVLLVM CICERONIS COMMENTARII,

AD

CAROLVM LOTHARINgum Cardinalem Cuiſianum.

SVperioribus proximis annis tibi Commentarios noſtros de Academica quæſtione dedicaui, vbi & Academicorum philoſophorum originem, & progreſsionem, & totam diſtinctionem perſecutus ſum: & quod de quatuor Academicis Ciceronis ad Varronem ſupererat, expoſui: poſtea de duobus primis eiuſdem argumenti libris Lucullum, qui ſolus reſtat, eodem genere commentationis explicaui: nec vt Grammaticus interpres ſententias & hiſtorias tantum declaraui, ſed multò magis, vt dialecticus iudex, qualis eſſet tota diſputatio, perpendi & æſtimaui, genera argumentorum notaui, ſyllogiſmorum & concluſionum modos diſtinxi, methodi totius ordinem demonſtraui, & ad earum virtutum imitationem, dum hæ res à nobis prælegerentur, diſcipulos meos interim ſtudioſè inſtitui, dialecticam denique totam & inuentionem & diſpoſitionem ex his artibus, quas Petrus Ramus ſuo maximo labore, ſed tua maiore liberalitate in lucem & vſum protulit, omni ſtudio diligentiaq; exercui, non ſolùm vt conſilium Ciceronis & iudicium & methodum legentibus aperirem, ſed vt his explicationum mearum exemplis, fratris mei, vel potius omnium artium & literarum cauſſam adiuuarem, & pertinacibus Ariſtoteleis oſtenderem, dialecticam præſtantiorem eſſe, quàm ex Ariſtotelis libris cognoſcerent, & longè præſtantiore & admirabiliore vſu, quàm in ſcholaſticis clamoribus & ſophiſmatis tractarent. Facilius enim

In caput alta ſuum labentur ab æquore retro
Flumina, conuerſis Solque recurret equis.

quàm Ariſtotelici organi in P. ædicabilibus, Prædicamentis, Interpretationibus, Analyticis, Topicis, Elenchis confuſi talem formam & ſpeciem, qualis in dialecticis Petri Rami Inſtitutionibus traditur, intueri, & talem tamque perſpicuam lucem ex illis ſuis tenebris ad interpretandos & imitandos authores adferre queant. Summa verò diſputationis vniuerſæ duas in orationes diuiſa eſt. Nam cùm Academici

ſicut

(ſicut ſuperiore Commentario planius dictum eſt) affirmarent nihil ſciri & percipi poſſe: neq; ideò quicquam probandum, aut vlli rei aſſentiendum eſſe, in priore Lucullus eleuata Academicorum authoritate, qui ſe magnis & antiquis philoſophis ſimiles eſſe profitebantur, contra nouam Academiam primùm diſputat eſſe aliquam κατάληψιν, id eſt, perceptionem & cognitionem rerum, & aliquam συγκατάθεσιν, id eſt, approbationem: deinde contrarias nouorum Academicorum rationes refellit. Eſſe igitur aliquam κατάληψιν probat notionibus ſenſus & animi, quòd ſenſus innumerabiles res percipiat, & animo comprehenſa philoſophia vt moralis, dialectica, phyſica, ſatis magno argumento ſit aliquid ſciri & percipi poſſe: συγκατάθεσιν verò, id eſt, approbationem & aſſenſionem breuiter diſputat iiſdem repetitis argumentis. Cùm autem Academicorum ſentẽtia hoc ſyllogiſmo potiſsimùm concluderetur:

Viſa, inter quæ nihil intereſt, percipi non poſſunt:
Omne viſum eſt eiuſmodi:
Nullum igitur viſum percipi poteſt.

Eiuſque ſyllogiſmi aſſumptio probaretur viſis ebriorum, ſomniantium, furioſorum, & ſimilitudinibus geminorum & ſigillorum, contra hæc omnia Lucullus primùm generaliter docet, quòd Academici definiant viſa, quòd partiantur, quòd ſyllogiſmo concludant, quòd quædam ſit in rebus perſpicuitas, eos ideò aliquid percipere: deinde ſpeciatim ſingulis eorum argumentis reſpondet: atque ita prima pars eius libri Luculli oratione concluditur. Altera pars in Ciceronis Academiam nouam defendentis oratione ſequitur: atque imprimis multis authoribus antiquis, Democrito, Anaxagora, Empedocle, Socrate, Platone Academicorum nouorum ἀκαταληψία, quaſi diceres incomprehenſibilitas, defenditur: deinde ſenſus & animi variis exemplis approbatur, quòd multis in rebus fallantur oculi, vt nauigiorum motu: quòd geminorum & ſignorum ſimilitudines nos perturbent: quòd ebrij, ſomniantes & furioſi decipiantur: quòd à Stoicis dialectica ſophiſmata inexplicabilia tradantur: quòd à Lucullo multa falſa pro veris dicta ſint. Tum demùm in omnibus philoſophię partibus, phyſica, morali, dialectica, ex controuerſis philoſophorum opinionibus nihil certi & comprehenſi eſſe demonſtrat. Atque hoc pacto Ciceronis oratio contra Luculli orationem argumentatur, & tota contentio Academicæ quæſtionis abſoluitur: quam tibi non idcircò ſolùm, quia prima pars argumenti huius eſſet antè dedicata, nuncupaui, ſed multò magis, quòd te vnum ex omnibus mortalibus, qui nunc ſunt, verè philoſophiæ patrem poſsim confirmare. Quid enim, vt cuncta tuæ virtutis huius argumenta prætermittam, Rhemenſes muſæ tua ſempiterna gloria fundatæ aliud prædicant? Quod vt in perpetuum florentes & beatæ faciant, pro maximis tuis

& ſingularibus in omne genus hominum meritis, Deum Optimum
obteſtor & obſecro. Vale. Datum Lutetiæ, Nonis April. E Gym-
naſio Prælleorum. 1550.

M. Tullij Ciceronis ACADEMICARVM Quæſtionum editionis primæ liber Secundus, qui inſcribitur Lucullus.

[1] *MAgnum ingenium L. Luculli magnumq́;
optimarum artium ſtudium tum omnis
[2] liberalis & digna homine nobili ab eo
percepta doctrina, quibus temporibus flo-
rere in foro maximè potuit, caruit omnino
rebus vrbanis. [3] Ut enim admodum adoleſcens cum fratre
pari pietate & induſtria prædito paternas inimicitias ma-
gna cum gloria eſt perſecutus: in Aſiam [4] Quæſtor profe-
ctus, ibi permultos annos admirabili quadam laude, pro-
uinciæ præfuit: [5] deinde abſens factus Aedilis, continuò
Prætor (licebat enim celerius legis præmio) pòſt in Afri-
cam, inde ad Conſulatum: quem ita geſſit, vt diligentiam
admirarentur omnes, ingenium agnoſcerent. [6] Pòſt ad Mi
thridaticum bellum miſſus à Senatu, non modò opinionem
vicit omnium, quæ de virtute eius erat, ſed etiam gloriam ſu
periorum. [7] idq́; eo fuit mirabilius, quòd ab eo laus impera-
toria non admodum expectabatur, qui adoleſcentiam in fo
renſi opera, Quæſturæ diuturnum tempus, Murena bel-
lum in Ponto gerente, in Aſiæ pace conſumpſerat: ſed incre
dibilis quædam ingenij magnitudo non deſiderauit indoci-
lem*

lem vſus diſciplinam. [8] Itaq; cùm totum iter & nauigationem conſumpſiſſet, partim in percontando à peritis, partim rebus geſtis legẽdis, in Aſiam factus imperator venit, [9] cùm eſſet Romæ profectus rei militaris rudis. [10] Habuit enim diuinam quandam memoriam rerum, verborum maiorem Hortenſius. [11] Sed quò plus in negotijs gerendis res quàm verba proſunt, hoc erat memoria illa præſtantior, quàm fuiſſe in Themiſtocle, quem facilè Græciæ principem ponimus, ſingularem ferunt. Qui quidem etiam pollicenti cuidam ſe artem ei memoriæ, quæ tum primùm proferebatur, traditurum, reſpondiſſe dicitur, obliuiſci ſe malle, quàm diſcere. credo, quòd hærebant in memoria quæcunq; audierat, & viderat. Tali ingenio præditus Lucullus, adiunxerat etiam illam, quam Themiſtocles ſpreuerat, diſciplinam. [12] Itaq; vt literis conſignamus, quæ monumentis mandare volumus: ſic ille in animo res inſculptas habebat. [13] Tantus ergo imperator in omni genere belli fuit, prælijs, oppugnationibus, naualibus pugnis, totiuſq; belli inſtrumentis & apparatu, vt ille Rex poſt Alexandrum maximus, hunc à ſe maiorem ducem cognitum, quàm quenquam eorum quos legiſſet, fateretur. [14] In eodem tanta prudentia fuit in conſtituendis temperandiſq; ciuitatibus, tanta æquitas, vt hodie ſtet Aſia Luculli inſtitutis ſeruandis, & quaſi veſtigijs perſequendis. [15] Sed etſi magna cum vtilitate Reipubl. tamen diutius quàm vellem, tanta vis virtutis, atq; ingenij peregrinata abfuit ab oculis, & fori, & curiæ. [16] Quinetiam cùm victor à Mithridatico bello reuertiſſet, inimicorum calumnia triennio tardius quàm debuerat, triumphauit. [17] Nos enim Conſules penè introduximus in vrbem currum clariſſimi viri: cuius mihi conſilium & authoritas quid tum in

maximis rebus profuiſſet, dicerem, niſi de meipſo dicendum eſſet: quod hoc tempore nō eſt neceſſe. Itaq; priuabo potius illum debito teſtimonio, quàm id cum mea laude communicem. [18] *Sed quæ populari gloria decorari in Lucullo debuerunt, ea fere ſunt &* [19] *Græcis literis celebrata & Latinis. Nos autem illa exteriora cum multis, hæc interiora cū paucis ex ipſo ſæpe cognouimus.* [20] *Maiore enim ſtudio Lucullus, cùm omni literarū generi, tum philoſophiæ deditus fuit, quàm qui illum ignorabant, arbitrabantur: nec verò ineunte ætate ſolùm, ſed & Quæſtor aliquot annos, & in ipſo bello, in quo ita magna rei militaris eſſe occupatio ſolet, vt non multum imperatori ſub ipſis* [21] *pellibus otij relinquatur.* [22] *Cùm autē è philoſophis ingenio, ſcientiaq; putaretur Antiochus Philonis auditor excellere, eum ſecum & Quæſtor habuit, & poſt aliquot annos imperator: cumq; eſſet ea memoria, quam antè dixi, ea ſæpe audiendo facile cognouit, quæ vel ſemel audita meminiſſe potuiſſet: delectabatur autem mirificè lectione librorum, de quibus audiebat.*

1 Hoc exordium operi iam perfecto additum eſt, vt ait Cic. lib. 13. Epiſt. ad Att. Torquatus Romæ eſt: iuſſi, vt tibi daret Catulum & Lucullum. vt opinor antea. his libris noua proœmia ſunt addita, quibus vterque laudaretur. Huius proœmii duæ ſunt partes, vna in laude Luculli, altera in defenſione huius libri aduerſus quorundam calumnias. Prima propoſitio eſt, Lucullus ab vrbana & forenſi laude ſe ad externam & bellicam tranſtulit. Argumentum ab adiunctis perſonæ, quæ propoſitæ rei repugnāt: Lucullus abſens quæſtor fuit, & Aedilis, & Prætor, & Conſul bello Mithridatico præfuit: caruit igitur diu multiſq; rebus vrbanis. 2 Liberalis doctrina continet Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, Arithmeticam, Geometriam, Muſicā, Aſtrologiam: quibus tantus honos olim habitus fuit in Græcia, vt eas ſoli liberi & ingenui perciperent, perpetuo interdicto ne ſerui docerentur. 3 Fuit glorioſum Lucullo adoleſcenti Seruilium Augurem reum peculatus agere, vlciſcendi patris gratia, qui accuſante Seruilio furti damnatus fuerat: ex qua tamen accuſatione Seruilius excitato tumultu per vim euaſit. Vide Plutarchum in Lucul. 4 Quæſtor Lucullus viginti millia ſeſtertiūm, quibus L. Sylla mulctauerat Aſiam, collegit: id eſt, centies vicies millena millia aureorū: vbi continentiam ſuam Aſiaticis omnibus mirificè probauit. 5 Priuilegio aliquo maturius quàm leges annales paterentur, poſt ædilitatem Prætor factus eſt: quia inter hos magiſtratus biennium legibus intereſſe debuit, quibus Lucullus virtutis gratia ſolutus eſt. 6 Collatio eſt maiorum ad augendam gloriam Luculli, qui Mithridatem regno expulit Pontico, cuius conatus atq; impetus in Aſiam Sylla & Muræna tantùm refutauerāt. 7 Prolepſis hìc latet à repugnanti-

bus

bus: Lucullus vſum rei militaris non habebat: mirũ eſt igitur quo modo gloriam
ſuperiorum vicerit. 8 Remouet admirationem tantæ victoriæ: cuius duas cau
ſas ponit, ingeniũ & doctrinã Luculli, quæ per ſe, ac ſine vſu ad res magnas obeun
das plurimum potuerunt. Vſus autem diſciplinam vocat indocilem, ꝙ vſus mili-
tiæ, ſicut reliquarum ferè artium, doceri vix poſſit, ſed exemplis & experimentis
multo pluribus q̃ præceptis comparetur. 9 Videtur hìc hiſtoriæ Plutarchi re-
pugnare: Lucullus enim (ſi Plutarcho credimus) adoleſcens præclara virtutis ſuæ
documenta in bello Marſico præbuit: cui tantum L. Sylla tribuebat, vt quoties ali
quid eſſet fortiter & ſtrenuè gerendũ, eius opera præcipuè vteretur: & in Mithri-
datico bello in Aegyptum miſſus à Sylla ad Ptolemæum regẽ comparandæ claſ-
ſis gratia ſtrenuè legationem obiit: & ad Tenedum Mithridatis naues afflixit: &
in Aſia quæſtor Mitylenæos, qui mulctam ſibi impoſitam detrectarent, expugna
uit. Itaq; (ſi verè ſcribit Plutarchus) Lucullus nõ rudis rei militaris, ſed longo vſu
doctus, & peritus Mithridatico bello præfuit. 10 Declarat ingenij magnitudi-
nem à parte: quia memoria ingenij pars eſt, quę laudatur in Lucullo comparatione
Hortenſij & Themiſtoclis. Hortenſius memoria tanta fuit, vt quę ſecum commen
tatus eſſet, ea ſine ſcripto verbis eiſdem redderet, quibus excogitauiſſet. Hoc adiu
mento ille tanto ſic vtebatur, vt ſua & commentata & ſcripta & nullo referente
omnia aduerſariorum dicta meminiſſet, vt ait Cic. in Bruto: Themiſtoclis autem
memoria tam ſingularis fuit, vt intra annum optimè loquutus ſit Perſicè, vt ait Fa
bius lib. 11. Lucullus autem vtroq; præſtantior, ꝙ Hortenſius minus excellentem,
Themiſtocles minus excultam doctrina memoriam rerũ habuit. 11 Redditio
comparationis Luculli cum Themiſtocle ad augendam ingenij & doctrinæ lau-
dem. 12 Similitudo memoriæ cũ literis, quæ poſteritatis cauſſa repertæ ſunt,
quæ ſubſidio obliuioni eſſe poſſint. 13 Concludit imperatoriam laudem Lu-
culli ex tribus virtutum generibus fortitudinis, prudentiæ, iuſtitiæ. Fortitudo au
tem ex rebus ſubiectis declaratur, circa quas verſari ſolet, & ampliſſimo teſtimo-
nio Mithridatis, quod ad faciendam fidẽ valet, quia laudari ab hoſte permagnum
eſt. 14 Prudentia Luculli confirmatur à factis. Cùm enim Aſia publicanorum
fœnore & auaritia adeò premeretur, vt conditionẽ ſuam multò duriorẽ qualibet
ſeruitute duceret, Lucullus eam nouis legibus de fœnore latis mirum in modum
recreauit: vnde tantam ſibi conciliauit beneuolentiam Aſianorum, vt in eius ho-
norem Lucullea publicè celebrarentur. 15 Redit ad primã propoſitionem de
vrbana abſentia & laude Luculli, quam confirmat à circunſtantiis. 16 Luculli
fortuna in bello Mithridatico ſubitò mutata eſt, quia deſertus eſt à ſuis militibus,
& multorum calumniis obiectus. Itaq; cùm Romam victor rediiſſet, negatus eſt
ei triumphus calumnia C. Memmij, qui palàm dictitabat, Lucullum cõtra autho
ritatem & officium Imperatoris multa feciſſe, Mithridaticumq; bellum diutius
prorogaſſe: nec ipſe triumphaſſet, niſi principes Tribubus immixti ſuffragia po-
puli Romani multis precibus expreſſiſſent. Vide Plutarch. 17 Amplificatio Lu
culleæ laudis, ꝙ in reprimenda coniuratione Catilinæ Ciceronem iuuerit, quæ
per apophaſin tractatur. 18 Tranſitus ab imperatoria laude ad laudem Ingenij
& literarum, ne perſona nõ ſatis φιλόλογος in hac Academica quæſtione induci
videatur. 19 Mithridaticum bellum à Lucullo geſtum Archias poëta Græcis
literis celebrauit, vt ait Cicero: & Salluſtius Latinis, vt ait Plutarchus. 20 Lucul
lus tantam operã Græcis & Latinis literis dedit, vt vtroq; genere poſſet q̃ aptiſſi-
mè & q̃ ornatiſſimè dicere: nec ſolùm adoleſcens in artibus ingenuis verſatus eſt,
ſed etiã reuocatus à bello Mithridatico ad philoſophiam ſe contulit: & in contem
platione rerum tanquam in iucundiſſimo diuerſorio conquieuit. Plutarc. in Lu-
cullo. 21 Pelles per metonymiam dicuntur pro caſtris & tentoriis, quæ olim ex
pellibus fiebant: ex efficientibus igitur ſignificatur effectũ. 22 Confirmatio do
ctrinæ ex efficientibus cauſſis, ꝙ Lucullus multos annos Antiocho philoſopho
vſus ſit, ꝙ excellentem memoriam habuerit, ꝙ librorum ſtudioſiſſimus fuerit.

[1] *Ac vereor interdum, ne talium perſonarum, cùm amplificare velim, imminuam etiam gloriam. Sunt enim multi, qui omnino Græcas non ament literas: plures, qui philoſophiam: reliqui, qui etiamſi hæc non improbent, tamen earum rerum diſputationem principibus ciuitatis non ita decoram putent.* [2] *Ego autem, cùm Græcas literas M. Catonem in ſenectute didiciſſe acceperim: Publ. autem Africani hiſtoriæ loquantur in legatione illa nobili, quam ante Cenſuram obijt, Panætium vnum omnino comitem fuiſſe: nec literarum Græcarum, nec philoſophiæ iam vllum authorem requiro.* [3] *Reſtat vt ijs reſpondeam, qui ſermonibus eiuſmodi nolint perſonas tam graues illigari: quaſi verò clarorum virorum aut tacitos congreſſus eſſe oporteat, aut ludicros ſermones, aut rerum colloquia leuiorum.* [4] *Etenim, ſi quodam in libro verè eſt à nobis philoſophia laudata, profectò eius tractatio optimo atq; ampliſſimo quoq; digniſſima eſt:* [5] *nec quicquam aliud videndum eſt nobis, quos populus Romanus hoc in gradu collocauit, niſi ne quid priuatis ſtudijs de opera publica detrahamus.* [6] *Quòd ſi, cùm fungi munere debeamus, non modò operam noſtram nunquam à populari cœtu remouemus, ſed ne literam quidem vllam facimus, niſi forenſem: quis reprehendet noſtrum otium, qui in eo non modò noſmetipſos hebeſcere, & languere nolumus: ſed etiam vt plurimis proſimus, enitimur?* [7] *Gloriam verò non modò non minui, ſed etiã augeri arbitramur eorum, quorum ad populares illuſtreſq; laudes, has etiam minus notas, minuſq; peruulgatas adiungimus.* [10] *Sunt etiam qui negent in ijs qui in noſtris libris diſputent, fuiſſe earum rerum, de quibus diſputatur, ſcientiam: qui mihi videtur non ſolùm viuis, ſed etiam mortuis inuidere.* [11] *Reſtat vnum*

genus

genus reprehenſorum, quibus Academiæ ratio non probatur: quod grauius ferremus, ſi quiſquam vllam diſciplinam philoſophiæ probaret, præter eam, quam ipſe ſequeretur. [12] Nos autem, qui contra omnes dicere, qui ſcire ſibi videntur, ſolemus, non poſſumus, quin alij à nobis diſſentiant, recuſare. [13] Quanquam noſtra quidem cauſſa facilior eſt, qui verum inuenire ſine vlla contẽtione volumus, idq; ſumma cura ſtudioq; conquirimus. [14] Etſi enim omnis cognitio multis eſt obſtructa difficultatibus, eaq; eſt, & in ipſis rebus obſcuritas, & in iudicijs noſtris infirmitas, vt non ſine cauſſa & doctiſsimi & antiquiſsimi inuenire ſe poſſe quod cuperent, diffiſi ſint: tamen nec illi defecerunt, neq; nos ſtudium exquirendi defatigati relinquemus, neq; noſtræ diſputationes quicquam aliud agunt, niſi vt in vtramq; partem dicendo & audiendo eliciant, & tanquam exprimant aliquid, quod aut verum ſit, aut ad id quàm proximè accedat. [15] Neq; inter nos & eos qui ſe ſcire arbitrantur, quicquam intereſt, niſi quòd illi non dubitant, quin ea vera ſint quæ defendunt: nos probabilia multa habemus, quæ ſequi facile, affirmare vix poſſumus. [16] Hoc autem liberiores & ſolutiores ſumus, quòd integra nobis eſt iudicandi poteſtas, neq; vt omnia quæ præſcripta & quaſi imperata ſint, defendamus, neceſsitate vlla cogimur. [17] Nam cæteri primùm antè tenentur adſtricti, quàm quid eſſet optimum, iudicare potuerunt: deinde infirmiſsimo tempore ætatis aut obſecuti amico cuidam, aut vna alicuius quem primum audierunt, oratione capti, de rebus incognitis iudicãt, & ad quamcunq; ſunt diſciplinã [18] quaſi tempeſtate delati, ad eam, tanquam ad ſaxum adhæreſcunt. [19] Nam quod dicunt, omnino ſe credere ei, quem iudicent, fuiſſe ſapientem: probarem, ſi idi-

pſum rudes & indocti iudicare potuiſſent. Statuere enim qui ſit ſapiens, vel maximè videtur eſſe ſapientis. [20] Sed vt potuerunt omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum ſententijs, iudicauerunt: aut re ſemel audita ad vnius ſe autoritatem contulerunt. [21] Sed neſcio quomodo pleriq; errare malunt, eamq; ſententiam quam adamauerunt, pugnaciſſimè defendere: quàm ſine pertinacia, quid conſtantiſſimè dicatur, exquirere.

1 Hæc exordij ſecũda pars eſt, in qua Cicero occurrit vituperatoribus primùm philoſophiæ, deinde Academiæ, quibus & aliàs ſæpe reſpondit, vt in Hortenſio, lib. 1. de Finib. de Nat. deor. lib. 2. Offic. Primæ vituperationis tria ſunt capita, vnum de contemptu Græcarum literarum, alterum de contemptu philoſophiæ, tertium quòd hæc ſtudia principibus ciuitatis non conueniant. 2 Eleuat duo capita vituperationis de ſtudiis Græcarum literarũ, & philoſophię, duobus exemplis, quæ ſpecies ſunt nobilium principum: fuit decorum Catoni Græcas literas, & Africano philoſophiam diſcere: hæc igitur ſtudia principibus contẽnenda non ſunt. Cato ſenex ſic auidè arripuit Græcas literas, quaſi diuturnam ſitim explere cupiens, vt ea ipſa ei nota eſſent, quibus exemplis vteretur: & breues Commentarios ex Thucydide, plures ex Demoſthene confecit, quorum ei vſus eſſet in cauſſis Forenſibus: & ſcripta ſua Græcis ſententiis & hiſtoriis exornauit. 3 Reſpondet ad tertiam calumniam, quæ negat eſſe tantæ nobilitatis & dignitatis philoſophiam tractare. Prima refutatio à repugnantibus: non decet homines conſulares aut obmuteſcere, ant de rebus leuioribus inter ſe colloqui: res igitur ſerias & graues diſputare debent. 4 Secunda refutatio ab adiunctis. Philoſophia eſt optima: igitur optimo quoq; homine digniſſima. Hæc autem à Cicerone in eo libro qui inſcriptus erat Hortenſius, defenſa & collaudata fuerat, cùm eſſet accuſata & vituperata ab Hortenſio. 5 Tertia à paribus. Cùm in Republica ſumus, nihil niſi publicum agimus: liceat igitur nobis in priuato otio etiam aliquid vtile & honeſtum meditari. Syllogiſmus eſt connexus primus, cuius aſſumptio hoc loco prima eſt. 6 Propoſitio ſyllogiſmi connexa. 7 Litera nulla, id eſt, nihil omnino ſcriptum. metaphora eſt hyperbolica extenuandi gratia, vt lib. 1. de Orat. De frangendis cupiditatibus litera in eorum libris nulla inuenitur. & in Bruto, Ante Periclem, cuius ſcripta quædam feruntur: & Thucydidem, qui non naſcentibus Athenis, ſed adultis fuerũt, nulla litera eſt, quæ quidem ornatũ habeat. 8 Metaphora eſt ab acie ferri. nam vt hæc rubigine, ſic ingenium hominibus deſidia & inertia retunditur. Cùm igitur is eſſet Reipub. ſtatus, vt vnius Cæſaris dominatu omnia tenerentur, nec vlla eſſet forenſibus & ſenatoriis cauſſis relicta libertas, Cicero ne eius langueſceret induſtria, in ſtudiis philoſophiæ ſe diligenter exercuit.

Cicero in Catone Maiore. Plutarchus in Catone.

Cic. lib. 1. de Finib.

Litera nulla.

9 Quarta refutatio continet contradictionem primę & generalis obiectionis, quòd hæc ſtudia clarorum virorum gloriam nõ imminuant, ſed potius augeant. Qui locus declaratur ab efficiente cauſſa. Acceſſio ſiquidem laudis maiorem & ampliorẽ laudem facit. 10 Hactenus Philoſophiæ reprehenſoribus reſpondit: deinceps coarguit vituperatores Academiæ: quorum alij reprehendunt perſonas in dialogo Ciceronis, alij totam Academicam rationem atq; ſententiam. Prima illa reprehenſio, quę fuit Titi Pomponij Attici, leuiter eluditur ab adiunctis: & ea quidem ratio poſteà Ciceronem mouit, vt perſonas in his dialogis mutaret, totamq; Academicam quæſtionem à Catulo & Lucullo transferret ad M. Terentium

tium Varronem, q; illi homines nobiles quidem, ſed non ſatis philologi indecorè de philologia loquerentur. Lege Cic.lib.13.Epiſt.ad Attic. 11 Altera reprehenſio eſt Academicæ ſectæ & rationis, quam Cicero contra vituperatores variè defendit. Primus defenſionis locus eſt à repugnantibus: vituperatores Academię reliquas ſectas præter ſuam non probant, quid mirum ſi Academiam reprehendant? 12 Secundus locus à comparatione parium: alios refellere ſolemus: patiamur igitur nos quoq; ab aliis refelli. 13 Tertius locus à definitione Academię nouæ ex adiunctis. Hæc enim philoſophia eſt, que nihil ſe ſcire fatetur, licèt ſcientiæ & veritatis inueniēdæ cupidiſſima & ſtudioſiſſima ſit. Cauſſæ duæ ſunt ignorationis, obſcuritas rerum, & infirmitas humani iudicij: ſtudium inueniendi veri declaratur exemplis veterum Democriti, Anaxagoræ, Empedoclis, Socratis: qui licèt nihil ſciri & percipi poſſe dixerint, tamē omne ſuum ſtudium in inquiſitione ſcientiæ & cognitionis poſuerunt: & Ciceronis, qui veterem & antiquū illum diſputandi & inquirendi morem ſublata temeritate affirmādi (qualis in aliis philoſophorum ſcholis eſſe ſolebat) diligenter & accuratè retinuit. 14 Illuſtratio proximæ definitionis à fine, vt verum aut veriſimile contrariis diſputationibus facilius inueniatur. 15 Quartus locus eſt à diſſimilibus. Duplex autem diſſimilitudo eſt inter Academicos & reliquos philoſophos. Prima ex rebus ſubiectis circa quas verſantur: nam cæteri philoſophi dicunt omnia vel certa vel incerta eſſe: Academici nil certi vel incerti ſtatuunt, ſed quicquid eſt, quod in philoſophia, atque omnino in humana vita tractatur, id aut probabile, aut improbabile duntaxat eſſe contendunt. 16 Altera diſſimilitudo ab adiunctis perſonarum. Academici ſunt in philoſophia iudicandi poteſtate liberi: reliqui verò philoſophi ſerui, & certis magiſtrorum ſententiis & opinionibus addicti. Protaſis diſſimilitudinis prima eſt. 17 Altera pars diſſimilitudinis, in qua cauſſæ ſeruitutis explicantur: Infirmitas ætatis, amor perſonæ, authoritas orationis. 18 Similitudo & allegoria ducitur à nautis, qui tempeſtate iactati, ſic in ſcopulos incurrunt, vt naue fracta, vel in rupes intruſa hinc retrahi & abire non poſſint. Sic Virgilius de Aiace,

Illum expirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, ſcopuloq; infixit acuto.

19 Occupat defenſionem eorum, qui certis diſciplinis addicti ſunt, quam refellit à repugnantibus. Syllogiſmus ſimplex ſecundi generis:

Qui iudicat quid ſit ſapiens, is ſapiens eſt:
Philoſophi iſti non ſunt ſapientes:
Non poſſunt igitur iudicare, quid ſit ſapiens.

Aſſumptio ſyllogiſmi præcedit, quæ declaratur à contrariis. 20 Propoſitio ſyllogiſmi hic intelligenda eſt. 21 Complexio ſyllogiſmi, quæ illuſtratur à minori ad maius.

[1] *Quibus de rebus & aliàs ſæpe nobis multa quæſita & diſputata ſunt, & quondam in Hortenſii villa, quæ eſt ad [2] Baulos, cum eo Catulus & Lucullus, nosq; ipſi poſtridie veniſſemus, quàm apud Catulum fuiſſemus. Quo quidem etiam maturius venimus, quòd erat conſtitutum, ſi ventus eſſet, Lucullo in Neapolitanum, mihi in Pompeianū nauigare. Cùm igitur pauca in [3] xyſto locuti eſſemus, tum eodem in ſpatio cōſedimus. Hic Catulus, Etſi heri, inquit, id quod quæ-*

rebatur, penè explicatum eſt, vt tota ferè quæſtio tractata videatur, tamen expecto ea quæ te pollicitus es Lucullè ab Antiocho audita dicturum. Equidem, inquit Hortenſius, feci plus quàm vellem: totam enim rem Lucullo [4] integram ſeruari oportuit: & tamen fortaſſe ſeruata eſt: à me enim, [5] quæ in promptu erant, dicta ſunt: à Lucullo autem reconditiora deſidero.

1 Superiore exordio Luculli laus amplificata eſt, cuius primæ partes erunt in hoc dialogo: & inſtitutum non ſolùm philoſophiæ, ſed etiam nouæ Academiæ aduerſus obtrectantium calumnias defenſum eſt. Sequitur alterum exordium, in quo deſcribitur occaſio proximi dialogi, qui fingitur habitus in villa Hortenſij, vbi Catulus & Hortenſius, qui priore libro inter ſe collocuti fuerant, ille pro noua, hic pro vetere Academia, nunc inuitant Lucullum ad diſſerendum: vt quæ ab Antiocho philoſopho audierit, ſicut ipſe erat pollicitus, exponat. Hic igitur aditus eſt ad dialogiſmum, & proximum ſermonem ex occaſione loci & perſonarũ.

Bauli, vicus. 2 Bauli, vicus in Campania inter Baias & Myſenum, vbi quondam Herculis
Xyſtus. boues ſtabulati varios boatus ediderunt, vnde nomẽ vico datum eſt. 3 Xyſtus,
porticus ampla latitudine, in qua athletæ per hyberna tempora exercentur. Vi-
Res integra. truuius lib. 6. 4 Res integra, eſt intacta, & quaſi illibata, de qua nihil adhuc eſt
diſputatum, aut iudicatum: cui opponitur res peracta. Integra igitur diſputatio
Lucullo traditur, quaſi nihil aut certè parum Hortenſius pro Academia vetere di
Res in promptu. xerit heſterna diſputatione, cùm eſſet collatus cum Catulo. 5 In promptu res
eſſe dicitur facilis, perſpicua, & peruulgata, & quæ quaſi ſua ſponte ſe nobis offert
ad dicendum, vt Academico primo. Itaq; non hæſitans reſpondebo, ſed ea dicam,
quæ mihi ſunt in promptu. Huic opponitur res abſtruſa & abſcondita, quæ alta
& profunda cogitatione mentis indiget, nec primo nobis quaſi aſpectu occurrit.

[1] Tum ille, Non ſanè, inquit, Hortenſi conturbat me expectatio tua: etſi nihil eſt iis qui placere volunt, tam aduerſarium: ſed quia non laboro quàm valde ea quæ dico, probaturus ſim, eo minus conturbor. dicam enim nec mea, nec ea, in quibus ſi non fueritis, non vinci me malim quàm vincere. [2] ſed me hercule, vt quidem nunc ſe cauſſa habet, etſi heſterno ſermone labefactata eſt, mihi tamen videtur eſſe veriſſima. [3] Agam igitur ſicut Antiochus agebat: nota enim mihi res eſt: nam & vacuo animo illum audiebam, & magno ſtudio, eadem de re etiam ſæpius: vt etiam maiorem expectationem mei faciam, quàm modò fecit Hortenſius. [4] Cum ita eſſet exorſus, ad audiendum animos ereximus,

ximus. At ille, Cùm [5] Alexandriæ Quæſtor, inquit, eſſem, fuit Antiochus mecum, & erat iam antea Alexandriæ familiaris Antiochi Heraclitus Tyrius, qui & Clitomachum multos annos, & Philonem audierat, homo ſanè in iſta philoſophia, quæ nunc propè dimiſſa reuocatur, probatus & nobilis, [6] cum quo & Antiochum ſæpe diſputantem audiebam, ſed vtrumq; leniter: & quidem iſti libri duo Philonis de quibus heri dictum à Catulo eſt, tum erant allati Alexandriam, tumq; primùm in Antiochi manus venerant, [7] & homo natura leniſſimus (nihil enim poterat fieri illo mitius) ſtomachari tamen cœpit. mirabar: neq; enim vnquam antea videram. At ille Heracliti memoriam implorans, quærere ex eo, viderentúrne illa Philonis, aut ea num vel è Philone, vel ex vllo Academico audiuiſſet aliquando? Negabat. Philonis tamen ſcriptum agnoſcebat: nec id quidem dubitari poterat. nam aderant mei familiares, & docti homines, P. & C. Selij, & Tetrilius Rogus, qui ſe illa audiſſe Romæ de Philone, & ab eo ipſo duos illos libros dicerent deſcripſiſſe. Tum & illa dixit Antiochus, quæ heri Catulus commemorauit à patre ſuo dicta Philoni, & alia plura: nec ſe tenuit, quin contra ſuum doctorem librum etiam ederet, qui Soſus inſcribitur. [8] Tum igitur & cùm Heraclitum ſtudioſè audirem contra Antiochum diſſerentem, & item Antiochum contra Academicos, dedi Antiocho operam diligentius, vt cauſſam ex eo totam cognoſcerem. Itaq; complures dies, adhibito Heraclito, doctiſq; compluribus, & in his Antiochi fratre Ariſto, & præterea Ariſtone & Dione, quibus ille ſecundũ fratrem plurimùm tribuebat: multum temporis in iſta vna diſputatione conſumpſimus.

1 Lucullus incipit Academiam veterem defendere, cuius oratio quatuor conſtat partibus, exordio, narratione, confirmatione & refutatione. In exordio remouet ſuſpicionem timoris, qualis in magnis & grauibus diſputationibus contingere ſolet. Argumentum fiduciæ eſt ab adiunctis, quòd dicturus ſit non ſua, ſed aliena, & ab Antiocho accepta. Eſt autem benignum, vt ait Plinius, & plenũ ingenui pudoris, fateri per quos profeceris: ſic Cicero in lib. de Repub. Platonis ſe comitem profitetur: & in conſolatione filiæ Crantorem, inquit, ſequor: itẽ Panætium in Officiis, & in Dialecticis & Rhetoricis Ariſtotelem ſequitur, vt ipſe teſtis eſt. 2 Primus locus attentionis ab adiuncto propoſitæ cauſſæ, quòd ſit veriſſima. 3 Secundus locus, vbi Lucullus duas cauſſas reddit, cur hanc Academicam diſputationem & controuerſiam planè teneat. 4 Hìc finis eſt exordij, & tranſitus ad narrationem, in qua locus, tempus, & circunſtantiæ reliquæ notantur, quibus Lucullus Academicam quæſtionem percipere potuit à ſummis & nobiliſſimis philoſophis, quorum diſputationibus Alexandriæ ipſe ſæpius interfuit. Prima pars narrationis eſt de contentione audita inter Antiochum & Heraclitum, quorum alter veterem, alter nouam Academiam defendebat. *Alexandria.* 5 Alexandria, vrbs Aegypti, ab Alexandro Magno condita iuxta Canopicum Nili oſtium, quondam Gymnaſiis & literis floruit: vbi Lucullus Quæſtor cum philoſophis aliquandiu verſatus eſt, cùm à L. Sylla ad Ptolemæum regem comparãdæ claſſis, & concilian dæ amicitiæ gratia miſſus eſſet. 6 Altera pars narrationis de contentione inter Philonem & Antiochum comprehenſa libris vtrinq; ſcriptis: atq; hìc Lucullus declarat quantã moleſtiam libri Philonis pro Academia noua compoſiti Antiocho attulerint. 7 Ex affectu vult probare quàm abſurda viſa ſit Antiocho librorum Philonis ſententia. 8 Iterat primam partem narrationis de audita & percepta diſputatione inter Heraclitum & Antiochum, ne ad ignotam cauſſam & quæſtionem tractandam accedere videatur.

[1] *Sed ea pars quæ contra Philonem erat, prætermittenda eſt. minus enim acer eſt aduerſarius is, qui iſta, quæ ſunt heri defenſa, negat Academicos omnino dicere. etſi enim mentitur, tamen eſt aduerſarius lenior. Ad Arceſilam Carneademq́ veniamus. Quæ cùm dixiſſet, ſic rurſus exorſus eſt: Primùm mihi videmini (me autem nomine appellabat) cùm veteres phyſicos nominatis, facere idem quod ſeditioſi ciues ſolent, cùm aliquos ex antiquis claros viros proferunt, quos dicant fuiſſe populares, vt eorum ipſi ſimiles eſſe videantur. Repetunt iam P. Valerium, qui exactis Regibus primo anno Conſul fuit: commemorant reliquos, qui leges populares de prouocationibus tulerunt, cùm Conſules eſſent: tum ad hos notiores, C. Flaminium, qui legem Agrariam aliquot annis ante ſecundum Punicum bellum Tribunus plebis tulerit, inuito Senatu, & poſtea bis Conſul factus*

ctus ſit: L. Caßium, Qu. Pompeium. illi quidem etiam P. Africanum referre in eundem numerum ſolent. Duos verò ſapientißimos & clarißimos fratres, P. Craſſum & P. Scæuolam, aiunt T. Graccho legum authores fuiſſe, alterum quidem, vt videmus, palàm: alterum, vt ſuſpicamur, obſcurius. Addunt etiam C. Marium: & de hoc quidem nihil mentiuntur. Horum nominibus tot virorum atque tantorum expoſitis, eorum ſe inſtitutum ſequi dicunt. [2] Similiter vos cùm perturbare, vt illi Rempublicam, ſic vos philoſophiam bene iam conſtitutam velitis, Empedoclem, Anaxagoram, Democritum, Parmenidem, Zenonem, Platonem etiam & Socratem profertis. [3] Sed neque Saturninus (vt noſtrum inimicum potißimùm nominem) ſimile quicquam habuit veterum illorum, [4] nec Arceſilæ calumnia conferenda eſt cum Democriti verecundia. [5] & tamen iſti phyſici rarò admodum, cùm hærent aliquo loco, exclamant quaſi mēte incitati. Empedocles quidem, vt interdum mihi furere videatur, abſtruſa eſſe omnia, nihil nos ſentire, nihil cernere, nihil omnino quale ſit, poſſe reperire. [6] Maiorem autem partem mihi quidem omnes iſti videtur nimis etiam quædam affirmare, pluſq; profiteri ſe ſcire, quàm ſciant. [7] Quòd ſi illi tum in nouis rebus quaſi modò naſcentes hæſitauerunt, nihílne tot ſeculis, ſummis ingenijs, maximis ſtudijs explicatum putamus? nónne cùm iam philoſophorum diſciplinæ grauißimæ conſtitiſſent, [8] tum exortus eſt vt in optima Repub. T. Gracchus, qui otium perturbaret: ſic Arceſilas, qui conſtitutam philoſophiam euerteret, & in eorū authoritate deliteſceret, qui negaſſent quicquā ſciri aut percipi poſſe? [9] Quorū è numero tollendus eſt & Plato & Socrates: alter, quia reliquit perfectißimā diſciplinā Peripateticos

& Academicos nominibus differentes, re congruentes, à quibus Stoici ipſi verbis magis quàm ſententijs diſſenſerunt. Socrates autem de ſeipſo detrahens in diſputatione plus tribuebat ijs quos volebat refellere. ita cùm aliud diceret atque ſentiret, libenter vti ſolitus eſt ea diſſimulatione, quam Græci εἰρωνείαν vocant: quam ait etiam in Africano fuiſſe Fannius: idq́ propterea vitioſum in illo non putandum, quòd idem fuerit in Socrate. [10] *Sed fuerint illa vetera, ſi vultis, incognita: nihilne eſt ergo actum, quòd inueſtigata ſunt poſteaquam Arceſilas Zenoni, vt putatur, obtrectans, nihil noui reperienti, ſed emendanti ſuperiores, immutatione verborum, dum huius definitiones labefactare vult, conatus eſt clariſſimis rebus tenebras obducere?* [11] *Cuius primò nõ admodum probata ratio,* [12] *quanquam floruit tum acumine ingenij, tum admirabili quodam lepore dicendi, proximè à Lacyde ſolo retenta eſt: pòſt autem confecta à Carneade, qui eſt quartus ab Arceſila. audiuit enim Egeſinum, qui Euandrum audierat Lacydis diſcipulum, cùm Arceſilæ Lacydes fuiſſet.* [14] *Sed ipſe Carneades diu tenuit.* [15] *nam nonaginta vixit annos: & qui illum audierant, admodum floruerũt: è quibus induſtriæ plurimùm in Clitomacho fuit.* [16] *declarat multitudo librorum ingenij non minus in hoc,* [17] *quàm in Carneade eloquẽtiæ, in Melonthio Rhodio ſuauitatis. Bene autem noſſe Carneadem Stratoniceus Metrodorus putabatur. Iam Clitomacho Philo veſter operam multos annos dedit. Philone autem viuo patrocinium Academiæ non defuit.*

F 1 Principium confirmationis digreſſionem continet ad eleuandam authoritatem nouorum Academicorum, è quibus Philonis ſententiam Lucullus contemnit. Arceſilam & Carn eadem ſeditioſis ciuibus comparat. Prima pars ſimilitudinis conſtat inductione exemplorum, quæ clarorum principum ſpecies ſunt, qui videntur populares extitiſſe. P. Valerius collega Iunij Bruti primus de prouocatione

tatione à magiſtratibus ad populum legem tulit,vnde Publicola dictus eſt: quæ lex à Muræna Conſule, iterũ lata eſt, itemq́; à M.Valerio Conſule, cùm tenues à potentibus premerentur,tertiò promulgata. C.Flaminius Trib.pleb.legem tulit de diuidendo agro Gallico: Spurius Caſſius Conſul primus Agrariam legem promulgauit,vt ager Hernicus diuideretur: qui vt primùm magiſtratu abiit,damnatus necatusque eſt. Lege Liuium lib.1.decad.1. Publius Africanus ſimulauit ſe patronum legis Agrariæ, licèt eam minimè probauerit. Tiberius Gracchus non per ſeipſum Agrariam legem ferre inſtituit,ſed adhibuit in conſilium conſtantiſſimos viros,è quibus Craſſus Pontifex maximus fuit,&Lucius Scæuola Iuriſconſultus. C.Marius Tribunus plebis inuito Senatu legem de ferendis ſuffragiis tulit,quæ ſpecie ipſa popularis erat. 2 Sequitur altera pars ſimilitudinis illuſtrata exemplis veterum philoſophorum,quorum ſimiles noui Academici videri volebant. Empedocles Agrigentinus floruit Olympiade 84. auditor Parmenidis, poëta, excellens & philoſophus Pythagoreus. Anaxagoras Clazomenius Anaximenis diſcipulus,philoſophatus eſt Athenis ſub Callia principe, & impietatis crimine damnatus,quòd Solem candentem eſſe diceret. Democritus Mileſius diſcipulus Anaxagoræ omnibus ingenuis artibus & diſciplinis apprimè deditus, ſed tamen in philoſophia plerunque lapſus. Parmenides Eleates Xenophanis & Anaximandri diſcipulus,philoſophiam verſibus expreſſit. Zeno Eleates Parmenidis auditor ſtudioſus phyſicæ. Plato Athenienſis in ſuis Dialogis Socratem facit omnium rerum inſcium & ignarum. 3 Confutat vtramque partem ſimilitudinis,& exempla propoſita,idque à diſſimilibus. Prima diſſimilitudo pertinet ad confutandam protaſin ſuperioris ſimilitudinis, quòd Lucius Apuleius Saturninus Tribunus plebis ſeditioſus valde diſſimilis fuerit eorum,qui paulò antè commemorati ſunt. 4 Secunda diſſimilitudo refellit apodoſin ſimilitudinis,quòd Democritus verecundus,Arceſilas impudens ſit: itaque multum interſit inter veteres illos philoſophos & nouos iſtos Academicos. 5 Proximus locus illuſtratur à diſſimilibus. Licèt antiqui philoſophi ignorare ſe aliquid dicant,iidem tamen multa ſcire ſe confirmant. 6 Maiorem partem dixit, pro maiori ex parte, vt Tuſcul.4. Chryſippus & Stoici cùm de animi perturbationibus diſputant,magnam partem in his partiendis & definiendis occupati ſunt. 7 Hic conceſſio quædam latet,Antiquiſſimi philoſophi fuerint ignari: & argumentum à cauſſis: attamen diuturnitas temporis,& ſubtilitas hominum,& induſtriç magnitudo potuit tandem aliquando ſcientiam aliquam & eruditionem proferre. 8 Arceſilas cum Tiberio Graccho comparatur à ſimili: quòd vt hic Reipublicæ, ſic ille philoſophiæ bene conſtitutum & pacatum ſtatum perturbauerit: atque is Arceſilas in hac perturbatione vt cauſſam ſuam probabilem faceret,deliteſcebat in authoritate veterum philoſophorum,id eſt,ſententiam ſuam defendebat eorum authoritate, quaſi ipſe non videretur author eius ſententiæ, ſed potius veteres, de quibus ante diximus. 9 Reſpondet ad duo poſtrema exempla de Platone & Socrate, quorum alter Plato perfectam philoſophiam reliquit de vita & moribus,de diſſerendo, de natura & rebus occultis, vt docet Cicero 1. Acad. ad Varronem. Socrates autem ironicôs ſe nihil ſcire dixit: quam ironiam Cicero in Bruto facetam & elegãtem putat: eſt enim & minimè inepti hominis,& eiuſdem etiam faceti,cùm de ſapientia diſceptetur,hanc ſibi primùm detrahere, eis tribuere, qui eam ſibi arrogant,vt apud Platonem Socrates effert in cœlum laudibus Protagoram,Hyppiam, Prodicum, Gorgiam, cæteros, ſe autem omnium rerum inſcium fingit & rudem: decet hoc neſcio quo modo illum. 10 Iterat conceſſionem de ignorantia veterum, & Arceſilæ calumniam coarguit à cauſſis, propterea quòd multa progreſſionibus temporum inuenta patefactaque ſint. Quo loco Arceſilæ &Zenonis ineptiæ notantur,quorum alter omnem ſcientiam & cognitionem de medio tollere, alter Academiam veterem inuentis vocabulis nouis corrigere voluerit: de qua correctione lege Ciceronem Acad.1.& lib.4.de Finib. 11 Deſcri-

bit ſcr em & progreſſionem Academicorum ab Arceſila vſque ad Philonem, vt intelligi poſſit quos Academia noua patronos habuerit. 12 Arceſilas erat in inueniendo fœliciſſimus, & ad reſpondendum promptiſſimus, & ad perſuadendum acerrimus, omnemque orationis figuram & venuſtatem conabatur exprimere. Diogenes Laertius. 13 Lacydes Arceſilæ ſucceſſit in Academia, & in horto docuit, quẽ Attalus rex conſtruxerat: qui locus dictus eſt Lacydium. 14 Elegans gradatio, qualis eſt apud Diogenem in vita Lacydis: qui iuuenis ſolus ex omni memoria Phocenſibus Theleucli & Euandro ſcholam tradidit: Euandro ſucceſſit Egeſinus Pergamenus; Egeſino Carneades. 15 Carneades obiit anno ætatis ſuæ octuageſimo tertio, vt ait Laertius, in quo diſſentit à Cicerone.

16 Clitomachus Carthaginenſis eò doctrinæ proceſſit, vt ſupra quadraginta volumina ſcripſerit, ſucceſſeritque Carneadi. 17 Comparatio trium philoſophorum à paribus. Clitomachus tam ſubtilis fuit, quàm eloquens Carneades; & quàm ſuauis Melontius.

[1] Sed quod nos facere nunc ingredimur, vt contra Academicos diſſeramus, id quidam è philoſophis, & ij quidem non mediocres, faciendum omnino non putabant: nec æquum eſſe, vllam rationem diſputare cum ijs, qui nihil probarent: Antipatrumq; Stoicum, qui multus in eo fuiſſet reprehendebant: nec definiri [2] aiebant neceſſe eſſe, quid eſſet cognitio aut perceptio: aut, ſi verbum è verbo volumus, comprehenſio, quam κατάληψιν illi vocant: eosq; qui perſuadere vellent, eſſe aliquid quod comprehendi & percipi poſſet, inſcienter facere dicebant: propterea quòd nihil eſſet clarius ἐνάργεια vt Græci, perſpicuitatem aut euidentiã nos, ſi placet, nominemus, fabricemurq;, ſi opus erit, verba, ne hic ſibi (me appellabat iocans) hoc licere ſoli putet. ſed tamen orationem nullam putabant illuſtriorem ipſa euidentia repe riri poſſe, nec ea quæ tam clara eſſent, definienda cenſebant. [3] Alij autem negabant ſe pro hac euidentia quicquam priores fuiſſe dicturos: ſed ad ea quæ contra dicerentur, dici oportere putabant, ne qui fallerentur. Pleriq; tamẽ & definitiones ipſarum etiam euidentium rerum non improbant: & rem idoneam de qua quæratur, & homines dignos quibuſcum diſſeratur, putant. [4] Philo autem dum noua quædam commouet, quòd ea ſuſtinere vix poterat, quæ contra Academicorum

demicorum pertinaciam dicebantur, & apertè mentitur, vt eſt reprehenſus à patre Catulo: &, vt docuit Antiochus, in id ipſum ſe induit, quod timebat. Cùm enim ita negaret quicquam eſſe, quod comprehendi poſſet (id enim volumus eſſe ἀκατάληπτον) ſi illud eſſet, ſicut Zeno definiret, tale viſum (iam enim hoc pro φαντασία verbum ſatis heſterno ſermone triuimus) [5] viſum igitur impreſſum, effictumq́ ex eo vnde eſſet, quale eſſe non poſſet, vt ex eo vnde non eſſet, id nos à Zenone definitum rectiſſimè dicimus. [6] Quî enim poteſt quicquam comprehendi, vt planè confidas id perceptum cognitumq́ eſſe, quod eſt tale, quale vel falſum eſſe poſſit? [7] Hoc cùm infirmat tollitq́ Philo, iudicium tollit incogniti & cogniti: ex quo efficitur, nihil poſſe comprehendi. ita imprudens eò, quò minimè vult, reuoluitur.

1 Expoſitis & exagitatis Academiæ nouæ patronis, Lucullus antequã ad confirmationem ſuæ ſententiæ accedat, deliberationem quandam inſtituit, an liceat diſputare contra nouam Academiam, nécne. Prima pars eſt deliberationis, quòd non liceat, quæ confirmatur à repugnantibus. 2 Altera ratio ab adiunctis: ſyllogiſmus ſimplex primi generis:

Quæ clara ſunt, definitione non indigent:
Perceptio & euidentia ſunt res claræ:
Neutra igitur harum definitione & diſputatione indiget.

3 Secunda pars deliberationis alteram partem contradictionis continet, quòd liceat contra Academicos diſputare, quæ confirmatur à diſſimilibus & à fine. 4 Hoc veſtibulum eſt proximæ confutationis, in quo Philonis authoritas eleuatur, & κατάληψις definitur, de qua inter Academicos nouos & veteres contentio orta eſt. 5 κατάληψις, eſt viſio impreſſa & effecta ex vero & proprio obiecto, vt comprehenſio hominis ex ipſo homine, qualis non eſſet ex alieno obiecto, vt comprehenſio hominis ex equo fieri non poſſet. 6 Probat ſecundam partem definitionis, quòd κατάληψις ex alieno ſubiecto non fiat. quo nomine definitur perfecta conſummataq́; ſcientia, quæ fit cùm propriam & veram & certam cuiuſque rei ſpeciem & formam cernimus. 7 Hic locus videtur eſſe mutilus & corruptus, nec vllum crimen inconſtantiæ in Philone coarguit.

[1] Quare omnis oratio contra Academiam ſuſcipitur à nobis, vt retineamus eam definitionem, quam Philo voluit euertere. quam niſi obtinemus, percipi nihil poſſe concedimus. [2] Ordiamur igitur à ſenſibus: quorum ita clara iudicia & certa ſunt, vt ſi optio naturæ noſtræ detur, & ab ea

deus aliquis requirat, contentáne ſit ſuis integris incorru-
ptiſq; ſenſibus, an poſtulet melius aliquid, non videam quid
quærat amplius. [3] Neque verò hoc loco expectandum eſt,
dum de [4] remo inflexo, aut de [5] collo columbæ reſpondeam.
non enim is ſum, qui, quicquid videtur, tale dicam eſſe, qua-
le videatur. Epicurus hoc viderit, & alia multa. Meo au-
tem iudicio ita eſt maxima in ſenſibus veritas, ſi & ſani
ſunt, & valentes, & omnia remouentur quæ obſtant & im-
pediunt. [6] Itaque & lumen mutari ſæpe volumus: & ſitus
earum rerum quas intuemur, & interualla aut contrahi-
mus, aut diducimus, multaq; facimus vſq; eò, dum aſpectus
ipſe fidem faciat ſui iudicij. [7] Quod idem fit in vocibus, in
odore, in ſapore: vt nemo ſit noſtrum, qui non in ſenſibus ſui
cuiuſq; generis iudicium requirat acrius. [8] Adhibita ve-
rò exercitatione & arte, vt oculi pictura teneantur, & au-
res cantibus, quis eſt quin cernat quanta vis ſit in ſenſibus?
Quàm multa vident [9] pictores in vmbris, & in eminen-
tia, quæ nos non videmus? quàm multa quæ nos fugiunt in
cantu, exaudiunt in eo genere exercitati? qui primo [10] infla
tu tibicinis [11] Antiopam eſſe aiunt, aut [12] Andromacham,
cùm id nos ne ſuſpicemur quidem. [13] Nihil neceſſe eſt de gu
ſtatu & odoratu loqui, in quibus intelligentia etſi vitioſa, eſt
quædam tamen. [14] Quid de tactu, & eo quidem quem phi
loſophi [15] interiorem vocant, aut doloris, aut voluptatis? in
quo [16] Cyrenaici ſolo putant veri eſſe iudicium, quia ſentia-
tur. [17] Poteſtne igitur quiſquam dicere, inter eum qui do-
leat, & inter eum qui in voluptate ſit, nihil intereſſe? aut,
ita qui ſentiet, non apertiſſimè inſaniat? [18] Atqui qualia
ſunt hæc quæ ſenſibus percipi dicimus: talia ſequuntur ea
quæ non ſenſibus ipſis percipi dicuntur, ſed quodammodo

ſenſibus, vt hæc: illud eſt album, hoc dulce, canorum illud, hoc bene olens, hoc aſperum. Animo iam hæc tenemus comprehenſa, non ſenſibus. [19] Ille deinceps equus eſt, ille canis. cætera ſeries deinde ſequitur maiora nectens, vt hæc quæ quaſi expletam rerum comprehenſionem amplectuntur: Si homo eſt, animal eſt mortale rationis particeps. Quo è genere nobis notitiæ rerum imprimuntur, ſine quibus neq; intelligi quicquam, neque quæri, aut diſputari poteſt. [20] Quòd ſi eſſent falſæ notitiæ (ἐννοίας enim notitias appellare tu videbare) ſi igitur eſſent hæ falſæ, aut eiuſmodi viſis impreſſæ, qualia viſa à falſis diſcerni non poſſent: quo tandem his modo vteremur? [21] quomodo autem, quid cuique rei conſentaneum eſſet, quid repugnaret, videremus? [22] Memoriæ quidem certè, quæ nō modò philoſophiam, ſed omnis vitæ vſum, omneſq; artes vna maximè continet, nihil omnino loci relinquitur. quæ poteſt enim eſſe memoria falſorum? aut quid quiſquam meminit, quod non animo comprehendit, & tenet? [23] Ars verò quæ poteſt eſſe, niſi quæ non ex vna aut duabus, ſed ex multis animi perceptionibus conſtat? quam ſi ſubtraxeris, quî diſtingues artificem ab inſcio? non enim fortuitò hunc artificem dicemus eſſe, illum negabimus, ſed cùm alterum percepta & comprehenſa tenere videmus, alterum non item: [24] cumq; artium aliud eiuſmodi genus ſit, vt tantummodo animo rem cernat: aliud, vt moliatur aliquid, & faciat, quomodo aut geometres cernere ea poteſt, quæ aut nulla ſunt, aut internoſci à falſis non poſſunt: aut is qui fidibus vtitur, explere numeros, & conficere verſus? Quod idem in ſimilibus quoq; artibus continget: quarum omne opus eſt in faciendo atq; agendo. Quid enim eſt quod arte effici poſſit, niſi is qui artem tractabit, multa perceperit?

1 Conſtituit θέσιν totius contentionis aduerſus nouos Academicos,quòd aliqua ſit rerum κατάληψις: hæc enim princeps & generalis eſt quæſtio, de qua deinceps diſceptabitur.Sed argumenta Luculli,ſi dialecticum iudicium ad iudicandam quæſtionem adhibeatur,falſa & inconſequentia reperientur.Academici noui negant vllam eſſe κατάληψιν,id eſt,firmam & certam perceptionem: vel, ſi dicere mauis, ſcientiam. qua definitione nominis poſita totam orationem Luculli concidere neceſſe eſt: nec enim ſenſus hominis, nec animus, aut mens, aut ratio quicquam hoc firmo & conſtanti genere comprehenſionis percipit, ſed ſolus deus,qui veras & ſimplices rerum cauſſas & formas cognoſcit. In hominibus autem perexigua eſt huius diuinæ lucis ſcintilla,quæ opinio potius quàm ſcientia debet appellari. 2 Primum argumentum ad probandam κατάληψιν,ſumitur à ſenſibus, in quibus primæ ſunt cognitionis & comprehenſionis cauſſæ.

3 Occurrit exemplis Academicorum, quibus ἀκαταληψίαν probare ſolent, & ſenſus interdum fallaces & incertos eſſe concedit,eleuatq́ue authoritatem Epicuri. 4 Remus in aqua fractus apparet & inflexus, quia pars quæ eſt in aqua, videtur propior nobis eſſe, quàm reuera ſit, & idcircò partes remi recto aſpectu in aqua continuatè videri non poſſunt. Aqua autem quia corpus eſt διάφανον ſpiſſum,facit vt pars remi, quæ eſt demerſa,maior videatur, & idcircò propior oculis noſtris. hæc quæſtio agitatur à Seneca cap.3.lib.1.Quæſt.natur. 5 Seneca lib. 1.Quæſt.natur.cap.5.

Colla Cytheriacæ ſplendent agitata columbæ.

Videntur autem diuerſis coloribus diſtincta, vel pro ratione lucis, quæ colorem & oculum ſubinde mutat: vel quòd reuera pennæ in collo ſint diuerſicolores.

6 Declarat inductione per ſpecies, quando & quo modo fiat in ſingulis ſenſibus comprehenſio & veritas. Primus locus inductionis eſt de oculis & aſpectu. Verùm,vt diximus,nulla eſt in his κατάληψις.id eſt, ſcientia,quia ſenſus veras & ſimplices rerum ſpecies non intuentur, vt rectè diſputat Socrates in Theæteto: nec ſequitur ſi ſenſus vera ſentiant,vt veritatem ſciant & percipiant,quia aliud eſt ſentire,aliud ſcire. 7 Secundus locus inductionis de tribus ſenſibus, auditu, odoratu, & guſtatu. 8 Confirmat fidem & conſtantiam in ſenſibus ab aliis cauſſis, cùm ad naturam ſanam & integram acceſſerit ratio confirmatioq́ue doctrinæ,vt ad iudicium oculorum, picturarum,muſica. 9 Vmbræ in pictura ſunt,quibus imagines planæ,ſolidę videntur eſſe,& habere aliquem receſſum:

Vmbræ.

Eminentia autem,qua imagines planæ eminere atque extare videntur. 10 Tibicines dicuntur inflare, qui tibia vel buccina canunt, qui olim in Comœdiis & Tragœdiis varios faciebãt modos, vt vel ex ipſo cantu & ſono periti homines intelligerent,quę Comœdia vel Tragœdia recitanda eſſet. 11 Antiopa,tragœdia eſt Accij poetæ de caſibus & miſeriis Antiopæ vxoris Lyci regis Thebanorum.

Eminentia.

Antiopa.

12 Andromacha, Tragœdia Ennij poetæ de calamitatibus & ærumnis Andromaches vxoris Hectoris,quæ capta Troia à Neoptolemo rapta eſt,& poſtea variis modis agitata. 13 Iterat argumentum de tribus ſenſibus. 14 Probat ſimiliter in tactu eſſe comprehenſionem aliquam veri. Primum argumentum à teſtimonio Cyrenaicorum, cuius argumenti, ſicut reliquorum, vna & communis eſt ſolutio, quòd licet ſenſus interdum verum ſentiant, nihil tamen vnquam percipiunt:quia perceptio verſatur circa communes & vniuerſales notiones,ſenſus circa ſingulares. 15 Quia tactus organum non eſt ipſa caro, ſed aliquid ſu r carnem, in quo eſt ſenſus omnium rerum tactilium : & medium ipſum i btus eſt nobis magis cognatum, quàm in reliquis ſenſibus. 16 Cyrenaici p n tactu phi ab Ariſtippo Cyrenaico nomen habent,qui voluptatem corporis cu hiloſote copulauit, à Zenophonte condiſcipulo refutatus. 17 Secundum a m virtutum à repugnantibus. 18 Tranſit à ſingularibus notionibus ſenſuurgumen m ad generales.

Andromacha.

nerales animi notitias à ſenſibus profectas, quas declarat exemplis. 19 Alia ſunt exempla earum notionum, quæ perfectam rei propoſitæ naturam definiendo comprehendunt. 20 Confirmat aliquam eſſe comprehenſionem animo & mente factam, idque à repugnantibus. Syllogiſmus connexus ſecundus, cuius aſſumptio præceſſit. 21 Secundum argumentum à circunſtantiis comprehenſionum. 22 Tertium argumẽtum fallax eſt: memoria enim theſaurus eſt tam falſarum, quàm verarum notionum, & ſæpe falſa meminimus, quæ tamẽ vera putamus eſſe. 23 Quartum argumentum à definitione artis, quę conſtat ex multis præceptis varia notione comprehenſis, vt Grammatica ex regulis orthographiæ, æthimologiæ, ſyntaxis, proſodiæ. 24 Quintum argumentum à diuiſione artis in duo genera, quorum vnum θεωρητικὸν appellatur, alterũ πρακτικόν. Sic Plato in ciuili ſcientiam in agentem & cognoſcentem partitur: quæ partitio antiqua magis, quàm vera eſt: quia omnes artes conſtant præceptis & vſu: præcepta autem ſpeculationes quædam ſunt & contemplationes, id eſt, θεωρήματα: vſus verò in actione vel opere cernitur, quæ πρᾶξις eſt.

[1] Maximè verò virtutum cognitio confirmat percipi & comprehendi multa poſſe: in quibus ſolis ineſſe etiam ſcientiam dicimus, quam nos non comprehenſionem modò rerum, ſed eam ſtabilem quoq; & immutabilem eſſe cenſemus: [2] itemq; ſapientiam artem viuendi, quæ ipſa ex ſeſe habeat conſtantiam. [3] Ea autem conſtantia ſi nihil habeat percepti & cogniti, quæro vnde nata ſit, aut quomodo? [4] Quæro etiam, ille vir bonus qui ſtatuit omnem cruciatum perferre, intolerabili dolore lacerari potius, quàm aut officium prodat, aut fidem, cur has ſibi tam graues leges impoſuerit, cùm, quamobrem ita oporteret, nihil haberet comprehenſi, percepti, cogniti, conſtituti? [5] Nullo igitur modo fieri poteſt, vt quiſquam tanti æſtimet æquitatem & fidem, vt eius conſeruandæ cauſſa nullum ſupplicium recuſet, niſi iis rebus aſſenſus ſit, quæ falſæ eſſe non poſſunt. [6] Ipſa verò ſapientia ſi ſe ignorabit ſapientia ſit néc ne, quomodo primùm obtinebit nomen ſapientiæ? deinde quomodo ſuſcipere aliquam rem, aut agere fidenter audebit, cùm certi nihil erit quod ſequatur? Cùm verò dubitabit quid ſit extremum & vltimum bonorum, ignorans quò omnia referantur, quî poterit eſſe ſapientia? [7] Atq; etiam illud perſpicuum eſt, conſtitui

neceſſe eſſe initium, quod ſapiētia, cùm quid agere incipiat, ſequatur: idq́ initium eſſe naturæ accommodatum. [8] *nam aliter appetitio (eam enim volumus eſſe ὁρμὴν, qua ad agendum impellimur, & id appetimus, quod eſt viſum) moueri non poteſt. Illud autem quod mouet, prius oportet videri, eiq́ credi: quod fieri non poteſt, ſi id quod viſum erit, diſcerni non poterit à falſo.* [9] *Quomodo autem moueri animus ad appetendum poteſt, ſi id quod videtur, non percipitur, accommodatúmne naturæ ſit, an alienum? itemq́, ſi, quid officij ſui ſit, non occurrit animo, nihil vnquam omnino aget, ad nullam rem vnquam impelletur, nunquam mouebitur.* [10] *quòd ſi aliquid aliquando acturus eſt, neceſſe eſt id ei verum, quod occurrit, videri.*

1 Sextum argumentum ducitur à philoſophia morali, quæ propoſiti de artibus argumenti ſpecies eſt, in qua Lucullus arbitratur ineſſe ſolidam & expreſſam ſcientiam, ſed falsò, cùm vetus illa de moribus diſciplina vanis opinionibus gentium & religione contineretur, non vllis demonſtrationibus, quæ ſolæ philoſophis videntur efficere ſcientiam. 2 Probat firmam & certam eſſe virtutum κατάληψιν à cauſſis: ſyllogiſmus connexus ſecundus:

Si conſtantia vitæ nihil habuit percepti, ex ſapientia naſci non potuit.
Sed naſcitur ex ſapientia:
Habet igitur aliquid percepti.

Aſſumptio prima eſt, quæ complectitur definitiones ſapientiæ, vt ea ſit ars viuendi per ſe firma, & ex præceptis certis & indubitatis conſtans, qualem veteres philoſophi, qui ſapientes habebantur, nullam conſequi potuerunt, ſed à vera & recta via ſapientiæ procul aberrarunt. 3 Propoſitio ſyllogiſmi. 4 Illuſtratio propoſitionis per ſpecies virtutis, fidem, æquitatem, fortitudinem, quas vir bonus & fortis maximè expetēdas iudicat. 5 Concluſio ſyllogiſmi. 6 Secundum argumentum à repugnantibus. Syllogiſmus connexus tertius:

Si ſapientia de ſe, rebusq́ue ſibi ſubiectis dubitet, non erit ſapientia:
Sed non dubitat. (hæc enim rationem vitæ, finemq́ue bonorum omnium perſpicit.)
Eſt igitur aliqua ſapientia.

Propoſitio ſyllogiſmi primo loco ponitur. 7 Aſſumptio ſyllogiſmi ex remotione antecedentis, quæ confirmatur primis cauſſis & elementis beatæ vitæ, de quibus Cicero lib. 3. 4. 5. de Finib. Qui libri nobis Chriſtianis ſatis indicant antiquis philoſophis non modò ignotam fuiſſe ſummam beatæ vitæ, ſed etiam primas cauſſas, quæ hominem ad bene beateq́ue viuendum poſſent allicere. Itaque falſo & ſuppoſito ſapientiæ nomine vanam quandam & impiam bene viuendi artem tradiderunt. 8 Tertium argumentum à repugnantibus. Syllogiſmus connexus ſecundus:

Si viſum verum à falſo diſcerni non poteſt, nullus erit appetitus, qui nos ad bene viuendum incitet:

Sed

Sed aliquis eſt appetitus, quo impellimur ad ſummum bonum:
Igitur viſum verum diſcerni poteſt à falſo.

9 Amplificat proximum argumentum, iteratque ſyllogiſmum connexum ſecundi modi. Cuius propoſitio hìc eſt. 10 Aſſumptio ſyllogiſmi, & concluſio in eadem clauſula reperiuntur, ſicuti plerunque accidit in bonis authoribus.

[1] Quid quòd ſi iſta vera ſunt, ratio omnis tollitur, quaſi quædam lux lumenq́ vitæ: taménne in iſta prauitate perſtabitis? nam quærendi initium ratio attulit, quæ perfecit virtutē, cùm eſſet ipſa ratio confirmata quærendò. [2] Quæſtio autem eſt appetitio cognitionis: quæſtionisq́ finis inuentio. [3] At nemo inuenit falſa: nec ea quæ incerta permanēt, inuenta eſſe poſſunt: ſed cùm ea quæ quaſi inuoluta fuerunt, aperta ſunt, tum inuēta dicuntur. ſic & initium quærendi, & exitus percipiendi & comprehendendi tenet. Itaq́ argumenti concluſio, quæ eſt Græcè ἀπόδειξις, ita definitur, Ratio quæ ex rebus perceptis ad id quod non percipiebatur, adducit. [4] Quòd ſi omnia viſa eiuſmodi eſſent, qualia iſti dicunt, vt ea vel falſa eſſe poſſent. neque ea poſſet vlla notio diſcernere, quo modo quempiam aut concluſiſſe aliquid, aut inueniſſe diceremus? aut quæ eſſet concluſi argumentì fides? [5] Ipſa autem philoſophia, quæ rationibus progredi debet, quem habebit exitum? [6] Sapientiæ verò quid futurum eſt? quæ neq́ de ſe ipſa dubitare debet, neq́ de ſuis decretis, quæ philoſophi vocant δόγματα: quorum nullum ſine ſcelere prodi poterit. cùm enim decretum proditur, lex veri rectíque proditur. quo è vitio & amicitiarum proditiones, & rerum publicarum naſci ſolent. Non poteſt igitur dubitari, quin decretum nullum falſum poſſit eſſe, [7] ſapientiq́ ſatis non ſit eſſe falſum, ſed etiam ſtabile, fixum, ratum eſſe debeat, quod mouere nulla ratio queat. Talia autem neq́ eſſe, neq́ videri poſſunt eorum ratione, qui illa viſa, è quibus omnia decreta ſunt nata, negant quicquam à falſis intereſſe. [8] Ex hoc il-

lud eſt natum, quod poſtulabat Hortenſius, vt id ipſum ſaltem perceptum à ſapiente diceretis, nihil poſſe percipi. [9] Sed Antipatro hoc idem poſtulanti, cùm diceret, ei qui aſſirmaret nihil poſſe percipi, conſentaneum eſſe vnum tamen illud dicere percipi poſſe, vt alia nõ poſſent, [10] Carneades acutius reſiſtebat. nam tantùm abeſſe dicebat, vt id conſentaneum eſſet, vt maximè etiam repugnaret. qui enim negaret quicquam eſſe quod perciperetur, eum nihil excipere: ita neceſſe eſſe, ne id ipſum quidem quod exceptum non eſſet, comprehendi & percipi vllo modo poſſe. [11] Antiochus ad iſtum locum preßius videbatur accedere. quoniam enim id haberēt Academici decretum (ſentitis enim iam hoc me δόγμα dicere) nihil poſſe percipi, non debere eos in ſuo decreto, ſicut in cæteris rebus, fluctuare: præſertim cùm in eo ſumma conſiſteret. [12] hanc enim eſſe regulam totius philoſophiæ, conſtitutionem veri, falſi, cogniti, incogniti. quam ratione͂ quoniam ſuſciperēt, dicereq́ vellent quæ à quouis accipi oporteret, & quæ repudiari, certè hoc ipſum, ex quo omne veri falſiq́ iudicium eſſet, percipere eos debuiſſe. [13] Etenim duo eſſe hæc maxima in philoſophia, iudicium veri & finem bonorum: neq́ ſapientem poſſe eſſe, qui aut cognoſcendi eſſe initium ignoret, aut extremum expetēdi, vt aut vnde proficiſcatur, aut quò perueniendum ſit, neſciat. [14] Hæc autem habere dubia, neq́ his ita confidere vt moueri non poßint, abhorrere à ſapientia plurimùm. Hoc igitur modo potius erat ab his poſtulandum, vt hoc vnum ſaltem, percipi nihil poſſe, perceptum eſſe dicerent. Sed de inconſtantia totiùs illorum ſententiæ, ſi vlla ſentētia cuiuſquam eſſe poteſt nihil approbantis, ſit, vt opinor, dictum ſatis. [15] Sequitur diſputatio copioſa illa quidem, ſed paulò abſtruſior. habet enim aliquantum à phyſicis:

phyſicis: vt verear ne maiorem largiar ei, qui contrà dicturus eſt, libertatem & licentiam. nam quid eum facturum putem de abditis rebus & obſcuris, qui lucē eripere conetur? [16] Sed diſputari poterat ſubtiliter, quanto quaſi artificio natura fabricata eſſet primùm animal omne, deinde hominē maximè: quæ vis eſſet in ſenſibus, quemadmodum prima viſa nos pellerent, deinde appetitio ab his pulſa ſequeretur: tum vt ſenſus ad res percipiendas intenderemus. [17] Mens enim ipſa, quæ ſenſuum fons eſt, atq; etiam ipſa ſenſus eſt, naturalem vim habet, quam intendit ad ea quibus mouetur. itaque alia viſa ſic arripit, vt his ſtatim vtatur: aliqua ſic recondit, è quibus memoria oritur. [18] Cætera autem ſimilitudinibus conſtruit, ex quibus efficiuntur notitiæ rerum, quas Græci tum [19] ἐννοίας, tum προλήψεις vocant, eò cùm acceſſit ratio, argumentíque concluſio, rerúmque innumerabilium multitudo, tum & perceptio eorum omnium apparet, & eadem ratio perfecta his gradibus ad ſapientiam peruenit. [20] Ad rerum igitur ſcientiam, vitæq; conſtantiam aptiſſima cùm ſit mens hominis, amplectitur maximè cognitionem: & iſtam κατάληψιν, quam, vt dixi, verbum è verbo exprimentes, comprehenſionem dicemus, cùm ipſam per ſe amat (nihil eſt enim ei veritatis luce dulcius) tum etiam propter vſum. [21] Quocirca etiam ſenſibus vtitur: & artes efficit quaſi ſenſus alteros: & vſque eò philoſophiam ipſam corroborat, vt virtutem efficiat, ex qua re vna vita omnis apta ſit. [22] Ergo hi qui negant quicquam poſſe comprehendi, hæc ipſa eripiunt vel inſtrumenta, vel ornamenta vitæ, vel potius etiam totam vitam euertunt funditùs, ipſumq; animal orbant animo: vt difficile ſit de temeritate eorum, perinde vt cauſſa poſtulat, dicere.

1 Tranſit Lucullus à morali diſciplina ad dialecticam, quam diſputat eſſe comprehenſionis alicuius & perceptionis, idque primùm ab inuentione, prima parte huius artis. Syllogiſmus ſimplex primi generis:

Omnis inuentio eſt rerum verarum & certarum:
Quæſtionis finis eſt inuentio:
Quæſtionis igitur finis eſt rerum verarum & certarum.

2 Aſſumptio ſyllogiſmi. 3 Propoſitio ſyllogiſmi falſo probatur argumento: non enim inuentionis eſt, efficere vt res vera vel falſa, certa vel incerta videatur, ſed ſyllogiſmi: nec quæſtio cum argumentis expoſita eſt, dicitur inuenta eſſe, ſed potius concluſa & iudicata: itaque videtur Lucullus inuentionem cum iudicio conturbare, quia iudicium quæſtionis, quod in ſyllogiſmo ſitum eſt, ipſe refert ad inuentionem. 4 Concludit ex vtraque dialecticæ artis parte aliquam eſſe rerum κατάληψιν, hæc ſiquidem doctrina & argumentum perſpicuum, quo res aliqua probetur, inuenit, & ſyllogiſmum conſtantem, quo de quæſtione propoſita iudicetur, conſtruit. 5 Hæc diſputatio pertinet ad dialecticam methodum, quæ iubet in omnibus philoſophiæ partibus via & ordine progredi, vt ea quæ dicuntur facilè intelligi & percipi poſſint. 6 Vide quanta temeritas fuerit antiquorum philoſophorum, qui diſcipulos ſuos certis decretis ſic addictos eſſe iubebant, vt ſcelus crederent de quoquam dubitare: cùm tamen innumerabilia penè huiuſmodi hominum dogmata falſa & impia fuerint. Hos philoſophos Græci δογματικοὺς appellāt, qui tanquam aliquid percipi poſſet, certas formulas artium deſcripſerunt. Academicos autem ἐφεκτικοὺς, qui nihil definiunt, & de rebus ita diſputant, vt comprehendi nō poſſint. 7 Hoc quidem de ſapiente verè dictum eſt, quippe qui certam & ſtabilem ſcientiam teneat: ſed veteres philoſophi, qui ſua decreta ſapientiæ tribuebant, ſtultè & inſipienter ſapientiæ laudem ſibi vendicabant. 8 Conſectarium eſt ex propoſitione proximi ſyllogiſmi:

Omne decretum debet eſſe philoſopho ratum & perceptum:
Nihil poſſe percipi eſt decretum Academiæ nouæ:
Hoc igitur ſaltem ratum & perceptum Academicis eſſe debet.

9 Explicat ſcholaſticas altercationes philoſophorum. Prima eſt Antipatri Stoici contra nouam Academiam ab adiunctis. Academici dicunt nihil poſſe ſciri: ergo hoc vnum ſaltem ſciunt, nihil poſſe ſciri. 10 Carneades Antipatro reſiſtit à genere ad ſpeciem:

Nulla res percipi poteſt:
Id autem ipſum, nihil poſſe percipi, eſt aliqua res.
Non poteſt igitur vel idipſum ſaltem percipi.

In hac ſententia cùm eſſet Carneades, non vtebatur his verbis, quæ plenam affirmationem ſignificarēt, ſed iis tantùm, quæ probabilem opinionem de his rebus, de quibus diſſerebatur, aliquam præ ſe ferrent, cuiuſmodi eſſent, Ita opinor, Sic mihi videtur, & ſimilia. 11 Antiochus Carneadem refellit à ſimilibus, vbi allegoria eſt à nauibus, quæ quemadmodum non fluctuant, cùm ſumma aquæ conſiſtit, ſic cùm ſumma ratio ſit Academiæ nouæ, nihil poſſe percipi, in ea fluctuare, & incerta eſſe non debet. 12 Declarat ſimilitudinē ab adiunctis. Syllogiſmus ſimplex primi generis:

Regula philoſophiæ eſt conſtitutio veri, falſi, cogniti, incogniti:
Academici ſequuntur regulam philoſophiæ:
Conſtituunt igitur verum, falſum, cognitum, incognitum.

13 Aliud argumentum ab adiunctis, & ſyllogiſmus ex eodem genere primo ſimplicium:

Duæ ſunt partes principes philoſophiæ, Dialectica quæ circa iudicium veri: & Ethica, quæ circa morum doctrinam verſatur:
Sed Academici hæc dubia & incerta eſſe dicunt:

Abhor-

Abhorrent igitur à philoſophia.
Propoſitio prima eſt. 14 Aſſumptio & concluſio. 15 Hic Lucullus imitatur veteres dialecticos, qui diſputationem de ſenſuum & animorum notitiis præcipuam dialecticæ artis partem faciebant, vt docet Cicero primo Academico ad Varronem, cùm tamen hæc vniuerſa propriè ad phyſicam debeat referri, vbi diſſeritur de facultatibus animæ. 16 Duo ſunt fontes vnde manat omnis cognitio & perceptio, ſenſus & mens, quorum vterque à rebus ſibi oblatis ad eas percipiendas mouetur. 17 Animus in homine vnus eſt, qui videt, qui audit, qui olfacit, qui guſtat, qui tangit, qui ratiocinatur & intelligit, ſed tamen doctrinæ gratia diſtinguitur à philoſophis, vt cùm res corporeas & materiatas inſtrumentis corporeis percipit, ſenſus appelletur: cùm verò generales rerum notiones concipit, propriè mens dicatur, licèt tamen, vt dixi, eadem anima vtrumque faciat. 18 Animus generales notiones facit & conſtruit ex inductione rerum ſpecie ſimilium.
19 Ἐννοίας Cicero notiones & notitias vocat: προλήψεις verò anticipationes: id eſt, anteceptas animo rerum quaſi quaſdam informationes, quòd animus per ſe res intelligat, antequam doceatur. 20 Concludit totam vim mentis humanæ, vbi & finis oſtenditur, ad quem nata eſt, & cauſſæ, quæ ad finem ipſum referuntur. 21 Quemadmodum mens ſenſibus res ſpeciales & materiatas: ſic artibus res generales & vniuerſas videt & cognoſcit. 22 Concluſio aduerſus Academicos à repugnantibus.

[1] *Nec verò ſatis conſtituere poſſum, quid ſit eorum conſilium, aut quid velint. interdum enim cùm adhibemus ad eos orationem eiuſmodi, ſi ea quæ diſputantur, vera ſint, tum omnia fore incerta: reſpondent,* [2] *Quid ergo iſtud ad nos? num noſtra culpa eſt? naturam accuſa, quæ in profundo veritatem, vt ait Democritus, penitus abſtruſerit.* [3] *Alij autem elegantius: qui etiam queruntur, quòd eos inſimulemus omnia incerta dicere: quantumq́ intersit inter incertum, & id quod percipi non poſsit, docere conantur, eaq́ diſtinguere. Cum his igitur agamus, qui hæc diſtingunt: illos qui omnia ſic incerta dicunt,* [4] *vt ſtellarum numerus par an impar ſit, neſciatur, quaſi deſperatos aliquos relinquamus.* [5] *volunt enim, & hoc quidem vel maximè vos animaduertebam moueri, probabile aliquid eſſe, & quaſi veriſimile, eaq́ ſe vti regula & in agenda vita, & in quærendo, ac diſſerendo.* [6] *Quæ iſta regula eſt veri & falſi, ſi notionem veri & falſi, propterea quòd ea non poſſunt internoſci, nullam habemus?* [7] *nam ſi habemus, intereſſe oportet, vt*

inter rectum & prauum, ſic inter verum & falſum. [8] *ſi nihil intereſt, nulla regula eſt, nec poteſt is cui eſt viſio veri falſiq; communis, vllum habere iudicium, aut vllam omnino veritatis notam.* [9] *Nam cùm dicunt hoc ſe vnum tollere, vt quicquam poſſit ita videri, vt non eodem modo falſum etiam poſſit ita videri: cætera autem concedere: faciunt pueriliter. quo enim omnia iudicãtur ſublato, reliqua ſe negant tollere: vt ſi quis quem oculis priuauerit, dicat ea quæ cerni poſſent, non ſe ei ademiſſe. Ut enim illa oculis modo cognoſcuntur, ſic reliqua viſis, ſed propria veri, non communi veri & falſi nota.* [10] *Quamobrem ſiue tu probabilem viſionem, ſiue improbabilem, & quæ nõ impediatur, vt Carneades volebat, ſiue aliud quid proferes, quod ſequare: ad viſum illud de quo agimus, tibi erit reuertendũm.* [11] *in eo autem ſi erit communitas cũ falſo, nullum erit iudicium, quia proprium in communi ſigno notari non poteſt. ſin autem commune nihil erit, habeo quod volo. id enim quæro, quod ita mihi videatur verum, vt non poſſit idem falſum videri.* [12] *Simili in errore verſantur, cùm cõuicti, ac iudicio veritatis coacti, perſpicua à perceptis volunt diſtinguere, & conantur oſtendere eſſe aliquid perſpicui, verùm illud quidem impreſſum in animo atq; in mente: neq; tamen id percipi ac comprehendi poſſe. quo enim modo perſpicuè dixeris album eſſe aliquid, cùm poſſit accidere, vt id quod nigrum ſit, album eſſe videatur? aut quo modo iſta aut perſpicua dicemus, aut impreſſa ſubtiliter, cùm ſit incertum, verè, inanitérne moueatur? ita neq; color, neq; corpus, neq; veritas, neq; argumentum, neque ſenſus, neque perſpicuum vllum relinquitur.* [13] *Ex hoc illud his vſu venire ſolet, vt quicquid dixerint, à quibuſdam interrogentur, Ergo iſtuc quidem percipis? ſed qui ita interrogant,*

terrogant, ab his irridentur. Non enim vrgent, vt coarguant, neminem vlla de re poſſe contendere, neque aſſeuerare ſine aliqua eius rei quam ſibi quiſque placere dicit, certa & propria nota. [14] *Quod eſt igitur iſtuc veſtrum probabile? nam ſi quod cuique occurrit, & primo quaſi aſpectu probabile videtur, id confirmatur: quid eo leuius? ſin ex circunſpectione aliqua, & accurata conſideratione, quod viſum ſit, id ſe dicent ſequi: tamen exitum non habebunt.* [15] *primùm quia his viſis, inter quæ nihil intereſt, æqualiter omnibus abrogatur fides.* [16] *Deinde cùm dicant poſſe accidere ſapienti, vt cùm omnia fecerit, diligentiſſimeq́ circunſpexerit, exiſtat aliquid quod & veriſimile videatur, & abſit longiſſimè à vero: quomodo, ſi magna parte quidem, vt ſolent dicere, ad verum ipſum, aut quàm proximè accedant, confidere ſibi poterunt?* [17] *Ut enim confidant, notum his eſſe debebit inſigne veri: quo obſcuro & oppreſſo, quod tandem verum ſibi videbuntur attingere?* [18] *Quid autem tam abſurdè dici poteſt, quàm cùm ita loquuntur, Eſt hoc quidem illius rei ſignum, aut argumentum, & ea re id ſequor: ſed fieri poteſt, vt id quod ſignificatur, aut falſum ſit, aut nihil ſit omnino? Sed de perceptione hactenus. Si quis enim ea quæ dicta ſunt, labefactare volet, facile etiam abſentibus nobis veritas ſe ipſa defendet.*

1 Lucullus diſputauit generatim pro comprehenſione contra nouos Academicos, deinceps ſententias illorum & rationes elicit, vt eas refellat: hæc igitur ſpecialis eſt refutatio aduerſus quędam decreta Academicorum κατάληψιν tollentium. 2 Prima defenſio Academicorum ſumitur à cauſſa inuentionis.

3 Altera defenſio à diſtinctione diſſimilium, quòd aliud ἄδηλον ſit, id eſt, incertum: aliud ἀκατάληπτον, id eſt, incomprehenſibile. 4 Ne id quidem ſciri poteſt, quia ſtellæ dinumerari non poſſunt. 5 Hæc theſis eſt Academicorum, aliquid eſſe probabile, aliquid improbabile: ipſumq́; probabile vnicam eſſe regulam, quã ſequantur in omni diſputatione & conſideratione veri & falſi. 6 Refutatio theſis à repugnantib. Syllogiſmus cõnexus ſecundus. 7 Propoſitio. 8 Aſſumptio & cõcluſio. 9 Occupat interpretationẽ ſentẽtię: Academici enĩ interdũ

dicebāt res ſuaptè natura poſſe percipi,ſed earum notiones in animis noſtris eſſe confuſas: itaque cauſſam ignorantiæ non rebus, ſed animis noſtris tribuebant: quam interpretationem Lucullus refellit à ſimilibus. 10 Concluſio cum iteratione ſuperioris argumenti. 11 Occupat alterum Academicum decretum, quo aliquid eſſe perſpicuum,nihil tamen eſſe perceptum dicitur. Locus eſt diſſimilitudinis ad diſtinguendum τὸ ἐναργὲς, id eſt perſpicuum, καὶ τὸ καταληπτόν, id eſt comprehenſibile, vt illud ſit, quod habet aliquam cognationem cum vero, ſed tamen incertum eſt, an ſit verum ſemper, necne: hoc autem,quod ita verum cognoſcitur,vt falſum eſſe non poſſit. 12 Refutat definitionem perſpicui à repugnantibus. 13 Tertia prolepſis contra Academicos,& eorum reſponſio de ratione diſputandi & iudicandi,vt nihil omnino affirmetur, quod non habeat propriam & certam veri notam, id eſt,quod non ſit cognitum verum propriis & certis, & euidentibus cauſſis, qualis ſcientia de re vlla conſtare nobis nulla poteſt. 14 Refutatio huius poſtremi decreti à repugnantibus, vbi eſt dilemma bipartitum, & vtriuſque partis depulſio. 15 Secunda pars dilemmatis tribus argumentis tollitur: primum eſt à cauſſis. 16 Secundum à repugnātibus. 17 Syllogiſmus connexus ſecundus plenus eſt & integer. 18 Tertium & poſtremum argumentum à repugnantibus.

[1] His ſatis cognitis, quæ iam explicata ſunt: nunc de aſſenſione atq; approbatione, quam Græci συγκατάθεσιν vocant, pauca dicemus, non quò non latus locus ſit: ſed paulo antè iacta ſunt fundamenta. nam cùm vim quæ eſſet in ſenſibus, explicabamus, ſimul illud aperiebatur, comprehendi multa & percipi ſenſibus: quod fieri ſine aſſenſione non poteſt. [2] deinde cùm inter inanimum & animal hoc maximè interſit, quòd inanimum nihil agit, animal agit aliquid: (nihil enim agens ne cogitari quidem poteſt quale ſit) aut ei ſenſus adimendus eſt, aut ea quæ eſt in noſtra poteſtate ſita, reddenda aſſenſio. [3] At verò animus quodāmodo eripitur iis, quos neq; ſentire, neq; aſſentiri volunt. [4] etenim neceſſe eſt, vt lancem in libra ponderibus impoſitis deprimi, ſic animũ perſpicuis cedere. [5] nam quomodo non poteſt animal vllum non appetere id quod accommodatum ad naturam appareat (Græci id οἰκεῖον appellant) ſic non poteſt obiectam rem perſpicuam non approbare. [6] Quanquam ſi illa, de quibus diſputatum eſt, vera ſunt: nihil attinet de aſſenſione omnino loqui. quid enim quid percipit, aſſentitur ſtatim. [7] Sed hæc etiam ſequuntur, nec memoriam ſine aſſenſione poſſe

conſtare

conſtare, neque notitias rerum, nec artes: idq́, quod maximum eſt, vt ſit aliquid in noſtra poteſtate, in eo qui rei nulli aſſentietur, non erit. [8] *Vbi igitur virtus, ſi nihil ſitum eſt in ipſis nobis? Maximè autem abſurdum, vitia in ipſorum eſſe poteſtate, neq́ peccare quenquam niſi aſſenſione: hoc idem in virtute non eſſe, cuius omnis conſtantia & firmitas ex his rebus conſtat, quibus aſſenſa eſt, & quas approbauit: omninoq́ antè videri aliquid, quàm agamus, neceſſe eſt, eiq́ quod viſum ſit, aſſentiamur. Quare qui aut viſum, aut aſſenſum tollit, is omnem actionem tollit è vita.*

1 Lucullus tranſit ad ſecundam theſim ſuæ confirmationis, quòd aliquid in philoſophia ſit approbandum: quam breuiter diſputat, quia argumenta ſuperiora huc referri poſſunt. Primus locus ab efficiente cauſſa: perceptio enim gignit aſſenſionem & approbationem rei propoſitæ. 2 Secundus locus à diſtinctione diſſimilium: inanimum nihil agit, animal motus habet liberos, quibus aſſentitur. 3 Tertius locus ex abſurda conſecutione repugnantium: hæc enim duo pugnant, animum eſſe, & aſſenſum animi nullum eſſe: qui locus duobus ſimilibus explicatur. 4 Prima ſimilitudo à lance. 5 Secunda ſimilitudo à naturali appetitione. 6 Correctio cum iteratione primi argumenti, Multa percipiuntur: ergo multa approbantur. 7 Quartus locus reuocat ex ſuperiore diſputatione quatuor argumenta de memoria, de notitiis, de artibus, de virtutibus. 8 Quintus illuſtratur a paribus: vitium eſt in noſtra poteſtate: igitur & virtus. Sed ſubductis omnibus Luculli rationibus, licèt hæ veræ ſint, intelligimus tamẽ eas contra nouos Academicos nihil facere, qui neque motus liberos, neque aſſenſum omnem tollunt (ſapientem enim volunt rebus aſſentiri probabilibus) ſed aſſenſum temerarium, & arrogantem, & impudentem, in quem incidunt ſtulti philoſophi, cùm quidpiam tanquam firmum, & ratum, & certum, & perceptum ſit, ſine vlla prorſus dubitatione approbant, ſeque perfectiſſimè ſcire profitentur: quem aſſenſum iure & meritò Academici in antiqua philoſophia damnandum eſſe cenſuerunt: quòd in illa nulla ſcientia traderetur: ſed opiniones tantũ probabiles philoſophorum variis altercationibus diſputarentur.

[1] *Nunc ea videamus quæ contrà ab his diſputari ſolent. Sed prius poteſt is totius eorum rationis quaſi fundamenta cognoſcere.* [2] *Componunt igitur primùm artem quandam de his quæ viſa dicimus: eorúmque & vim & genera definiunt: in his quale ſit id quod percipi & comprehendi poſſit, totidem verbis, quot Stoici.* [3] *Deinde illa exponunt duo, quæ quaſi contineant omnem hanc quæſtionem: quæ ita vi-*

deantur, vt etiam alia multa eodem modo videri poſſint: neque in his quicquam interſit, poſſe eorum alia percipi, alia non percipi. [4] *nihil intereſſe autem, non modo ſi ex omni parte eiuſdem modi ſint, ſed etiam ſi diſcerni non poſſint. quibus poſitis, vnius argumenti concluſione tota ab his cauſſa comprehenditur. Compoſita autem ea concluſio ſic eſt: Eorum quæ videntur, alia vera ſunt, alia falſa: & quod falſum eſt, id percipi non poteſt: quod autem verum viſum eſt, id omne tale eſt, vt eiuſdem modi falſum etiam poſſit videri. Et quæ viſa ſunt eiuſmodi, vt in iis nihil interſit: non poteſt accidere, vt eorum alia percipi poſſint, alia non poſſint. Nullum igitur eſt viſum quod percipi poſſit.* [5] *Quæ autem ſumunt vt concludant id quod volunt: ex his duo ſibi putant concedi. neque enim quiſquam repugnat. Ea ſunt hæc, Quæ viſa falſa ſint, ea percipi non poſſe: & alterum, Inter quæ viſa nihil interſit, ex his non poſſe alia talia eſſe, vt percipi poſſint, alia vt non poſſint. Reliqua verò multa & varia oratione defendunt: quæ ſunt item duo: vnum, eorum quæ videantur, alia vera eſſe, & falſa: alterum omne viſum quod ſit à vero, tale eſſe, quale etiam à falſo poſſit eſſe. Hæc duo propoſita non* [6] *prætervolant, ſed ita dilatant, vt non mediocrem curam adhibeant, & diligentiam.* [7] *Diuidunt enim in partes, & eas quidem magnas: primùm in ſenſus, deinde in ea quæ ducuntur à ſenſibus, & ab omni conſuetudine, quam obſcurari volunt: tum perueniunt ad eam partem, vt ne ratione quidem & coniectura vlla res percipi poſſit.* [8] *Hæc autem vniuerſa concidunt etiam minutius.* [9] *Ut enim de ſenſibus heſterno ſermone vidiſtis, item faciunt de reliquis: in ſingulisque rebus, quas in minima diſpertiunt, volunt efficere, his omnibus quæ viſa ſint, veris adiuncta eſſe*

falſa,

falſa, quæ à veris nihil differant: ea cùm talia ſint, non poſſe comprehendi. [10] *Hanc ego ſubtilitatem philoſophia quidem digniſſimam iudico, ſed ab eorum cauſſa qui ita diſſerunt, remotiſſimam. Definitiones enim & partitiones, & horum luminibus vtens oratio, tum ſimilitudines diſſimilitudinesq́, & earum tenuis & acuta diſtinctio, fidentium eſt hominum illa vera & firma & certa eſſe quæ tutentur: non eorum qui clament nihilo magis vera illa eſſe, quàm falſa.* [11] *Quid enim agant, ſi cùm aliquid definierint, roget eos quiſpiam, num illa definitio poſſit in aliam rem transferri quamlibet? ſi poſſe dixerint: quid dicere habeant cur illa vera definitio ſit? ſi negauerint: fatendum ſit, quoniam vel illa vera definitio transferri non poſſit in falſum, vel quod ea definitione explicetur, id percipi poſſe. quod minimè illi volunt. Eadem dici poterunt in omnibus partibus.* [12] *Si enim dicent ea, de quibus different, ſe dilucidè perſpicere, nec vlla communione viſorum impediri: comprehendere ea ſe poſſe fatebuntur.* [13] *Sin autem negabunt vera viſa à falſis poſſe diſtingui: quî poterunt longius progredi? occurretur enim ſicut occurſum eſt. nam concludi* [14] *argumentum non poteſt, niſi his, quæ ad concludendum ſumpta erũt, ita probatis, vt falſa eiuſdem modi nulla poſſint eſſe.* [15] *Ergo ſi rebus comprehenſis & perceptis, viſa & progreſſa ratio hoc efficiet, nihil poſſe comprehendi: quid poteſt reperiri, quod ipſum ſibi repugnet magis?* [16] *Cumq́ ipſa natura accurata orationis hoc profiteatur, ſe aliquid patefacturam quod non appareat, & quò id facilius aſſequatur, adhibiturã & ſenſus, & ea quæ perſpicua ſint: qualis eſt iſtorũ oratio, qui omnia nõ tam eſſe, quàm videri volunt? Maximè autẽ conuincuntur, cũ hæc duo pro congruentibus ſumunt tam vehemẽter repugnãtia:*

primùm, eſſe quadam falſa viſa: quod cùm volunt, declarant quadam eſſe vera: deinde, inter falſa viſa & vera nihil intereſſe. [17] At primùm ſumpſeràs, tanquam intereſſet. ita priori poſterius, poſteriori ſuperius non iungitur.

1 Hactenus diſputatum eſt pro aſſenſione & comprehenſione, quæ duo ſunt capita totius Academicæ diſputationis. Confirmationem ſequitur refutatio, in qua Lucullus exponit primùm totam rationem & ſententiam Academicorum, vt ad ſingula eorum argumenta facilius reſpondeat. 2 Artem de viſis ex ſententia Stoicorum Laertius breuiter explicat in vita Zenonis, vbi viſum primùm definitur formæ in animo impreſſio, quæ fit ex eo vnde eſt, qualis eſſe non poteſt ex eo, vnde non eſt: quæ definitio viſum verum duntaxat explicat: deinde tribus modis diuiditur: aliàs in viſum ſenſibile, vt domus: & non ſenſibile, vt Deus: aliàs in irrationale, vt viſum pecudis: & rationale, vt viſum hominis: aliàs in artificiale & inartificiale: nam imagines aliter à doctis, aliter ab indoctis percipiuntur. 3 Duæ ſunt hipotheſes primæ Academicorum, & quaſi fundamenta totius diſputationis. 4 Concludit ſyllogiſmo ſimplici primi generis totam Academicam quæſtionem, in quo ſyllogiſmo quatuor ſunt decreta, quorum tria prima ſunt aſſumptionis: quartum eſt propoſitio ſyllogiſmi, cui proximæ additur concluſio. Syllogiſmus ſic habet:

Nulla viſa, inter quæ nihil intereſt, percipi poſſunt.
Inter omnia viſa nihil intereſt:
Nulla igitur viſa percipi poſſunt.

5 Diſtinguit quatuor decreta in ſyllogiſmo ſumpta, quorum duo Academici ſibi concedi poſtulant, ſecundum & quartum: duo item rationibus & argumentis probant, primum & tertium. 6 Metaphora ab auibus, quæ vltrà volando celeriter effugiunt: vt lib. 1. de Orat. Illud mihi à te nimium feſtinanter dictum videtur, ſapientes omnes ſemper eſſe beatos, neſcio quo modo præteruolauit oratio. 7 Amplificatio tertij decreti ad illuſtrandam aſſumptionem conſtat inductione earum rerum, quæ ſub ſenſus vel animum cadunt. 8 Concluſio aſſumptionis. 9 Iterat concluſionem totius ſyllogiſmi. 10 Incipit Lucullus diſputare contra Academicorum orationem modò expoſitam. Prima refutatio ſumitur à cauſſis efficientibus κατάληψιν, quæ ſuperiori theſi repugnant: nam cùm Academici definiunt viſum, & partiuntur, & genera viſorum declarant κατάληψιν efficiunt, quam tamen inueniri poſſe negant: ſed ipſi dicerent: ſe definire & diuidere res probabiles, non cognitas & perceptas. 11 Illuſtrat proximum argumentum ex dialectica lege definitionis, vbi dilemma eſt à repugnantibus ad conuincédum Academicos. 12 Alterum dilemma ex eodem loco repugnantium ſumptum. 13 Confirmat ſecundam partem dilemmatis à repugnantibus, quæ ſunt argumentari ex propoſitione & aſſumptione, perceptis & probatis, & tamen dicere nihil percipi poſſe. Sed Academici reſpondent ſyllogiſmos ex rebus probatis de re propoſita iudicare, non è perceptis & certa ſcientia comprehenſis: & humana iudicia ſolis ferè opinionibus niti. 14 Hìc argumentum pro argumentatione dici videtur, quæ confici non poteſt, vt aduerſus repugnantem aliquid concludat, niſi antecendentia probata, & pro veris ſumpta fuerint. 15 Concluſio ad iudicandam apertam repugnantiam in ſuperiore ſyllogiſmo Academicorum. 16 Aliud argumentum item à pugnantibus, quæ ſunt, proprium eſſe orationis ſenſa mentis explicare, & nihil percipi poſſe. vbi tamen repugnantia iudicio Academicorum nulla eſt, quia aiunt orationem repertam eſſe ad explicanda ſenſa mentis, quæ partim probabilia, partim improbabilia nobis

occur-

occurrant,non ad interpretandam vllam ſcientiam, quæ in homine nulla ſit, aut nunquam fuerit. 17 Poſtremo loco Lucullus refellit duo capita Academ.ci ſyllogiſmi,primum & tertium,in quibus indicat apertam repugnantiam.

[1] *Sed progrediamur longius,& ita agamus,vt nihil nobis aſſentati eſſe videantur: quaq́; ab his dicuntur,ſic perſequamur, vt nihil in præteritis relinquamus. Primùm igitur perſpicuitas illa,quã diximus,ſatis magnam habet vim, vt ipſa per ſeſe ea quæ ſint, nobis ita vt ſint indicet. Sed tamen vt maneamus in perſpicuis firmius & conſtantius, maiore quadam opus eſt vel arte,vel diligentia: ne ab his quæ clara ſint, ipſa per ſeſe,* [2] *quaſi præſtigijs quibuſdam & captionibus depellamur.* [3] *Nam qui voluit ſubuenire erroribus Epicurus ijs qui videntur conturbare veri cognitionem, dixitq́; ſapientis eſſe, opinionem à perſpicuitate ſeiungere, nihil fecit: ipſius enim opinionis errorem nullo modo ſuſtulit..* [4] *Quamobrem cùm duæ cauſſæ perſpicuis & euidentibus rebus aduerſentur,auxilia totidem ſunt contrà comparanda: aduerſantur enim primùm quòd parum defigunt animos, & intendunt in ea quæ perſpicua ſunt, vt quanta luce ea circunfuſa ſunt,poſſint agnoſcere. alterum eſt,quòd fallacibus & captioſis interrogationibus circumſcripti atq; decepti quidam,cùm eas diſſoluere non poſſunt,deſciſcunt à veritate. Oportet igitur & ea quæ pro perſpicuitate reſponderi poſſunt,in promptu habere, de quibus iam diximus: & eſſe armatos, vt occurrere poſſimus interrogationibus eorũ, captionesq́; diſcutere. quod deinceps facere conſtitui.* [5] *Exponam igitur generatim argumenta eorum, quoniam ipſi etiam illa ſolent non confuſe loqui. Primùm conantur oſtendere multa poſſe videri eſſe, quæ omnino nulla ſunt, cùm animi inaniter moueantur eodem modo rebus ijs, quæ nullæ ſint, vt ijs quæ ſint. Nam cùm dicatis, inquiunt, viſa quæ*

quædam mitti à Deo, velut ea quæ in ſomnijs videantur, quæq; oraculis, auſpicijs, extis declarentur (hæc enim aiunt probari à Stoicis, quos contra diſputant) quærunt quónam modo, falſa viſa quæ ſint, ea deus efficere poſsit probabilia: quæ autem planè proximè ad verum accedunt, efficere non poſsit? aut ſi ea quoq; poſsit, cur illa non poſsit, quæ perdifficiliter, internoſcantur tamen? & ſi hæc, cur non inter quæ nihil ſit omnino? [6] *deinde cùm mens moueatur ipſa per ſeſe, vt & ea declarant, quæ cogitatione depingimus, & ea quæ vel furioſis, vel dormientibus videntur: nonne, inquiunt, veriſimile ſit ſic etiam mentem moueri, vt non modò non internoſcat vera illa viſa ſint, ánne falſa, ſed vt in his nihil interſit omnino? vt, ſi qui tremerent & exalbeſceret, vel ipſi per ſe motu mentis aliquo, vel obiecta terribili re extrinſecùs, nihil intereſſet quî diſtingueretur tremor ille & pallor, neq; vt quicquam intereſſet inter* [7] *inteſtinum & oblatum.* [8] *Poſtremò ſi nulla viſa ſint probabilia, quæ falſa ſint: alia ratio eſt: ſin autem, ſunt cur non etiam quæ nõ facile internoſcantur? cur non vt planè nihil interſit? præſertim cũ ipſi dicatis, ſapiẽtem in furore ſuſtinere ſe ab omni aſſenſu, quia nulla in viſis diſtinctio appareat.* [9] *Ad has omnes viſiones inanes Antiochus quidem & permulta dicebat, & erat de hac vna re vnius diei diſputatio. Mihi autem non idem faciundum puto: ſed ipſa capita dicenda: & primum quidem hoc reprehendendum, quod captioſiſsimo genere interrogationis vtuntur: quod genus minimè in philoſophia probari ſolet, cùm aliquid minutatim & gradatim additur aut demitur.* [10] *Soritas hos vocant, qui aceruum efficiunt vno addito grano. Vitioſum ſanè, & captioſum genus.* [11] *Sic enim aſcenditis: Si tale viſum obiectum eſt à Deo dormienti, vt*

probabi-

probabile ſit, cur non etiam vt valde veriſimile? cur deinde non vt difficiliter à vero internoſcatur? deinde vt ne internoſcatur quidem? poſtremò, vt nihil inter hoc & illud 11 *interſit?* [12] *Huc ſi perueneris, me tibi primùm quidq́; concedente: meum vitium fuerit. ſin ipſe tua ſponte proceſſeris, tuum. Quis enim tibi dederit, aut omnia Deum poſſe, aut ita facturum eſſe, ſi poſſit?* [13] *quomodo autem ſumus, vt ſi quid cui ſimile eſſe poſſit, ſequatur, vt etiam difficiliter internoſci poſſit? deinde vt ne internoſci quidem?* [14] *Poſtremò, vt eadem ſint? vt ſi lupi canibus ſimiles, eoſdem dices ad extremum. Et quidem honeſtis ſimilia ſunt quædam* [15] *non honeſta, & bonis non bona, & artificioſis minimè artificioſa. quid dubitamus igitur affirmare, nihil inter hæc intereſſe? Ne repugnãtia quidem videmus.* [16] *nihil eſt enim quod de ſuo genere in aliud genus transferri poſſit. At ſi efficeretur, vt inter viſa differentium generum nihil intereſſet, reperirentur quæ & in ſuo genere eſſent, & in alieno. quod fieri quî poteſt?* [17] *Omnium deinde inanium viſorum vna depulſio eſt, ſiue illa cogitatione informantur, quod fieri ſolere cõcedimus: ſiue in quiete, ſiue per vinum, ſiue per inſaniam. Nam ab omnibus eiuſdem modi viſis perſpicuitatem, quam mordicùs tenere debemus, abeſſe dicemus.* [18] *quis enim cùm ſibi fingit aliquid, & cogitatione depingit, non ſimul ac ſe ipſe commouit, atq; ad ſe reuocauit, ſentit quid interſit inter perſpicua & inania?* [19] *Eadem ratio eſt ſomniorum. Num cenſes Ennium, cùm in hortis cum Seruio Galba vicino ſuo ambulaſſet, dixiſſe:*

Viſus ſum mihi cum Galba ambulare?

At cùm ſomniauit, ita narrauit:

Viſus Homerus adeſſe poëta.

Idemq́ in Epicharmo,

Nam videbar ſomniare me, & ego eſſe mortuum.

Itaq́ ſimul vt experrecti ſumus, viſa illa contemnimus, neq́ ita habemus vt ea, quæ in foro geſſimus. [20] *At enim dum videntur, eadem eſt in ſomnijs ſpecies eorum, quæ vigilantes videmus. plurimùm intereſt. Sed id omittamus: illud enim dicimus, non eandem eſſe vim neq́ integritatem dormientium & vigilantiũ, nec mente, nec ſenſu.* [21] *Ne vinolenti quidem quæ faciũt, eadem approbatione faciunt, quæ ſobrij: dubitant, hæſitant, reuocant ſe interdum, ijsq́ quæ videntur, imbecillius aſſentiuntur:* [22] *cumq́ edormiunt, illa viſa quàm leuia fuerint, intelligunt. Quod idem contingit inſanis, vt & incipientes furere, ſentiant, & dicant aliquid quod non ſit, id videri ſibi: & cùm relaxentur, ſentiant, atq́ illa dicant Alcmeonis,*

[23] *Sed mihi neutiquam cor conſentit cum oculorum aſpectu.*

1 Excitat deinceps Lucullus nouam attentionem, vt diſputet contra Academicos de perſpicuitate viſorum, quam confirmat eſſe in rerum natura tribus efficientibus cauſſis; natura, arte, & exercitatione: quibus efficitur, vt vnaquæque res perſpicuè teneatur: nam & res ſua ſponte ſe nobis oſtendunt, & ars ea via & ordine docet, & exercitatio quantumuis obſcuras & abditas in lucem profert, quæ omnia Lucullo concedantur licet, non efficient tamen aliquam eſſe perſpicuitatem adiunctam ſcientiæ, id eſt, aliquam eſſe perſpicuam & euidentem & illuſtrem ſcientiam. Artium enim præcepta perſpicua ſunt, ſed perſpicuitate probabili, non certa, firma, rata, comprehenſa: quam quidem Academici ab artibus philoſophiæ abeſſe rectè confirmant. 2 Vt præſtigiatores oculorum, ſic Sophiſtæ mentis aciem fallunt, vt res nobis aliæ videantur, quàm re vera ſint. 3 Egreſſiuncula in Epicurum in dialecticis rudem, qui opinionem erroris ſuſtulit, quia docuit quo modo vera vel falſa eſſet opinio. 4 Opponit duas cauſſas aduerſarias perſpicuitati, negligẽtiam in meditãdo, & captionem ſophiſticam: totidémque contraria remedia: diligentem rerum circunſpectionem, & ſophiſmatum declinationem. 5 Propoſitio eſt Academicæ contentionis, de confuſione viſorum, qua Academici vtebantur contra Stoicos: Primum argumentum eſt ab adiunctis, & Sorites captioſus trium graduum, vbi tres ſunt propoſitiones trium ſyllogiſmorum connexorũ captioſæ & fallaces, vt paulò pòſt intelligetur. 6 Secundum argumentum à cauſſa prima cognitionis, quæ eſt mens: & propoſitio ſyllogiſmi connexa, ſed fallax & inconſequens. 7 Inteſtinus timor eſt mente conceptus, oblatus autem ab obiecta re terribili nobis iniectus. 8 Tertium argumentum idem eſt cum primo, vbi etiam iteratur captioſus Sorites, qui confirmatur

matur authoritate Stoicorum. 9 Lucullus reſpondet ad Academicum Soritem argumentis Antiochi, ſed contractis & breuius expoſitis: prima refutatio eſt ipſius argumentationis, quæ captioſe concluditur. 10 Definit Soritem ex etymologia nominis, quod per ſimilitudinem tranſlatum eſt ab aceruo ex multis granis facto. 11 Iterat Soritem Academicorum, vt ad ſingulas eius partes reſpondeat. 12 Refellit primum gradum duplici negatione, Deus non poteſt omnia, etſi poſſet, viſa tamen falſa, veriſimilia non faceret. 13 Perſequitur reliquos gradus ſimili inficiatione. 14 Concluſio Soritæ refellitur exemplis repugnantibus. 15 Prudentiam malitia, & temperantiam immanitas in voluptatibus aſpernãdis, & magnitudinem animi ſuperbia in animis extollendis, & deſpicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effuſio, & fortitudinem audacia imitatur, & patientiam duritia immanis, & iuſtitiam acerbitas, & religionem ſuperſtitio, & lenitatem mollitia animi, & verecundiam timiditas, & illam diſputandi prudentiam concertatio captioque verborum, & hanc oratoriam vim inanis quædam profluentia loquendi. Cicero in Partitionibus. 16 Aliud argumentum aduerſus concluſionem ex generis & ſpeciei loco: diuerſorum enim generum, quorum aliud ſub alio non continetur, diuerſæ ſunt ſpecies & differentiæ: vnde efficitur viſa eadem eſſe non poſſe. Syllogiſmus eſt connexus ſecundi modi. 17 Diſtinguit genera viſorum inanium ex ſubiecti ratione, vt ea accidant partim vigilantibus, partim dormientibus, partim vinolentis, partim furioſis, in quorũ nonnullis Lucullus negat ineſſe perſpicuitatem. 18 Prima diſtinctio à diſſimili, vigilantes viſa certa & perſpicua facilè ſecernunt à falſis. 19 Altera diſtinctio de viſis dormientium declaratur exemplo & authoritate Ennij & & diſſimilitudine. 20 Occurrit tacitæ obiectioni à diſſimilibus. 21 Tertia diſtinctio de viſis ebriorum confirmatur ex eodem loco diſſimilium. 22 Quarta de furioſis conſtat, item ex diſſimilibus. 23 Verba Alcmeonis ſumpta ſunt ex Alcmeone tragœdia Euripidis, quam Ennius Latinam fecerat.

[1] *At enim ipſe ſapiens ſuſtinet ſe in furore, ne approbet falſa pro veris: & aliàs quidem ſæpe, ſi aut in ſenſibus ipſius eſt aliqua fortè grauitas, aut tarditas, aut obſcuriora ſunt quæ videntur, aut à perſpiciendo temporis breuitate excluditur.* [2] *Quanquam totum hoc, ſapientem aliquando ſuſtinere aſſenſionem, contra vos eſt.* [3] *Si enim inter viſa nihil intereſſet, aut ſemper ſuſtineret, aut nunquam. Sed ex hoc genere toto perſpici poteſt leuitas orationis eorum qui omnia cupiunt confundere.* [4] *Quærimus grauitatis, conſtantiæ, firmitatis, ſapientiæ iudicium: vtimur exemplis ſomniantium, furioſorum, ebrioſorum. Illud attendimus, in hoc omni genere quàm inconſtanter loquamur: non enim proferremus vino aut ſomno oppreſſos, aut mente captos tam abſurde, vt tum diceremus intereſſe inter vi-*

n

gilantium viſa, & ſobriorum, & ſanorum, & eorum qui eſſent aliter affecti: tum nihil intereſſe? [5] *Ne hoc quidem cernunt, omnia ſe reddere incerta, quod nolunt: ea dico incerta, quæ ἄδηλα Græci.* [6] *Si enim res ſe ita habeant, vt nihil interſit, vtrum ita cui videatur, vt inſano, an ſano: cui poßit exploratum eſſe de ſua ſanitate? quod velle efficere, non mediocris inſania eſt.* [7] *Similitudines verò aut geminorum, aut ſignorum annulis impreſſorum pueriliter conſectantur.* [8] *Quis enim noſtrum ſimilitudines negat eſſe, quum eæ plurimis in rebus appareant? Sed ſi ſatis eſt ad tollendam cognitionem, ſimilia eſſe multa multorum, cur eo non eſtis contenti, præſertim concedentibus nobis? & cur id potius contenditis, quod rerum natura non patitur, vt non ſuo quídque genere ſit tale, quale eſt, nec ſit in duobus aut pluribus nulla re differens vlla communitas, vt ſibi ſint & oua ouorum, & apes apum ſimillimæ? Quid pugnas igitur? aut quid tibi vis in geminis? conceditur enim ſimiles eſſe: quo contentus eſſe potueras.* [9] *Tu autem vis eoſdem planè eſſe, non ſimiles. quod fieri nullo modo poteſt. Deinde confugis ad phyſicos, eos qui maximè in Academia irridentur: à quibus ne tu quidem iam te abſtinebis:* [10] *& ais Democritum dicere, innumerabiles eſſe mundos, & quidem ſi quoſdam inter ſeſe non ſolùm ſimiles, ſed vndique perfectè & abſolutè ita pares, vt inter eos nihil prorſus interſit, & eos quidem innumerabiles: itemq; homines.* [11] *Deinde poſtulas, vt ſi mundus ita ſit par alteri mundo, vt inter eos ne minimum quidem interſit, concedatur tibi in hoc quoque noſtro mundo aliquid alicui ſic ſit par, vt nihil differat, nihil interſit.* [12] *Cur enim, inquies, cùm ex illis indiuiduis, vnde omnia Democritus gigni affirmat, in*

reliquis

reliquis mundis, & in his quidem innumerabilibus, innumerabiles? [13] *Q. Lutatij Catuli non modò poſſint eſſe, ſed etiam ſint: in hoc tanto mundo Catulus alter non poſſit effici?* [14] *Primùm quidem me ad Democritum vocas, cui non aſſentior: potiusq́; refellam, propter id, quòd dilucide docetur à politioribus phyſicis, ſingularum rerum ſingulas proprietates eſſe. Fac enim antiquos illos Seruilios, qui gemini fuerunt, tam ſimiles quàm dicuntur: num cenſes etiam eoſdem fuiſſe? non cognoſcebantur foris, at domi: non ab alienis, at à ſuis.* [15] *An non videmus hoc vſu venire, vt quos nunquam putaſſemus à nobis internoſci poſſe, eos conſuetudine adhibita tam facilè internoſceremus, vti ne minimum quidem ſimiles eſſe viderentur? Hic pugnes licèt, non repugnabo: quinetiam concedam, illum ipſum ſapientem, de quo omnis ſermo hic eſt, quum ei res ſimiles occurrant, quas non habeat denotatas, retenturum aſſenſum, nec vnquam vlli viſo aſſenſurum, niſi quod tale fuerit, quale falſum eſſe non poſſit. Sed ad cæteras res habet artem quandam, qua vera à falſis poſſit diſtinguere: & ad ſimilitudines iſtas vſus adhibendus eſt.* [16] *Vt mater geminos internoſcit conſuetudine oculorum: ſic tu internoſces, ſi aſſueueris.* [17] *Vidéſne vt in prouerbio ſit ouorum inter ſe ſimilitudo? tamen hoc accepimus,* [18] *Deli fuiſſe complures ſaluis rebus illis, qui gallinas alere permultas quæſtus cauſſa ſolerent.* [19] *hi cùm ouum inſpexerant, quæ id gallina peperiſſet, dicere ſolebant. Neq; id eſt contra nos: nam nobis ſatis eſt oua illa internoſcere. nihilo enim magis aſſentiri poteſt hoc illud eſſe, quàm ſi inter illa omnino nihil intereſſet. habeo enim regulam, vt talia viſa vera iudicē, qualia falſa eſſe non poſſint. Ab hac mihi non licet tranſuerſum, vt aiunt,*

digitum diſcedere,ne confundam omnia.Ueri enim & falſi non modo cognitio, ſed & natura tolletur, ſi nihil erit quod interſit. [20] vt etiam illud abſurdum ſit, quod interdum ſoletis dicere,cùm viſa in animos imprimantur, non vos id dicere,inter ipſas impreſsiones nihil intereſſe, ſed inter ſpecies & quaſdam formas eorum. Quaſi verò non ſpecie viſa iudicentur,quæ fidem nullam habebunt ſublata veri & falſi nota. [21] Illud verò per abſurdum quod dicitis, probabilia vos ſequi,ſi re nulla impediamini. Primùm quî poteſtis non impediri,cùm à veris falſa non diſtent? deinde quod iudicium eſt veri,cùm ſit commune falſi? [22] ex his illa neceſſariò nata eſt ἐποχὴ,id eſt,aſſenſionis retentio: in qua melius ſibi conſtitit Arceſilas, ſi vera ſunt quæ de Carneade nonnulli exiſtimant. Si enim percipi nihil poteſt, quod vtriq; viſum eſt: tollendus aſſenſus eſt. Quid enim eſt tam futile, quàm quicquam approbare non cognitum? [23] Carneadem autem etiam heri audiebamus ſolitum eſſe delabi interdum, vt diceret opinaturum,id eſt,peccaturum eſſe ſapientem. [24] Mihi porrò non tam certum eſt eſſe aliquid quod comprehendi poſſit, de quo iam etiam nimium diſputo: quàm ſapientem nihil opinari, id eſt,nunquam aſſentiri rei vel falſæ,vel incognitæ. [25] Reſtat illud, quod dicũt [26] veri inueniendi cauſſa contra omnia dici oportere,& pro omnibus.Uolo igitur videre quid inuenerint. [27] Non ſolemus,inquit,oſtendere. Quæ ſunt tandem iſta [28] myſteria? aut cur celatis quaſi turpe aliquid ſententiam veſtram? Ut qui audient,inquit,ratione potius quàm authoritate ducantur. Quid ſi vtrumq;? num peius eſt? vnum tamẽ illud non celant, nihil eſſe quod percipi poſſit. [29] An in eo authoritas nihil obeſt? mihi quidem videtur vel plurimùm. Quis enim iſta tam apertè per-

ſpicuéq;

ſpicueq; & peruerſa & falſa ſecutus eſſet, niſi tanta in Arceſila, multo etiam maior in Carneade & copia rerum, & dicẽdi vis fuiſſet? 30 *Hæc Antiochus ferè & Alexandriæ tum, & multis annis pòſt, multò etiam aſſeuerantius in Syria, cùm eſſet mecum, paulò antè quàm eſſet mortuus.*

1 Concedit poſtremum argumentum Academicum, ſubiicitque alias quatuor cauſſas, quibus etiam ſapiens aſſenſionem cohibet, ne quid audeat affirmare. 2 Idem argumentum vltimum Lucullus in Academicos regerit, quale ἀντίστρεφον perpugnax eſt, cùm nocet aduerſariis, à quibus profertur. 3 Quare nihil erat neceſſe dicere, ſapientem interdum ſuſtinere aſſenſum, & ſpecialem aliquam notare circunſtantiam ſuſpendendi iudicij. 4 Proſopopœia eſt, Academicorum leuitatem & repugnantiam quandam in oratione & diſputatione ſua conſtituentium, quæ dicendi figura multò gratior & valentior, quàm ſi res ipſa ſub perſona Luculli diceretur. 5 Poſtremum argumentum aduerſus concluſionem eiuſdem Soritæ ſumitur ab his rebus, quæ Academicorum theſi repugnant. 6 Illuſtratio argumenti ab exemplo, & ſyllogiſmus connexus ſecundus. 7 Confutatio Soritæ, & ſingulis eius partibus. Lucullus deinceps occupat quædam exempla ſimilitudinis ab Academicis vſurpata, ad illuſtrandas partes propoſitæ argumentationis, & præcipuè complexionem: nam cùm magna ſit multis in rebus ſimilitudo, Academici hinc effici volunt, vt eædem ſint, atque nihil inter eas interſit. 8 Argumẽtum ſimilitudinis reprehenditur tanquam falſum, quia ex eo concluſio non efficiatur: ſi enim propoſitio ſyllogiſmi addatur, falſa erit: omnia ſimilia ſunt eadem. 9 Alia probatio Academicorum ad confirmandam complexionem ſui Soritæ ducitur à maiore ad minus. ſyllogiſmus connexus primus:

Si inter mundos innumerabiles nihil interſit, & inter multas res, quę
ſunt in noſtro mundo, nihil intererit:
Sed inter mundos nihil intereſt, vt ait Democritus:
Ergo inter multas res huius mundi nihil intereſt.

Aſſumptio præcedit approbata teſtimonio Democriti, qui cenſuit mundos eſſe innumerabiles, & nulla re inter ſe differentes: contra quem diſputat Ariſtoteles cap. 8. lib. 1. de Cœlo. 10 Aſſumptio ſyllogiſmi. 11 Propoſitio ſyllogiſmi à maiore ad minus. 12 Ratio propoſitionis à primis rerum cauſſis ſecundùm opinionem Democriti, & ab exemplo ſpeciali per comparationem maiorum declaratur. 13 Hoc exemplum citatur propter Catulum, qui huic diſputationi intererat. 14 Refellit aſſumptionem ſyllogiſmi, & Democriti teſtimonium alio phyſicorum teſtimonio, qui in ſingulis rebus aliquid proprium eſſe cenſent, quo ab aliis differant, & diſtinguantur. Nam ſingularum rerum propriæ quædam ſunt formæ, quas cùm ignoramus, ex multis communibus accidentibus ſic vnamquamque rem definimus, vt proprium tandem aliquid efficiatur. 15 Reſpondet ad exemplum de geminorum ſimilitudine, & duas cauſſas adfert, quibus res ſimiles internoſcantur, conſuetudinem & artem. 16 Confirmat vim conſuetudinis ad res diſtinguendas, duplici ſimilitudine exemplorum. Prima eſt à matre geminos internoſcente. 17 Secunda ſimilitudo ab exemplo ouorum, de quibus prouerbium eſt, Nihil tam ſimile ouo quàm ouum, cùm de rebus maximè ſimilibus loquimur. 18 Delos, inſula vna eſt Cycladũ clariſſima, dicta à δηλόω, id eſt, oſtendo, quia cùm merſa eſſet, ſubitò apparuit. 19 Accommodat exemplum de ouis, ad id de quo agitur. Argumentum eſt à cauſſa diſtinctionis,

quæ eſt proprietas aliqua in ſingulis rebus. 20 Eludit puerilem diſtinctionem de viſis, quaſi imagines & ſpecies rerum confuſę ſint, non autem impreſſiones & imaginationes: quod Lucullus refellit ab efficientibus cauſſis: viſa qualia ſint, per ſuas ſpecies iudicantur: ſpecies igitur rerum confuſæ eſſe non poſſunt. 21 Aliud caput refutationis à repugnantibus. 22 Conſectarium eſt in quo definitur ἐποχὴ Academicorum, id eſt, aſſenſionis retentio, à verbo ἐπέχω, inhibeo, hæreo, retineo, de qua Arceſilam probat magis conſentanea locutum, quàm ipſum Carneadem. 23 Declarat inconſtantiam in oratione Carneadis, quę eſt in his duobus repugnantibus: nulli rei aſſentiri, & aliquid opinari. Quod poſtremum idem ferè eſt quod alicui rei aſſentiri. 24 Quia opinio eſt imbecilla aſſenſio, cui Stoici omnes vitioſas perturbationes ſubiiciunt. 25 Poſtremum caput refutationis eſt de more diſputandi in contrarias partes, vbi Lucullus refellit finem propter quem hæc conſuetudo inducta ſit ab Academicis. 26 Vt Cicero fecit in libro de Finibus, de Diuinatione, de Natura deorũ. 27 Dialogiſmus eſt veteris Academici cum nouo, quo eliciuntur cauſſæ contrariæ diſputationis, & refelluntur. 28 Myſteria ſunt arcana, quæ olim non niſi occulta ratione ſacrorum perficiebantur, vt ſacra Cereris & Proſerpinæ, quæ in vulgus efferre nefas erat. 29 Refutatio poſtremi argumenti de authoritate, conſtat exemplis duorum Academicorum, qui magis authoritate ſua, quàm vlla ratione Academicam diſciplinam perſuaſerunt. 30 Lucullus concludit defenſionem partium Antiochianarum, &, vt initio, ſic tandem oſtendit, à quo hanc totam diſputationem aſſumpſerit.

[1] Sed iam etiam confirmata cauſſa, te hominem amiciſſimum (me autem appellabat) & aliquot annis minorem natu, nō dubitabo monere, Túne cùm tantis laudibus philoſophiam extuleris, Hortenſiumq́; noſtrum diſſentientem commoueris, eam philoſophiam ſequêre, quæ cōfundit vera cum falſis, ſpoliat nos iudicio, priuat approbatione, omnibus orbat ſenſibus? [2] Et [3] Cimmerijs quidem, quibus aſpectum Solis, ſiue deus aliquis, ſiue natura ademerat, ſiue eius loci quē incolebant ſitus, ignes tamen aderant, quorum illis vti lumine licebat. Iſti autem, quos tu probas, tantis offuſi tenebris, ne ſcintillam quidem vllam nobis ad aſpiciendum reliquerunt. [4] Quos ſi ſequamur, ijs vinculis ſumus aſtricti, vt nos commouere nequeamus: ſublata enim aſſenſione, omnem & motum animorum, & actionem rerum ſuſtulerunt. quod non modo rectè fieri, ſed omnino fieri non poteſt. [5] Prouide etiam, ne vni tibi iſtam ſententiam minimè liceat defendere. An tu, cùm res occultiſſimas aperueris, in lucemq́; protuleris,

tuleris,iuratusq́; dixeris ea [6] *te comperiſſe (quod mihi quoq; licebat,qui ex te illa cognoueram) negabis eſſe rem vllam, quæ cognoſci,comprehendi,percipi poſsit? Vide quæſo etiam atq; etiam,ne illarum quoq; rerum pulcherrimarum à te ipſo minuatur authoritas.* [7] *Quæ cùm dixiſſet ille,finem fecit. Hortenſius autem vehementer admirans, quod quidem perpetuò Lucullo loquẽte fecerat,vt etiam manus ſæpe tolleret: (nec mirum: nam nunquam arbitror contra Academiam dictum eſſe ſubtilius) me quoq;, iocánſne, an ita ſentiens,(nõ enim ſatis intelligebam) cœpit hortari,vt ſententia deſiſterem.* [8] *Tum mihi Catulus, Si te,inquit,Luculli oratio flexit,quæ eſt habita memoriter,accuratè,copioſè,taceo: neq; te,quo minus,ſi tibi ita videatur,ſententiam mutes,deterrendum puto. Illud verò nõ cenſuerim,vt eius authoritate moueare.* [9] *tantùm enim te nõ mouit,inquit arridens,vt caueres ne quis improbus Trib.pleb.(quorũ vides quanta copia ſemper futura ſit) arriperet te,& in concione quæreret, quî tibi conſtares,cũ idem negares quicquã certi poſſe reperiri, idem te comperiſſe dixiſſes. Hoc quæſo ne te terreat: de cauſſa autẽ ipſa malim quidem te ab hoc diſſentire. ſin ceſſeris,nõ magnopere mirabor. memini enim Antiochũ ipſum, cùm annos multos talia ſenſiſſet, ſimul ac viſum ſit, ſententia deſtitiſſe. Hæc cùm dixiſſet Catulus,me omnes intueri.*

1 Peroratio eſt Luculli, in qua Ciceronem dehortatur ab Academica philoſophia: primum argumentum ex factis Ciceronis, quæ ſpeciem habent repugnantiæ. 2 Amplificatio proximi argumenti, à comparatione minorum. 3 Cimmerij, ſunt populi in Italia ad Baianum & Auernum ſinum, qui incolunt conuallem ingenti iugo circundatam, quæ neq; matutino, neq; veſpertino Sole contegitur. Sunt etiam Cimmerij in Aſia ad Boſphorum Cimmerium, qui regionem incolunt tot nimbis & tenebris circumfuſam, vt lucẽ Solis intueri non poſſint: inde prouerbiũ extitit, Cimmericas tenebras fundere: id eſt, valde obſcurare. 4 Secundum argumentũ ab adiunctis incommodis Academicę diſciplinæ, quæ tollit omnes motus animorũ: ſed Academici reſpondent, ἐποχὴν nõ eſſe ceſſationem mentis & animi, ſed magnã actionẽ ſapientis rerũ pondera diligen-

ter examinatis, in quibus cùm aliquid probabile inuenerit, idipſum ſequatur, & tamen aſſenſionem cohibeat, id eſt, non profiteatur ſe aliquid ſcire. 5 Tertium à factis Ciceronis, qui coniurationem Catilinæ à ſe patefactam & comprehẽſam eſſe iurauit. Pridie enim Calendas Ianuarij, cùm à Metello Tribuno plebis poteſtate habendæ concionis prohiberetur, magna voce iurauit veriſſimum, pulcherrimumque iuſiurandum, quod populus magna voce eum verè iuraſſe iurauit. Lege lib. 5. Epiſtol. 6 ἀνακόλουθον eſt pronominis demonſtratiui, quod ab antecedente diſſentit in genere. 7 Hic Hortenſius fingitur admirans, ad augendam laudem ſuperioris diſputationis, quia Hortenſius Antiochianas partes tuebatur. 8 Catulus inuitat Ciceronem ad dicendum, & iocando reſpondet ad poſtremum argumentum Luculli, quòd nulla inconſtantia ſit, Academicum philoſophum dicere nil poſſe percipi, & magiſtratum in Rep ub. gerentem iurare aliquid à ſe deprehenſum eſſe. Academicorum enim theſis tantùm pertinet ad eas res, quæ in philoſophia tractantur, quas dicebant opinione duntaxat hominum contineri, non vlla certa & conſtanti ſcientia, vt antea ſæpe diximus. 9 Catulus relinquit Ciceroni liberum arbitrium, & contrariam partem, quam non probat, exemplo Antiochi diſputat, qui ab Academia noua ad veterem defecit.

[1] *Tum ego non minus commotus, quàm ſoleo in cauſſis maioribus, huiuſmodi quadam oratione ſum exorſus:* [2] *Me Catule oratio Luculli de ipſa re ita mouit, vt docti hominis, & copioſi, & parati, & nihil prætereuntis eorum, quæ pro illa cauſſa dici poſſent: non tamen vt ei reſpondere poſſe diffiderem. authoritas autem tanta planè me mouebat, niſi tu oppoſuiſſes non minorem tuam.* [3] *Aggrediar igitur, ſi pauca antè quaſi de fama mea dixero. Ego enim ſi aut oſtentatione aliqua adductus, aut ſtudio certandi ad hanc potiſſimùm philoſophiam me applicaui, non modò ſtultitiam meam, ſed etiam mores & naturam condemnandam puto.* [4] *Nam ſi minimis in rebus pertinacia reprehẽditur, calumnia etiam coercetur: ego de omni ſtatu conſilioq; totius vitæ aut certare cum alijs pugnaciter, aut fruſtrari cùm alios, tum etiam meipſum velim?* [5] *Itaq; niſi ineptum putarem, in tali diſputatione id facerem. Quod cùm de Republ. diſceptatur, fieri interdum ſolet: iurarem per Iouem, deosq; penates, me & ardere ſtudio veri reperiendi, & ea ſentire, quæ dicerem.* [6] *Quî enim poſſum non cupere verum inuenire, cùm gaudeam ſi ſimile veri quid inuenerim? Sed vt hoc pulcherrimum*

cherrimum eſſe iudicem, vera videre: ſic, pro veris probare falſa, turpiſſimum eſt. [7] *Nec tamen ego is ſum, qui nihil vnquam falſi approbem, qui nunquam aſſentiar, qui nihil opiner: ſed quærimus de ſapiente. Ego verò ipſe & magnus quidem ſum opinator (*[8] *non enim ſum ſapiens) & meas cogitationes ſic dirigo, non ad illam paruulam Cynoſuram,*

Qua fidum duce nocturna Phœnices in alto.

vt ait Aratus, eóq; directius gubernant, quòd eam tenent,

Quæ curſu interiore breui conuertitur orbe.

ſed ad Helicem & clariſſimos Septentriones, id eſt, rationes has, latiore ſpecie, non ad tenue elimatas. Eo fit, vt errem, & vager latius. Sed non de me, vt dixi, ſed de ſapiente quæritur. Viſa enim iſta cùm acriter mentem ſenſúmve pepulerunt, accipio, hiſq; interdum aſſentior, nec percipio tamen. nihil enim arbitror poſſe percipi. non ſum ſapiens: itaq; viſis cedo, neq; poſſum reſiſtere. [10] *Sapientis autem hanc cenſet Arceſilas vim eſſe maximam, Zenoni aſſentiens, cauere ne capiatur, ne fallatur videre.* [11] *Nihil eſt enim ab ea cogitatione, quam habemus de grauitate ſapientis, errore, leuitate, temeritate diſiunctius.* [12] *Quid igitur loquar de firmitate ſapientis? quem quidem nihil opinari tu quoque Luculle concedis.*

1 Exordij decorum notatur, quòd in Cicerone naturale fuit, vt in cauſſis verecundius ordiretur, vt ipſe teſtis eſt in Diuinatione: Ita mihi deos velim propitios, vt cùm illius temporis mihi venit in mentem, quo die citato reo mihi dicendum ſit, non ſolùm commoueor animo, ſed etiam toto corpore perhorreſco.

2 Oratio Ciceronis pro noua Academia tres in partes diuiditur, exordium, refutationem eorum quæ dicta ſunt à Lucullo contra nouos Academicos, & confirmationem theſis Academicæ, quòd nihil poſſit percipi: quæ per omnes philoſophiæ partes dilatabitur. Exordium autem ducitur à laude Luculli, cuius tamen authoritati opponitur par authoritas Catuli, à quo Academia noua ſuperiore dialogo diligenter & accuratè defenſa fuerat. 3 Prolepſis eſt ad purgandam ſuſpicionem ambitionis aut pertinaciæ, quæ duo vitia à philoſophis eſſe debent alieniſſima: admonet igitur ſe non contradicendi aut diſſimulandi, ſed cognoſcendi ſtudio ad tuendam Academiam nouam accedere. Syllogiſmus eſt connexus tertij modi, & propoſitio connexa primo loco ponitur. 4 Ratio propoſitionis

à minori ad maius. 5 Aſſumptio in qua remouetur antecedens: ſed non facio ſtudio contradicendi aut diſſimulandi. quod iuriſiurandi authoritate quadam confirmatur. 6 Ratio aſſumptionis à minori ad maius. 7 Detorquet à ſe diſputationis inuidiam: Ego, inquit, non de me, ſed de ſapiente diſputo: admonetque de genere diſputationis ſimilitudine Septentrionis minoris & maioris, idque verè admodum. non enim eſt ad veritatem limata Ciceronis oratio, quæ pro Academia noua ſuſcipitur, ſed ſpecie quadã ſolùm probabilis, quemadmodũ nobis momenta ſingulorum argumentorum conſiderantibus perſpicuum eſſe poterit. 8 Duæ ſunt in cœlo ſtellæ ad Septẽtrionem, vt ait Aratus, vna dicta Cynoſura parua quidem & obſcura: ſed nautis aptior ad dirigendos nauium curſus. Altera maior dicta Helice, clara & ſplendida, & à prima nocte lucens. Verſus Arati ſunt:

ἑλίκῃ γε μὲν ἄνδρες Ἀχαιοὶ
Εἰν ἁλὶ τεκμαίρονται ἵνα χρὴ νῆας ἀγινεῖν:
Τῇ δ' ἄρα Φοίνικες πίσυνοι περόωσι θάλασσαν:
Ἀλλ' ἡ μὲν καθαρὴ, καὶ ἐπιφράσασθαι ἑτοίμη,
Πολλὴ φαινομένη ἑλίκη πρώτης ἀπὸ νυκτός:
Ἡ δ' ἑτέρη ὀλίγη μὲν, ἀτὰρ ναύτῃσιν ἀρείων.
Μειοτέρη γὰρ πᾶσα περιστρέφεται στροφάλιγγι.
Τῇ καὶ Σιδόνιοι ἰθύντατα ναυτίλλονται.

Helice quidem viri Achiui
In mari ſignant, quò oporteat naues dirigere:
Altera verò Phœnices fiſi perſulcant mare:
At Helice quidem clara eſt, & obſeruatu parata,
Multa lucens prima à nocte.
Altera verò obſcura quidem, ſed nautis aptior,
Minori enim tota circunuerſatur orbe,
Hac quoq; Sidonij rectiſſimè nauigant.

9 Iterat declinationem inuidiæ, probatque ſe non eſſe ſapientem à repugnantibus. Syllogiſmus ſimplex ſecundi generis:

Sapiens cauet, ne decipiatur:
Cauere ego non poſſum, ne decipiar:
Non ſum igitur ſapiens.

Aſſumptio præcedit, declarata obiectis & factis Ciceronis. 10 Propoſitio ſyllogiſmi confirmatur teſtimonio Arceſilæ & Zenonis. 11 Altera ratio propoſitionis, ab his quæ repuguãt perſonæ ſapientis, vbi ſapiens Stoicè conſideratur perfectus & abſolutus, qui rerũ omnium cauſſas accuratè teneat, qualis apud Ethnicos nemo fuit, nec eſſe potuit, præſertim in tanta rerum & diuinarum & humanarum ignoratione. 12 Tertia ratio ab authoritate Luculli.

[1] *Quod quoniam à te probatur (vt præpoſterè tecum agam: iam enim mox referam me ad ordinem) hæc primùm concluſio quam habeat vim, conſidera. [2] Si vlli rei ſapiens aſſentietur vnquã: aliquando etiam opinabitur. nunquam autem opinabitur: nulli igitur rei aſſentietur. Hanc concluſionem*

ſionem Arceſilas probat: confirmat enim primum & ſecundum, Carneades nonnunquam ſecundum illud dabat, aſſentiri aliquando. Ita ſequebatur etiam opinari: quod tu non vis, & recte, vt mihi videris. [3] Sed illud primum, ſapientem, ſi aſſenſurus eſſet, etiam opinaturum, falſum eſſe & Stoici dicunt, & eorum adſtipulator Antiochus: poſſe enim eum falſa à veris, & quæ nõ poſſint percipi, ab iis quæ poſſint, diſtinguere. [4] Nobis autem primum, etiam ſi quid percipi poſſit, tamen ipſa conſuetudo aſſentiendi periculoſa eſſe videtur, & lubrica. [5] Quamobrem cùm tam vitioſum eſſe conſtet, aſſentiri quicquam aut falſum, aut incognitum: ſuſtinenda eſt potius omnis aſſenſio, ne præcipitet, ſi temerè proceſſerit. Ita enim finitima ſunt falſa veris, eáq; quæ percipi poſſunt (ſi modò ea ſunt quædam: iam enim videbimus) vt tamen in præcipitem locum nõ debeat ſe ſapiens committere: [6] ſin autem, omnino nihil eſſe quod percipi poſſit, à me ſumpſero, &, quod tu mihi das, accepero, ſapientem nihil opinari: [7] effectum illud erit, ſapientem aſſenſus omnes cohibiturum. vt tibi videndum ſit, ídne malis, an aliquid opinaturum eſſe ſapiẽtem. [8] Neutrum, inquies, illorum. Nitamur igitur, nihil poſſe percipi: etenim de eo omnis eſt controuerſia. [9] Sed prius pauca cum Antiocho: qui hæc ipſa quæ à me defenduntur, & didicit apud Philonem tam diu, vt conſtaret diutius didiciſſe neminem, & ſcripſit de his rebus acutiſſimè, & idem hæc nõ acrius accuſauit in ſenectute, quàm antea defenſitauerat. Quamuis igitur fuerit acutus, vt fuit, tamen inconſtantia leuatur authoritas. [10] Quis, inquam, enim iſte dies illuxerit, quæro, qui illi oſtenderit eam, quam multos annos eſſe negauiſſet, veri & falſi notam. Excogitauit aliquid: eadem dicit quæ Stoici. pœnituit eum illa ſen-

ſiſſe. cur non ſe tranſtulit ad alios, & maximè ad Stoicos? eorum enim erat propria iſta diſſenſio. quid eum Mneſarchi pœnitebat, quid Dardani, qui erant Athenis tum principes Stoicorum? [11] Nunquam à Philone diſceſſit, niſi poſteaquam ipſe cœpit, qui ſe audirent habere. Unde autem ſubitò vetus Academia reuocata eſt? nominis dignitatem videtur, cũ à re ipſa deſciſceret, retinere voluiſſe, quod erant, qui illum gloriæ cauſſa facerent ſperare etiam fore, vt ij qui ſe ſequerentur, Antiochæi vocarentur. Mihi autem magis videtur non potuiſſe ſuſtinere concurſum omnium philoſophorum. [12] Etenim de cæteris ſunt inter illos nonnulla communia: hæc Academicorum eſt vna ſententia, quam reliquorum philoſophorum nemo probat: [13] itaque ceſſit. Ut enim ij qui ſub Sole nubem non ferunt: item ille cùm æſtuaret, veterum, vt Mænianorum, ſic Academicorũ vmbram ſecutus eſt: [14] quoq; ſolebat vti argumento tum, cùm ei placebat nihil poſſe percipi, cùm quæreret Dionyſius ille Heracleotes, vtrum comprehendiſſet certa illa nota, qua aſſentiri dicitis oportere, [15] Illúdne quod multos annos tenuiſſet, Zenoniq; magiſtro credidiſſet, honeſtum quod eſſet, id bonum ſolum eſſe? an, quod poſtea defenſitauiſſet, honeſti inane nomen eſſe, voluptatem eſſe ſummum bonum? qui ex illius commutata ſententia docere vellet, nihil ita ſignari in animis noſtris à vero poſſe, quod non eodem modo poſſit à falſo: is curauit quod argumentum ex Dionyſio ipſe ſumpſiſſet, ex eo cæteri ſumerent.

1 Hæc tranſitio indicat digreſſionem quandam fieri, cuius caput eſt, Sapientem nulli rei aſſentiri. Argumentum ab adiunctis: ſyllogiſmus connexus ſecundi modi plenus & integer. 2 Propoſitio connexa nititur authoritate Academicorum, qui exiſtimant ſapientem ſola opinione duci, non vlla ſcientia. 3 Stoici negant propoſitionem ſyllogiſmi, & inconſequentem probant à factis ſapientis, qui nihil opinetur, ſed in omnibus rebus certam ſcientiam ſequatur. diſſenſio igitur Stoicorum ab Academicis in definitione ſapientis poſita eſt, de qua inter eos

nullo

modo conuenit. 4 Cicero defendit contra Stoicos conſtantiam connexæ propoſitionis, Si ſapiens aſſentietur, etiam opinabitur. Ratio eſt à minori ad maius. Syllogiſmus connexus tertij modi:

Si quid poſſet percipi, tamen aſſenſus eſſet periculoſus:
Sed nihil poteſt percipi:
Quanto igitur periculoſior eſt aſſenſus?

Propoſitio prima eſt. 5 Ratio propoſitionis ab adiunctis rerum, falſo & incognito: & allegoria ab aurigis equos retinentib. in loco decliui & precipiti. 6 Aſſumptio ex remotione antecedentis. 7 Concluſio ſyllogiſmi. 8 Hæc ſumma theſis eſt totius Academicæ contentionis, quòd omnium rerum, quæ in philoſophia tractantur, ἀκαταληψία ſit, id eſt, inſcientia. 9 Altera digreſſio eſt in Antiochum hoſtem nouæ Academiæ, cuius authoritas eleuatur, quòd inconſtãs in philoſophia fuerit. Argumentum inconſtantiæ ducitur à diſſimilibus factis Antiochi, quæ ſunt Academiã nouã diu laudaſſe, & poſtea vituperaſſe. 10 Dialogiſmus inducitur ad exprimendam leuitatem Antiochi, qui nulla iuſta & honeſta cauſſa defecit ab Academia noua: ſed captus amore laudis & gloriæ. Hìc igitur cauſſæ Antiochiæ defectionis vituperantur. 11 Declarat turpem & inhoneſtum finem defectionis, affectationem vanæ gloriæ: inſeritque collationem ſimilium: vt, quemadmodum quidam philoſophi à ſuis præceptoribus nomen habuerunt: vt Socrati à Socrate, Epicurei ab Epicuro: ſic ab Antiocho Antiochæi diſcipuli nominarentur. 12 Confirmat effectum propoſiti finis à diſſimilibus. 13 Concluſio defectionis illuſtrata à ſimilibus, vbi iocus eſt, & alluſio ad veterem Platonis Academiam in ſuburbano, & vmbroſo nemore ſitam, vt ait Suidas. 14 Poſtremum argumẽtum contra Antiochum eſt à partibus. Antiochus ex inconſtantia Dionyſij, qui ex Stoico factus erat Epicureus, olim diſputabat, nihil poſſe percipi: eadem igitur ratio & concluſio valeat contra Antiochum, qui commutata ſententia ex Academico nouo repentè factus eſt vetus. 15 Dionyſius Heracleotes cùm à Zenone fortis eſſe didiciſſet, à dolore deductus eſt: nam cùm ex renibus laboraret, ipſe in eiulatu clamitabat falſa eſſe illa quę antea de dolore ſenſiſſet: cumque Cleantes condiſcipulus eius rogaret, quænam ratio eum de ſententia deduxiſſet, reſpondit: Quia cùm tantùm operæ philoſophiæ dediſſem, dolorem tamen ferre non poſſem, ſatis eſſet argumenti malum eſſe dolorem: plurimos autem annos in philoſophia conſumpſi, nec ferre poſſum: malum igitur dolor. Cic. Tuſcul. 2.

[1] Sed cum hoc alio loco plura, nunc ad ea quæ à te Luculle dicta ſunt. Et primùm quod initio dixiſti, videamus quale ſit: ſimiliter à nobis de antiquis philoſophis commemorari, atque ſeditioſi ſolerent claros viros, ſed tamen populares aliquos, nominare. Illi cùm res non bonas tractent, ſimiles bonorum videri volunt: nos autem ea dicimus nobis videri, quæ voſmetipſi nobiliſſimis philoſophis placuiſſe conceditis. [2] Anaxagoras niuem nigrã dixit eſſe. ferres me, ſi ego idem dicerem? tu ne ſi dubitarem quidem. [3] At quis eſt hic? num ſophiſtes? ſic enim appellantur ij, qui oſtentationis aut

quæſtus cauſa philoſophantur. maxima fuit & grauitatis & ingenij gloria. [4] Quid loquar de Democrito? quem cum eo conferre poſſumus, non modo ingenij magnitudine, ſed etiam animi, qui ita ſit auſus ordiri, [5] Hæc loquor de vniuerſis. nihil excipit, de quo non profiteatur. quid enim eſſe poteſt extra vniuerſa? [6] quis hunc philoſophum non anteponit Cleanthi, Chryſippo, reliquiſq; inferioris ætatis? qui mihi cum illo collocati, [7] quintæ claſſis videntur. [8] Atq; his non hoc dicit quod nos, qui veri eſſe aliquid non negamus, percipi poſſe negamus: ille verùm eſſe planè negat, eſſe ſenſus quidem nec obſcuros dicit, nec tenebricoſos (ſic enim appellat eos is, qui hunc maximè eſt admiratus Chius Metrodorus initio libri qui eſt de natura) Nego, inquit, ſcire nos, ſciamúſne aliquid, an nihil ſciamus: ne id ipſum quidem neſcire, aut ſcire, ſcire nos: nec, omnino ſitne aliquid, an nihil ſit. Furere tibi [9] Empedocles videtur: at mihi digniſſimum rebus ijs, de quibus loquitur, ſonum fundere. Num ergo is excæcat nos, aut orbat ſenſibus, ſi parum magnam vim cenſet in ijs eſſe ad ea quæ ſub eos ſubiecta ſunt, iudicanda? [10] Parmenides, Xenophanes, minus bonis quanquam verſibus, ſed tamen illis verſibus increpant eorum arrogantiam quaſi irati, qui, cùm ſciri nihil poſſit, audeant ſe ſcire dicere. [11] & ab his aiebas remouẽdum Socratem & Platonem. cur? an de vllis certius poſſum dicere? vixiſſe cum his equidem videor: [12] ita multi ſermones perſcripti ſunt, è quibus dubitari non poſſit, quin Socrati nihil ſit viſum ſciri poſſe. excepit vnum tantùm, ſcire ſe, nihil ſe ſcire: nihil amplius. Quid dicam de Platone? qui certè tam multis libris hæc perſecutus non eſſet, niſi probauiſſet. ironiam enim alterius, perpetuam præſertim, nulla fuit ratio perſequi. Videórne tibi, non vt

Satur-

Saturninus, nominare modò illuſtres homines, ſed etiam imitari nunquam niſi clarum, niſi nobilem? atq; habebam moleſtos vobis, ſed minutos, Stilbonem, Diodorum, Alexinum: quorum ſunt contorta & aculeata quædam ſophiſmata: ſic enim appellantur fallaces concluſiunculæ. Sed quid eos colligam, cùm habeam [13] Chryſippum, qui fulcire putatur porticum Stoicorum? Quàm multa ille contra ſenſus, quàm multa contra omnia, quæ in conſuetudine probantur, diſſoluit? idem mihi quidem non videtur. Sed diſſoluerit ſanè. certè tam multa non collegiſſet, quæ nos fallerent probabilitate magna, niſi videret his reſiſti non facile poſſe. [14] Quid Cyrenaici videntur, minimè contempti philoſophi? qui negant eſſe quicquam, quod percipi poſſit extrinſecus: ea ſe ſola percipere, quæ tactu intimo ſentiãt, vt dolorem & voluptatem: neque ſe, quo quid colore, aut quo ſono ſit, ſcire, ſed tantùm ſentire affici ſe quodammodo. [15] Satis multa de authoribus: quanquam ex me quæſieras, nónne putarem poſt illos veteres tot ſeculis, inueniri verum potuiſſe, tot ingenijs, tantiſq; ſtudijs quærentibus. Quid inuentum ſit, paulò pòſt videro, te ipſo quoq; iudice. [16] Arceſilam verò nõ obtrectandi cauſſa cum Zenone pugnauiſſe, ſed verum inuenire voluiſſe, ſic intelligitur. Nemo, inquam, ſuperiorum non modo expreſſerat, ſed ne dixerat quidem poſſe hominem nihil opinari: nec ſolùm poſſe, ſed ita neceſſe eſſe ſapienti. Viſa eſt Arceſilæ cùm vera ſentẽtia, tum honeſta & digna ſapiente. [17] Quæſiuit de Zenone fortaſſe quid futurum eſſet, ſi nec percipere quicquam poſſet ſapiens, nec opinari ſapientis eſſet. Ille, credo, Nihil opinatur: quoniam eſſet quod percipi poſſet. Quid ergo eſſet id? Viſum, credo. Quale igitur viſum? Tum illum ita definiuiſſe: ex eo quod eſſet, ſicut eſſet impreſſum, & ſi-

gnatum, & effectum. Poſt requiſitum, etiámne ſi eiuſmodi eſſet viſum verum, quale falſum. [18] *hic Zenonem vidiſſe acutè, nullum eſſe viſum, quod percipi poſſet: ſi id tale eſſet ab eo quod eſt, vt eiuſmodi ab eo quod non eſt, poſſet eſſe. Rectè cōſenſit Arceſilas ad definitionem additum: neq; enim falſum percipi poſſe, neque verum, ſi eſſet tale, quale vel falſum.* [19] *Incubuit autem in eas diſputationes, vt doceret, nullum tale eſſe viſum à vero, vt nō eiuſdem modi etiam à falſo poſſit eſſe. Hæc autem eſt vna contentio, quæ adhuc permanſerit. Nam illud, nulli rei aſſenſurum eſſe ſapientem, nihil ad hanc controuerſiam pertinebat: licebat enim nihil percipere, & tamen opinari: quod à Carneade dicitur probatum. Equidem Clitomacho plus quàm Philoni aut Metrodoro credens, hoc magis ab eo diſputatum, quàm probatum puto. Sed id omittamus. Illud certè opinatione & perceptione ſublata ſequitur, omnium aſſenſionum retentio: vt, ſi oſtendero nihil percipi poſſe, tu concedas nunquam aſſenſurum eſſe.*

1 Tranſitus eſt à proxima digreſſione ad refutationem orationis habitæ à Lucullo, vbi Cicero ſigillatim reſpondebit ad argumenta ſuperioris orationis. Primùm igitur occupat collationem illam Arceſilæ cum ſeditioſis ciuibus, & Academiam nouam defendit authoritate veterũ & illuſtrium philoſophorum. 2 Sequitur inductio de authoribus Academiæ nouæ antiquis & excellentibus philoſophis, quorum primus Anaxagoras laudatur, & in Academicam ignorationem incidiſſe probatur: placuit ei niuem eſſe nigram, & quòd ex aqua nigricante fieret, & quòd oculi continenter in ea defixi mutarentur, & ſe colorem nigrum cernere crederent. 3 Hic locus corruptus & abruptus eſſe videtur, vbi definitur ſophiſta à fine, ſicut apud Platonem, mercator, qui diſciplinas animi vendit: homo quæſtuoſus, qui litigando, pugnando, aduerſando quæſtum facit: iuuenum & diuitum mercenarius, venator, præſtigiator, & veri fallax imitator: ſic Ariſtoteles etiam ait: ὁ σοφιστὴς χρηματιστὴς ἀπὸ φαινομένης σοφίας, ἀλλ' οὐκ οὔσης. id eſt, qui quæſtum facit ab ea, quam præſe fert ſapientia: quæ tamen in eo reuera non ſit. Ex quo genere fuit in Græcia Protagoras, qui (vt ait Plato in Menone) vniuerſam Græciam annos plus quàm quadraginta fefellit, & diſcipulos ſuos multò deteriores reddidit, quàm acceperat. 4 Secunda authoritas eſt Democriti, qui dupliciter laudatur, & ex nobili ſui operis præfatione, & ex collatione inferiorum philoſophorum. 5 Hic ſyllogiſmus eſt ſimplex primi generis. 6 Democritus floruit apud Mileſios Olympiade 80. vt ait Laertius, Cleanthes fuit diſcipu-

lus Zenonis, & Chryſippus Cleanthis, qui floruit Olympiade 143. 7 Seruius Tullus populum Romanum in quinque claſſes ex cenſu diſtribuit, vt prima claſſis eſſet ditiſſimorum ciuium, ſicut quinta & poſtrema infimorum & tenuiſſimorum. Hinc Homines quintæ claſſis, prouerbij quadam ſpecie dicuntur, id eſt, infimæ conditionis & authoritatis. 8 Collatio eſt à minori ad maius, ad illuſtrandum teſtimonium Democriti. 9 Tertius authoritatis locus de Empedocle. 10 Quartus locus ab authoritate Parmenidis & Zenophanis, quorum ille cenſuit non eſſe fidendum ſenſibus, vt ait Diogenes: hic primus omnia eſſe incomprehẽſibilia dixit, vt ait Sothion: ſed tamẽ fallitur, vt ait Diogenes. 11 Reſpondet ad proxima exempla de Socrate & Platone, quos etiam probat eſſe authores huius Academici inſtituti ex eorum ſcriptis & inſtitutis. 12 Concluſio de antiquis authoribus, quos Academici ſequuntur: & tranſitus ad inferioris ætatis philoſophos, quibus authoribus vtitur Cicero ad defenſionem Academicæ profeſſionis. Stilpo Megarenſis fuit diſcipulus Euclidis acutus & eloquens. Diodorus cognomento Cromis, dialecticum acumen habuit, primusque dicitur inueniſſe inuolutum & cornutum dicendi genus, vt ait Laertius. Alexinus ex Eubulidis Megarenſis ludo manauit, vir acer, & contentionis viribus ac neruis clarus: vnde & Alexinus dictus eſt: maximè autem Zenoni infeſtus erat, vt ait Laërtius. Horum fallaces erant concluſiunculæ, aut vitio argumenti alieni, vel obſcuri, vel ambigui, vel falſi: aut inconſtantia diſpoſitionis, quæ facta non eſſet ad veram & conſtantem normam dialecticæ artis. 13 Chryſippus Solenſis Cleanthis diſcipulus tantùm de ſe ſentiebat, vt neminem in philoſophia ſibi parem eſſe arbitraretur, vnde paſſim carmen de Chryſippo iactatum eſt:

Οἶος πέπνυται, λοιποὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι.
Εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν στοά.

Hoc eſt,

Hic ſolus ſapit: aſt alij, velut vmbra feruntur,
Et niſi Chryſippus fuiſſet, porticus non eſſet.

14 Poſtrema defenſio ab authoritate Cyrenaicorum, qui ab Ariſtippo Cyreneo profecti iudicium veritatis in intimis ſenſibus poſuerunt, cùm finem bonorum eſſe dicerent voluptatem corporis: id eſt, iucundum quendam & leuem motum ad intimos ſenſus permanantem, & quaſi in medullis corporis prurientem.

15 Concludit locum de authoribus, & hinc tranſit ad refutandam orationem Luculli, cuius caput vnum fuit, multas res progreſſione temporum repertas eſſe: de quo aliàs Cicero reſpondebit, vbi diſſeret de partibus ſapientiæ. 16 Purgat Arceſilam à calumniis, & originem contentionis inter Stoicos & Academicos dialogiſmo Arceſilæ oſtendit, vbi Arceſilas ex definitione ſapientis, & phantaſiæ à Zenone tradita materiam contradictionis arripuit, vt diceret nihil poſſe percipi.

17 Hic viſum definitur à Zenone ex cauſſis & obiectis. 18 Zeno perficit proximam definitionem his verbis, Quale eſſe non poſſit ex eo, vnde non eſt: vt intelligatur definiri viſum verum, & à ſapiente perceptum. 19 Arceſilas refellit poſtremam partem in definitione poſitam: ſumma igitur quæſtio eſt, Nullum viſum verum percipi à ſapiente, vt non eiuſmodi falſum eſſe poſſit: quia nullius rei certam & propriam notam ſapiens habeat, per quam duntaxat perceptio effici poſſit: quæ Academicorum ſententia vera eſſet, ſi de perfecta & omnibus numeris abſoluta ſcientia rerum loqueretur ex primis, veris, & rem ipſam conſtituentibus, & declarantibus cauſſis: hæc enim perfecta ſapientia cadit in ſolum Deum, quemadmodum præclarè diſſerit Socrates apud Platonẽ: atq; omnium philoſophorum decreta, quæ polliceri ſcientiam videtur, opiniones duntaxat hominum ſunt, non decreta ſapientiæ. Itaq; rectè dicitur ab Academicis nihil vel ſenſu, vel animo percipi, ſi perceptio eo modò, quo diximus, definiatur: tametſi leuia quædam argumẽta ab illis cõtra ſenſus, aliaſq; Stoicorũ rationes ab his collecta ſunt.

[1] *Quid ergo eſt quod percipi poßit, ſi ne ſenſus quidem vera nuntiat? quos tu Luculle,* [2] *comuni loco defendis. quod ne id facere poſſes, idcircò heri, non neceſſario loco, contra ſenſus multa dixeram.* [3] *tu autem te negas infracto remo, neque columbæ collo commoueri. primùm cur? nam & in remo ſentio non eſſe id quod videatur: & in columba plures videri colores, nec eſſe plus vno. deinde, nihílne præterea diximus? maneant illa omnia.* [4] *latrat in iſta cauſſa Epicurus: veraces eſſe ſuos ſenſus dicit. Igitur ſemper authorem habes, & eum qui magno ſuo periculo cauſſam agat. eò enim rem dimittit Epicurus, ſi vnus ſenſus ſemel in vita mentitus ſit, nulli vnquam eſſe credendum. Hoc eſt verum eſſe, confidere ſuis teſtibus, & importunè inſiſtere.* [5] *Itaq; Timagoras Epicureus negat ſibi vnquam, quum oculum torſißet, duas ex lucerna flammulas eſſe viſas: opinionis enim eſſe mendacium, nō oculorum. quaſi quæratur quid ſit, nō quid videatur.* [6] *Sed hic quidem maiorum ſimilis. tu verò, qui viſa ſenſibus alia vera dicas eſſe, alia falſa: quî ea diſtinguis?* [7] *Deſine quæſo communibus locis. domi nobis iſta naſcutur. Si quis deus te interroget ſanis modò & integris ſenſibus, Num amplius quid deſideras? quid reſpondeas? Vtinam quidem roget. audiat quàm nobiſcum malè agatur.* [8] *Vt enim vera videamus, quàm longè videbimus? ego Catuli Cumanam ex hoc loco regionem video, Pompeianum nō cerno: neque quicquam interiectum eſt quod obſtet: ſed intendi longius acies non poteſt. O præclarum proſpectum! Puteolos videmus: at familiarem noſtrum Auianum, fortaſſe in porticu Neptuni ambulantem nō videmus. At ille neſcio qui, qui in ſcholis nominari ſolet, mille & octingēta ſtadia, quòd abeſſet, videbat. quædam volucres longius. Reſponderem igitur*

tur audacter iſti veſtro deo, me planè his oculis non eſſe contentum. [9] *dicit me acrius videre, quàm vllos piſces, fortaſſe qui neque videntur à nobis, & nunc quidem ſub oculis ſunt. neque ipſi nos ſuſpicere poſſunt. Ergo vt illis aqua, ſic nobis aer craſſus offunditur. At amplius nō deſideramus.* [10] *Quid talpam? num deſiderare lumen putas? Neque tam quererer cum deo, quòd parum longè, quàm quòd falſum viderem.* [11] *Vidéſne nauem illam? ſtare nobis videtur: at ijs qui in naui ſunt, moueri hæc villa. Quære rationem cur ita videatur: quàm vt maximè inueneris, quod haud ſcio an non poſſis: non tu verum teſtem habere, ſed eum non ſine cauſſa falſum teſtimonium dicere oſtenderis. Quid ego de naui? vidi enim à te remū contemni. maiora fortaſſe quæris.* [12] *Quid poteſt eſſe Sole maius, quem Mathematici amplius duodeuiginti partibus confirmāt maiorem eſſe quàm terram? quantulus nobis videtur? mihi quidem quaſi pedalis.* [13] *Epicurus autem poſſe putat etiam minorem eſſe eum, quàm videatur, ſed non multo. ne maiorem quidem multo putat eſſe: vel tantùm eſſe, quantus videatur: vt oculi aut nihil, aut non multum mentiantur.* [14] *Vbi igitur illud eſt ſemel? ſed ab hoc credulo, qui nunquam ſenſus mentiri putat, diſcedamus, qui ne nunc quidem, cùm ille Sol, qui tanta incitatione fertur, vt celeritas eius quanta ſit, ne cogitari quidem poſſit, tamen nobis ſtare videatur.*

1 Incipit diſputare cōtra Lucullum de principe & generali quæſtione, Quòd nihil percipi poſſit. Primum argumentum eſt à ſenſibus, leue & captioſum. Licèt enim nullus ſenſus ſit particeps ſcientiæ, quia (vt Socrates rectè docet in Theæteto, eſſentiam rei non percipit: licèt etiam interdū decipiatur ſenſus, non ſequitur tamē, quin interdū verū aliquid ſentiat, quale vel falſum eſſe nō poſſit. 2 Communi loco defendere, eſt probabiliter & captioſè ad imitationem Oratorum aliquid diſputare: eſt enim locus communis, oratoribus campus, in quo liberè expatiantur, cùm alquid amplificant laudis & vituperationis gratia. 3 Occupat duo exēpla, quibus ſenſus falluntur, quaſi à Lucullo nō ſatis refutata & diſſoluta ſint. 4 Epicurus diſſentit ab Academicis, quia omne iudiciū veritatis ponit

in ſenſibus: ſed tamen ſententiam ſuam pueriliter & ineptè defendit, & eius ſubſcriptor Timagoras. 5 Si oculi palpebram aliquantulum depreſſeris, quamuis vnica ſit flamma luculentis candelæ, ea tamen geminari tibi videbitur, quia ab oculo tuo radij exeuntes non ad idem feruntur punctum: atque idcircò, quod oculus bis inſpexit, id quaſi geminum ſe putat inſpexiſſe. 6 Eleuat diſputationem Luculli tanquam communem, nec ſatis accuratam: cùm tamen ipſe Cicero non accuratius diſputet, quàm Lucullus, & communibus etiam locis hìc, vt antè Lucullus fecit, expatietur. 7 Occupat communem locũ Luculli de laude ſenſuum, & ei contradicit ab exemplis, quibus confirmatur imbecillitas oculorum: quia longius rem perſpicere non poſſunt. 8 Occupat exemplum hominis acutè videntis, quod eleuat collatione auium, quæ longius videt. Fuit autem quidam nomine Linceus tam certa acie luminum, vt ex Lilybæo naues è portu Carthaginenſium egredientes videret, vt ait Valerius lib. 1. Carthago autem à Lilybæo diſtat mille ſtadiis, ac ferè quingentis, vt ait Strabo. Plinius refert, haliæetum clariſſima oculorum acie ex alto videre in mari piſcem, in quem præceps ruit, eumq́ue diſcuſſis pectore aquis, rapit. 9 Secunda prolepſis de piſcibus contemnitur: quia nos perfectioré viſum quærimus. 10 Tertia prolepſis de exemplo talpæ refellitur à minori ad maius. Talpæ quamuis natura ſint expertes viſus, tamen lumen deſiderant. Quid mirum, ſi homines acumen oculorum melius optent? 11 Tranſitus eſt ab imbecillitate oculorum ad fraudes & fallacias ex his ortas, quæ declarantur exemplo nauis: nam qui procul agitatam nauem aſpiciunt, eam ſtare putant, quia propter longitudinem ſpatij & interualli, nauis ipſa angulos viſus afficere, atque mouere parum admodum poteſt. & qui ſunt in naui, proxima quæque moueri arbitrantur, vt arbores, ædes, quia radij oculorum ad motum nauis ſubinde mutant ſitum: atque idcircò res, quæ ſub aſpectum cadunt, mutari videntur, & tanquam oculos ſequi: ſed hæc Ciceronis argumenta nihil admodum arguunt, & probant. Non enim ſequitur, ſi ſenſus aliquando fallaces ſint, vt ſemper ſint fallaces, & mens hominis fraudem perſpicere non poſſit: etenim à doctiſſimis hominibus inuenta & explicata eſt ratio, & cur remus inflexus in aqua videtur, & collum columbæ coloribus variegatum, cùm tamen ſit vnius modi: cæteraq́ue eiuſmodi ab optimis philoſophis diligenter enucleantur, nec eorum quiſquã in his falli poteſt. 12 Correctio proximi exempli, & tranſitus ad aliud de magnitudine Solis, vbi viſus plurimùm fallitur. 13 Epicuro Sol videtur eſſe tantus, quantulus apparet, & maiuſculus, & minuſculus, vt Plutarchus ait: Ciceroni duodeuiginti partibus maior terra, id eſt, tercentum & ſex millibus leucarum: Mathematicis centies ſexagies ſexies, id eſt, centum millionibus leucarum, & amplius. 14 Contemnit Epicurum ſtultè differentem de Solis magnitudine, & ſibiipſi repugnantem: dicit enim quodam capite, ſi ſemel ſenſus mentiantur, eis non eſſe creuenuum: & altero oculos poſſe mentiri, cùm iudicant de Solis magnitudine.

[1] *Sed vt minuam controuerſiam: videte quæſo quàm in paruulis ſitis. Quatuor ſunt capita, quæ concludunt nihil eſſe quod noſci, percipi, comprehendi poſſit: de quo hæc tota quæſtio eſt. è quibus primum eſt, eſſe aliquod viſum falſum: ſecundum, non poſſe id percipi: tertium, inter quæ viſa nihil interſit, fieri nõ poſſe vt eorum alia percipi poſſint, alia non poſſint: quartum, nullum eſſe viſum verum à ſenſu perfe-*

ctum

*ctum,cui non appoſitum ſit viſum aliud quod ab eo nihil in-
terſit,quodq́; percipi non poßit. Horum quatuor capitum ſe-
cundum & tertium omnes concedunt, primum Epicurus
non dat. vos,quibuſcum res eſt,id quoq; conceditis. omnis pu
gna de quarto eſt.* [2] *Qui igitur P. Seruilium Geminum vi-
debat, ſi Quintum ſe videre putabat, incidebat in eiuſmodi
viſum,quod percipi non poßet,quia nulla nota verum à fal-
ſo diſtinguebatur. quia diſtinctione ſublata, quam haberet*
[3] *M. Cotta,qui bis cum Gemino Conſul fuit,agnoſcendo eiuſ-
modi notam,quæ falſa eſſe non poßit? Negas tantam ſimi-
litudinem in rerum natura eſſe. pugnas omnino,ſed cũ ad-
uerſario facili.* [4] *Ne ſit ſane: videri certè poteſt. fallet igitur
ſenſum: & ſi vna fefellerit ſimilitudo,dubia omnia reddide
rit. ſublato enim iudicio illo,quô oportet agnoſci: etiamſi ipſe
erit quem videris,qui tibi videbitur,tamen non ea nota iu-
dicabis,qua dicis oportere,vt non poßit eſſe eiuſdem modi fal
ſa. Quando igitur poteſt tibi P. Geminus, Quintus videri:
quid habes explorati,* [5] *cur non poßit tibi Cotta videri,qui
non ſit,quoniam aliquid videtur eſſe,quod non eſt? Omnia
dicis ſui generis eſſe: nihil eſſe idem,quod ſit aliud. Stoicum
eſt quidem,nec admodum credibile, nullum eſſe pilum om-
nibus rebus talem, qualis ſit pilus alius, nullum granum.*
[6] *Hæc refelli poſſunt: ſed pugnare nolo. ad id enim quod agi-
tur,nihil intereſt, omnibuſne partibus viſa res nihil diffe-
rat,an internoſci nõ poßit,etiam ſi differat. Sed ſi hominum
ſimilitudo tanta eſſe non poteſt, ne ſignorum quidem? Dic
mihi,* [7] *Lyſippus eodem ære, eadem temperatione, eodem
cælo, aqua, cæteris omnibus, centum Alexandros eiuſdem
modi facere non poßit? qua igitur notione diſcerneres?*
[8] *Quid,ſi in eiuſmodi cera centum ſigilla hoc annulo impreſ*

ſero, ecqua poterit in agnoſcendo eſſe diſtinctio? an tibi erit quærendus annularius aliquis, quoniam gallinarium inueniſti Deliacum illum, qui oua cognoſceret? [9] *Sed adhibes artem aduocatam etiam ſenſibus. pictor videt quæ nos non videmus: & ſimul inflauit tibicen, à perito carmen agnoſcitur. Quid hoc? nónne videtur contra te valere, ſi ſine magnis artificiis, ad quæ pauci accedunt, noſtri quidem generis admodum nec videre, nec audire poſſumus?* [10] *Iam illa præclara, quanto artificio eſſet ſenſus noſtros, mentemq́, & totam conſtructionem hominis fabricata natura. cur non extimeſcam opinandi temeritatem? etiámne hoc affirmare potes, Luculle, eſſe aliquam vim, cum prudentia & conſilio ſcilicet, quæ finxerit, vel, vt tuo verbo vtar, quæ fabricata ſit hominem? qualis iſta fabrica eſt? vbi adhibita? quando? cur? quomodo? Tractantur iſta ingenioſè, diſputantur etiam eleganter. deniq; videantur ſanè, ne affirmetur modo. Sed de phyſicis mox, & quidem ob eam cauſſam, ne tu, qui idem me facturum paulò antè dixeris, videare mentitus.*

1 Repetit quatuor hypotheſes Academicorum à Lucullo prius commemoratas, ex quibus effici volunt, nihil poſſe percipi: quarum tres veluti per ſe ſatis illuſtres, & ab omnibus conceſſæ ſumuntur: quarta, quæ in quæſtionem venit, à Cicerone confirmatur. 2 Vtitur exemplis Seruiliorum geminorum, qui inter ſe valde ſimiles erant, vt vix internoſci poſſent, ſed iis exemplis nunquam efficiet, nihil poſſe percipi. nam, vt antè docuit Lucullus, adhibita conſuetudine geminos facilè diſtingues. nec verò ſequitur, vt ſi in quibuſdam viſis differentia non appareat, in nullis viſis appareat. 3 C. Aurelius Cotta, & P. Seruilius Geminus primùm Conſules fuerunt anno Vrbis conditæ 501. rurſus autem anno Vrbis 505.

4 Concedit defenſionem Luculli de ſingulis & propriis rerum notis, quibus res internoſcuntur, & tamē nihilominus contendit viſa confuſa eſſe. Syllogiſmus eſt connexus primi modi, cuius propoſitio eſt fallax:

Si vna ſimilitudo fefellerit, dubia omnia reddiderit.

Poſſunt enim res ſimilitudine inter ſe coniungi, & multis diſſimilibus diſtingui ac ſeparari. 5 Refellit dogma Stoicum de ſingulis rerum proprietatibus, quibus inter ſe differant. Argumentum ab exemplis ſpecialibus: pilus à pilo non internoſcitur, neque granum à grano: non ſunt igitur in ſingulis rebus propriæ quædam notæ. Sic Perſæus cum Ariſtone Stoico dogmati aſſentiente diſſeruit, protuliтq; geminos fratres inter ſe litigantes, quorum alter illi depoſitum daret, alter deinde reciperet, atque ita hærentem in geminis, & ambigentem vter eſſet, coarguit. Lege Laërtium lib. 7. 6 Tranſit ab exemplis geminorum ad exemplum

plum ſignorum ſimilium. 7 Lyſippus Sicyonius nobilis ſculptor fuit, à quo tantùm Alexander ſe fingi paſſus eſt. Is ſexcenta decem opera feciſſe dicitur tam excellentia, vt arti claritatem poſſent dare vel ſingula. Plin.cap.7.lib.34. 8 Aliud exemplum de ſignis ſimilibus in cera impreſſis, & iocus in Deliacum gallinarium à Lucullo citatum, cuius videtur meminiſſe Plinius his verbis: Traditur quædam ars gallinarij cuiuſdam dicentis, quòd ouum ex quaque eſſet. 9 Regerit in Lucullum exempla de pictore & tibicine, cuius argumentum à maiori ad minus, licèt verum ſit, nihil tamen efficit. 10 Eleuat communem locum de diuina & excellenti fabrica ſenſus & animi, quam ethnicè & impie contemnit magis, quàm refellit ex leuiſſimis adiunctis.

[1] *Sed vt ad ea quæ clariora ſunt, veniam, res iam vniuerſas profundam: de quibus volumina impleta ſunt, non à noſtris ſolùm, ſed ètiam à Chryſippo: de quo queri ſolent Stoici, dum ſtudioſè omnia conquiſierit contra ſenſus & perſpicuitatem, contráque omnem conſuetudinem, contráque rationem, ipſum ſibi reſpondentem inferiorem fuiſſe: itaque ab eo armatum eſſe Carneadem. Ea ſunt eiuſmodi, quæ à te diligentiſſimè tractata ſunt: Dormientium & vinolentorum & furioſorum viſa imbecilliora eſſe dicebas, quàm vigilantium, ſiccorum, ſanorum: [2] quomodo? quia cùm experrectus eſſet Ennius, non diceret ſe vidiſſe Homerum, ſed viſum eſſe: Alcmeo autem,*

Sed mihi neutiquam cor conſentit.

Similia de vinolentis. quaſi quiſquam neget, & qui experrectus ſit eum ſomniare: & cuius [3] furor conſederit, putare non fuiſſe ea vera, quæ eſſent ſibi viſa in furore. ſed non id agitur tum, quum videantur: quo modo videntur, id quæritur. niſi verò Ennium non putamus ita totum illum audiuiſſe,

O pietas animi.

Si modò id ſomniauit, vt ſi vigilans audiret: experrectus enim potuit illa viſa putare, vt erant, & ſomnia. dormienti verò æquè ac vigilanti probantur. Quid Iliona ſomno illo,

[4] Mater te appello.

Nónne illa credit filium locutum, vt verè experrecta etiam crederet? vnde enim illa,

Age adſta: mane: audi: itera dum eadem &
iſta mihi.

Num videtur minorem habere viſis, quàm vigilantes fidem? [5] *Quid loquar de inſanis? qualis tandem fuit affinis tuus, Catule, Tuditanus? quiſquam ſaniſſimus tam certa putat, quæ videt, quàm is putabat, quæ videbantur? Quid ille, qui,*

Video, video te viuum Vlyſſes, dum licet.

Nónne etiam bis exclamauit ſe videre, quum omnino non videret? [6] *Quid apud Euripidem Hercules, quum vt Euryſthei filios, ita ſuos configebat ſagittis, quum vxorem interimebat, quum conabatur etiam patrem, non perinde mouebatur falſis, vt veris moueretur? quid ipſe Alcmeo tuus, qui negat cor ſibi cum oculis conſentire? nónne ibidem incitato furore,*

Vnde hæc flamma oritur?

Et illa deinceps,

Incede, incede: adſunt, adſunt: me, me expetunt.

Quid, quum virginis fidem implorat?

Fer mi auxilium: peſtem abige à me:
Flammiferam hanc vim, quæ me excruciat.
Ceruleæ incinctæ igni incedunt:
Circunſtant cum ardentibus tedis.

Num dubitas quin ſibi hæc videre videatur? itemq́ cætera:

Intendit crinitus Apollo
Arcum auratum Luna innixus.
Diana facem iacit à læua.

Qui

Qui magis hæc crederet ſi eſſent, quàm credebat, quia videbantur: apparet enim iam cor cum oculis conſentire. [7] *Omnia autem hæc proferũtur, vt illud efficiatur (quo certius nihil poteſt eſſe) inter viſa vera & falſa ad animi aſſenſum nihil intereſſe. Vos autem nihil agitis, cùm falſa illa vel furioſorum, vel ſomniantium, recordatione ipſorum refellitis. non enim id quæritur, qualis recordatio fieri ſoleat eorum, qui experrecti ſunt, aut eorum qui furere deſtiterunt: ſed qualis viſio fuerit aut furentium, aut ſomniantium tum, cùm commouebantur.*

1 Haſtenus ea collecta ſunt, quæ ab Academicis philoſophis cõtra ſenſus diſputari ſolent, dehinc tranſitus fit ad exempla ſomniantium, ebriorum & furioſorum, adhibita quadam præfatione in Chryſippum Stoicum, qui in refellendis Academicis eorum cauſſam infirmare magis, quàm confirmare videtur. Is quinque libros ſcripſit ad Methrodorum aduerſus conſuetudinem, & ſeptem pro conſuetudine ad Gorgippidem, vt ait Laërtius. 2 Eleuat exempla de dormientibus & vinolentis, magis vt ſeruiat ſuæ cauſſæ, quàm vt conſtanter & philoſophicè reſpondeat. Quærimus, inquit, quomodo res appareant ſomniantibus & ebrioſis, veræ, inquam, quæ tamen ſunt falſæ. quid tum? an inde concludere potes, Si nulla ſit in ſomniis & ebrietate perceptio, nihil ab homine poſſe percipi: aut viſa quæ vera ſunt, à falſis non differre? Hoc argumentum Ciceronis in ſyllogiſmo diſpone cum propoſita quæſtione, hoc modo:

Si quæ dormientibus & ebriis vera videntur, non differunt à falſis,
inter viſa vera & falſa nihil intererit:
Sed primum verum:
Verum igitur & poſtremum.

Vidéſne quæ plaga ſit in propoſitione ſyllogiſmi, quæ falſa & inconſequens eſt? non enim ſequitur, Si confuſa ſunt viſa dormientium & ebrioſorum, vt etiam reliquorum hominum viſa confuſa ſint. 3 Furor conſediſſe dicitur, qui ſuos motus & impetus remiſit, cùm is qui furioſus erat, nihil ferè à ſano diſtare videtur.

4 Citantur hi verſus à Cic. Tuſcul. 1.

Mater te appello, tu quæ curam ſomno ſuſpenſo leuas,
Neque te meĩ miſeret, ſurge & ſepeli natum.

5 Exempla tria proferuntur de furioſis, Tuditano, Hercule, & Alcmeone, qui vera eſſe credebant, quæ in furore, animo, & cogitatione verſarẽt: de quibus idem iudicare debemus, quod de ſomniantibus & vinolentis. 6 Hercules apud Euripidem tres liberos necat, exiſtimans eſſe liberos Euryſthei regis Thebarum, & Megaram coniugem ſuã filiam Creontis: poſtremò cùm ſagittam pararet ad cædem Amphitrionis patris, à Pallade prohibitus eſt. 7 Concludit contra Lucullum ſomniantes, ebrios, & inſanos aſſentiri viſis, eaque vera credere, quæ tamen falſa ſunt, & eleuat ſolutionem Luculli à diſſimilibus: quod genus argumenti totum contra Ciceronem eſſe docuimus.

[1] *Sed abeo à ſenſibus. Quid eſt quod ratione percipi poſſit?*

Dialecticam inuentam eſſe dicitis veri & falſi quaſi diſceptatricem & iudicem: cuius veri & falſi? & in qua re? in Geometriáne quid ſit verum vel falſum, dialecticus iudicabit? an in literis? an in muſicis? At ea non nouit. In philoſophia igitur Sol quantus ſit, quid ad illum? Quod ſit ſummũ bonũ, quid habet vt queat iudicare? Quid igitur iudicabit? quæ coniunctio, quæ diſiunctio vera ſit? quid ambiguè dictum ſit? quid ſequatur quamq; rem, quid repugnet? Si hæc, & horum ſimilia iudicat, de ſe ipſa iudicat. plus autem pollicebatur. Nã hæc quidem iudicare, ad cæteras res, quæ ſunt in philoſophia multæ, atque magnæ, non eſt ſatis. [2] Sed quoniam in ea arte tantum ponitis, videte ne contra vos tota nata ſit, quæ primo progreſſu feſtiuè tradit elementa loquendi, & ambiguorum intelligentiam, concludendiq; rationem, tum paucis additis venit ad ſoritas, lubricum ſanè & periculoſum locum: quod tu modò dicebas eſſe vitioſum interrogandi genus. Quid ergo? iſtius vitij num noſtra culpa eſt? rerum natura nullam nobis dedit cognitionem finium, vt vlla in re ſtatuere poſſimus quatenus. nec hoc in aceruo tritici ſolùm, vnde nomen eſt, ſed vlla omnino in re minutatim interroganti: diues, pauper: clarus, obſcurus ſit: multa, pauca: magna, parua: longa, breuia: lata, anguſta: quanto aut addito aut dempto certum reſpondeamus, non habemus. [3] At vitioſi ſunt ſoritæ. Frangite igitur eos, ſi poteſtis, ne moleſti ſint: erunt enim, niſi caueatis. Cautum eſt, inquit: placet enim Chryſippo, cùm gradatim interrogetur, verbi cauſſa, tria pauca ſint, ánne multa: aliquanto prius, quàm ad multa perueniat, quieſcere, id eſt, quod ab ijs dicitur, ἡσυχάζειν. [4] Per me vel ſtertas licet, inquit Carneades, nõ modo quieſcas. Sed quid proficit? ſequitur enim qui te ex

ſomno

ſomno excitet, & eodem modo interroget. quod in numero conticuiſti: ſi ad eum numerum vnum addidero, multáne erunt? progrediere rurſus, quoad videbitur. Quid plura? hoc enim fateris, [5] neque vltimum te paucorum, neque primum multorum reſpondere poſſe. Cuius generis error ita manat, vt non videam quò non poßit accedere. [6] Nihil me lædit, inquit. ego enim vt agitator callidus, prius quàm ad finem veniam, equos ſuſtinebo, eóq; magis, ſi locus is, quò ferentur equi, præceps erit. Sic me, inquit, antè ſuſtinebo, nec diutius captioſè interroganti reſpondebo. [7] Si habes quod liqueat, neque reſpondes, ſuperbè. ſi non habes, ne tu quidem perſiſtis. ſi quia obſcura, concedo: ſed negas te vſque ad obſcura progredi. illuſtribus igitur rebus inſiſtis. ſi id tantummodo, vt taceas: nihil aſſequeris. quid enim ad illum qui te captare vult, vtrum tacentem irretiat te, an loquẽtem? ſin autem vſq; ad nouem, verbi gratia, ſine dubitatione reſpondes pauca eſſe, in decimo inſiſtis. [8] etiam à certis & illuſtrioribus cohibes aſſenſum: hoc idem me in obſcuris facere non ſinis. [9] Nihil igitur te contra ſoritas ars iſta adiuuat, quæ nec augendi, nec minuendi quid aut primum ſit, aut poſtremũ, docet. [10] Quid quòd eadem illa ars, quaſi Penelope telam retexens, tollit ad extremum ſuperiora? vtrum ea veſtra, an noſtra culpa eſt? Nempe fundamẽtum dialecticæ eſt, quicquid enuntietur (id autem appellatur ἀξίωμα, quod eſt quaſi effatum) aut verũ eſſe, aut falſum. Quid igitur? hæc vera, an falſa ſunt? ſi te mentiri dicis, idq; verum dicis: mẽtiri verum dicis. [11] Hæc ſcilicet inexplicabilia eſſe dicitis, quod eſt odioſius, quàm illa quæ nos incomprehenſa & non percepta dicimus. Sed hæc omitto. Illud quæro, ſi iſta explicari non poſſunt, nec eorum vllum iudicium inuenitur, vt reſpondere

poſitis, veráne, an falſa ſint: vbi eſt illa definitio, effatum eſſe id quod aut verum, aut falſum ſit? [12] *Rebus ſumptis adiungam, ex his ſequendas eſſe alias, alias improbandas, quæ non ſint in genere contrario. Quomodo igitur hoc concluſum eſſe iudicas, Si dicis nunc lucere, & verum dicis: lucet: dicis autem lucere, & verum dicis: lucet igitur? Probatis certè genus, & rectiſſimè concluſum dicitis: itaque in docendo eum primum concludendi modum traditis. Aut quicquid igitur eodem modo concluditur, probabitis: aut ars iſta nulla eſt. Vide ergo, hanc concluſionem probaturúſne ſis: Si dicis te mentiri, verumq́ dicis: mentiris. dicis autem te mentiri, verumq́ dicis: mentiris igitur. Quî potes hanc non probare, cùm probaueris eiuſdem generis ſuperiorē?* [13] *Hæc Chryſippea ſunt, ne ab ipſo quidem diſſoluta. quid enim faceret huic concluſioni, ſi lucet, lucet: lucet autem, lucet igitur? Crederet ſcilicet, Ipſa enim ratio connexi, cùm conceſſeris ſuperius, cogit inferius concedere. Quid ergo hæc ab illa concluſione differt? Si mentiris, mentiris: mentiris autem, mentiris igitur. Hoc te negas poſſe, nec approbare, nec improbare. Quî igitur magis illud? Si ars, ſi ratio, ſi via, ſi vis denique concluſionis valet: eadem eſt in vtroque.* [14] *Sed hoc extremum eorum eſt, poſtulant vt excipiantur hæc inexplicabilia. Tribunum aliquem cenſeo adeant: à me iſtam exceptionem nunquam impetrabunt.* [15] *Etenim cùm ab Epicuro, qui totam dialecticam & contemnit & irridet, non impetrent, vt verum eſſe concedat, quod ita effabimur: Aut viuet cras Hermachus, aut non viuet: cùm dialectici ſic ſtatuant, omne quod ita disiunctum ſit, quaſi, aut etiam, aut non, nō modo verum eſſe, ſed etiam neceſſarium: vide quàm ſit cautus is, quem iſti tardum putant.* [16] *Si enim, inquit, alteru-*

alterutrum conceſſero: neceſſarium eſſe neceſſe erit, cras Hermachum aut viuere, aut non viuere: nulla autem eſt in natura rerum talis neceſsitas. [17] *Cùm hoc igitur dialectici pugnent, id eſt, Antiochus, & Stoici: totam enim euertit dialecticam. nam ſi è contrarijs diſiunctio (contraria autem ea dico, cùm alterum ait, alterum negat) ſi talis diſiunctio falſa poteſt eſſe, nulla vera eſt. Mecum verò quid habent litium, qui ipſorum diſciplinam ſequor?* [18] *Cùm aliquid huiuſmodi inciderat, ſic ludere Carneades ſolebat: Si rectè conclusit, teneo: ſin vitioſè, minam Diogenes reddat. ab eo enim Stoico dialecticam didicerat: hæc autem merces erat dialecticorum. Sequar igitur eas vias, quas didici ab Antiocho: nec reperio quomodo iudicem, ſi lucet, lucet, verum eſſe, ob eam cauſſam, quod ita didici, omne quod ipſum ex ſe connexum ſit, verum eſſe: non iudicem, ſi mentiris, mentiris, eodem modo eſſe cõnexum.* [19] *Aut igitur hoc, & illud: aut niſi hoc, ne illud quidem iudicabo.*

1 Tranſit à ſenſibus ad refutationem artium, quæ animo videntur percipi: ac primùm refellit definitionem dialecticæ enumeratione rerum ſubiectarum, ſed captioſa & fallaci: non enim dialectica dicitur iudex eſſe veri & falſi, quia dialecticus omnes artes nouerit, in quibus verum à falſo poſſit diſcernere: ſed quia hæc ars ſit regula de omnibus rebus iudicandi, ſicut Grammatica de omnibus rebus purè loquendi. Itaque quemadmodum ſi Geometra, Arithmeticus, Muſicus purè loquuntur, id Grammaticæ virtute faciunt, non ſua: ita cùm per ſyllogiſmum rectè iudicant de rebus ſibi ſubiectis, dialectica arte & poteſtate faciunt, non ſua: quia ſola dialectica docet leges de omnibus iudicandi: nec magis conſequens eſt, Dialectica eſt regula iudicandi de omnibus, ergo dialecticus nouit omnia: quàm ſi dixeris, Grammatica eſt regula de omnibus purè loquendi, ergo grammaticus nouit omnia. 2 Secundum argumẽtum contra dialecticam Stoicorum ducitur à ſubiecta ei diſciplinæ materia: id eſt, præceptis dialecticis, in quibus Stoici non ſolùm grammaticam artem confundebant, cùm præciperent de orthographia, etymologia, ſyntaxi, vt ex Diogene Laërtio conſtat: ſed hærebant in ſuis ſoritis, quæ gradationes minutis interrogatiunculis fiunt, habentque lubricum & periculoſum genus argumẽtationis, quòd in hac gradationis continuatione non ſatis cohærentia interdum copulantur, ſed cognita & adhibita luce ſyllogiſmi, facilè hic ſophiſticus & captioſus error ſoritarum cognoſcitur. Chryſippus autem Stoicus ignoratione dialectici ſyllogiſmi ad diſſoluendas captiones ſoritarum confinxerat modum quendam ſtationis, vltra quem progredi non liceret: qui profectò rectè & meritò irridetur & exagitatur à Cicerone: hoc enim commentum contra ſoritas nihil valet, ſed conſtans, & certa, & perpetua regula ſyllogiſmi

[1] *Quid ergo eſt quod percipi poſſit, ſi ne ſenſus quidem ve
ra nuntiat? quos tu Luculle, [2] comuni loco defendis. quod
ne id facere poſſes, idcircò heri, non neceſſario loco, contra
ſenſus multa dixeram. [3] tu autem te negas infracto remo,
neque columbæ collo commoueri. primùm cur? nam & in
remo ſentio non eſſe id quod videatur: & in columba plures
videri colores, nec eſſe plus vno. deinde, nihilne præterea di-
ximus? maneant illa omnia. [4] latrat in iſta cauſſa Epi-
curus: veraces eſſe ſuos ſenſus dicit. Igitur ſemper authorem
habes, & eum qui magno ſuo periculo cauſſam agat. eò e-
nim rem dimittit Epicurus, ſi vnus ſenſus ſemel in vita men
titus ſit, nulli vnquam eſſe credendum. Hoc eſt verum eſſe,
confidere ſuis teſtibus, & importunè inſiſtere. [5] Itaq; Tima-
goras Epicureus negat ſibi vnquam, quum oculum torſiſſet,
duas ex lucerna flammulas eſſe viſas: opinionis enim eſſe
mendacium, nõ oculorum. quaſi quæratur quid ſit, nõ quid
videatur. [6] Sed hic quidem maiorum ſimilis. tu verò, qui
viſa ſenſibus alia vera dicas eſſe, alia falſa: quî ea diſtinguis?
[7] Deſine quæſo communibus locis. domi nobis iſta naſcutur.
Si quis deus te interroget ſanis modò & integris ſenſibus,
Num amplius quid deſideras? quid reſpondeas? Utinam
quidem roget. audiat quàm nobiſcum malè agatur. [8] Ut
enim vera videamus, quàm longè videbimus? ego Catuli Cu
manam ex hoc loco regionem video, Pompeianum nõ cerno:
neque quicquam interiectum eſt quod obſtet: ſed intendi
longius acies non poteſt. O præclarum proſpectum! Puteolos
videmus: at familiarem noſtrum Auianum, fortaſſe in por
ticu Neptuni ambulantem nõ videmus. At ille neſcio qui,
qui in ſcholis nominari ſolet, mille & octingẽta ſtadia, quòd
abeſſet, videbat. quædam volucres longius. Reſponderem igi-*

tur

tur audacter iſti veſtro deo, me planè his oculis non eſſe contentum. [9] *dicit me acrius videre, quàm vllos piſces, fortaſſe qui neque videntur à nobis, & nunc quidem ſub oculis ſunt. neque ipſi nos ſuſpicere poſſunt. Ergo vt illis aqua, ſic nobis aer craſſus offunditur. At amplius nō deſideramus.* [10] *Quid talpam? num deſiderare lumen putas? Neque tam quererer cum deo, quòd parum longè, quàm quòd falſum viderem.* [11] *Vidéſne nauem illam? ſtare nobis videtur: at ijs qui in naui ſunt, moueri hæc villa. Quære rationem cur ita videatur: quàm vt maximè inueneris, quod haud ſcio an non poſſis: non tu verum teſtem habere, ſed eum non ſine cauſſa falſum teſtimonium dicere oſtenderis. Quid ego de naui? vidi enim à te remū contemni. maiora fortaſſe quæris.* [12] *Quid poteſt eſſe Sole maius, quem Mathematici amplius duodeuiginti partibus confirmāt maiorem eſſe quàm terram? quantulus nobis videtur? mihi quidem quaſi pedalis.* [13] *Epicurus autem poſſe putat etiam minorem eſſe eum, quàm videatur, ſed non multo. ne maiorem quidem multo putat eſſe: vel tantùm eſſe, quantus videatur: vt oculi aut nihil, aut non multum mentiantur.* [14] *Vbi igitur illud eſt ſemel? ſed ab hoc credulo, qui nunquam ſenſus mentiri putat, diſcedamus, qui ne nunc quidem, cùm ille Sol, qui tanta incitatione fertur, vt celeritas eius quanta ſit, ne cogitari quidem poſſit, tamen nobis ſtare videatur.*

1 Incipit diſputare cōtra Lucullum de principe & generali quæſtione, Quòd nihil percipi poſſit. Primum argumentum eſt a ſenſibus, leue & captioſum. Licèt enim nullus ſenſus ſit particeps ſcientiæ, quia (vt Socrates rectè docet in Theæteto, eſſentiam rei non percipit: licèt etiam interdū decipiatur ſenſus, non ſequitur tamē, quin interdū verū aliquid ſentiat, quale vel falſum eſſe nō poſſit. 2 Communi loco defendere, eſt probabiliter & captioſè ad imitationem Oratorum aliquid diſputare: eſt enim locus communis, oratoribus campus, in quo liberè expatiantur, cùm alquid amplificant laudis & vituperationis gratia. 3 Occupat duo exēpla, quibus ſenſus falluntur, quaſi à Lucullo nō ſatis refutata & diſſoluta ſint. 4 Epicurus diſſentit ab Academicis, quia omne iudiciū veritatis ponit

in ſenſibus: ſed tamen ſententiam ſuam pueriliter & ineptè defendit, & eius ſubſcriptor Timagoras. 5 Si oculi palpebram aliquantulum depreſſeris, quamuis vnica ſit flamma luculentis candelæ, ea tamen geminari tibi videbitur, quia ab oculo tuo radij exeuntes non ad idem feruntur punctum: atque idcircò, quod oculus bis inſpexit, id quaſi geminum ſe putat inſpexiſſe. 6 Eleuat diſputationem Luculli tanquam communem, nec ſatis accuratam: cùm tamen ipſe Cicero non accuratius diſputet, quàm Lucullus, & communibus etiam locis hic, vt antè Lucullus fecit, expatietur. 7 Occupat communem locū Luculli de laude ſenſuum, & ei contradicit ab exemplis, quibus confirmatur imbecillitas oculorum: quia longius rem perſpicere non poſſunt. 8 Occupat exemplum hominis acutè videntis, quod eleuat collatione auium, quæ longius vidét. Fuit autem quidam nomine Linceus tam certa acie luminum, vt ex Lilybæo naues è portu Carthaginenſium egredientes videret, vt ait Valerius lib. 1. Carthago autem à Lilybæo diſtat mille ſtadiis, ac ferè quingentis, vt ait Strabo. Plinius refert, haliæetum clariſſima oculorum acie ex alto videre in mari piſcem, in quem præceps ruit, eumque diſcuſſis pectore aquis, rapit. 9 Secunda prolepſis de piſcibus contemnitur: quia nos perfectiorē viſum quærimus. 10 Tertia prolepſis de exemplo talpæ refellitur à minori ad maius. Talpæ quamuis natura ſint expertes viſus, tamen lumen deſiderant. Quid mirum, ſi homines acumen oculorum melius optent? 11 Tranſitus eſt ab imbecillitate oculorum ad fraudes & fallacias ex his ortas, quæ declarantur exemplo nauis: nam qui procul agitatam nauem aſpiciunt, eam ſtare putant, quia propter longitudinem ſpatij & interualli, nauis ipſa angulos viſus afficere, atque mouere parum admodum poteſt. & qui ſunt in naui, proxima quæque moueri arbitrantur, vt arbores, ædes, quia radij oculorum ad motum nauis ſubinde mutant ſitum: atque idcircò res, quæ ſub aſpectum cadunt, mutari videntur, & tanquam oculos ſequi: ſed hęc Ciceronis argumenta nihil admodum arguunt, & probant. Non enim ſequitur, ſi ſenſus aliquando fallaces ſint, vt ſemper ſint fallaces, & mens hominis fraudem perſpicere non poſſit: etenim à doctiſſimis hominibus inuenta & explicata eſt ratio, & cur remus inflexus in aqua videtur, & collum columbæ coloribus variegatum, cùm tamen ſit vnius modi: cæteraque eiuſmodi ab optimis philoſophis diligenter enucleantur, nec eorum quiſquā in his falli poteſt. 12 Correctio proximi exempli, & tranſitus ad aliud de magnitudine Solis, vbi viſus plurimùm fallitur. 13 Epicuro Sol videtur eſſe tantus, quantulus apparet, & maiuſculus, & minuſculus, vt Plutarchus ait: Ciceroni duodeuiginti partibus maior terra, id eſt, tercentum & ſex millibus leucarum: Mathematicis centies ſexagies ſexies, id eſt, centum millionibus leucarum, & amplius. 14 Contemnit Epicurum ſtultè differentem de Solis magnitudine, & ſibiipſi repugnantem: dicit enim quodam capite, ſi ſemel ſenſus mentiantur, eis non eſſe credendum: & altero oculos poſſe mentiri, cùm iudicant de Solis magnitudine.

[1] *Sed vt minuam controuerſiam : videte quæſo quàm in paruulis ſitis. Quatuor ſunt capita, quæ concludunt nihil eſſe quod noſci, percipi, comprehendi poſſit: de quo hæc tota quæſtio eſt. e quibus primum eſt, eſſe aliquod viſum falſum: ſecundum, non poſſe id percipi: tertium, inter quæ viſa nihil interſit, fieri nō poſſe vt eorum alia percipi poſſint, alia non poſſint: quartum, nullum eſſe viſum verum à ſenſu perfectum*

ctum,cui non appoſitum ſit viſum aliud quod ab eo nihil interſit,quodq́ percipi non poſſit.Horum quatuor capitum ſecundum & tertium omnes concedunt, primum Epicurus non dat.vos,quibuſcum res eſt,id quoq; conceditis. omnis pugna de quarto eſt. [2] Qui igitur P.Seruilium Geminum videbat, ſi Quintum ſe videre putabat, incidebat in eiuſmodi viſum,quod percipi non poſſet,quia nulla nota verum à falſo diſtinguebatur. quia diſtinctione ſublata, quam haberet [3] M.Cotta,qui bis cum Gemino Conſul fuit,agnoſcendo eiuſmodi notam,quæ falſa eſſe non poſſit? Negas tantam ſimilitudinem in rerum natura eſſe. pugnas omnino,ſed cũ aduerſario facili. [4] Ne ſit ſanè:videri certè poteſt.fallet igitur ſenſum: & ſi vna feſellerit ſimilitudo,dubia omnia reddiderit.ſublato enim iudicio illo,quô oportet agnoſci: etiamſi ipſe erit quem videris,qui tibi videbitur,tamen non ea nota iudicabis,qua dicis oportere,vt non poſſit eſſe eiuſdem modi falſa. Quando igitur poteſt tibi P.Geminus, Quintus videri: quid habes explorati, [5] cur non poſſit tibi Cotta videri,qui non ſit,quoniam aliquid videtur eſſe,quod non eſt? Omnia dicis ſui generis eſſe:nihil eſſe idem,quod ſit aliud. Stoicum eſt quidem,nec admodum credibile, nullum eſſe pilum omnibus rebus talem, qualis ſit pilus alius, nullum granum. [6] Hæc refelli poſſunt:ſed pugnare nolo. ad id enim quod agitur,nihil intereſt, omnibúſne partibus viſa res nihil differat,an internoſci nõ poſſit,etiam ſi differat. Sed ſi hominum ſimilitudo tanta eſſe non poteſt, ne ſignorum quidem? Dic mihi, [7] Lyſippus eodem ære, eadem temperatione, eodem cœlo,aqua, cæteris omnibus, centum Alexandros eiuſdem modi facere non poſſit? qua igitur notione diſcerneres? [8] Quid,ſi in eiuſmodi cera centum ſigilla hoc annulo impreſ

ſero, ecqua poterit in agnoſcendo eſſe diſtinctio? an tibi erit quærendus annularius aliquis, quoniam gallinarium inueniſti Deliacum illum, qui oua cognoſceret? [9] *Sed adhibes artem aduocatam etiam ſenſibus. pictor videt quæ nos non videmus: & ſimul inflauit tibicen, à perito carmen agnoſcitur. Quid hoc? nónne videtur contra te valere, ſi ſine magnis artificijs, ad quæ pauci accedunt, noſtri quidem generis admodum nec videre, nec audire poſſumus?* [10] *Iam illa præclara, quanto artificio eſſet ſenſus noſtros, mentemq́, & totam conſtructionem hominis fabricata natura. cur non extimeſcam opinandi temeritatem? etiámne hoc affirmare potes, Lucule, eſſe aliquam vim, cum prudentia & conſilio ſcilicet, quæ finxerit, vel, vt tuo verbo vtar, quæ fabricata ſit hominem? qualis iſta fabrica eſt? vbi adhibita? quando? cur? quomodo? Tractantur iſta ingenioſè, diſputantur etiam eleganter. deniq; videantur ſanè, ne affirmetur modo. Sed de phyſicis mox, & quidem ob eam cauſſam, ne tu, qui idem me facturum paulò antè dixeris, videare mentitus.*

1 Repetit quatuor hypotheſes Academicorum à Lucullo prius commemoratas, ex quibus effici volunt, nihil poſſe percipi: quarum tres veluti per ſe ſatis illuſtres, & ab omnibus conceſſæ ſumuntur: quarta, quæ in quæſtionem venit, à Cicerone confirmatur. 2 Vtitur exemplis Seruiliorum geminorum, qui inter ſe valde ſimiles erant, vt vix internoſci poſſent, ſed iis exemplis nunquam efficiet, nihil poſſe percipi. nam, vt antè docuit Lucullus, adhibita conſuetudine geminos facilè diſtingues. nec verò ſequitur, vt ſi in quibuſdam viſis differentia non appareat, in nullis viſis appareat. 3 C. Aurelius Cotta, & P. Seruilius Geminus primùm Conſules fuerunt anno Vrbis conditæ 501. rurſus autem anno Vrbis 505. 4 Concedit defenſionem Luculli de ſingulis & proprijs rerum notis, quibus res internoſcuntur, & tamē nihilominus contendit viſa confuſa eſſe. Syllogiſmus eſt connexus primi modi, cuius propoſitio eſt fallax:

Si vna ſimilitudo feſellerit, dubia omnia reddiderit:

Poſſunt enim res ſimilitudine inter ſe coniungi, & multis diſſimilibus diſtingui ac ſeparari. 5 Refellit dogma Stoicum de ſingulis rerum proprietatibus, quibus inter ſe differant. Argumentum ab exemplis ſpecialibus: pilus à pilo non internoſcitur, neque granum à grano: non ſunt igitur in ſingulis rebus propriæ quædam notæ. Sic Perſæus cum Ariſtone Stoico dogmati aſſentiente diſſeruit, protuliťq; geminos fratres inter ſe litigantes, quorum alter illi depoſitum daret, alter deinde reciperet, atque ita hærentem in geminis, & ambigentem vter eſſet, coarguit. Lege Laërtium lib. 7. 6 Tranſit ab exemplis geminorum ad exemplum

plum ſignorum ſimilium. 7 Lyſippus Sicyonius nobilis ſculptor fuit, à quo tantùm Alexander ſe fingi paſſus eſt. Is ſexcenta decem opera feciſſe dicitur tam excellentia, vt arti claritatem poſſent dare vel ſingula. Plin. cap. 7 lib. 34. 8 Aliud exemplum de ſignis ſimilibus in cera impreſſis, & iocus in Deliacum gallinarium à Lucullo citatum, cuius videtur meminiſſe Plinius his verbis: Traditur quædam ars gallinarij cuiuſdam dicentis, quòd ouum ex quaque eſſet. 9 Regerit in Lucullum exempla de pictore & tibicine, cuius argumentum à maiori ad minus, licèt verum ſit, nihil tamen efficit. 10 Eleuat communem locum de diuina & excellenti fabrica ſenſus & animi, quam ethnicè & impiè contemnit magis, quàm refellit ex leuiſſimis adiunctis.

[1] *Sed vt ad ea quæ clariora ſunt, veniam, res iam vniuerſas profundam: de quibus volumina impleta ſunt, non à noſtris ſolùm, ſed etiam à Chryſippo: de quo queri ſolent Stoici, dum ſtudioſè omnia conquiſierit contra ſenſus & perſpicuitatem, contráque omnem conſuetudinem, contráque rationem, ipſum ſibi reſpondentem inferiorem fuiſſe: itaque ab eo amatum eſſe Carneadem. Ea ſunt eiuſmodi, quæ à te diligentiſſimè tactata ſunt: Dormientium & vinolentorum & furioſorum viſa imbecilliora eſſe dicebas, quàm vigilantium, ſiccorum, ſanorum:* [2] *quomodo? quia cùm experrectus eſſet Ennius, non diceret ſe vidiſſe Homerum, ſed viſum eſſe: Alcmeo autem,*

Sed mihi neutiquam cor conſentit.

Similia de vinolentis. quaſi quiſquam neget, & qui experrectus ſit eum ſomniare: & cuius [3] *furor conſederit, putare non fuiſſe ea vera, quæ eſſent ſibi viſa in furore. ſed non id agitur tum, quum videantur: quo modo videntur, id quæritur. niſi verò Ennium non putamus ita totum illum audiuiſſe,*

O pietas animi.

Si modo id ſomniauit, vt ſi vigilans audiret: experrectus enim potuit illa viſa putare, vt erant, & ſomnia. dormienti verò æquè ac vigilanti probantur. Quid Iliona ſomno illo,

[4] Mater te appello.

Nónne illa credit filium locutum, vt verè experrecta etiam crederet? vnde enim illa,

Age adſta: mane: audi: itera dum eadem & iſta mihi?

Num videtur minorem habere viſis, quàm vigilantes fidem? [5] *Quid loquar de inſanis? qualis tandem fuit affinis tuus, Catule, Tuditanus? quiſquam ſaniſſimus tam certa putat, quæ videt, quàm is putabat, quæ videbantur? Quid ille, qui,*

Video, video te viuum Vlyſſes, dum licet.

Nónne etiam bis exclamauit ſe videre, quum omnino non videret? [6] *Quid apud Euripidem Hercules, quum vt Euryſthei filios, ita ſuos configebat ſagittis, quum vxorem interimebat, quum conabatur etiam patrem, non perinde mouebatur falſis, vt veris moueretur? quid ipſe Alcmeo tuus, qui negat cor ſibi cum oculis conſentire? nónne ibidem incitato furore,*

Vnde hæc flamma oritur?

Et illa deinceps,

Incede, incede: adſunt, adſunt: me, me expetunt.

Quid, quum virginis fidem implorat?

Fer mi auxilium: peſtem abige à me:
Flammiferam hanc vim, quæ me excruciat.
Ceruleæ incinctæ igni incedunt:
Circunſtant cum ardentibus tedis.

Num dubitas quin ſibi hæc videre videatur? itemq́ cætera:

Intendit crinitus Apollo
Arcum auratum Luna innixus.
Diana facem iacit à læua.

Qui

Qui magis hæc crederet ſi eſſent, quàm credebat, quia videbantur: apparet enim iam cor cum oculis conſentire. [7] *Omnia autem hæc proferũtur, vt illud efficiatur (quo certius nihil poteſt eſſe) inter viſa vera & falſa ad animi aſſenſum nihil intereſſe. Vos autem nihil agitis, cùm falſa illa vel furioſorum, vel ſomniantium, recordatione ipſorum refellitis. non enim id quæritur, qualis recordatio fieri ſoleat eorum, qui experrecti ſunt, aut eorum qui furere deſtiterunt: ſed qualis viſio fuerit aut furentium, aut ſomniantium tum, cùm commouebantur.*

1 Hactenus ea collecta ſunt, quæ ab Academicis philoſophis cõtra ſenſus diſputari ſolent, dehinc tranſitus fit ad exempla ſomniantium, ebriorum & furioſorum, adhibita quadam præfatione in Chryſippum Stoicum, qui in refellendis Academicis eorum cauſſam infirmare magis, quàm confirmare videtur. Is quinque libros ſcripſit ad Methrodorum aduerſus conſuetudinem, & ſeptem pro conſuetudine ad Gorgippidem, vt ait Laërtius. 2 Eleuat exempla de dormientibus & vinolentis, magis vt ſeruiat ſuæ cauſſæ, quàm vt conſtanter & philoſophicè reſpondeat. Quærimus, inquit, quomodo res appareant ſomniantibus & ebrioſis, veræ, inquam, quæ tamen ſunt falſæ. quid tum? an inde concludere potes, Si nulla ſit in ſomniis & ebrietate perceptio, nihil ab homine poſſe percipi: aut viſa quæ vera ſunt, à falſis non differre? Hoc argumentum Ciceronis in ſyllogiſmo diſpone cum propoſita quæſtione, hoc modo:

Si quæ dormientibus & ebriis vera videntur, non differunt à falſis, inter viſa vera & falſa nihil intererit:
Sed primum verum:
Verum igitur & poſtremum.

Vidéſne quæ plaga ſit in propoſitione ſyllogiſmi, quæ falſa & inconſequens eſt? non enim ſequitur, Si confuſa ſunt viſa dormientium & ebrioſorum, vt etiam reliquorum hominum viſa confuſa ſint. 3 Furor conſediſſe dicitur, qui ſuos motus & impetus remiſit, cùm is qui furioſus erat, nihil ferè à ſano diſtare videtur.
4 Citantur hi verſus à Cic. Tuſcul. 1.

Mater te appello, tu quæ curam ſomno ſuſpenſo leuas,
Neque te meĩ miſeret, ſurge & ſepeli natum.

5 Exempla tria proferuntur de furioſis, Tuditano, Hercule, & Alcmeone, qui vera eſſe credebant, quæ in furore, animo, & cogitatione verſarẽt: de quibus idem iudicare debemus, quod de ſomniantibus & vinolentis. 6 Hercules apud Euripidem tres liberos necat, exiſtimans eſſe liberos Euryſthei regis Thebarum, & Megaram coniugem ſuã filiam Creontis: poſtremò cùm ſagittam pararet ad cædem Amphitrionis patris, à Pallade prohibitus eſt. 7 Concludit contra Lucullum ſomniantes, ebrios, & inſanos aſſentiri viſis, eaque vera credere, quæ tamen falſa ſunt, & eleuat ſolutionem Luculli à diſſimilibus: quod genus argumenti totum contra Ciceronem eſſe docuimus.

[1] *Sed abeo à ſenſibus. Quid eſt quod ratione percipi poſſit?*

Dialecticam inuentam eſſe dicitis veri & falſi quaſi diſceptatricem & iudicem: cuius veri & falſi? & in qua re? in Geometriáne quid ſit verum vel falſum, dialecticus iudicabit? an in literis? an in muſicis? At ea non nouit. In philoſophia igitur Sol quantus ſit, quid ad illum? Quod ſit ſummũ bonũ, quid habet vt queat iudicare? Quid igitur iudicabit? quæ coniunctio, quæ diſiunctio vera ſit? quid ambiguè dictum ſit? quid ſequatur quamq; rem, quid repugnet? Si hæc, & horum ſimilia iudicat, de ſe ipſa iudicat. plus autem pollicebatur. Nã hæc quidem iudicare, ad cæteras res, quæ ſunt in philoſophia multæ, atque magnæ, non eſt ſatis. [2] Sed quoniam in ea arte tantum ponitis, videte ne contra vos tota nata ſit, quæ primo progreſſu feſtiuè tradit elementa loquendi, & ambiguorum intelligentiam, concludendiq; rationem, tum paucis additis venit ad ſoritas, lubricum ſanè & periculoſum locum: quod tu modò dicebas eſſe vitioſum interrogandi genus. Quid ergo? iſtius vitij num noſtra culpa eſt? rerum natura nullam nobis dedit cognitionem finium, vt vlla in re ſtatuere poſſimus quatenus. nec hoc in aceruo tritici ſolùm, vnde nomen eſt, ſed vlla omnino in re minutatim interroganti: diues, pauper: clarus, obſcurus ſit: multa, pauca: magna, parua: longa, breuia: lata, anguſta: quanto aut addito aut dempto certum reſpondeamus, non habemus. [3] At vitioſi ſunt ſoritæ. Frangite igitur eos, ſi poteſtis, ne moleſti ſint: erunt enim, niſi caueatis. Cautum eſt, inquit: placet enim Chryſippo, cùm gradatim interrogetur, verbi cauſſa, tria pauca ſint, ánne multa: aliquanto prius, quàm ad multa perueniat, quieſcere, id eſt, quod ab ijs dicitur, ἡσυχάζειν. [4] Per me vel ſtertas licet, inquit Carneades, nõ modo quieſcas. Sed quid proficit? ſequitur enim qui te ex

ſomno

ſomno excitet, & eodem modo interroget. quod in numero conticuiſti: ſi ad eum numerum vnum addidero, multáne erunt? progrediere rurſus, quoad videbitur. Quid plura? hoc enim fateris, [5] neque vltimum te paucorum, neque primum multorum reſpondere poſſe. Cuius generis error ita manat, vt non videam quò non poſsit accedere. [6] Nihil me lædit, inquit. ego enim vt agitator callidus, prius quàm ad finem veniam, equos ſuſtinebo, eóq; magis, ſi locus is, quò ferentur equi, præceps erit. Sic me, inquit, antè ſuſtinebo, nec diutius captioſè interroganti reſpondebo. [7] Si habes quod liqueat, neque reſpondes, ſuperbè. ſi non habes, ne tu quidem perſiſtis. ſi quia obſcura, concedo: ſed negas te vſque ad obſcura progredi. illuſtribus igitur rebus inſiſtis. ſi id tantummodo, vt taceas: nihil aſſequeris. quid enim ad illum qui te captare vult, vtrum tacentem irretiat te, an loquẽtem? ſin autem vſq; ad nouem, verbi gratia, ſine dubitatione reſpondes pauca eſſe, in decimo inſiſtis. [8] etiam à certis & illuſtrioribus cohibes aſſenſum: hoc idem me in obſcuris facere non ſinis. [9] Nihil igitur te contra ſoritas ars iſta adiuuat, quæ nec augendi, nec minuendi quid aut primum ſit, aut poſtremũ, docet. [10] Quid quòd eadem illa ars, quaſi Penelope telam retexens, tollit ad extremum ſuperiora? vtrum ea veſtra, an noſtra culpa eſt? Nempe fundamẽtum dialecticæ eſt, quicquid enuntietur (id autem appellatur ἀξίωμα, quod eſt quaſi effatum) aut verũ eſſe, aut falſum. Quid igitur? hæc vera, an falſa ſunt? ſi te mentiri dicis, idq; verum dicis: mẽtiri verum dicis. [11] Hæc ſcilicet inexplicabilia eſſe dicitis, quod eſt odioſius, quàm illa quæ nos incomprehenſa & non percepta dicimus. Sed hæc omitto. Illud quæro, ſi iſta explicari non poſſunt, nec eorum vllum iudicium inuenitur, vt reſpondere

poſitis, veráne, an falſa ſint: vbi eſt illa definitio, effatum eſſe id quod aut verum, aut falſum ſit? [12] *Rebus ſumptis adiungam, ex his ſequendas eſſe alias, alias improbandas, quæ non ſint in genere contrario. Quomodo igitur hoc concluſum eſſe iudicas, Si dicis nunc lucere, & verum dicis: lucet: dicis autem lucere, & verum dicis: lucet igitur? Probatis certè genus, & rectiſſimè concluſum dicitis: itaque in docendo eum primum concludendi modum traditis. Aut quicquid igitur eodem modo concluditur, probabitis: aut ars iſta nulla eſt. Vide ergo, hanc concluſionem probaturúſne ſis: Si dicis te mentiri, verumq́; dicis: mentiris. dicis autem te mentiri, verumq́; dicis: mentiris igitur. Quî potes hanc non probare, cùm probaueris eiuſdem generis ſuperiorē?* [13] *Hæc Chryſippea ſunt, ne ab ipſo quidem diſſoluta. quid enim faceret huic concluſioni, ſi lucet, lucet: lucet autem, lucet igitur? Crederet ſcilicet, Ipſa enim ratio connexi, cùm conceſſeris ſuperius, cogit inferius concedere. Quid ergo hæc ab illa concluſione differt? Si mentiris, mentiris: mentiris autem, mentiris igitur. Hoc te negas poſſe, nec approbare, nec improbare. Quî igitur magis illud? Si ars, ſi ratio, ſi via, ſi vis denique concluſionis valet: eadem eſt in vtroque.* [14] *Sed hoc extremum eorum eſt, poſtulant vt excipiantur hæc inexplicabilia. Tribunum aliquem cenſeo adeant: à me iſtam exceptionem nunquam impetrabunt.* [15] *Etenim cùm ab Epicuro, qui totam dialecticam & contemnit & irridet, non impetrent, vt verum eſſe concedat, quod ita effabimur: Aut viuet cras Hermachus, aut non viuet: cùm dialectici ſic ſtatuant, omne quod ita diſiunctum ſit, quaſi, aut etiam, aut non, nō modo verum eſſe, ſed etiam neceſſarium: vide quàm ſit cautus is, quem iſti tardum putant.* [16] *Si enim, inquit, alteru-*

alterutrum conceſſero: neceſſarium eſſe neceſſe erit, cras Hermachum aut viuere, aut non viuere: nulla autem eſt in natura rerum talis neceſſitas. [17] *Cùm hoc igitur dialectici pugnent, id eſt, Antiochus, & Stoici: totam enim euertit dialecticam. nam ſi e contrarijs diſiunctio (contraria autem ea dico, cùm alterum ait, alterum negat) ſi talis diſiunctio falſa poteſt eſſe, nulla vera eſt. Mecum verò quid habent litium, qui ipſorum diſciplinam ſequor?* [18] *Cùm aliquid huiuſmodi inciderat, ſic ludere Carneades ſolebat: Si rectè concluſit, teneo: ſin vitioſè, minam Diogenes reddat. ab eo enim Stoico dialecticam didicerat: hæc autem merces erat dialecticorum. Sequar igitur eas vias, quas didici ab Antiocho: nec reperio quomodo iudicem, ſi lucet, lucet, verum eſſe, ob eam cauſſam, quod ita didici, omne quod ipſum ex ſe conexum ſit, verum eſſe: non iudicem, ſi mentiris, mentiris, eodem modo eſſe cōnexum.* [19] *Aut igitur hoc, & illud: aut niſi hoc, ne illud quidem iudicabo.*

1 Tranſit à ſenſibus ad refutationem artium, quæ animo videntur percipi: ac primùm refellit definitionem dialecticæ enumeratione rerum ſubiectarum, ſed captioſa & fallaci: non enim dialectica dicitur iudex eſſe veri & falſi, quia dialecticus omnes artes nouerit, in quibus verum à falſo poſſit diſcernere: ſed quia hæc ars ſit regula de omnibus rebus iud candi, ſicut Grammatica de omnibus rebus purè loquendi. Itaque quemadmodum ſi Geometra, Arithmeticus, Muſicus purè loquuntur, id Grammaticæ v rtute faciu nt, non ſua: ita cùm per ſyllogiſmum rectè iudicant de rebus ſibi ſubiectis, dialectica arte & poteſtate faciunt, non ſua: quia ſola dialectica docet leges de omnibus iudicandi: nec magis conſequens eſt, Dialectica eſt regula iudicandi de omnibus, ergo dialecticus nouit omnia: quàm ſi dixeris, Grammatica eſt regula de omnibus purè loquendi, ergo grammaticus nouit omnia. 2 Secundum argumētum contra dialecticam Stoicorum ducitur à ſubiecta ei diſciplinæ materia: id eſt, præceptis dialecticis, in quibus Stoici non ſolùm grammaticam artem confundebant, cùm præciperent de orthographia, etymologia, ſyntaxi, vt ex Diogene Laërtio conſtat: ſed hærebant in ſuis ſoritis, quæ gradationes minutis interrogatiunculis fiunt, habentque lubricum & periculoſum genus argumētationis, quòd in hac gradationis continuatione non ſatis cohærentia interdum copulantur, ſed cognita & adhibita luce ſyllogiſmi, facilè hic ſophiſticus & captioſus error ſoritarum cognoſcitur. Chryſippus autem Stoicus ignoratione dialectici ſyllogiſmi ad diſſoluendas captiones ſoritarum confinxerat modum quendam ſtationis, vltra quem progredi non liceret: qui profectò rectè & meritò irridetur & exagitatur à Cicerone: hoc enim commentum contra ſoritas nihil valet, ſed conſtans, & certa, & perpetua regula ſyllogiſmi

vitium & fraudem detegit. 3 Dialogiſmus Stoici cuiuſdam philoſophi, cum Academico nouo, vbi Stoicus contendit eſſe aliquem modum gradationis in ſorite: Academicus verò diſputat, interrogationes in infinitum progredi poſſe: ſed exemplum quod hic citatur, non modò nullius concluſionis formam veram habet, ſed vanam & ridiculam ſubtilitatem. 4 Permiſſio eſt & iocus in Chryſippum ex metaphorica nouitate verbi ἡσυχάζειν, à quiete corporis ad ceſſationem quandam in reſpondendò. 5. Quia numerus poteſt in infinitum augeri.

6 Verba ſunt Chryſippi, & allegorica ſimilitudo ab aurigis, qui quemadmodum equos ſuos cohibent in lubrico & præcipiti loco, ne temerè ruant: ſic in ſorite philoſophus ſiſtet, ne in fallacem concluſionem tanquam in præcipitem feratur. 7 Dilemma eſt Ciceronis contra Chryſippum ineptè præcipientem, quemadmodum captioſis gradationibus occurrendum ſit. 8 Argumentum à minori ad maius. 9 Concluſio contra Chryſippum hærentem in ſoritis: nec tamen iſta culpa dialecticæ eſt, ſicuti Cicero obiicit, ſed Chryſippi dialecticam ignorantis. ars enim dialectica docet totum hoc ſophiſmatis genus ſine iudicio & ſyllogiſmo eſſe, quòd in nullam conſtantis ſyllogiſmi formam reduci poſſit.

10 Irridet alteram inſcitiam Chryſippi, dialectico principio repugnãtis, Omne enuntiatum verum eſſe aut falſum: Chryſippus enim poſtulat exceptionem in enuntiatis, quæ vocat inexplicabilia, quæ neque vera, neque falſa dici poſſe putat: in quo valde labitur. Porrò dialectica Penelopæ coniugi Vlyſſis comparatur, quòd vt hæc ad fallendos procos telam interdiu contextam noctu retexebat: ſic Chryſippea dialectica ſyllogiſmi contextũ diſſoluit, vt propoſitionẽ primã inexplicabilem tollat. metuebat enim Chryſippus, ne ſi hãc propoſitionẽ concederet,

Si mentiri te dicis, verumque dicis, mentiri te, verum dicis:

Addita aſſumptione,

Sed mentiri te dicis, verumque dicis:

Ex antecedentibus veris abſurda concluſio efficeretur,

Ergo mentiri te, verum dicis.

Quaſi verò mentiri & verum dicere, de eadem re affirmentur, & non de diuerſis. mentiri enim refertur ad aliquam rem falſò enuntiatam, & verum dicere, ad affirmationem falſæ enuntiationis. Itaque hoc Chryſippeum enuntiatum indiſſolubile non eſt. 11 Vrget Chryſippum à definitione pronuntiati logici: ſyllogiſmus eſt connexus primi modi, cuius aſſumptio præcedit illuſtrata à maiori ad minus. 12 Aliud argumentum à paribus ſumptum ex natura ſyllogiſmi, cuius forma conſtans & perpetua eſt, nec vllo exemplo poteſt fallere. Itaque ſi in aliquo genere concluſionis probatur exemplum, reliqua quæ ſunt eiuſdem generis & diſpoſitionis, probentur neceſſe eſt. 13 Irridet Chryſippum in ſuperiore connexo hæſitantem, eumque rurſus premit exemplo à paribus. 14 Iocus eſt in Chryſippum excipientem hoc connexum indiſſolubile, & à definitione enuntiati, & à regula ſyllogiſmi connexi, quaſi dialectica hæc præcepta generalia nõ ſint, & exceptionem aliquam patiantur. Iocus autem ſumitur à ſimilitudine Tribunorum plebis, qui generalibus legibus, & præceptis interdum adiungi exceptiones volebant. 15 Approbatio proximi ioci à diſſimilibus: non impetrabunt à me exceptionem, ſicut ab Epicuro impetrant, ignaro dialecticæ artis, qui maximè generali & vniuerſo præcepto dat exceptionem, negatq; enuntiatum diſiunctum ex contradicentibus verum eſſe: quod perinde eſt, ac ſi neget contradictionis partem alteram veram eſſe, alteram falſam: in quo reuoluitur ad veterem & damnatam ſententiam Protagoræ & Anaxagoræ res omnes confundentium, & contradictionem de medio tollentium, contra quos pugnat Ariſtoteles libro 4. Metaphyſ. 16 Epicuri ratio de diſiunctione interponitur, quæ fallax eſt: non enim ſi alterum de duobus verum eſt, neceſſe eſt alterutrum eſſe verum. hæc enim neceſſitas ex conditione coniunctæ contradictionis pendet, non ex diſiunctarum natura partium. 17 Explicat locum diſſimilium: Impetrent ab Epicuro;

curo, à me non impetrabunt, quia ſequor dialecticam diſciplinam, quæ nullam admittit exceptionem in enuntiatis & ſyllogiſmis. 18 Concludit conſtantiam dialectici diſiuncti authoritate Diogenis Stoici, & ad Chryſippeum enuntiatum rediens, diſputat à paribus verum illud eſſe. 19 Concluſio argumenti à paribus.

[1] *Sed vt omnes iſtos [2] aculeos, & totum tortuoſum genus diſputandi relinquamus, oſtendamúſque qui ſimus: iam explicata tota Carneadis ſententia, Antiochi iſta corruent vniuerſa. Nec verò quicquam ita dicam, vt quiſquam id fingi ſuſpicetur. à Clitomacho ſumam, qui vſque ad ſenectutem cum Carneade fuit, homo & acutus, vt Pœnus, & valde ſtudioſus ac diligens. & quatuor eius libri ſunt de ſuſtinendis aſſenſionibus. hæc autem quæ iam dicam, ſunt ſumpta de primo. [3] Duo placet eſſe Carneadi viſorum genera: in vno hanc diuiſionem, alia viſa eſſe quæ percipi poſſint, alia quæ non poſſint: in altero autem, alia viſa eſſe probabilia, alia non probabilia: itaq; quæ contra ſenſus, contráque perſpicuitatem dicantur, ea pertinere ad ſuperiorem diuiſionem: contra poſteriorem nihil dici oportere. quare ita placere, tale viſum nullum eſſe, vt perceptio cōſequeretur: vt autem probatio, multa. [4] Etenim contra naturā eſſet, ſi probabile nihil eſſet. Sequitur omnis vita ea, quā tu Luculle commemorabas, euerſio. [5] Itaq; & ſenſibus probāda multa ſunt. Teneatur modò illud, non ineſſe in his quicquam tale, quale non etiam falſum nihil ab eo differēs eſſe poſſit. Sic quicquid acciderit ſpecie probabile: ſi nihil ſe offeret quod ſit probabilitati illi contrarium, vtetur eo ſapies, ac ſi omnis ratio vitæ gubernabitur. [6] Etenim is quoq;, qui à vobis ſapiens inducitur, multa ſequitur probabilia nō comprehenſa, neq; percepta, neq; aſſenſa, ſed ſimilia veri: quæ niſi probet, omnis vita tollatur. Quid enim? conſcendens nauem ſapiens num comprehenſum animo habet, atque perceptum, ſe ex ſenten-*

tia nauigaturum? quî poteſt? ſed ſi iam ex hoc loco proficiſcatur Puteolos ſtadia triginta, probo nauigio, bono gubernatore, ac tranquillitate: probabile videatur ſe illuc venturum eſſe ſaluum. 7 *Huiuſmodi igitur viſis cõſilia capiet & agendi, & non agendi: faciliorq́; erit, vt albam niuem eſſe probet, quàm erat Anaxagoras, qui id non modò ita eſſe negabat, ſed ſibi, quia ſciret aquam nigram eſſe, vnde illa concreta eſſet, albam ipſam eſſe ne videri quidem.* 8 *Et quæcunq; res eum ſic attinget, vt ſit viſum illud probabile, neq; vlla re impeditum, mouebitur. non enim eſt è ſaxo ſculptus, aut è robore dolatus: habet corpus: habet animum: mouetur mente: mouetur ſenſibus: vt ei multa vera videantur: neque tamen habere inſignem illam & propriam percipiẽdi notam: eoq́; ſapientem non aſſentiri, quia poßit eiuſdem modi exiſtere falſum aliquod, cuiuſmodi hoc verum.* 9 *Neq; nos contra ſenſus aliter dicimus, ac Stoici, qui multa falſa eſſe dicunt, longeq́; aliter ſe habere, ac ſenſibus videantur. Hoc autem ſi ita ſit, vt vnum modò ſenſibus falſum videatur: præſto eſt qui neget rem vllam percipi poſſe ſenſibus. Ita nobis tacentibus, ex vno Epicuri capite, altero veſtro, perceptio & comprehenſio tollitur. quod eſt caput Epicuri? Si vllum ſenſibus viſum falſum eſt, nihil percipi poteſt. Quod veſtrum? Sunt falſa ſenſus viſa. Quid ſequitur? vt taceam, concluſio ipſa loquitur, Nihil poſſe percipi.* 10 *Non concedo, inquit, Epicuro. Certa igitur cum illo, qui à te totus diuerſus eſt: noli mecum, qui hoc quidem certè, falſi eſſe aliquid in ſenſibus, tibi aſſentior.* 11 *Quanquam nihil mihi tam mirum videtur, quàm iſta dici ab Antiocho quidem maximè, cui erant quæ paulò antè dixi, notißima. Licèt enim hæc quiuis arbitratu ſuo reprehẽdat, quòd negemus rem vllam percipi poſ-*

ſe: cer-

ſe: certè leuior reprehenſio eſt, quòd tamen dicimus eſſe quadam probabilia. Non videtur hoc ſatis eſſe vobis, ne ſit: illa certè debemus effugere, quæ à te vel maximè agitata ſunt. [12] Nihil igitur cernis? nihil audis? nihil tibi eſt perſpicuum? Explicaui paulò antè Clitomacho authore, quo modo iſta Carneades diceret. Accipe quemadmodum ea dicantur à Clitomacho in eo libro, quem ad C. Lucilium ſcripſit poetam, cùm ſcripſiſſet iiſdem de rebus ad [13] L. Cenſorinum, eum qui Conſul cum M. Manilio fuit. [14] Scripſit igitur his ferè verbis: Sunt enim mihi nota propterea, quòd earum ipſarum rerum, de quibus agimus, prima inſtitutio & quaſi diſciplina illo libro continetur. ſed ſcriptum eſt ita, Academicis placere eſſe rerum eiuſmodi diſsimilitudines, vt aliæ probabiles videantur, aliæ contrà. id autem nõ eſſe ſatis, cur alia percipi poſſe dicas, alia non poſſe: propterea quòd multa falſa probabilia ſint, nihil autem falſi perceptum & cognitum poſsit eſſe. [15] Itaq; ait vehementer errare eos, qui dicant ab Academia ſenſus eripi, à quibus nunquam dictum ſit, aut colorem, aut ſaporem, aut ſonum vllum eſſe: illud ſit diſputatum, non ineſſe in his propriam, quæ nuſquam alibi eſſet, veri & certi notam. [16] Quæ cùm expoſuiſſet, adiungit, dupliciter dici aſſenſus ſuſtinere ſapientem: vno modo, cùm hoc intelligatur omnino eũ rei nulli aſſentiri: altero, cùm ſe à reſpõdendo, vt aut approbet quid, aut improbet, ſuſtineat: vt neq; neget aliquid, neq; aiat. Id cùm ita ſit, alterum placere, vt nunquam aſſentiatur: alterum tenere, vt ſequens probabilitatem, vbicunq; hæc aut occurrat, aut deficiat, aut etiam, aut non, reſpondere poſsit: nec, vt placeat eum qui de omnibus rebus contineat ſe ab aſſentiendo, moueri tamen, & agere aliquid, reliquit eiuſmodi viſa, quibus ad actionem

excitemur. Item ea quæ interrogati in vtramque partem reſpondere poſſimus, ſequentes tantummodo quod ita viſum ſit, dum ſine aſſenſu: neque tamen omnia eiuſmodi viſa approbari, ſed ea quæ nulla re impedirentur. [17] *Hæc ſi vobis non probamus, ſint falſa ſanè: inuidioſa certè non ſunt. non enim lucem eripimus: ſed ea quæ vos percipi comprehendíq;, eadem nos, ſi modò probabilia ſint, videri dicimus. Sic igitur inducto & conſtituto probabili, & eo quidem expedito, ſoluto, libero, nulla re implicato, vides profectò, Luculle, iacêre iam illud tuum perſpicuitatis patrocinium. Iiſdem enim hic ſapiens, de quo loquor, oculis, quibus iſte veſter, cælum, terram, mare intuebitur: iiſdem ſenſibus reliqua, quæ ſub quemque caſum cadunt, ſentiet.* [18] *Mare illud quod nunc Fauonio naſcente purpureum videtur, idem huic noſtro videbitur: nec tamē aſſentietur, quia nobiſmet ipſis modò cæruleum videbatur, manè flauum: quodq; nunc, quia à Sole collucet, albeſcit, & vibrat, diſſimileq; eſt proximo ei continenti, vt etiam ſi poſſis rationem reddere cur id eueniat, tamen non poſſis id verū eſſe, quod videbatur oculis, defendere.*

1 Hactenus Cicero reſpondit ad Lucullum, id eſt, Antiochum: deinceps exponit ſententiam Carneadis de ratione viſorum, deque aſſenſionibus, vt Academicorum cauſſa confirmata, contraria diſputatio Antiochi lenior & imbecillior appareat, & in ſecunda parte huius tranſitionis docet proximam propoſitionem ex lib. 1. Clitomachi ſumptam eſſe, qui Carneadem multos annos audiuit, eiusque ſententiam Græcis literis illuſtrauit, vt ait Laertius lib. 4. 2 Aculei metaphoricôs dicuntur interrogatiunculæ ſpinoſæ, quibus Stoici vtuntur in diſputando ad pungendum aduerſarium, & tortuoſum genus diſputandi, & fallax, & captioſa argumentatio, & plena anfractibus, vt Stoicus ſorites, & Chryſippeus ſyllogiſmus ex indiſſolubilibus. 3 Viſorum duplex eſt partitio apud Clitomachum, ſed prior ſtulta & ridicula: nam ſi nulla viſa percipiuntur, vt Academici cenſent, ſtultum eſt ea in percepta & non percepta diuidere. poſterior magis apta eſt inſtituto Academicorum, qui licèt nihil comprehendi ſenſibus aut animo dicant, multas tamen res probabiles eſſe non negant acceptas ſenſibus & animo, quas Academicus ſapiens & philoſophus & in deliberando de officiis degendæ vitæ, & in Ethicis, phyſicis, dialecticis, reliquiſq; philoſophiæ diſciplinis ſequetur: nec vltra plum probabile in inquiſitione veri progredietur. Hoc igitur Academicum decretum eſt, Sapienti nihil eſſe perceptum: multa autem probabilia videri. 4 Confirmat aliquid eſſe probabile à repugnantibus, quia aliequi ratio vitæ tolle-

tolleretur: hoc eodem argumento antea Lucullus vſus erat. 5 Secundum argumentum à diſſimilibus, non quemadmodum ſapiens multa ſenſibus accepta probat, ſic eadem percipit. 6 Tertium argumentum contra Stoicos ſimiliter ab exemplo ſpeciali, ad probandum ſapientem Stoicum interdum veriſimile ſequi: ſed Stoici hoc alienum à quæſtione dicerent, quia ſapiens Stoicus de nauigatione nō deliberaret vt ſapiens, ſed vt vir prudens & opinator: deliberationem enim eſſe in rebus mutabilibus & variè cadentibus, ſapientiam in cognitione cauſſarum æternarum & immutabilium. 7 Illuſtratio à diſſimilibus. Anaxagoras, quod veriſimile eſt, non facilè ſequitur, Academicus ſapiens multò facilius: ille non modò dixit, ſed etiam putauit niuem eſſe nigram, quòd ex nigricante materia fieret. 8 Amplificat locum de opinatione ſapientis à cauſſis efficientibus probabiles viſiones, id eſt, ſenſibus & animo, & tamen ei perpetuā tribuit ἐποχὴν, id eſt, aſſenſionis retentionem, quia nihil propria & vera notione percipitur.

9 Remouet à ſenſibus κατάληψιν authoritate Stoicorum & Epicureorum: ſyllogiſmus eſt connexus primi modi. 10 Occurrit inficiationi connexæ propoſitionis, & de aſſumptione conſentit cum Stoicis. 11 Digreſſiuncula eſt in Antiochum, cuius authoritas eleuatur inconſtantia & leuitate ſententiæ: quo etiam in loco iteratur Academicum decretum, Nihil ſciri, ſed multa probabilia videri ſapienti. 12 Occupat Antiocheum argumentum de ſenſibus & perſpicuitate, & attentionis excitandæ gratia tranſitionem facit ad ea, quæ dicuntur à Clitomacho contra eiuſmodi obiectiones aduerſariorum. 13 L. Martius Cenſorinus & M. Manilius, vel, vt alij ſcribunt, Manlius, Conſules fuerunt, anno Vrbis conditæ 605. 14 Cicero incipit recitare ex libris Clitomachi ſummam aliquam Academicæ diſciplinæ certis capitibus comprehenſam. Primum caput continet diuiſionem rerum in probabiles & improbabiles, earumque diſtinctionem à rebus perceptis, & non perceptis. 15 Conſectarium eſt de ſenſibus, in quibus negat ineſſe ſcientiam, idque verè, quia ſenſus rerum ſunt indices, non iudices, in quibus nullum iudicium eſt, neque ratiocinatio, qua rerum cauſſas æſtiment, & iudicent. 16 Alterum caput, vbi Clitomachus diſtinguit verbum ἐπέχειν, duóſque modos oſtendit aſſenſum ſuſtinendi, quorum priore vtetur ſapiens, vt nulli rei aſſentiatur: non item poſteriore, vt nihil ſapiens reſpondeat: quia & affirmabit, quæ probabilia videbuntur, & negabit contraria. 17 Concludit Academicam Clitomachi philoſophiam: & quid à Stoicorum philoſophia differat, oſtendit: vtiturq; exemplis rerum ſenſibilium, quæ probantur quidem à ſapiente, ſed non percipiuntur. 18 Purpureus color eſt niger admiſto quodā rubore, qualis apparet in aquis ad Solem occidentem, ſicut manè flauus, & meridie cœruleus, idque accidit ex radiis Solis variè incidentibus in mare.

[1] Unde memoria, ſi nihil percipimus, (ſic enim quærebas) quod meminiſſe viſa nihil comprehenſa non poſſumus? Quid Polyænus, qui magnus mathematicus fuiſſe dicitur? is poſteaquam Epicuro aſſentiens, totam Geometriam eſſe falſam credidit, num illa etiam quæ ſciebat, oblitus eſt? Atqui falſum quod eſt, id percipi non poteſt, vt nobiſmetipſis placet. [2] Si igitur memoria perceptarum comprehenſarumq; rerum eſt: omnia quæ quiſq; meminit, habet

ea comprehenſa, atque percepta: falſi autem comprehendi nihil poteſt: & omnia meminit Scyron Epicuri dogmata: vera igitur illa ſunt nunc omnia. Hoc per me licet. Sed tibi aut concedendum eſt ita eſſe, quod minimè vis: aut memoriam mihi remittas, oportet: & facilem ei eſſe locum, etiam ſi comprehẽſio perceptioq́ nulla ſit. [4] *Quid fiet artibus? quibus? iiſne quæ ipſa fatẽtur coniectura ſe plus vti, quàm ſcientia: an iis quæ tantùm id quod videtur, ſequuntur, nec habent iſtam artem veſtram, qua vera & falſa diiudicent?* [5] *Sed illa ſunt lumina duo, quæ maximè cauſſam iſtam continent. Primùm enim negatis fieri poſſe, vt quiſquam nulli rei aſſentiatur. At id quidem perſpicuum eſt: cùm Panætius, princeps propè meo quidem iudicio Stoicorum, ea de re dubitare ſe dicat, quam omnes, præter eum, Stoici certiſſimam putãt: vera eſſe aruſpicum auſpicia, oracula, ſomnia, vaticinationes: ſeq́ ab aſſenſu ſuſtineat. Quod ſi is poteſt facere, vt de iis rebus, quas illi à quibus ipſe didicit, certas habuerint: cur id ſapiens de reliquis rebus facere non poſſit? An eſt aliquid quod poſitum vel improbare vel approbare poſſit, dubitare non poſſit?* [6] *An tu in ſoritis poteris hoc, cùm voles: ille reliquis rebus nõ poterit eodem modo inſiſtere, præſertim cùm poſſit ſine aſſenſione ipſam veriſimilitudinem non impeditam ſequi?* [7] *Alterum eſt, quòd negatis actionem vllius rei poſſe in eo eſſe, qui nullam rem aſſenſu ſuo comprobet. Primùm enim videri oportet, in quo ſit etiam aſſenſus. dicunt enim Stoici ſenſus ipſos aſſenſus eſſe: quos quoniam appetitio conſequatur, actionem ſequi: tolli autem omnia, ſi viſa tollantur. Hac de re in vtramq́ partem & dicta ſunt & ſcripta multa. Vide ſuperiora: ſed breui res poteſt tota confici.* [8] *Ego enim etſi maximam actionem puto*

repugnare

repugnare viſis, obſiſtere opinionibus, aſſenſus lubricos ſuſtinere, credoq; Clitomacho ita ſcribenti, Herculis quendam laborem exantlatum à Carneade, quòd vt feram & immanem belluam, ſic ex animis noſtris aſſenſionem, id eſt opinationem & temeritatem extraxiſſet: tamen vt ea pars defenſionis relinquatur, [9] *quid impediet actionem eius, qui probabilia ſequitur nulla re impediente? Hoc, inquit, ipſum impediet, quod ſtatuet, ne id quidem, quod probet, poſſe percipi. Iam iſtuc te quoq; impediet in nauigando, in conſerendo, in vxore ducenda, in liberis procreandis, plurimisq; in rebus, in quibus nihil ſequêre præter probabile.* [10] *Et tamen illud vſitatum, & ſæpe repudiatum refers, non vt Antipater, ſed vt ais, preſſius: nam Antipatrum reprehenſum, quòd diceret, conſentaneum eſſe ei qui affirmaret nihil poſſe comprehendi, id ipſum ſaltem dicere poſſe comprehendi: quod ipſi Antiocho pingue videbatur, & ſibi contrarium.* [11] *Non enim poteſt conuenienter dici nihil comprehendi poſſe, ſi idipſum comprehendi poſſe dicatur.* [12] *Illo modo potius putat vrgendum fuiſſe Carneadem, cùm ſapientis nullum decretum eſſe poſsit, niſi comprehenſum, perceptum, cognitum: vt hoc ipſum decretum, quod ſapientis eſſet, nihil poſſe percipi, fateretur eſſe perceptum.* [13] *proinde quaſi ſapiens nullum aliud decretũ habeat, & ſine decretis vitam agere poſsit. Sed vt illa habet probabilia, non percepta: ſic hoc ipſum, nihil poſſe percipi.* [14] *nam ſi in hoc haberet cognitionis notam, eadem vteretur in cæteris: quam quoniam non habet, vtitur probabilibus.* [15] *Itaq; non metuit ne confundere omnia videatur, & incerta reddere. Non enim quemadmodum ſi quæſitum ex eo ſit, ſtellarũ numerus par, an impar ſit: item ſi de officio, multisq; alijs de rebus, in quibus verſatur, exer-*

citatusq́ ſit, neſcire ſe dicat. in incertis enim nihil eſt probabile: in quibus autem eſt, in his non deerit ſapienti, neque quid faciat, neq́ quid reſpondeat. [16] *Ne illam quidem prætermiſiſti, Luculle, reprehenſionem Antiochi (nec mirum: in primis enim eſt nobilis) qua ſolebat dicere Antiochus, Philonem maximè perturbatum. Cùm enim ſumeretur vnum, eſſe quædam falſa viſa: alterũ, nihil ea differre à veris: non attendere, ſuperius illud ea re à ſe eſſe conceſſum, quòd videretur eſſe quædam in viſis differentia: eam tolli altero, quo neget viſa à falſis vera differre: nihil tam repugnare.* [17] *Id ita eſſet, ſi nos verum omnino tolleremus. Non facimus: nam tam vera, quàm falſa cernimus. ſed probandi ſpecies eſt: percipiendi ſignum nullum habemus.*

1 Eadem Carneadis ſententia, Cicero redit ad Lucullum, id eſt, Antiochum, ne ſuperioris orationis argumentum vllum ſine refutatione prætereat: reſpondetque argumento de memoria leui & inepto, quia falſorum etiam viſorum poſſit eſſe memoria, vt conſtat duobus exemplis Polyæni & Scyronis. 2 Polyænus fuit Athenodori filius Lampſacenus, modeſtus vir & amabilis, vt ait Laërtius lib. 10. Hunc Epicurus maluit geometriam dedocere, quàm ab eo diſcere. Cic. lib. 1. de Finib. 3 Syllogiſmus eſt connexus ſecundi modi ad refellendum argumentum memoriæ. 4 Argumentum à definitione artis, ſuperiori proximum fuit, quod ſoluitur per ſpecies: quæ enim dicuntur demonſtratiuæ, vt Mathematicæ artes: & quæ dicuntur opinabiles, vt Rhetoricæ, nihil habent certi & percepti, ſed probabilibus tantùm præceptis & inſtitutis continentur. 5 Duo capita Luculleæ cauſſæ refelluntur, quæ probabāt eſſe aliquem ſapientis aſſenſum: & primùm quidem ab authoritate Panætij Rhodij, qui licèt Stoicus ſit, negat tamen eſſe aſſentiendum & credendum auguriis, quæ reliqui Stoici veriſſima & certa eſſe confirmant, Zeno, Cleanthes, Antipater, Diogenes, Chryſippus, Poſidonius: de quibus Cicero lib. 2. de Diuinat. Panætij teſtimonium illuſtratur à paribus: ſyllogiſmus eſt connexus primi modi. 6 Alterum item argumentum à parium collatione. 7 Alterum eſt firmamentum diſputationis à Lucullo frequenter adhibitum, cùm & κατάληψιν, & συγκατάθεσιν confirmaret: quibus ſublatis dicebat omnem actionem tolli. qui locus tractatur à cauſſis efficientibus aſſenſum, ſicut à Stoicis præſcriptum eſt: ſenſus enim parit aſſenſum, aſſenſus appetitionem, appetitio actionem. Cui argumento iam à nobis reſponſum eſt: & ita nunc occurritur, quòd poſſit aſſenſus & appetitus & actio gigni ex probabilibus viſis, neque tamen perceptis & cognitis. 8 Solutio argumenti duplex eſt, quòd aſſenſum cohibere, itemq́ue res probabiles ſequi, magnæ ſint actiones hominis ſapientis. Primùm declaratur à ſimilibus: vt Herculi difficile fuit tollere hydram: ſic Sapientis magnum opus eſt tollere ex animo temerariam aſſenſionem. Hydra, fuit ſerpens multorum capitum in Lernea palude iuxta Argos, cui amputato vno capite duo ſuccreſcebant. Hanc belluam Hercules primùm claua percuſſit, deinde ſagit

tis,

tis: poſtremò cũ ſe in latebris abdidiſſet, cõgeſtis lignis, igne cõſumpſit. 9 Subiicit alterum genus actionum, in quibus verſatur ſapiens: vt cùm multa perſequitur officia, quorum probabilem rationé poſſet reddere, vt propoſitis aliquot exemplis conſtat. 10 Antipater & Antiochus contra hoc Academicum decretum, Nihil poſſe percipi, diſputarant: ſed ille minus ſubtiliter, hic preſſius. Hæc igitur argumẽta denuò repetuntur & refelluntur: primum Antipatri dicitur pingue, id eſt, hebes & parum ſubtile, vel impeditum & ineptum, vt ait Nonius, hunc locum citans. 11 Quia vtraque pars contradictionis ſpecialis ſimul eſſet vera, quòd non modò rectè fieri, ſed omnino fieri non poteſt. 12 Repetit argumentum Antiochi contra Carneadem ab adiunctis: ſyllogiſmus ſimplex primi generis integer eſt:

Omne decretum ſapientis debet eſſe perceptum:
Nihil poſſe ſciri, eſt decretum ſapientis:
Hoc igitur debet eſſe perceptum.

12 Refellit Antiochi argumentum, negando propoſitionem ſyllogiſmi ſumptam ex ſtultiſſima veterum philoſophorum perſuaſione, qui decreta ſuæ ſcholæ & diſciplinæ tam vera & certa eſſe credebant, quam Pythij Apollinis oracula: cùm tamen ſatis conſtet, nihil tale in antiquorum philoſophia reperiri, vt ſatis ſuperq; ſit, ſi decretum ſapientis probabile fuerit. 14 Ratio à paribus. Syllogiſmus connexus ſecundi modi. 15 Diſſoluit obiectionem illam Luculli, Quòd omnia redderentur incerta, ſi nihil poſſet percipi, & argumentatur à diſſimilibus, Non quemadmodum incertum eſt ſapienti, an ſtellarum numerus par ſit, vel impar: ſic officia vitæ ſunt incerta: probabilia enim ſunt ſapienti, nihil autem incertum eſt probabile. 16 Hoc argumentum ſimiliter à Lucullo Academicis objectum fuit, ad refellendum Philonem quaſi pugnantia dicentem. hæc enim pugnantia videntur, Diuidere viſa in vera & falſa: &, Dicere inter vera & falſa nihil intereſſe. 17 Solutio argumenti ambigui fit, adhibita diſtinctione: vera viſa diſtinguntur à falſis, non perceptione & ſcientia, ſed coniectura & opinione.

[1] Ac mihi videor nimis etiam nunc agere ieiunè. [2] cùm ſit enim campus, in quo poſſit exultare oratio: cur eam in tantas anguſtias, & in Stoicorum dumeta compellimus? [3] Si enim mihi cum Peripatetico res eſſet, qui id percipi poſſe diceret, quod impreſſum eſſet è vero: neq; adhiberet illam magnam acceſſionem, quo modo imprimi non poſſet à falſo: cum ſimplici homine ſimpliciter agerem, nec magnopere contenderem. Atque etiam ſi, cùm ego nihil dicerem poſſe comprehendi, diceret ille, ſapientem interdum opinari: non repugnarem, præſertim ne Carneade quidem huic loco valde repugnãte. [4] Nũc quid facere poſſum? quæro enim quid ſit quod comprehendi poſſit. Reſpondet mihi non Ariſtoteles, aut Theophraſtus, ne Xenocrates quidem, aut Polemo, ſed nihil minor: quod eſt tale verum, quale falſum eſſe non

poßit. Nihil eiuſmodi inuenio: itaq; in cognitione nimirum aſſentiar, id eſt, opinabor. Hoc mihi & Peripatetici & vetus Academia cõcedit, vos negatis, [5] Antiochus in primis, qui me valde mouet: vel quòd amaui hominem, ſicut ille me: vel quòd ita iudico, politißimum & acutißimum noſtræ memoriæ philoſophorum. à quo primùm quæro, quo tandem modo ſit eius Academiæ, cuius ſe eſſe profiteatur? Vt omittam alia: hæc duo, de quibus agitur, quis vnquam dixit, aut veteris Academiæ, aut Peripateticorum, vel id ſolùm percipi poſſe, quod eſſet verum tale, quale falſum eſſe non poſſet: vel ſapientem nihil opinari? Certè nemo. Horum neutrum ante Zenonem magnopere defenſum eſt. ego tamẽ vtrumq; verum puto: nec dico temporis cauſſa: ſed ita planè probo. [6] Illud ferre nõ poſſum. Tu cùm me incognito aſſentiri vetes, idq; turpißimum eſſe dicas, & plenißimum temeritatis: tantùm tibi arroges, vt exponas diſciplinam ſapientiæ, naturam rerum omnium euoluas, mores fingas, fines bonorum malorumq; conſtituas, officia deſcribas, quam vitam ingrediar, definias, idemq; etiam diſputandi & intelligendi iudicium dicas te & artificium traditurum: perficies vt ego iſta innumerabilia complectens, nuſquam labar? nihil opiner? [7] Quæ tandem ea eſt diſciplina, ad quam me deducas, ſi ab hac abſtraxeris? Vereor ne ſubarroganter facias, ſi dixeris tuam: atq; ita dicas neceſſe eſt. Neq; vero tu ſolus. ſed me ad ſuam quiſq; rapiet. Age, reſtitero Peripateticis, qui ſibi cum oratoribus cognationem eſſe, qui claros viros à ſe inſtructos dicant Rempubl. ſæpe rexiſſe: ſuſtinuero Epicureis, tot meos familiares, tam bonos, tam inter ſe amantes viros: [8] Diodoro quid faciam Stoico, quem à puero audiui, qui mecum viuit tot annos, qui habitat apud me, quem &

admi-

admiror, & diligo, qui iſta Antiocheia contemnit? Noſtra, inquies, ſola vera ſunt. Certè ſola, ſi vera: plura enim vera diſcrepantia eſſe non poſſunt. [9] *Vtrum igitur nos impudentes, qui labi nolumus: an illi arrogantes, qui ſibi perſuaſerint ſcire ſe ſolos omnia?*

1 Vniuerſa oratione Luculli partibus ſingulis refutata & diſſoluta ad extremũ Cicero adhibet excuſationem quandam, cur tam ſubtiliter & ſpinosè argumentatus ſit, culpamque ipſam regerit in Stoicos, qui nimis argutè viſum ipſum, de quo agitur, definiunt. Syllogiſmus eſt connexus tertij modi:

Si mihi res eſſet cum ſimplicibus philoſophis, & non verſutis, agerem ſimpliciter, & non argutè:
Sed mihi res non eſt cum ſimplicibus, ſed cum argutis:
Et idcircò mihi argutè agendum fuit.

2 Allegoria eſt à locis ſpatioſis, & à ſalebroſis, ad ſignificandum duplex argumentationis genus: vnũ copioſum & latè fuſum, quod Peripatetici ſequuti ſunt: alterum ſubtile & anguſtum, quod placuit Stoicis. Stoicorum, ait Cic. lib. 3. de Finibus, non ignoras quàm ſit ſpinoſum, vel ſubtile dicendi genus. 3 Propoſitio ſyllogiſmi. 4 Aſſumptio ſyllogiſmi per remotionem antecedentis. 5 Antiochus adducitur in inuidiam, quòd ſe Academicum veterem profiteatur, & tamen à diſciplina veteris Academiæ deſciſcat, quæ cenſet ſapientem interdum aliquid opinari. 6 Poſtrema amplificatio eſt ad commonendum Lucullum ab adiunctis rerũ, quę in philoſophia diſputantur. Syllogiſmus ſimplex eſt primi generis:

Nulli rei incognitæ eſt aſſentiendum:
Quicquid in philoſophia traditur, eſt incognitum.
Nulli igitur rei in philoſophia aſſentiendum eſt.

Aſſumptio declaratur per tres philoſophiæ partes, Ethicam, phyſicam, dialecticam. 7 Altera approbatio aſſumptionis à diſcrepantibus philoſophorum ſententiis, Epicureorum, Peripateticorum, Stoicorum, cùm vna de re vna & eadem ſit lex, & regula veritatis. Itaque ſatis magno argumento eſt in philoſophia vetere nihil fuiſſe perceptum & cognitum, quòd ipſi philoſophi de eadem re tam varia, tamque diſcrepantia præciperent. 8 Diodorus Stoicus non ſolùm familiariſſimè vixit cum Cicerone, ſed etiam domi eius mortuus eſt, à quo cùm alia multa, tum dialecticam didicit, vt ait in Bruto. 9 Concluſio eſt ſyllogiſmi, vel potius vniuerſæ refutationis aduerſus Lucullum: cuius argumenta ſigillatim ſic à nobis animaduerſa ſunt, adhibito lumine dialecticæ inuentionis & diſpoſitionis, vt falſa, leuia, inconſequẽtia, & aliena quæ eſſent, iudicaremus vera, & ad rem propoſitam pertinentia, laudaremus: & in ſingulis huius contentionis capitibus non ſolùm nos interpretes, ſed etiam dialecticos rerum æſtimatores & iudices adhiberemus.

[1] *Non me quidem, inquit, ſed ſapientem dico ſcire. Optimè: nempe iſta ſcire, quæ ſunt in tua diſciplina. Hoc primũ quale eſt, à non ſapiente explicari ſapientiam? Sed diſcedamus à nobiſmetipſis: de ſapiente loquamur: de quo, vt ſæpe iam dixi, omnis hæc quæſtio eſt. In tres igitur partes, & à*

nobiſmetipſis diſtributa ſapietia eſt. [2] *Primùm ergo, ſi placet, quæ de natura rerum ſint quæſita, videamus: velut illud antè, Eſtne quiſquam tanto inflatus errore, vt ſibi ſe illa ſcire perſuaſerit? non quæro rationes eas quæ ex coniectura pendent, quæ diſputationibus huc & illuc trahuntur, nullam adhibent perſuadendi neceſſitatem. Geometræ prouideant, qui ſe profitentur non perſuadere, ſed cogere, & qui omnia vobis, quæ deſcribunt, probant.* [3] *Non quæro ex his illa initia Mathematicorum, quibus non conceſſis, digitum progredi non poſſunt: Punctum eſſe, quod magnitudinem nullam habeat: Extremitatem quaſi libramentum, in quo nulla omnino craſſitudo ſit: Lineã verò ſine vlla latitudine currentem.* [4] *Hæc cùm vera eſſe conceſſero, ſi adiyciam iuſiurandum, ſapientémne prius quàm Archimedes eo inſpectante rationes omneis deſcripſerit eas, quibus efficitur multis partibus Solem maiorem eſſe, quàm terram, iuraturum putas? ſi feceris: Solem ipſum, quem deum cenſet eſſe, contempſerit. Quòd ſi Geometricis rationibus non eſt crediturus, quæ vim afferunt in docendo, vos ipſi, vt dicitis: næ ille longè aberit, vt argumentis credat philoſophorum: aut ſi eſt crediturus, quorum potiſſimùm?* [5] *omnia phyſicorum licet explicare, ſed longum eſt: quæro tamen, quem ſequatur. Finge aliquẽ nunc fieri ſapientem, nondum eſſe: quã potiſſimùm ſententia melius eliget diſciplinam? & ſi quamcunq; eliget, inſipiens eliget. Sed ſi ingenio diuino, quem vnum è phyſicis potiſſimùm probabit? nec enim plus vno poterit. Non perſequor quæſtiones infinitas: tantùm de principiys rerum, è quibus omnia conſtant, videamus quem probet: eſt enim inter magnos homines ſumma diſſenſio.* [6] *princeps Thales vnus è ſeptem, cui ſex reliquos conſenſiſſe primos ferunt, ex aqua*

dixit

dixit conſtare omnia: [7] at hoc Anaximandro populari & ſodali ſuo non perſuaſit. is enim infinitatem naturæ dixit eſſe, è qua omnia gignerentur. poſt eius auditor [8] Anaximenes infinitum aëra, ſed ea quæ ex eo orirentur, definita: gigni autem terram, aquam, ignē, tum ex his omnia. [9] Anaxagoras materiam infinitam, ſed ex ea particulas ſimiles inter ſe, minutas: eas primùm confuſas, poſtea in ordinem adductas mente diuina. [10] Xenophanes paulò etiam antiquior, vnum eſſe omnia, neq; id eſſe mutabile, & id eſſe deū, neq; natum vnquam, & ſempiternum, & conglobata figura. [11] Parmenides ignem, qui moueat terram, quæ ab eo formetur. [12] Leucippus plenum, & inane. Democritus huic in hoc ſimilis, vberior in cæteris. [13] Empedocles hæc peruulgata & nota quatuor. [14] Heraclitus ignē. [15] Meliſſus hoc quod eſſet infinitum & immutabile, & fuiſſe ſemper, & fore. [16] Plato ex materia in ſe omnia recipiente mundum eſſe factum cenſet à deo ſempiternū. [17] Pythagorei ex numeris & mathematicorum initijs proficiſci volunt omnia. [18] Ex his eliget veſter ſapiens vnum aliquē, credo, quem ſequatur: cæteri tot viri, & tanti repudiati ab eo, cōdemnatiq; diſcedent. [19] Quamcunq; verò ſententiam probauerit, eam ſic animo comprehenſam habebit, vt ea quæ ſenſibus: nec magis approbauit nunc lucere, quàm, quoniā Stoicus eſt, hunc mundum eſſe ſapientē, habere mentē, quæ & ſe & ipſum fabricata ſit, & omnia moderetur, moueat, regat. erit perſuaſum etiā, Solem, Lunā, ſtellas omnes, terram, mare, deos eſſe, quòd quædam animalis intelligētia per omnia ea permeet & trāſeat. [20] fore tamē aliquādo, vt omnis hic mūdus ardore deflagret. Sint iſta vera (vides enim iam me fateri aliquid eſſe veri) comprehendi ea tamen, & percipi nego. [21] cum enim tuus

iſte Stoicus ſapiens ſyllabatim iſta dixerit, veniet illud [22] flumen orationis aureum fundens Ariſtoteles, qui illum deſipere dicat: neque enim ortum eſſe vnquam mundum, quòd nulla fuerit nouo cõſilio initio tam præclari operis inceptio: & ita eum eſſe vndiq; aptum, vt nulla vis tantos queat motus, mutationemq; moliri, nulla ſenectus diuturnitate temporum exiſtere, vt hic ornatus vnquam dilapſus occidat? Tibi hoc repudiare, illud autem ſuperius, ſicut caput & famam tuam, defendere neceſſe erit: mihi ne vt dubitem quidem relinquatur? vt omittam leuitatem temerè aſſentientium, quanti libertas iſta æſtimanda eſt, non mihi neceſſe eſſe quod tibi eſt? [23] Cur Deus omnia noſtri cauſſa cùm faceret (ſic enim vultis) tantam vim natricum viperarumq; fecerit? cur mortifera tam multa pernicioſa terra marique diſperſerit? Negatis hoc tam politè, tamq; ſubtiliter effici potuiſſe ſine diuina aliqua ſolertia: cuius quidem vos maieſtatem deducitis vſq; ad apum formicarumq; perfectionem: vt etiam inter deos [24] Myrmecides aliquis minutorum opuſculorum fabricator fuiſſe videatur.

1 Confirmationi (quæ deinceps ſequitur) eadem theſis propoſita eſt, quæ refutationi fuit, Sapientem nihil illorũ (quæ in philoſophia tractantur) ſcire: quod quidem non ſolum verum eſt, ſed etiam longè veriſſimum. Perfecta enim ſcientia, quæ fit ex certis & indubitatis rerum cauſſis, in ſolo Deo inueniri poteſt, in homine nullo poteſt: quia is ſolus rerum omnium cauſſas accuratè nouit, qui cauſſas rerum omnium procreauit: & artes veterum philoſophorum (qui ſe ſapientes profitebantur) opinione tantùm, non vlla ſcientia continentur. Summa confirmationis vniuerſæ fit ex loco diſtributionis à partibus ad totum. Nihil in phyſica philoſophia, nihil in morali, nihil in dialectica à ſapiente percipi poteſt: nihil igitur in philoſophia omnino perceptum ſapiens habet. 2 Initium confirmationis ducitur ab antiquiſſima & prima parte philoſophiæ: cui vnà cum phyſicis artibus mathematicæ diſciplinæ ſubiiciuntur, quia veteres Phyſici etiam Mathematici fuerunt. Primus locus eſt ab adiunctis. In phyſicis res ſunt controuerſæ, & in Mathematicis principia non probata ſumuntur: nulla igitur in his vera & percepta cognitio eſt. 3 Initia Mathematicorum ſunt definitiones, poſtulata, & communes ſententiæ, quæ tanquam per ſe ſatis illuſtres ſint, in principio ſumuntur, non probantur: qualia ſunt hæc apud Euclidem, σημεῖόν ἐστιν, οὗ μέρος οὐδέν: Punctum eſt, cuius nulla pars. Ἐπιφάνειά ἐστιν, ὃ μῆκος καὶ πλάτος μόνον ἔχει: Extremitas,

tremitas,quæ longitudinem & latitudinem tantũ habet. γραμμὴ δ' μῆκ@ ἀπλατές: Linea verò longitudo non lata. 4 Dilemma eſt fallax. Si ſapiens iureiurando affirmet aliquid in Geometria, priuſquam rationes cognouerit,mẽtietur: ſi cognitis rationibus tamen non credat,reliquæ philoſophiæ nõ credet. 5 Incipit enumerare phyſicorum ſententias de principiis, inter ſe diuerſas, vt doceat in tanta varietate nihil eſſe certum ſapienti quod ſequatur: quod argumentum apud Chriſtianos homines,& ſacris literis informatos plurimum valere debet ad confirmandam ignorantiam veterum phyſicorum, quorum ſententiæ declarant illos in phyſicis elementis & primis rerum cauſſis planè cæcos fuiſſe: vt nec vnde res quæque primùm creari cœperint, nec quibus cauſſis naturæ curſus regatur, intelligere,aut verbis exprimere potuerint. Itaque licèt Academicus ſapiens in phyſicorũ diſciplinis interdum probabile aliquid inueniat, quod ſequatur: procul tamen aberit à ſcientia,& accurata cognitione cauſſarum,quæ latent in tenebris: &,vt antè diximus, ſoli Deo certa ſcientia notæ ſunt: ſatisque habebit, ſi de elementis,de animalibus,de ſtirpibus,de cæteris naturæ generibus non per cauſſas, quæ rem quamque conſtituunt, ſed per accidentias & adiunctas qualitates phyſicorum more philoſophetur. 6 Thales Mileſius princeps Ionicæ philoſophiæ principium rerum dixit aquam,quòd animalium generatio ſit humida: nec ſolùm ſtirpes in terris,ſed etiam in cœlo ſtellæ paſcantur humoribus, in quo ſequitur illud Homericum:

Oceanus,de quo primùm ſunt omnia nata.

& antiquum morem iurandi per Stygen,id eſt,aquam,quaſi hæc antiquiſſimum principium & diuiniſſimum fuerit.Lege Ariſtotel.in Metaphyſ. 7 Anaximander Mileſius non aquã,ſed infinitam quandam naturam à terra,aqua,aëre, igne, diuerſam,cenſuit eſſe principium & primam cauſſam infinitæ procreationis, ex qua innumerabiles mundi naſcerentur. Atque hic philoſophus de cauſſis phyſicis tantũ materiam attigit,ſicuti Thales,& efficientes cauſſas prætermiſit. 8 Anaximenes item Mileſius,Euriſtrati filius, Anaximandri diſcipulus,aërem voluit eſſe initium ex quo naſcerentur omnia, duabus cauſſis efficientibus adhibitis, quæ aëream ipſam materiam formarent,atque fingerent: vt ex aëre rarefacto gigneretur ignis,ex aëre denſo ventus,aqua,terra,nubes,lapides & animantes crearentur. 9 Anaxagoras,Aegeſibuli filius Cazomenius commentus eſt ὁμοιομέρειαν,id eſt, ſimilitudinem partium, veluti ſyluam & materiam rerum omnium gignendarum. Is enim cenſuit in ſingulis rebus particulas ineſſe ſimiles infinitas, ex quibus compoſitæ ſint, reſque omnes gigni & interire congregatione & ſeiunctione particularum ſimilium. Quemadmodum etiam ſcribit Lucretius:

Oſſa videlicet è pauxillis atque minutis
Oſſibus,& ſic de pauxillis atque minutis
Viſceribus gigni viſcus,ſanguenq́ creari,
Sanguinis inter ſe multis coeuntibus guttis.
Atque id Anaxagoras ſibi ſumit,vt omnibus omnes
Res putet immixtas rebus latitare,ſed illud
Apparere vnum,cuius ſint plurima mixta,
Et magis in promptu,primaq́ in fronte locata.

Principio autem ſui operis de mente diuina ita ſcripſit, Omnia ſimul erant,dein de acceſſit mens,eaq; compoſuit, & in ordinem redegit. 10 Xenophanes Colophonius ponit vnum principium vniuerſum,neque finitum,neque infinitum, neque mutabile,neq; immutabile,cuius ſubſtantia rotunda globoſaq; ſit, quem deum nominat, qui nihil habeat commune cum hominibus, totum cernat, totum audiat, neque tamen reſpiret, ſimul ſit omnia, mens, prudentia, æternitas.

11 Parmenides Xenophanis diſcipulus, quem Ariſtoteles in phyſicis de vno ente malitioſè calumniatur, duas phyſicas rerum cauſſas ſtatuit, ignem & terram, & illum quidem opificis, hunc verò materiæ rationem habere cenſuit, vt Ariſtoteles docet in Metaphyſicis. 12 Vniuerſum, ſi credimus Leucippo, alicubi plenum eſt, alicubi inane: in pleno, ſunt corpora: in vacuo & inani, liberius vagantur atomi, quæ materiam præbent gignendis rebus. Democritus Leucippo aſtipulatus plenum vocat ens, & inane, non ens; cuius ſententia eſt, Omnia fieri fortuita concurſione atomorum, in quibus tres ſunt differentiæ, figura, ordo, & ſitus. 13 Empedocles elementa quatuor adhibuit, ignem, aërem, aquam, terram, velut vniuerſam & communem materiem omnium rerum, & duas cauſſas efficientes, amicitiam & litem: illam boni, hanc mali: cuius verſus ſunt apud Laertium:

Ζεῦς ἀργῆς, ἥρη τε φερέσβιος, ἠδ' ἀΐδωνεύς,
Νῆστις δ' ἣ δακρύοις ἐκπικροῖ ὄμμα βρότειον.

Hoc eſt,

Iuppiter albus, & alma ſoror Iuno, atq; potens Dis,
Et Neſtis, lacbrymis hominum quæ lumina complet.

Iouem, ignem: Iunonem, terram: Aidoneum, aërem: Neſtin, aquã dicit. 14 Ignis Heraclito videtur eſſe principium, vnde omnia quæ ſint, adhibita raritate aut denſitate conſtent, quod calor ſit fons vitæ, & artifex omnium rerum. 15 Hoc Meliſſi principium Deus eſt, qui virtute infinitus eſt, & natura immutabilis & æternus. 16 Ariſtoteles lib. 1. de Cœlo, hoc Platoni falsò tribuit, & Ariſtotelem ſequutus Cicero. Plato enim mundum à Deo creatum facit, & quidem ſic, vt nullo modo diſſolui queat, niſi ab eo à quo eſt colligatus, quemadmodũ in Timæo ſcriptum eſt. 17 Hæc Pythagorica ſunt ſymbola, quorum ſimilitudo magis intelligenda eſt, quàm veritas. 18 Declarat arrogantiam reliquorum philoſophorum, qui quum inter ſe de mundo & Deo non minus pugnaciter certent, quàm Centauri & Lapithæ, vnuſquiſque tamen eam philoſophiam quam profitetur, certam, firmam, veram, comprehenſam eſſe, & haberi vult. 19 Comparatio ſimilium illuſtratur exemplis & decretis Stoicis, quæ illi veriſſima & certiſſima credunt. 20 Stoici putant mundum igne deflagraturum, quia aſtrorum ignis & ætheris flamma conſumit: ex quo euenturum aiunt, vt ad extremũ omnis mundus igneſcat: quum humore conſumpto neque terra ali poterit, neque remeabit aër, cuius ortus aqua omni exhauſta eſſe non poſſit: ita relinqui nihil, præter ignem, à quo rurſum animante & Deo renouatio mundi fiet, idemq; ornatus orietur. Cicero 2. de Nat. deor. 21 Opponit contraria Ariſtotelis decreta Stoicorum decretis: Stoici enim mundum & ortum & interiturum cenſent, quorum vtrumque Ariſtoteli planè ridiculum eſt: itemque Stoici mundum cœleſti prouidentia regi credunt, quod Ariſtoteles, Ariſtoteleique multi philoſophi nimis impiè derident. Licèt enim Ariſtoteles in tam multis & diuerſis mundi partibus mirabilem quendam concentum, & pro rata proportione ſingularem conſenſum eſſe dixerit, nullum tamẽ tantæ harmoniæ authorem, moderatorem, ſeruatorem definiuit, ſed ſingulis orbibus cœleſtibus proprios motores attribuit, quorum ſupremus orbem ſummum, velut figulus rotam moueat, cæteros orbes inferiores nihil ad ſe pertinere putet: cuius doctrina non ſolùm falſa eſt, verùm etiam impia, & Chriſtianis decretis, id eſt, ſanctiſſimis & veriſſimis repugnans.

22 Id Cicero non ſcripſit, quòd ſic reuera ſentiret, ſed quòd (vt Plutarchus ait) laudum vel alienarum prodigus eſſet. 23 Irridet ex Peripateticorum ſententia fatidicam illam pronœam, à Stoicis inductam, quia aiunt deos ita prouidere rebus humanis, vt omnia quæ in terris gignantur, ad vſum hominum procreauerint, homines autem mundi gratia. Quam ſententiam Peripatetici confutant exemplis & effectis, quia Deus ille pernicioſas res homini procreauerit: ſed tamen

men nihil eſt homini tam peſtiferum, vnde commoditas aliqua non percipiatur.
24 Myrmecides ſtatuar.us nobilis quadrigam ex ebore, quam muſca integeret alis, fecit, & nauem quam apicula pennis abſconderet. Plinius cap.21.lib.7.

[1] *Negas ſine Deo poſſe quicquam. Ecce tibi è tranſuerſo Lampſacenus Strato, qui det iſti Deo immunitatem magni quidem muneris: ſed cùm ſacerdotes deorũ vacationem habeant, quantò eſt æquius habere ipſos deos? Negat opera deorum ſe vti ad fabricandum mundum, quæcunq; ſint, docet omnia eſſe effecta natura,* [2] *nec, vt ille, qui aſperis & leuibus, & hamatis vncinatiſq; corporibus concreta hæc eſſe dicat, interiecto inani: ſomnia cenſet hæc eſſe Democriti, non docentis, ſed opinantis. Ipſe autem ſingulas mundi partes perſequens, quicquid aut ſit, aut fiat, naturalibus fieri aut factum eſſe docet ponderibus & motibus.* [3] *Sic ille & Deum opere magno liberat, & me timore. Quis enim poteſt, cùm exiſtimet à Deo ſe curari, non & dies & noctes diuinum numen horrere? & ſi quid aduerſi acciderit (quod cui non accidit?) extimeſcere ne id iure euenerit? Nec Stratoni tamẽ aſſentior: neq; verò tibi. modo hoc, modo illud probabilius videtur.* [4] *Latent iſta omnia, Luculle, craſſis occultata & circunfuſa tenebris, vt nulla acies humani ingenij tanta ſit, quæ penetrare in cœlum, terrã intrare poſſit.* [5] *Corpora noſtra non nouimus: qui ſint ſitus partium, quam vim quæq; pars habeat, ignoramus. Itaq; medici ipſi, quorum intererat ea noſſe aperuerũt, vt ea viderent: nec eo tamẽ aiunt* [6] *Empiricis notiora eſſe illa, quia poſſit fieri vt patefacta & detecta mutentur. Sed ecquid nos? eodem modo rerum naturas perſecare, aperire, diuidere poſſumus, vt videamus, terra penitúſne defixa ſit, & quaſi radicibus ſuis hæreat, an media pendeat? Habitari ait* [7] *Xenophanes* [8] *in luna, eamq; eſſe terram multarum vrbium & montium. Portenta vi-*

ea comprehenſa, atque percepta: falſi autem comprehendi nihil poteſt: & omnia meminit Scyron Epicuri dogmata: vera igitur illa ſunt nunc omnia. Hoc per me licet. Sed tibi aut concedendum eſt ita eſſe, quod minimè vis: aut memoriam mihi remittas, oportet: & facilem ei eſſe locum, etiam ſi comprehẽſio perceptioq; nulla ſit. [4] Quid fiet artibus? quibus? iiſne quæ ipſæ fatẽtur coniectura ſe plus vti, quàm ſcientia: an ijs quæ tantùm id quod videtur, ſequuntur, nec habent iſtam artem veſtram, qua vera & falſa diiudicent? [5] Sed illa ſunt lumina duo, quæ maximè cauſſam iſtam continent. Primùm enim negatis fieri poſſe, vt quiſquam nulli rei aſſentiatur. At id quidem perſpicuum eſt: cùm Panætius, princeps propè meo quidem iudicio Stoicorum, ea de re dubitare ſe dicat, quam omnes, præter eum, Stoici certiſſimam putãt: vera eſſe aruſpicum auſpicia, oracula, ſomnia, vaticinationes: ſeq; ab aſſenſu ſuſtineat. Quod ſi is poteſt facere, vt de ijs rebus, quas illi à quibus ipſe didicit, certas habuerint: cur id ſapiens de reliquis rebus facere non poſſit? An eſt aliquid quod poſitum vel improbare vel approbare poſſit, dubitare non poſſit? [6] An tu in ſoritis poteris hoc, cùm voles: ille reliquis rebus nõ poterit eodem modo inſiſtere, præſertim cùm poſſit ſine aſſenſione ipſam veriſimilitudinem non impeditam ſequi? [7] Alterum eſt, quòd negatis actionem vllius rei poſſe in eo eſſe, qui nullam rem aſſenſu ſuo comprobet. Primùm enim videri oportet, in quo ſit etiam aſſenſus. dicunt enim Stoici ſenſus ipſos aſſenſus eſſe: quos quoniam appetitio conſequatur, actionem ſequi: tolli autem omnia, ſi viſa tollantur. Hac de re in vtramq; partem & dicta ſunt & ſcripta multa. Vide ſuperiora: ſed breui res poteſt tota confici. [8] Ego enim etſi maximam actionem puto

repugnare

repugnare viſis, obſiſtere opinionibus, aſſenſus lubricos ſuſtinere, credoq; Clitomacho ita ſcribenti, Herculis quendam laborem exantlatum à Carneade, quòd vt feram & immanem belluam, ſic ex animis noſtris aſſenſionem, id eſt opinationem & temeritatem extraxiſſet: tamen vt ea pars defenſionis relinquatur, [9] *quid impediet actionem eius, qui probabilia ſequitur nulla re impediente? Hoc, inquit, ipſum impediet, quòd ſtatuet, ne id quidem, quod probet, poſſe percipi. Iam iſtuc te quoq; impediet in nauigando, in conſerendo, in vxore ducenda, in liberis procreandis, plurimisq; in rebus, in quibus nihil ſequère præter probabile.* [10] *Et tamen illud vſitatum, & ſæpe repudiatum refers, non vt Antipater, ſed vt ais, preſſius: nam Antipatrum reprehenſum, quòd diceret, conſentaneum eſſe ei qui affirmaret nihil poſſe comprehendi, id ipſum ſaltem dicere poſſe comprehendi: quod ipſi Antiocho pingue videbatur, & ſibi contrarium.* [11] *Non enim poteſt conuenienter dici nihil comprehendi poſſe, ſi idipſum comprehendi poſſe dicatur.* [12] *Illo modo potius putat vrgendum fuiſſe Carneadem, cùm ſapientis nullum decretum eſſe poſſit, niſi comprehenſum, perceptum, cognitum: vt hoc ipſum decretum, quod ſapientis eſſet, nihil poſſe percipi, fateretur eſſe perceptum.* [13] *proinde quaſi ſapiens nullum aliud decretũ habeat, & ſine decretis vitam agere poſſit. Sed vt illa habet probabilia, non percepta: ſic hoc ipſum, nihil poſſe percipi.* [14] *nam ſi in hoc haberet cognitionis notam, eadem vteretur in cæteris: quam quoniam non habet, vtitur probabilibus.* [15] *Itaq; non metuit ne confundere omnia videatur, & incerta reddere. Non enim quemadmodum ſi quæſitum ex eo ſit, ſtellarũ numerus par, an impar ſit: item ſi de officio, multisq; alijs de rebus, in quibus verſatur, exer-*

citatusq́ ſit, neſcire ſe dicat. in incertis enim nihil eſt probabile: in quibus autem eſt, in his non deerit ſapienti, neque quid faciat, neq; quid reſpondeat. [16] *Ne illam quidem prætermiſiſti, Luculle, reprehenſionem Antiochi (nec mirum: in primis enim eſt nobilis) qua ſolebat dicere Antiochus, Philonem maximè perturbatum. Cùm enim ſumeretur vnum, eſſe quædam falſa viſa: alterũ, nihil ea differre à veris: non attendere, ſuperius illud ea re à ſe eſſe conceſſum, quòd videretur eſſe quædam in viſis differentia: eam tolli altero, quo neget viſa à falſis vera differre: nihil tam repugnare.* [17] *Id ita eſſet, ſi nos verum omnino tolleremus. Non facimus: nam tam vera, quàm falſa cernimus. ſed probandi ſpecies eſt: percipiendi ſignum nullum habemus.*

1 Eadem Carneadis ſententia, Cicero redit ad Lucullum, id eſt, Antiochum, ne ſuperioris orationis argumentum vllum ſine refutatione prætereat: reſpondetque argumento de memoria leui & inepto, quia falſorum etiam viſorum poſſit eſſe memoria, vt conſtat duobus exemplis Polyæni & Scyronis. 2 Polyænus fuit Athenodori filius Lampſacenus, modeſtus vir & amabilis, vt ait Laërtius lib. 10. Hunc Epicurus maluit geometriam dedocere, quàm ab eo diſcere. Cic. lib. 1. de Finib. 3 Syllogiſmus eſt connexus ſecundi modi ad refellendum argumentum memoriæ. 4 Argumentum à definitione artis, ſuperiori proximum fuit, quod ſoluitur per ſpecies: quæ enim dicuntur demonſtratiuæ, vt Mathematicæ artes: & quæ dicuntur opinabiles, vt Rhetoricæ, nihil habent certi & percepti, ſed probabilibus tantùm præceptis & inſtitutis continentur. 5 Duo capita Lucullea cauſſæ refelluntur, quæ probabãt eſſe aliquem ſapientis aſſenſum: & primùm quidem ab authoritate Panætij Rhodij, qui licèt Stoicus ſit, negat tamen eſſe aſſentiendum & credendum auguriis, quæ reliqui Stoici veriſſima & certa eſſe confirmant, Zeno, Cleanthes, Antipater, Diogenes, Chryſippus, Poſidonius: de quibus Cicero lib. 2. de Diuinat. Panætij teſtimonium illuſtratur à paribus: ſyllogiſmus eſt connexus primi modi. 6 Alterum item argumentum à parium collatione. 7 Alterum eſt firmamentum diſputationis à Lucullo frequenter adhibitum, cùm & κατάληψιν, & συγκατάθεσιν confirmaret: quibus ſublatis dicebat omnem actionem tolli. qui locus tractatur à cauſſis efficientibus aſſenſum, ſicut à Stoicis præſcriptum eſt: ſenſus enim parit aſſenſum, aſſenſus appetitionem, appetitio actionem. Cui argumento iam à nobis reſponſum eſt: & ita nunc occurritur, quòd poſſit aſſenſus & appetitus & actio gigni ex probabilibus viſis, neque tamen perceptis & cognitis. 8 Solutio argumenti duplex eſt, quòd aſſenſum cohibere, itemque res probabiles ſequi, magnæ ſint actiones hominis ſapientis. Primùm declaratur à ſimilibus: vt Herculi difficile fuit tollere hydram: ſic Sapientis magnum opus eſt tollere ex animo temerariam aſſenſionem. Hydra, fuit ſerpens multorum capitum in Lernea palude iuxta Argos, cui amputato vno capite duo ſuccreſcebant. Hanc belluam Hercules primùm claua percuſſit, deinde ſagit-

tis,

tis: poſtremò cū ſe in latebris abdidiſſet, cōgeſtis lignis, igne cōſumpſit. 9 Subiicit alterum genus actionum, in quibus verſatur ſapiens: vt cùm multa perſequitur officia, quorum probabilem rationē poſſet reddere, vt propoſitis aliquot exemplis conſtat. 10 Antipater & Antiochus contra hoc Academicum decretum, Nihil poſſe percipi, diſputarant: ſed ille minus ſubtiliter, hic preſſius. Hæc igitur argumēta denuò repetuntur & refelluntur: primum Antipatri dicitur pingue, id eſt, hebes & parum ſubtile, vel impeditum & ineptum, vt ait Nonius, hunc locum citans. 11 Quia vtraque pars contradictionis ſpecialis ſimul eſſet vera, quòd non modò rectè fieri, ſed omnino fieri non poteſt. 12 Repetit argumentum Antiochi contra Carneadem ab adiunctis: ſyllogiſmus ſimplex primi generis integer eſt:

Omne decretum ſapientis debet eſſe perceptum:
Nihil poſſe ſciri, eſt decretum ſapientis:
Hoc igitur debet eſſe perceptum.

12 Refellit Antiochi argumentum, negando propoſitionem ſyllogiſmi ſumptam ex ſtultiſſima veterum philoſophorum perſuaſione, qui decreta ſuæ ſcholæ & diſciplinæ tam vera & certa eſſe credebant, quàm Pythij Apollinis oracula: cùm tamen ſatis conſtet, nihil tale in antiquorum philoſophia reperiri, vt ſatis ſuperq; ſit, ſi decretum ſapientis probabile fuerit. 14 Ratio à paribus. Syllogiſmus connexus ſecundi modi. 15 Diſſoluit obiectionem illam Luculli, Quòd omnia redderentur incerta, ſi nihil poſſet percipi, & argumentatur à diſſimilibus, Non quemadmodum incertum eſt ſapienti, an ſtellarum numerus par ſit, vel impar: ſic officia vitæ ſunt incerta: probabilia enim ſunt ſapienti, nihil autem incertum eſt probabile. 16 Hoc argumentum ſimiliter à Lucullo Academicis obiectum fuit, ad refellendum Philonem quaſi pugnantia dicentem. hæc enim pugnantia videntur, Diuidere viſa in vera & falſa: &, Dicere inter vera & falſa nihil intereſſe. 17 Solutio argumenti ambigui fit, adhibita diſtinctione: vera viſa diſtinguntur à falſis, non perceptione & ſcientia, ſed coniectura & opinione.

[1] Ac mihi videor nimis etiam nunc agere ieiunè. [2] cùm ſit enim campus, in quo poßit exultare oratio: cur eam in tantas anguſtias, & in Stoicorum dumeta compellimus? [3] Si enim mihi cum Peripatetico res eſſet, qui id percipi poſſe diceret, quod impreſſum eſſet è vero: neq; adhiberet illam magnam acceßionem, quo modo imprimi non poſſet à falſo: cum ſimplici homine ſimpliciter agerem, nec magnopere contenderem. Atque etiam ſi, cùm ego nihil dicerem poſſe comprehendi, diceret ille, ſapientem interdum opinari: non repugnarem, præſertim ne Carneade quidem huic loco valde repugnāte. [4] Nūc quid facere poſſum? quæro enim quid ſit quod comprehendi poßit. Reſpondet mihi non Ariſtoteles, aut Theophraſtus, ne Xenocrates quidem, aut Polemo, ſed nihil minor: quod eſt tale verum, quale falſum eſſe non

admiror, & diligo, qui iſta Antiocheia contemnit? Noſtra, inquies, ſola vera ſunt. Certè ſola, ſi vera: plura enim vera diſcrepantia eſſe non poſſunt. [9] *Utrum igitur nos impudentes, qui labi nolumus: an illi arrogantes, qui ſibi perſuaſerint ſcire ſe ſolos omnia?*

1 Vniuerſa oratione Luculli partibus ſingulis refutata & diſſoluta ad extremũ Cicero adhibet excuſationem quandam, cur tam ſubtiliter & ſpinosè argumentatus ſit, culpamq́ue ipſam regerit in Stoicos, qui nimis argutè viſum ipſum, de quo agitur, definiunt. Syllogiſmus eſt connexus tertij modi:

Si mihi res eſſet cum ſimplicibus philoſophis, & non verſutis, agerem ſimpliciter, & non argutè:
Sed mihi res non eſt cum ſimplicibus, ſed cum argutis:
Et idcircò mihi argutè agendum fuit.

2 Allegoria eſt à locis ſpatioſis, & à ſalebroſis, ad ſignificandum duplex argumentationis genus: vnũ copioſum & latè fuſum, quod Peripatetici ſequuti ſunt: alterum ſubtile & anguſtum, quod placuit Stoicis. Stoicorum, ait Cic. lib. 3. de Finibus, non ignoras quàm ſit ſpinoſum, vel ſubtile dicendi genus. 3 Propoſitio ſyllogiſmi. 4 Aſſumptio ſyllogiſmi per remotionem antecedentis. 5 Antiochus adducitur in inuidiam, quòd ſe Academicum veterem profiteatur, & tamen à diſciplina veteris Academiæ deſciſcat, quæ cenſet ſapientem interdum aliquid opinari. 6 Poſtrema amplificatio eſt ad commonendum Lucullum ab adiunctis rerũ, quę in philoſophia diſputantur. Syllogiſmus ſimplex eſt primi generis:

Nulli rei incognitæ eſt aſſentiendum:
Quicquid in philoſophia traditur, eſt incognitum.
Nulli igitur rei in philoſophia aſſentiendum eſt.

Aſſumptio declaratur per tres philoſophiæ partes, Ethicam, phyſicam, dialecticam. 7 Altera approbatio aſſumptionis à diſcrepantibus philoſophorum ſententiis, Epicureorum, Peripateticorum, Stoicorum, cùm vna de re vna & eadem ſit lex, & regula veritatis. Itaque ſatis magno argumento eſt in philoſophia vetere nihil fuiſſe perceptum & cognitum, quòd ipſi philoſophi de eadem re tam varia, tamq́ue diſcrepantia præciperẽt. 8 Diodorus Stoicus non ſolùm familiariſſimè vixit cum Cicerone, ſed etiam domi eius mortuus eſt, à quo cùm alia multa, tum dialecticam didicit, vt ait in Bruto. 9 Concluſio eſt ſyllogiſmi, vel potius vniuerſæ refutationis aduerſus Lucullum: cuius argumenta ſigillatim ſic à nobis animaduerſa ſunt, adhibito lumine dialecticæ inuentionis & diſpoſitionis, vt falſa, leuia, inconſequẽtia, & aliena quæ eſſent, iudicaremus vera, & ad rem propoſitam pertinentia, laudaremus: & in ſingulis huius contentionis capitibus non ſolùm nos interpretes, ſed etiam dialecticos rerum æſtimatores & iudices adhiberemus.

[1] *Non me quidem, inquit, ſed ſapientem dico ſcire. Optimè: nempe iſta ſcire, quæ ſunt in tua diſciplina. Hoc primũ quale eſt, à non ſapiente explicari ſapientiam? Sed diſcedamus à nobiſmetipſis: de ſapiente loquamur: de quo, vt ſæpe iam dixi, omnis hæc quæſtio eſt. In tres igitur partes, & à*

nobiſmetipſis diſtributa ſapiētia eſt. [2] *Primùm ergo, ſi placet, quæ de natura rerum ſint quæſita, videamus: velut illud antè, Eſtne quiſquam tanto inflatus errore, vt ſibi ſe illa ſcire perſuaſerit? non quæro rationes eas quæ ex coniectura pendent, quæ diſputationibus huc & illuc trahuntur, nullam adhibent perſuadendi neceſsitatem. Geometræ prouideant, qui ſe profitentur non perſuadere, ſed cogere, & qui omnia vobis, quæ deſcribunt, probant.* [3] *Non quæro ex his illa initia Mathematicorum, quibus non conceſsis, digitum progredi non poſſunt: Punctum eſſe, quod magnitudinem nullam habeat: Extremitatem quaſi libramentum, in quo nulla omnino craſsitudo ſit: Lineā verò ſine vlla latitudine currentem.* [4] *Hæc cùm vera eſſe conceſſero, ſi adijciam iuſiurandum, ſapientémne prius quàm Archimedes eo inſpectante rationes omneis deſcripſerit eas, quibus efficitur multis partibus Solem maiorem eſſe, quàm terram, iuraturum putas? ſi feceris: Solem ipſum, quem deum cenſet eſſe, contempſerit. Quòd ſi Geometricis rationibus non eſt crediturus, quæ vim afferunt in docendo, vos ipſi, vt dicitis: næ ille longè aberit, vt argumentis credat philoſophorum: aut ſi eſt crediturus, quorum potiſsimùm?* [5] *omnia phyſicorum licet explicare, ſed longum eſt: quæro tamen, quem ſequatur. Finge aliquē nunc fieri ſapientem, nondum eſſe: qua potiſsimùm ſententia melius eliget diſciplinam? & ſi quamcunq; eliget, inſipiens eliget. Sed ſi ingenio diuino, quem vnum è phyſicis potiſsimùm probabit? nec enim plus vno poterit. Non perſequor quæſtiones infinitas: tantùm de principijs rerum, è quibus omnia conſtant, videamus quem probet: eſt enim inter magnos homines ſumma diſſenſio.* [6] *princeps Thales vnus è ſeptem, cui ſex reliquos conſenſiſſe primos ferunt, ex aqua*

dixit

dixit conſtare omnia: [7] *at hoc Anaximandro populari & ſodali ſuo non perſuaſit. is enim infinitatem naturæ dixit eſſe, è qua omnia gignerentur. poſt eius auditor* [8] *Anaximenes infinitum aëra, ſed ea quæ ex eo orirentur, definita: gigni autem terram, aquam, ignẽ, tum ex his omnia.* [9] *Anaxagoras materiam infinitam, ſed ex ea particulas ſimiles inter ſe, minutas: eas primùm confuſas, poſtea in ordinem adductas mente diuina.* [10] *Xenophanes paulò etiam antiquior, vnum eſſe omnia, neq; id eſſe mutabile, & id eſſe deũ, neq; natum vnquam, & ſempiternum, & conglobata figura.* [11] *Parmenides ignem, qui moueat terram, quæ ab eo formetur.* [12] *Leucippus plenum, & inane. Democritus huic in hoc ſimilis, vberior in cæteris.* [13] *Empedocles hæc peruulgata & nota quatuor.* [14] *Heraclitus ignẽ.* [15] *Meliſſus hoc quod eſſet infinitum & immutabile, & fuiſſe ſemper, & fore.* [16] *Plato ex materia in ſe omnia recipiente mundum eſſe factum cenſet à deo ſempiternũ.* [17] *Pythagorei ex numeris & mathematicorum initijs proficiſci volunt omnia.* [18] *Ex his eliget veſter ſapiens vnum aliquẽ, credo, quem ſequatur: cæteri tot viri, & tanti repudiati ab eo, cõdemnatiq; diſcedent.* [19] *Quamcunq; verò ſententiam probauerit, eam ſic animo comprehenſam habebit, vt ea quæ ſenſibus: nec magis approbauit nunc lucere, quàm, quoniã Stoicus eſt, hunc mundum eſſe ſapientẽ, habere mentẽ, quæ & ſe & ipſum fabricata ſit, & omnia moderetur, moueat, regat. erit perſuaſum etiã, Solem, Lunã, ſtellas omnes, terram, mare, deos eſſe, quòd quædam animalis intelligẽtia per omnia ea permeet & trãſeat.* [20] *fore tamẽ aliquãdo, vt omnis hic mũdus ardore deflagret. Sint iſta vera (vides enim iam me fateri aliquid eſſe veri) comprehendi ea tamen, & percipi nego.* [21] *cùm enim tuus*

iſte Stoicus ſapiens ſyllabatim iſta dixerit, veniet illud [22] *flumen orationis aureum fundens Ariſtoteles, qui illum deſipere dicat: neque enim ortum eſſe vnquam mundum, quòd nulla fuerit nouo cõſilio initio tam præclari operis inceptio: & ita eum eſſe vndiq; aptum, vt nulla vis tantos queat motus, mutationemq; moliri, nulla ſenectus diuturnitate temporum exiſtere, vt hic ornatus vnquam dilapſus óccidat? Tibi hoc repudiare, illud autem ſuperius, ſicut caput & famam tuam, defendere neceſſe erit: mihi ne vt dubitem quidem relinquatur? vt omittam leuitatem temerè aſſentientium, quanti libertas iſta æſtimanda eſt, non mihi neceſſe eſſe quod tibi eſt?* [23] *Cur Deus omnia noſtri cauſſa cùm faceret (ſic enim vultis) tantam vim natricum viperarumq; fecerit? cur mortifera tam multa pernicioſa terra maríque diſperſerit? Negatis hoc tam polítè, tamq; ſubtiliter effici potuiſſe ſine diuina aliqua ſolertia: cuius quidem vos maieſtatem deducitis vſq; ad apum formicarumq; perfectionem: vt etiam inter deos* [24] *Myrmecides aliquis minutorum opuſculorum fabricator fuiſſe videatur.*

1 Confirmationi (quæ deinceps ſequitur) eadem theſis propoſita eſt, quæ refutationi fuit, Sapientem nihil illorũ (quæ in philoſophia tractantur) ſcire: quod quidem non ſolùm verum eſt, ſed etiam longè veriſſimum. Perfecta enim ſcientia, quæ fit ex certis & indubitatis rerum cauſſis, in ſolo Deo inueniri poteſt, in homine nullo poteſt: quia is ſolus rerum omnium cauſſas accuratè nouit, qui cauſſas rerum omnium procreauit: & artes veterum philoſophorum (qui ſe ſapientes profitebantur) opinione tantùm, non vlla ſcientia continentur. Summa confirmationis vniuerſæ fit ex loco diſtributionis à partibus ad totum. Nihil in phyſica philoſophia, nihil in morali, nihil in dialectica à ſapiente percipi poteſt: nihil igitur in philoſophia omnino perceptum ſapiens habet. 2 Initium confirmationis ducitur ab antiquiſſima & prima parte philoſophiæ: cui vnà cum phyſicis artibus mathematicæ diſciplinæ ſubiiciuntur, quia veteres Phyſici etiam Mathematici fuerunt. Primus locus eſt ab adiunctis. In phyſicis res ſunt controuerſæ, & in Mathematicis principia non probata ſumuntur: nulla igitur in his vera & percepta cognitio eſt. 3 Initia Mathematicorum ſunt definitiones, poſtulata, & communes ſententiæ, quæ tanquam per ſe ſatis illuſtres ſint, in principio ſumuntur, non probantur: qualia ſunt hæc apud Euclidem, σημεῖόν ἐστιν, οὗ μέρος οὐθέν: Punctum eſt, cuius nulla pars. ἐπιφάνειά ἐστιν, ὃ μῆκος καὶ πλάτος μόνον ἔχει: Extremitas,

tremitas,quæ longitudinem & latitudinem tantũ habet. γραμμὴ δὲ μῆκος ἀπλατές:Linea verò longitudo non lata. 4 Dilemma eſt fallax. Si ſapiens iureiurando affirmet aliquid in Geometria, priuſquam rationes cognouerit,mẽtietur: ſi cognitis rationibus tamen non credat,reliquæ philoſophiæ nõ credet. 5 Incipit enumerare phyſicorum ſententias de principiis, inter ſe diuerſas, vt doceat in tanta varietate nihil eſſe certum ſapienti quod ſequatur: quod argumentum apud Chriſtianos homines,& ſacris literis informatos plurimum valere debet ad confirmandam ignorantiam veterum phyſicorum, quorum ſententiæ declarant illos in phyſicis elementis & primis rerum cauſſis planè cæcos fuiſſe: vt nec vnde res quæque primùm creari cœperint, nec quibus cauſſis naturæ curſus regatur, intelligere,aut verbis exprimere potuerint. Itaque licèt Academicus ſapiens in phyſicorũ diſciplinis interdum probabile aliquid inueniat, quod ſequatur: procul tamen aberit à ſcientia,& accurata cognitione cauſſarum,quæ latent in tenebris: &,vt antè diximus, ſoli Deo certa ſcientia notæ ſunt: ſatiſque habebit, ſi de elementis,de animalibus,de ſtirpibus,de cæteris naturæ generibus non per cauſſas, quæ rem quamque conſtituunt, ſed per accidentias & adiunctas qualitates phyſicorum more philoſophetur. 6 Thales Mileſius princeps Ionicæ philoſophiæ principium rerum dixit aquam,quòd animalium generatio ſit humida: nec ſolùm ſtirpes in terris,ſed etiam in cœlo ſtellæ paſcantur humoribus, in quo ſequitur illud Homericum:

Oceanus,de quo primùm ſunt omnia nata.

& antiquum morem iurandi per Stygen,id eſt,aquam,quaſi hæc antiquiſſimum principium & diuiniſſimum fuerit.Lege Ariſtotel.in Metaphyſ. 7 Anaximander Mileſius non aquã,ſed infinitam quandam naturam à terra,aqua,aëre, igne, diuerſam,cenſuit eſſe principium & primam cauſſam infinitæ procreationis, ex qua innumerabiles mundi naſcerentur. Atque hic philoſophus de cauſſis phyſicis tantũ materiam attigit,ſicuti Thales,& efficientes cauſſas prætermiſit. 8 Anaximenes item Mileſius,Euriſtrati filius, Anaximandri diſcipulus,aërem voluit eſſe initium ex quo naſcerentur omnia, duabus cauſſis efficientibus adhibitis, quæ aeream ipſam materiam formarent,atque fingerent: vt ex aëre rarefacto gigneretur ignis,ex aëre denſo ventus,aqua,terra,nubes,lapides & animantes crearentur. 9 Anaxagoras,Aegeſibuli filius Cazomenius commentus eſt ὁμοιομέρειαν,id eſt, ſimilitudinem partium, veluti ſyluam & materiam rerum omnium gignendarum. Is enim cenſuit in ſingulis rebus particulas ineſſe ſimiles infinitas, ex quibus compoſitæ ſint, reſque omnes gigni & interire congregatione & ſeiunctione particularum ſimilium. Quemadmodum etiam ſcribit Lucretius:

Oſſa videlicet è pauxillis atque minutis
Oſſibus,& ſic de pauxillis atque minutis
Viſceribus gigni viſcus,ſanguenq́ creari,
Sanguinis inter ſe multis coeuntibus guttis.
Atque id Anaxagoras ſibi ſumit,vt omnibus omnes
Res putet immixtas rebus latitare,ſed illud
Apparere vnum,cuius ſint plurima mixta,
Et magis in promptu,primaq́ in fronte locata.

Principio autem ſui operis de mente diuina ita ſcripſit,Omnia ſimul erant,dein de acceſſit mens,eaq; compoſuit, & in ordinem redegit. 10 Xenophanes Colophonius ponit vnum principium vniuerſum,neque finitum,neque infinitum, neque mutabile, neq; immutabile,cuius ſubſtantia rotunda globoſaq; ſit, quem deum nominat, qui nihil habeat commune cum hominibus, totum cernat, totum audiat, neque tamen reſpiret, ſimul ſit omnia, mens, prudentia, æternitas.

11 Parmenides Xenophanis diſcipulus, quem Ariſtoteles in phyſicis de vno ente malitioſè calumniatur, duas phyſicas rerum cauſſas ſtatuit, ignem & terram, & illum quidem opificis, hunc verò materiæ rationem habere cenſuit, vt Ariſtoteles docet in Metaphyſicis. 12 Vniuerſum, ſi credimus Leucippo, alicubi plenum eſt, alicubi inane: in pleno, ſunt corpora: in vacuo & inani, liberius vagantur atomi, quæ materiam præbent gignendis rebus. Democritus Leucippo aſtipulatus plenum vocat ens, & inane, non ens: cuius ſententia eſt, Omnia fieri fortuita concurſione atomorum, in quibus tres ſunt differentiæ, figura, ordo, & ſitus. 13 Empedocles elementa quatuor adhibuit, ignem, aërem, aquam, terram, velut vniuerſam & communem materiem omnium rerum, & duas cauſſas efficientes, amicitiam & litem: illam boni, hanc mali: cuius verſus ſunt apud Laertium:

Ζεῦς ἀργῆς, ἥρη τε φερέσβιος, ἠδ' ἀΐδωνεὺς,
Νῆστις δ' ἣ δακρύοις ἐκπικροῖ ὄμμα βρότειον.

Hoc eſt,

Iuppiter albus, & alma ſoror Iuno, atq; potens Dis,
Et Neſtis, lacbrymis hominum quæ lumina complet.

Iouem, ignem: Iunonem, terram: Aidoneum, aërem: Neſtin, aquã dicit. 14 Ignis Heraclito videtur eſſe principium, vnde omnia quæ ſint, adhibita raritate aut denſitate conſtent, quòd calor ſit fons vitæ, & artifex omnium rerum. 15 Hoc Meliſſi principium Deus eſt, qui virtute infinitus eſt, & natura immutabilis & æternus. 16 Ariſtoteles lib. 1. de Cœlo, hoc Platoni falsò tribuit, & Ariſtotelem ſequutus Cicero. Plato enim mundum à Deo creatum facit, & quidem ſic, vt nullo modo diſſolui queat, niſi ab eo à quo eſt colligatus, quemadmodũ in Timæo ſcriptum eſt. 17 Hæc Pythagorica ſunt ſymbola, quorum ſimilitudo magis intelligenda eſt, quàm veritas. 18 Declarat arrogantiam reliquorum philoſophorum, qui quum inter ſe de mundo & Deo non minus pugnaciter certent, quàm Centauri & Lapithæ, vnuſquiſque tamen eam philoſophiam quam profitetur, certam, firmam, veram, comprehenſam eſſe, & haberi vult. 19 Comparatio ſimilium illuſtratur exemplis & decretis Stoicis, quæ illi veriſſima & certiſſima credunt. 20 Stoici putant mundum igne deflagraturum, quia aſtrorum ignis & ætheris flamma conſumit: ex quo euenturum aiunt, vt ad extremũ omnis mundus igneſcat: quum humore conſumpto neque terra ali poterit, neque remeabit aer, cuius ortus aqua omni exhauſta eſſe non poſſit: ita relinqui nihil, præter ignem, à quo rurſum animante & Deo renouatio mundi fiet, idemq; ornatus orietur. Cicero 2. de Nat. deor. 21 Opponit contraria Ariſtotelis decreta Stoicorum decretis: Stoici enim mundum & ortum & interiturum cenſent, quorum vtrumque Ariſtoteli planè ridiculum eſt: itemque Stoici mundum cœleſti prouidentia regi credunt, quod Ariſtoteles, Ariſtoteleique multi philoſophi nimis impiè derident. Licèt enim Ariſtoteles in tam multis & diuerſis mundi partibus mirabilem quendam concentum, & pro rata proportione ſingularem conſenſum eſſe dixerit, nullum tamẽ tantæ harmoniæ authorem, moderatorem, ſeruatorem definiuit, ſed ſingulis orbibus cœleſtibus proprios motores attribuit, quorum ſupremus orbem ſummum, velut figulus rotam moueat, cæteros orbes inferiores nihil ad ſe pertinere putet: cuius doctrina non ſolùm falſa eſt, verùm etiam impia, & Chriſtianis decretis, id eſt, ſanctiſſimis & veriſſimis repugnans.

22 Id Cicero non ſcripſit, quòd ſic reuera ſentiret, ſed quòd (vt Plutarchus ait) laudum vel alienarum prodigus eſſet. 23 Irridet ex Peripateticorum ſententia fatidicam illam prouœam, à Stoicis inductam, quia aiunt deos ita prouidere rebus humanis, vt omnia quæ in terris gignantur, ad vſum hominum procreaue rint, homines autem mundi gratia. Quam ſententiam Peripatetici confutant exemplis & effectis, quia Deus ille pernicioſas res homini procreauerit: ſed tamen

men nihil eſt homini tam peſtiferum, vnde commoditas aliqua non percipiatur.

24 Myrmecides ſtatuar.us nobilis quadrigam ex ebore, quam muſca integeret alis, fecit, & nauem quam apicula pennis abſconderet. Plinius cap.21.lib.7.

[1] *Negas ſine Deo poſſe quicquam. Ecce tibi è tranſuerſo Lampſacenus Strato, qui det iſti Deo immunitatem magni quidem muneris: ſed cùm ſacerdotes deorũ vacationem habeant, quantò eſt æquius habere ipſos deos? Negat opera deorum ſe vti ad fabricandum mundum, quæcunq; ſint, docet omnia eſſe effecta natura,* [2] *nec, vt ille, qui aſperis & leuibus, & hamatis vncinatiſq; corporibus concreta hæc eſſe dicat, interiecto inani: ſomnia cenſet hæc eſſe Democriti, non docentis, ſed opinantis. Ipſe autem ſingulas mundi partes perſequens, quicquid aut ſit, aut fiat, naturalibus fieri aut factum eſſe docet ponderibus & motibus.* [3] *Sic ille & Deum opere magno liberat, & me timore. Quis enim poteſt, cùm exiſtimet à Deo ſe curari, non & dies & noctes diuinum numen horrere? & ſi quid aduerſi acciderit (quod cui non accidit?) extimeſcere ne id iure euenerit? Nec Stratoni tamẽ aſſentior: neq; verò tibi. modò hoc, modò illud probabilius videtur.* [4] *Latent iſta omnia, Luculle, craſſis occultata & circunfuſa tenebris, vt nulla acies humani ingenij tanta ſit, quæ penetrare in cœlum, terrã intrare poſſit.* [5] *Corpora noſtra non nouimus: qui ſint ſitus partium, quam vim quæq; pars habeat, ignoramus. Itaq; medici ipſi, quorum intererat ea noſſe aperuerũt, vt ea viderent: nec eo tamẽ aiunt* [6] *Empiricis notiora eſſe illa, quia poſſit fieri vt patefacta & detecta mutentur. Sed ecquid nos? eodem modo rerum naturas perſecare, aperire, diuidere poſſumus, vt videamus, terra penitúſne defixa ſit, & quaſi radicibus ſuis hæreat, an media pendeat? Habitari ait* [7] *Xenophanes* [8] *in luna, eamq; eſſe terram multarum vrbium & montium. Portenta vi-*

*dentur: ſed tamen neq; ille qui dixit, iurare poſſet ita ſe rem habere, neq; ego. [9] Nonne etiam dicitis, eſſe e regione nobis, e contraria parte terræ, qui aduerſis veſtigijs ſtent contra noſtra veſtigia, quos Antipodas vocatis? Cur mihi magis ſuccenſetis, qui iſta non aſpernor, quàm eis, qui quum audiunt, deſipere vos arbitrantur? Nicetas Syracuſius, vt ait Theophraſtus, cœlum, Solem, Lunam, ſtellas, ſupera deniq; omnia ſtare cenſet, [10] neq; præter terram rem vllam in mundo moueri: quæ cùm circum axem ſe ſumma celeritate conuertat & torqueat, eadem effici omnia, quæ, ſi ſtante terra, cœlum moueretur. atq; hoc etiam Platonem in Timæo dicere quidam arbitrantur, ſed paulo obſcurius. [11] Quid tu Epicure? loquere. putas Solem eſſe tantulum? Ego ne vobis quidem tantum. ſed & vos ab illo irridemini: & ipſi illum viciſſim eluditis. Liber igitur à tali irriſione [12] Socrates, liber Ariſto Chius, qui nihil iſtorum ſciri putat poſſe. [13] Sed redeo ad animum & corpus. ſatíſne tandem ea nota ſunt nobis, quæ neruorum natura ſit, quæ venarum? tenemúſne quid animus ſit? vbi ſit? deniq; ſítne, aut, vt [14] Dicæarcho viſum eſt, ne ſit quidem vllus? Si eſt, treíſne partes habeat, vt [15] Platoni placuit, rationis, iræ, cupiditatis: an ſimplex vnuſq; ſit? Si ſimplex, [16] vtrum ſit ignis, an anima, an ſanguis: an, vt Xenocrates, mens nullo corpore? quod intelligi quale ſit, vix poteſt. &, quicquid eſt, mortale ſit, an æternũ? nam vtraq; in parte multa dicuntur. Horum aliquid veſtro ſapienti certum videtur: noſtro, ne quid maximè quidem probabile ſit, occurrit: ita ſunt in pleriſq; contrariarum rationum paria momenta. [17] * Sin agis verecundius, & me accuſas, non quòd tuis rationibus non aſſentiar, ſed quòd nullis: vincam animum, cuiq; aſſentiar, deligam: quem potiſſimùm? quem?*

Demo-

Democritum? ſemper enim, vt ſcitis, ſtudioſus nobilitatis fuit. Urgebor iam omnium veſtrum conuitio: [18] Túne aut inane quicquam putes eſſe, cùm ita completa & conferta ſint omnia, vt & quod mouebitur corporum, cedat, & quà quidq; ceſſerit, aliud illicò ſubſequatur: [19] aut atomos vllas, è quibus quicquid efficiatur, illarũ ſit diſsimillimum, [20] aut ſine aliqua mente rem vllam effici poſſe præclaram? [21] & cùm in vno mundo ornatus hic tam ſit mirabilis, innumerabiles, ſuprà, infrà, dextra, ſiniſtra, antè, poſt, alios diſsimiles, alios eiuſdem modi mundos eſſe? & vt nos nunc ſumus ad Baulos, Puteolosq; videamus, ſic innumerabiles paribus in locis eſſe, eiſdem nominibus, honoribus, rebus geſtis, ingenijs, formis, ætatibus, eiſdem de rebus diſputantes? [22] & ſi nunc, aut ſi etiam dormientes aliquid animo videre videamur, imagines extrinſecùs in animos noſtros per corpus irrumpere? [23] Tu verò ne iſta adſciueris, néue fueris commentitijs rebus aſſenſus. Nihil ſentire eſt melius, quàm tam praua ſentire. Non ergo id agitur, vt aliquid aſſenſu meo comprobem. quæ tu vide ne impudenter etiam poſtules, non ſolùm arroganter: præſertim cùm iſta tua mihi ne probabilia quidem videantur. [24] nec enim diuinationem, quam probatis, vllam eſſe arbitror: fatumq; illud etiam, quo omnia contineri dicitis, contemno. ne exædificatum quidem hunc mundum diuino conſilio exiſtimo: atq; haud ſcio an ita ſit. [25] Sed cur rapior in inuidiam? licétne per vos neſcire quod neſcio? an Stoicis ipſis inter ſe diſceptare, mihi cum ijs non licebit? Zenoni & reliquis ferè Stoicis æther videtur ſummus deus, mente præditus, qua omnia regantur. Cleanthes, qui quaſi maiorum eſt gentium Stoicus, Zenonis auditor, Solem dominari, & rerum potiri putat. Itaq; cogimur diſſenſione

ſapientum dominum noſtrum ignorare: quippe qui neſciamus, Soli, an ætheri ſeruiamus. Solis autem magnitudo (ipſe enim hic radiatus me intueri videtur) admonet vt crebrò faciam mentionem ſui. Vos verò huius magnitudinē quaſi decempeda * *(hinc enim me: quaſi malis architectis menſuræ veſtræ nego hoc) permenſi refertis.* [26] *Ergo credere dubium eſt, vter noſtrum ſit, leuiter vt dicam, verecundior? Neque tamen iſtas quæſtiones phyſicorum exterminandas puto: eſt enim animorum ingeniorumq́ naturale quoddam quaſi pabulum, conſideratio contemplatioq́ naturæ. Erigimur, elatiores fieri videmur, humana deſpicimus, cogitanteſq́ ſupera atq́ cæleſtia, hæc noſtra vt exigua & minima contemnimus. Indagatio ipſa rerum cùm maximarum, tum etiam occultiſſimarum, habet oblectationem. Si verò aliquid occurret quod veriſimile videatur, humaniſſima completur animus voluptate.* [27] *Quæret igitur hæc & veſter ſapiens, & hic noſter: ſed veſter, vt aſſentiatur, credat, affirmet: noſter, vt vereatur temerè opinari, placlaréque agi ſecum putet, ſi in eiuſmodi rebus veriſimile quod ſit, inuenerit.*

1 Opponit rurſus Stoicis contrariam Stratonis authoritatem, qui negabat ope diuina factum eſſe mundum, deoſque ab omni munere feriari docebat à minori ad maius. Datur immunitas ſacerdotibus, quantò æquius eſt dari diis ipſis: quæ comparatio non ſolùm captioſa eſt, ſed indigna philoſopho, qui ſtultiſſimè ad res expertes corporis ferias & immunitates ſacerdotum transferat. Dei autem cœleſtis & omnipotentis actio in adminiſtratione mundi, rerumq́ue omnium perpetua ſempiternaq́; fuit, eſt, & erit: nec audiendus eſt impius Strato tam abſurdè, ne dicam ſceleratè, de natura diuina balbutiens: qui quum ait, omnia quæ ſint, effecta eſſe natura, non intelligit hanc naturam Deum eſſe, à quo res omnes natæ procreatæque ſunt: ſed naturam quandam falſam & commentitiam ſubiicit, propter obſcuritatem & ignorationem diuinæ & cœleſtis naturæ, quæ eſt principium & prima cauſſa, quæ ſuo verbo & nutu res omnes effecit. 2 Locus eſt à diſſimilibus. Democritus fortunam, Strato naturam cauſſam rerum eſſe voluit. Ille ex atomis ordine, ſitu & figura diſtinctis, & fortuito inter ſe cohærentibus res gigni & creari dixit. Hic quicquid fieret, naturalibus cauſſis fieri, id eſt, certis, & ad aliquem finem deſtinatis. 3 Sic Lucretius impius ait phyſicæ artis ſcientiam diſcendam eſſe, vt pellatur mortis & religionis metus: vt ſi intelligant homines, nihil vi aut ope diuina fieri, deſinant cœleſte aliquod numen formidare, ac

venerari:

venerari: ſed Stoici longè ſecus ac melius docent, hac rerum naturalium contem-
platione homines ad modeſtiam, pietatem, iuſtitiam, reliquasq; virtutes diligen-
tius inſtrui, & vehementius excitari: & ſacræ literæ (quæ continent arcana verita-
tis & religionis) ex operibus Dei, id eſt, rebus naturalibus Deum optimum ma-
ximum piè, ſanctè & religiosè colendum & prædicandum eſſe monent. 4 Re-
uertitur ad ſuam ἀκαταληψίαν, quam, ſicut antea, confirmat à cauſſis, quia res
ſint nobis obſcuræ. 5 Confirmatio phyſicæ difficultatis ab inductione exem-
plorum. 6 Tria fuerunt genera medicorum: alij enim dicti ſunt Empirici, ἀπὸ
τῆς ἐμπειρίας, id eſt, ab experientia, qui neglecta naturæ aut morbi conſideratione
ſolam experientiam ſequebātur. Alij Dogmatici, qui neglecta experientia ſolam
artis methodos ad curandos ægrotos adhibebāt. Alij Rationales, qui corporis na-
turam diligenter intuebantur, & cauſſas morborum, & vires medicamentorum,
& cætera omnia, quæ vel ad tuendam ſanitatem, vel ad profligandum morbum
pertinent, non neglectis tamen exemplis & experimentis rerum ſingularium.
2 Xenophanes terram quieſcere dixit, quòd in infinitum fundata eſſet. Thales, quòd
aquis ſupernataret. Anaximenes, quòd ſua latitudine in aere ſuſtineretur. Empedo-
cles, quòd celerrima cœli conuerſione ſuſpenſa in medio mundi teneretur. Anaxi-
mander, quòd eius omnes partes æquè diſtarent à cœlo. Lege Ariſtotel. lib. 2. de Cœ-
lo, cap. 23. 8 Eodem modo Anaxagoras & Democritus Lunam dicũt eſſe igni-
tum globum, qui in ſe campos, mõtes, valles, conuallesq; complectitur, vt ait Plu-
tarchus lib. 1. de Decretis philoſophorum. Huc etiam alludit Lucianus in libro de
Veris narrat. 9 Omnes penè antiqui authores confirmant antipodas eſſe, vt
Strabo, Plinius, Pomponius Mela, Macrobius, Solinus, Cleomenes, excepto Lu-
cretio, Auguſtino, & Lactantio: nec verò hoc ipſum mathematicis rationibus tan-
tùm, ſed etiam itineribus & veſtigiis cognoſcitur: Hiſpanis ſiquidem Indi Antipo-
des ſunt. 10 Philolaus etiam Pythagoreus dixit terram circa ignem moueri in
obliquo circulo: Heraclides Ponticus, Herphantes Pythagoreus terram mouent
inſtar rotæ cardine ſuo nixam. Nicolaus Copernicus hiſce noſtris temporibus ve-
terem illam opinionẽ ſequutus de motu terræ multos libros ſcripſit, vbi probat
terra mota & cœlo quieſcente theoricam de ſtellis multò certiorem tradi, quàm ſi ſe-
cùs accidat. 11 Apoſtrophe in Epicurum cõtra Mathematicos, affirmantem So-
lem tantulum eſſe, quãtulus nobis videtur: de quo ſic ait Epicureus Lucret. lib. 5.

Ne nimio Solis maior rota, nec minor ardor
Eſſe poteſt, noſtris quàm ſenſibus eſſe videtur.

12 Socrates apud Platonẽ nihil affirmat, & ſe omnium rerũ rudem & inſcium
dicit, & contra eos diſputat, qui ſe aliquid ſcire profitentur. Ariſto Chius diſcipu-
lus Zenonis induxit ἀδιαφορίαν: id eſt, indifferentiam, quaſi res inter ſe nihil dif-
ferrent, vnde efficeretur nihil poſſe percipi. 13 Probat de homine nullã adhuc
eſſentiã, quòd incerta ſit natura corporis humani, & de animo ipſi ſummi philoſophi
inter ſe diſſentiunt. De quibus Ariſtotel. lib. 1. de Anima, & Cic. Tuſc. 1. 14 Di-
cæarchus (vt ait Cicero) in eo ſermone, quẽ Corinthi habitũ tribus libris exponit
doctorũ hominũ diſputantium: primo libro multos loquentes facit: duobus Phe-
recratem quendam Phthiotam ſenem, quẽ ait à Deucalione ortum, differentem
inducit, nihil eſſe omnino animũ, & hoc eſſe nomen totum inane, fruſtraq; & ani-
malia & animantes appellari, neq; in homine ineſſe animum vel animam: nec in
beſtia: vimq; omnẽ eam qua vel agamus quid, vel ſentiamus, in omnibus corpo-
ribus viuis æquabiliter eſſe fuſam, nec ſeparabilem à corpore eſſe: quippe quæ
nulla ſit, nec ſit quicquã, niſi corpus viuũ & ſimplex ita figuratũ, vt temperatione
naturæ vigeat, & ſentiat: ad quam impiam & damnatam Dicæarchi ſententiam
Galenus videtur accedere, qui animam definit temperiem quandam conſenſu &
conſpiratione quatuor primarũ qualitatum in viuẽtibus naturis conſtitutã, qua

temperie ſublatâ, vita tollitur: Ita Galenus exiſtimat animam à natura viuente ſeparabilem non eſſe, ſed vnà cum corpore interire, imò verò ante corpus ipſum perire & diſſolui: quæ opinio tam falſa eſt, quàm quæ falſiſſima. 15 Plato lib. 4. de Repub. videtur affirmare tres eſſe animæ partes, vnam rationis, alteram iræ, tertiam cupiditatis, quòd anima contrariis affectionibus mouetur: nihil autem ſecundum idem contraria recipit. ſed nomine partium facultates intelligit, vt vna ſit animæ ſubſtantia & ſimplex & indiuidua, cuius tres facultates in diuerſis corporis partibus exerceantur, ratio in capite, ira in corde, naturalis cupiditas in iecore. 16 Heraclito animus videtur eſſe ignis: Democrito aliquid igneum ex ſubtiliſſimis atomis concretum: Diogeni, aër: Hipponi, aqua: Critiæ, ſanguis: Xenocrati, numerus ſeipſum mouens. Lege Ariſtotelem cap. 2. lib. 1. de Anima.

17 Confirmat ἐποχὴν Academicã in phyſicis quæſtionibus: & dialogiſmum inſtituit Stoici alicuius philoſophi cum Democrito philoſopho diſputantis, & altercantis de ſumma naturalis philoſophiæ. 18, Proſopopœia eſt Stoici philoſophi Democritica phyſicę artis principia reprehendentis, inane, & atomos. Inane confutat duobus modis: vno à contrariis. plena ſunt omnia, nihil igitur inane, altero à cauſſa motum adiuuante. corpora corporibus cedunt in motu: non igitur opus eſt inani. 19 Refellit atomos Democriti à repugnantib. 20 Tertio loco refellit atheiſmum, item à repugnantibus. 21 Quarta refutatio de innumerabilib. mundis ab abſurda ſimilitudine. 22 Quinta refutatio de ratione intelligendi à Democrito ſtultè conficta, qui putabat imagines intrinſecus in animos noſtros irrumpere per corporeas atomos, vnde gignerentur ſimulachra rerum omnium. 23 Hactenus Stoicus inuectus eſt in Democritum philoſophum, qui ne ſapientior aliis philoſophis videatur, multis errorum vitiis inſimulatur & damnatur: vt de diuinatione, de fato, de fabrica mundi, vnde Cicero concludit nullam eſſe legitimam cauſſam, cur ſapiens Stoicis potius, quàm aliis philoſophis aſſentiatur. 24 Sic Cicero lib. 2. aduerſus diuinationem diſſerit, cùm eſſet libro primo à Quinto fratre mirum in modum laudata & defenſa patrocinio Stoicorum. 25 Confirmatio eſt à maiori ad minus. Stoici inter ſe pugnãt, mihi ab his diſſentire non licebit? Repugnantia autem Stoicorum declarantur exemplis ſpecialibus. 26 Concludit ex tot cõtrouerſiis phyſicorum lubricum & difficilem aſſenſum ſapientis, ſummamque difficultatem naturalis ſcientiæ: cuius tamen ſtudium & inquiſitionem magnopere commendat ab adiuncta pulchritudine contemplationis, & mirifica delectatione ingenij & mentis in contemplandis operibus naturæ. 27 Diſſimilitudo inter ſapientem Stoicum & Academicum à variis effectis.

Veniamus nunc ad bonorum malorumq; notionem. ſed paululum antè dicendum eſt. Non mihi videntur conſiderare, cùm phyſica iſta valde affirmant, earum etiam rerum authoritatem, ſi quæ illuſtriores videantur, amittere. non enim magis aſſentiuntur, neque approbant lucere nunc, quàm cùm cornix cecinerit, tum aliquid eam aut iubere, aut vetare: nec magis affirmabunt ſignum illud, ſi erunt menſi, ſex pedum eſſe, quàm Solem, quem metiri non poſſunt, pluſquam duodeuiginti partibus maiorem eſſe

quàm

quàm terram. [2] Ex quo illa concluſio naſcitur: ſi, Sol quantus ſit, percipi nõ poteſt, qui cæteras res eodem modo quo magnitudinem Solis approbat, is eas res non percipit. Magnitudo autem Solis percipi non poteſt: qui igitur id approbat, quaſi percipiat, nullam rem percipit. [3] Reſponderint poſſe percipi quantus Sol ſit: nõ repugnabo, dummodo eodem pacto cætera percipi comprehendiq; dicant. Nec enim poſſunt dicere aliud alio magis minúſue comprehendi: quoniam omnium rerum vna eſt definitio comprehendendi. [4] Sed quod cœperam, quid habemus in rebus bonis & malis explorati? nempe fines conſtituendi ſunt, ad quos & bonorum & malorum ſumma referatur. Qua de re eſt igitur inter ſummos viros maior diſſenſio? & omitto illa quæ relicta iam videntur: & [5] Herillum, qui in cognitione & ſcientia ſummum bonum ponit: qui cùm Zenonis auditor eſſet, vides quantum ab eo diſſenſerit, & quàm non multum à Platone [6] Megarici, quorum fuit nobilis diſciplina: cuius, vt ſcriptum video, princeps Xenophanes, quem modò nominaui: deinde eum ſecuti Parmenides & Zeno: itaq; ab his Eretriaci philoſophi nominabantur. Poſt Euclides Socratis diſcipulus Megareus: à quo ijdem illi Megarici dicti, qui id bonum ſolum eſſe dicebant, quòd eſſet vnum, & ſimile, & idem ſemper. hi quoq; multa à Platone. A Menedemo autem, quòd is Eretrias fuit, Eretriaci appellati: quorum omne bonum in mente poſitum, & mentis acie, qua verum cerneretur. Illis ſimilia, ſed opinor explicata vberius & ornatius. Hos ſi contemnimus, etiam abiectos putamus illos, certè minus deſpicere debemus [7] Ariſtonem, qui cùm Zenonis fuiſſet auditor, re probauit ea, quæ ille verbis: nihil eſſe bonum, niſi virtutem: neq; malum, niſi quod virtuti eſſet con-

trarium: in medijs ea momenta, quæ Zeno voluit, nulla eſſe cenſuit. Huic ſummum bonum eſt, in his rebus neutram in partem moueri: quæ ἀδιαφορία ab ipſo dicitur. Pyrrho autem, ea ne ſentire quidem ſapientē, quæ ἀπάθεια nominatur.

1 Proponit ſe dicturū de ſecunda parte ſapientiæ, quæ eſt de vita & moribus: ſed tamē quaſi imprudens aliquid ſit oblitus, regreditur ad phyſicam, vt irrideat naturalem diuinationem probatam à Stoicis, & theorema de Solis magnitudine. Argumentum eſt à comparatione parium. 2 Argumentum eſt à paribus. Syllogiſmus connexus primi modi plenus & integer. 3 Occupat quæ dici poſſunt ad aſſumptionem ſyllogiſmi, nihilque perfecta cognitione poſſe comprehendi docet ex vi definitionis, quòd vna ſit definitio comprehenſionis, quæ æqualiter omnibus rebus ſubiectis conueniat. 4 Iterat propoſitam quæſtionem de moribus, totamque hanc diſciplinam incertam eſſe contendit, quòd inter philoſophos ſit maximè controuerſa: quorum ſentētię (vt omnes ſummatim complectamur) bipartitæ diuiduntur in eas, quæ exploſæ ſunt à ſcholis, & in eas quæ à magnis philoſophis retentæ defenſæque ſunt. Rurſus exploſæ tres ſunt: prima Herilliorum, ſecunda Megaricorum, ſiue Eretriacorum, tertia Ariſtoneorum, ſiue Pyrrhoneorum, quas Cicero præteritione quadam curſim & breuiter exponit.

5 Prima ſect. Herilliorum ab Herillo Carthaginenſi fluxit, qui (vt ait Laërtius) ſummum bonum hominis interdum vult eſſe ſcientiam, vt omnia referantur ad bene viuendum, ne ignorantia deiiciamur: ſcientiam autem eſſe habitum ex comprehenſis & impreſſis viſis, qui quidem verbis explicari nequeat: interdum verò dicit, nullum eſſe finem bonorum, nihilque inter virtutem & vitium intereſſe, cuius libri breues quidem fuerunt, ſed ſucci ac ſententiæ pleni, in quibus diſputabat aduerſus Zenonem. 6 Secunda ſecta Megarenſis appellatur ab Euclide Megarenſi: vel Eretriaca à Menedemo Eretriaco, quæ cenſuit vnum ſolum eſſe bonum, quod eſſet vnum & ſimile, & idem, & ſemper, qualis eſt ſolus Deus, cum quo cæteræ res collatæ tantùm vmbram quandam boni præ ſe ferunt, non veram & expreſſam ſpeciem: Socrates autem apud Platonem ſæpe diſſerit Deum eſſe ipſum bonum, in cuius adeptione perfectaque contemplatione, beata hominis vita conſiſtit, quum animus vinculis corporis liberatus in cœlo Deum contemplatur, eiusque perfecta ſapientia perfruitur. Vides igitur vt Megarici à Platone non diſceſſerint in quæſtione de ſummo bono. 7 Tertia ſecta fuit Ariſtoneorum & Pyrrhoneorū ab Ariſtone & Pyrrhone: Ariſto Chius ſummum bonum definit ἀδιαφορίαν, id eſt, indifferentiam, vt ſi quis promiſcuè & indifferenter inter virtutē & vitium vixerit, nulla habita huius vel illius ratione, & ſapientem præclaro hiſtrioni ſimilem eſſe ait, qui ſiue Therſitæ, ſiue Agamemnonis perſonā ſumit, vtrumq; decorè & aptè repræſentat. Pyrrho Elienſis ἀπάθειαν, id eſt, vacuitatem affectuum ſummum bonum ſtatuit, vt ſapiens omni perturbatione & affectu liber nihil appetat, nihil fugiat, nec hoc potius quàm illud ſequatur, ſed in omnibus rebus indifferēter, & ſine vllo affectu ſe habeat: cuius quidem philoſophi vita præceptis & decretis conſentanea fuit, vt docet Laertius lib. 9.

[1] Has igitur tot ſententias omittamus: hæc videamus, quæ nunc diu multumq; defenſa ſunt. [2] Alij voluptatem finem eſſe voluerunt: quorum princeps Ariſtippus, qui Socratem audierat, vnde Cyrenaici: poſt Epicurus, cuius eſt diſcipli-

na nunc notior, neque tamen cum Cyrenaicis de ipſa voluptate conſentiens. Voluptatem autem & honeſtatem fines eſſe Calipho cenſuit, vacare omni moleſtia Hieronymus: hoc idem cum honeſtate Diodorus. ambo hi Peripatetici. Honeſte autem viuere, fruentem rebus ijs, quas primas homini natura conciliet, & vetus Academia cenſuit, vt indicant ſcripta Polemonis, quem Antiochus probat maximè: & Ariſtoteles, eiusq; amici nunc proximè videntur accedere. Introducebat etiam Carneades, non quò probaret, ſed vt opponeret Stoicis, ſummum bonum eſſe, frui ijs rebus, quas primas natura conciliauiſſet. Honeſtum autem quod ducatur à conciliatione naturæ, Zeno ſtatuit finem eſſe bonorum, qui inuentor & princeps Stoicorum fuit. Iam illud perſpicuum eſt, omnibus finibus ijs bonorum, quos expoſui, malorum fines eſſe contrarios. [3] Ad vos nunc refero, quem ſequar, modò ne quis illud tam ineruditum abſurdumq; reſpondeat, quemlibet, modò aliquem. nihil poteſt dici inconſideratius. cupio ſequi Stoicos: licétne? Omitto per ipſum Ariſtotelem, meo iudicio in philoſophia propè ſingularem: per ipſum Antiochum, qui appellabatur Academicus: erat quidem, ſi perpauca mutauiſſet, germaniſſimus Stoicis. Erit igitur res iam in diſcrimine. [4] nam aut Stoicus conſtituatur ſapiens, aut veteris Academiæ. vtrumque non poteſt. eſt enim inter eos non de terminis, ſed de tota poſſeſſione contentio. nam omnis ratio vitæ diffinitione ſummi boni continetur: de qua qui diſſident, de omni vitæ ratione diſſident. Non poteſt igitur vterq; ſapiens eſſe, quoniam tantopere diſſentiũt: ſed alter. ſi Polemoneus, peccat Stoicus rei falſæ aſſentiens. vos quidẽ nihil dicitis à ſapiente tam alienũ eſſe. ſin vera ſunt Zenonis: eadẽ in veteres Academicos

Peripateticoſq; dicenda. * *Hoc igitur neutri aſſentiens, ſi nunquam, vter eſt prudentior? Quid, quum ipſe Antiochus diſſentit quibuſdam in rebus ab ijs quos amat, Stoicis, nónne indicat non poſſe illa probanda eſſe ſapienti? Placet Stoicis, omnia peccata eſſe paria: at hoc Antiocho vehementiſſimè diſplicet. liceat tandem mihi conſiderare vtram ſententiam ſequar.* [6] *Præcide, inquit, ſtatue aliquando quidlibet. quid? quæ dicuntur quidem, & acuta mihi videntur in vtramque partem, & paria: nónne caueam ne ſcelus faciam? Scelus enim dicebas eſſe, Luculle, dogma prodere. Contineo igitur me, ne incognito aſſentiar: quid mihi tecum eſt dogma commune.* [7] *Ecce multò maior etiam diſſenſio. Zeno in vna virtute poſitam beatam vitam putat. Quid Antiochus? Etiam, inquit, beatam, ſed non beatiſſimam. Deus ille, qui nihil cenſuit deeſſe virtuti. homuncio hic, qui multa putat præter virtutem homini partim chara eſſe, partim etiam neceſſaria.* [8] *Sed ille vereor ne virtuti plus tribuat, quàm natura patiatur, præſertim Theophraſto multa diſertè copioſéq; dicente.* [9] *Et hic metuo ne vix ſibi conſtet: qui quum dicat eſſe quædam & corporis & fortunæ mala, tamen eum qui in his omnibus ſit, beatũ fore cenſet, ſi ſapiens ſit.* [10] *Diſtrahor: tum hoc mihi probabilius, tum illud videtur: & tamẽ niſi alterutrum ſit, virtutem iacere planè puto.* [11] *Verùm in his diſcrepant. Quid illud? in quibus conſentiunt, num pro veris probare poſſumus, Sapiẽtis animum nunquam neq; cupiditate moueri, neq; lætitia efferri? Age, hæc probabilia ſanè ſint: num etiam illa, Nunquam timere, nunquam dolere? Sapiénſne non timeat? nec, ſi patria deleatur, non doleat: ſatis durum: ſed Zenoni neceſſarium: cui præter honeſtum nihil eſt in bonis.* [12] *tibi verò Antioche*

the minimè: cui præter honeſtatem multa bona, præter turpitudinem multa mala videntur: quæ & venientia metuat ſapiens neceſſe eſt, & veniſſe doleat. Sed quæro, quando iſta fuerint ab Academia vetere decreta, vt animum ſapientis commoueri & conturbari negarent? [13] *Mediocritates illi probabant, & in omni permotione naturalem volebant eſſe quendam modum.* [14] *Legimus omnes Crantoris veteris Academici de luctu: eſt enim non magnus, verùm aureolus: &, vt Tuberoni Panætius præcipit, ad verbum ediſcendus libellus.* [15] *Atq; illi quidem etiam vtiliter à natura dicebant permotiones iſtas animis noſtris datas, metum cauendi cauſſa, miſericordiam ægritudinemq; clementiæ: ipſam iracundiam fortitudinis quaſi cotem eſſe dicebant: rectè, ſecúſne, aliàs viderimus. Atrocitas iſta quidem tua quo modo in veterem Academiam irruperit, neſcio.*

1 Tranſit à reiectis & exploſis philoſophorum de beata vita ſententiis ad retentas & defenſas, quas quidem Tuſcul.5. partitur in ſimplices & mixtas, & ſimplices in quatuor genera: ſed nunc ſublata luce diuiſionis duntaxat eas enumeratione complectitur. 2 Ariſtippus ſummum bonum cenſet eſſe in voluptate corporis, quòd omne animal ſimulatque natum eſt, voluptatem appetit, vt ſummum bonum: doloremque fugit vt ſummum malum. Illa autem indolentia & doloris vacuitas (quam tuetur Epicurus) non videtur Cyrenaicis voluptas, neque priuatio voluptatis dolor, quia voluptas & dolor verſantur in aliquo motu ſuaui aut aſpero. Placet autem Ariſtippo eum eſſe beatum & ſapientem, non qui ſit in perpetuis voluptatibus, ſed qui maiore ex parte his perfruatur. 3 Communicatio eſt cum aduerſariis, & confirmatio Academicæ ἀκαταληψίας à differentibus philoſophorum teſtimoniis & decretis. 4 Probat à fine ſummam philoſophorum inter ſe diſſenſionem. Syllogiſmus eſt ſimplex primi generis. 5 Aliud argumentum à diſſimilibus, quæ ſunt cauſſæ cur Academicus ſapiens aſſenſum retineat. 6 Occurrit huic obiectioni, Sapiens eliget de multis quidlibet: & refellit à cauſſis efficientibus ἐποχὴν, & à teſtimonio Luculli. 7 Indicat differentiam inter Antiochum & Zenonem de ſummo bono, quæ accuratius explicatur lib.5. de Finibus. & horum philoſophorum contraria argumenta inter ſe comparat, ab probandam difficultatem, vel potius temeritatem alicui rei aſſentiendi.

8 Argumentum Antiochi contra Zenonem ducitur à teſtimonio Theophraſti, qui in libro de Beata vita diſputat, quamobrem is qui torqueatur, aut crucietur, beatus eſſe nõ poſſit: in eo etiam libro putatur dicere beatam vitam in rotam non aſcendere: & in Calliſthene ſuo laudauit illam ſententiam, Vitam regit Fortuna, non Sapientia. Cic. Tuſcul.5. 9 Argumentum eſt Zenonis contra Antiochum & veteres Academicos à repugnantibus. 10 Concluſio ancipitis delibe-

rationis ad retinendam ἐποχήν. 11 Tranſit à differentia ad ſimilitudinem doctrinæ,quæ eſt inter Zenonem & veteres Academicos, qui eodem modo ſapientem definiunt liberum & vacuum ab omni perturbatione, cupiditate, lætitia, timore,moleſtia:quod tamen de ſapiente cogitare (vt omni prorſus careat affectu) difficile eſt. 12 Apoſtrophe in Antiochum non ſatis congruenter Academicorum decretis de perſona ſapientis philoſophantem,quia Academici non prorſus adimũt affectus ſapienti,ſed in eo mediocres & moderatos eſſe volunt. 13 Virtus moralis, vt ait Ariſtotel.2.Ethic.eſt habitus voluntarius in mediocritate poſitus,ea quæ ad nos refertur,ratione ſic rectus,vt vir prudens præſcripſerit. Mediocritas autem in moderandis perturbationibus vel actionibus cernitur,vt hæ neq; modum tranſeant,neq; ab eo deficiant:ſicut etiam præclarè dicit Horatius,

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos vltrà citràque nequit conſiſtere rectum.

14 Confirmatio à teſtimonio Crantoris Solenſis,qui poëmata quædam ſcripſit. Laudatur eius liber,quem de luctu edidit,vt ait Laërtius lib.5. 5 Declarat
Tuſcul.4. ex Academicorum ſententia vtilitatem affectuum in homine, quorum talis eſt oratio : Primùm multis verbis iracundiam laudant : cotem fortitudinis eſſe dicunt: multoque & in hoſtem, & in improbum ciuem vehementiores iratorum impetus eſſe. Leues autem ratiunculas eorum qui ita cogitarẽt, Prælium rectum eſt hoc fieri,conuenit dimicare pro legibus, pro libertate, pro patria. Hæc vllam habent vim,niſi ita excanduit fortitudo ? Nec verò de bellatoribus ſolùm diſputant,imperia ſeueriora nulla eſſe putant ſine aliqua acerbitate iracundiæ. Oratorem denique non modò accuſantem, ſed ne defendentem quidem probant ſine aculeis iracundiæ. Quæ etiam ſi non adſit, tamen verbis atq; motu ſimulandam arbitrantur,vt auditoris iram oratoria incendat actio : virum denique videri negant, qui iraſci neſciat,eamque quam lenitatem nos dicimus,vitioſo lenitudinis nomine appellant. Nec verò ſolùm hanc libidinem laudant: (eſt enim ira,vt modò definiui, vlciſcendi libido) ſed illud ipſum genus vel libidinis, vel cupiditatis ad ſummam vtilitatem eſſe dicunt à natura datum.

[1] *Illa verò ferre non poſſum, non quòd mihi diſpliceant: ſunt enim Socratica pleraq; mirabilia Stoicorum, quæ παράδοξα nominantur: ſed vbi Xenocrates, vbi Ariſtoteles iſta tetigit? Hos enim quaſi eoſdem eſſe vultis. illi vnquam dicerent* [2] *ſapiẽtes ſolos reges? ſolos diuites? ſolos formoſos?* [3] *omnia quæ vbiq; eſſent, ſapientis eſſe?* [4] *neminẽ Conſulem, Prætorem, Imperatorem, neſcio an ne quinqueuirum quidem quenquam niſi ſapientem? poſtremò, ſolum ciuẽ, ſolum liberum? inſipientes omnes, peregrinos, exules, ſeruos, furioſos? deniq; ſcripta Lycurgi, Solonis,* [5] *duodecim tabulas noſtras, non eſſe leges? ne vrbeis denique, aut ciuitates, niſi quæ eſſent ſapientium?* [6] *Hæc tibi Luculle, ſi es aſſenſus Antiocho familiari tuo, tam ſunt defendẽda, quàm mœnia: mihi autem bono*

bono modo tantùm, quantum videbitur. [7] *Legi apud Clitomachum, cùm Carneades, & Stoicus Diogenes ad Senatum in Capitolio ſtarent, A. Albinum, qui tum* [8] *P. Scipione, & M. Marcello Conſulibus Prætor eſſet, eum qui cum auo tuo, Luculle, Conſul fuit, ſanè doctum hominem, vt indicat ipſius hiſtoria ſcripta Græcè, iocãtem dixiſſe Carneadi: Ego tibi, Carneade, Prætor eſſe non videor, quia ſapiens nõ ſum: nec hæc vrbs, nec in ea ciuitas. Tum ille, Huic Stoico non videris. Ariſtoteles, aut Xenocrates, quos Antiochus ſequi volebat, non dubitaſſet quin & Prætor ille eſſet, & Roma vrbs, & eam ciuitas incoleret. Sed ille noſter eſt planè, vt ſuprà dixi, Stoicus, perpauca balbutiens. Vos autem mihi veremini, ne labar ad opinionem, & aliquid adſciſcam & comprobem incognitum: quod minimè vultis.* [9] *Quid conſilij datis? teſtatur ſæpe Chryſippus treis ſolas eſſe ſententias, quæ defendi poſſint de finibus bonorum: circumcidit & amputat multitudinem. aut enim honeſtatem eſſe finem, aut voluptatem, aut vtrumq;. nam qui dicant ſummum bonum id eſſe, ſi vacemus omni moleſtia, eos inuidioſum nomen voluptatis fugere, ſed in vicinitate verſari: quod facere eos etiam qui illud idem cum honeſtate coniungerent: nec multò ſecùs eos qui ad honeſtatem prima natura commoda adiungerent.* [10] *Ita tres reliquit ſententias, quas putet probabiliter poſſe defendi. Sit ſane ita. quanquam à Polemonis & Peripateticorum, & Antiochi finibus non facile diuellor: neque quicquam habeo adhuc probabilius.* [11] *Verumtamen video quàm ſuauiter voluptas ſenſibus noſtris blandiatur. Laboro, vt aſſentiar Epicuro aut Ariſtippo. reuocat virtus, vel potius reprehẽdit manu: pecudum illos motus eſſe dicit: hominem iungit Deo. Poſſum eſſe medius: vt, quoniam*

Ariſtippus, quaſi animum nullum habeamus, corpus ſolùm tuetur: Zeno, quaſi corporis ſimus expertes, animum ſolùm complectitur: vt Calliphontem ſequar, cuius quidem ſententiam Carneades ita ſtudioſè defenſitabat, vt eam probare etiam videretur. quanquam Clitomachus affirmabat, nunquam ſe intelligere potuiſſe, quid Carneadi probaretur. Sed ſi ipſum finem velim ſequi, nónne ipſa ſeueritas, & grauis, & recta ratio mihi obuerſetur? tu, quum honeſtas in voluptate contemnenda conſiſtat, honeſtatem cum voluptate, tanquam hominem cum bellua copulabis? [12] *Vnum igitur par, quod depugnet, reliquum eſt, voluptas cum honeſtate: de quo Chryſippo fuit, quantum ego ſentio, non magna contentio. Alterum ſi ſequare, multa ruunt, & maximè communitas cum hominum genere, charitas, amicitia, iuſtitia, reliquæ virtutes: quarum eſſe nulla poteſt, niſi erit* [13] *gratuita. nam quæ voluptate, quaſi mercede aliqua, ad officium impellitur, ea non eſt virtus, ſed fallax imitatio ſimulatioq́; virtutis.* [14] *Audi contrà illos, qui nomen honeſtatis à ſe ne intelligi quidem dicant: niſi fortè quod glorioſum ſit in vulgus, id honeſtum velimus dicere, fontem omnium bonorum in corpore eſſe: hanc normam, hanc regulam, hanc præſcriptionem eſſe naturæ: à qua qui aberrauiſſet, eum nunquam quid in vita ſequatur, habiturum.* [15] *Nihil igitur me putabis, hæc & alia innumerabilia quum audiam, moueri? tam moueor, quàm tu Luculle: neq; me minus hominem, quàm te putaueris. Tantùm intereſt, quòd tu quum es commotus, acquieſcis, aſſentiris, approbas, verum illud, certum, comprehenſum, perceptũ, ratum, firmũ, fixum fuiſſe vis, deq́; eo nulla ratione neq; pelli, neq; moueri potes.* [16] *Ego nihil eiuſmodi eſſe arbitror, cui ſi aſſenſus ſim, non aſſentiar ſæpe falſo, quoniam*

niam vera à falſis nullo diſcrimine ſeparantur: præſertim quum iudicia iſta dialectica nulla ſint.

1 Negat Academica eſſe pleraque paradoxa, quæ Stoici & Antiochus ab Academia vetere profecta videri volunt. Argumentum ex diſſimilibus, licèt iſta dicantur à Socrate, ab Academicis tamen non dicantur. 2 Cùm Zeno ſapientem appellaret regem, diuitem, formoſum, conſulem, prætorem, liberum, cæteriſque ſimilibus vocabulis, ſpectauit ea bonorum genera, quæ imprimis magna & mirabilia vulgo viderentur, qualia ſunt fortunæ, & corporis, & animi, & quadam orationis magnificentia delectatus metaphoricòs ad animum tranſtulit. 3 Sic Socrates ratiocinabatur, Deorum ſunt omnia: viri boni ſunt deorum amici, & amicorum bona ſunt communia: bonorum igitur virorum ſunt omnia. 4 Zeno dicebat neminem eſſe conſulem, niſi ſapientem, quia omnes magiſtratus virtute & ſapientia definiendi ſunt, non opibus & diuitiis. 5 Quia non eſſent ad perfectam ſapientiæ formam deſcriptæ. 6 Concludit ſicut antea quid interſit inter Stoicum & Academicum à diſſimilibus. 7 Recitat duos locos: vnum Albini Prætoris in Carneadem, alterum Carneadis in Diogenem Stoicum. Hi duo philoſophi cum Critolao Peripatetico ab Athenienſibus ad Senatum populúmque Romanum miſſi fuerant impetratum, vti mulcta remitteretur quingentorum talentorum, quam Athenienſes fecerant propter Oropi vaſtationem, vt ait Gellius cap.14. lib.7. 8 P. Scipio Naſica, & M. Claudius Marcellus Conſules fuerant anno Vrbis conditæ 599. Aulus Poſthumius Albinus, & L. Licinius Lucullus anno 603. hic Albinus hiſtoriam Romanã Græcè ſcripſit, vt ait Cic. in Bruto.

9 Communicatio iteratur aptiſſima ad ſignificãdam difficultatem percipiendi, in tanta præſertim varietate opinionum, quas Chryſippus cæteris amputatis in tria genera concludere voluit. 10 Concluſio Chryſippeæ diuiſionis de ſummo bono ex remotione quarundam partium. 11 Argumenta ſunt ancipitis, & in varias partes diductæ deliberationis in quæſtione de finibus, ad confirmandum lubricos aſſenſus eſſe ſapientum in tanta multitudine opinionum. 12 Alterum argumentum eſt ancipitis deliberationis de voluptate & virtute, qualem Xenophon lib.1. de dictis Socratis ſcripſit obtigiſſe Herculi pubeſcenti, qui cùm deligere vellet, quam viuendi viam eſſet ingreſſurus, dicitur abiiſſe in ſolitudinem, ibique diu ac multum dubitaſſe, cùm duas vias cerneret, vnam voluptatis, alteram virtutis, vtram ingredi melius eſſet. 13 Argumentum pro virtute contra voluptatem ducitur à fine & natura propria virtutis. 14 Cic. lib.1. de Legibus, Quid liberalitas, gratuitáne eſt, an mercenaria? ſi ſine præmio, benigna eſt & gratuita: ſi cum mercede, mercenaria. 15 Argumentum voluptatis contra virtutem ab authoritate & teſtimonio Epicureorum. 16 Concludit qualis ſit Academicus ſapiens in philoſophia morali, & quid differat à Stoico.

[1] Venio enim iam ad tertiam partẽ philoſophiæ. Aliud iudicium [2] Protagoræ eſt, qui putet id cuiq; verũ eſſe, quod cuiq; videatur: [3] aliud Cyrenaicorum, qui præter permotiones intimas nihil putant eſſe iudicij: aliud Epicuri, qui omne iudicium in ſenſibus, & in rerum notitijs, & in voluptate conſtituit. [4] Plato autem omne iudicium veritatis, veritatemq; ipſam, abductam ab opinionibus, & à ſenſibus cogi-

tionis ipſius & mentis eſſe voluit. Num quid horum probat noſter Antiochus? ille verò ne maiorum quidem ſuorum. vbi enim aut Xenocratem ſequitur, cuius libri ſunt de ratione loquendi multi, & multum probati? aut ipſum Ariſtotelem, quo profectò nihil eſt acutius, nihil politius? à Chryſippo pedem nunquam. Quid ergo Academici appellamur? an abutimur gloria nominis? aut cur cogimur eos ſequi, qui inter ſe diſſident? In hoc ipſo, quod in elementis dialectici docent, quomodo iudicare oporteat, verum falſúmne ſit, ſi quid ita connexum eſt, vt hoc: Si dies eſt, lucet: quanta contentio eſt? Aliter Diodoro, aliter Philoni, Chryſippo aliter placet. Quid? cum Cleanthe doctore ſuo quàm multis rebus Chryſippus diſſidet? quid? duo vel principes dialecticorum, Antipater & Archidemus opinioſiſſimi homines, nónne multis in rebus diſſentiunt? Quid me igitur Luculle, in inuidiam, & tanquam in concionem vocas? & quidem, vt ſeditioſi Tribuni ſolent, occludi tabernas iubes? quò enim ſpectat illud, quum artificia tolli quereris à nobis, niſi vt opifices concitentur? qui ſi vndique omnes conuenerint, facile contra vos incitabuntur. Expromam primùm illa inuidioſa, quòd eos omnes qui in concione ſtabunt, exules, ſeruos, inſanos eſſe dicatis: deinde ad illa veniam, quæ iam non ad multitudinem, ſed ad voſmetipſos, qui adeſtis, pertinent. negat enim vos Zeno, negat Antiochus ſcire quicquam. Quo modo, inquies? nos enim defendimus etiam inſipientem multa comprehendere: at ſcire negatis quenquam rem vllam, niſi ſapientem: & hoc quidem Zeno geſtu conficiebat. nam quum extenſis digitis aduerſam manum oſtenderat, viſum, inquiebat, huiuſmodi eſt: deinde quum paulùm digitos contraxerat, aſſenſus huiuſmodi, tum

quum

quum planè compreſſerat, pugnumq́; fecerat, comprehenſionem illam eſſe dicebat. qua ex ſimilitudine etiã nomen ei rei quod antè nõ fuerat, κατάληψιν impoſuit. Quum autem læuam manum admouerat, & illum pugnum arctè vehementerq́; compreſſerat, ſcientiam talem eſſe dicebat: cuius compotem, niſi ſapientem, eſſe neminẽ. Sed qui ſapiẽs ſit, aut fuerit, ne ipſi quidem ſolent dicere. [8] *ita tu nunc Catule, lucere neſcis: neq; tu Hortenſi in tua villa nos eſſe. Num nimus hæc inuidioſè dicuntur? Hæc tamen minus eleganter, illa ſubtilius. Sed quomodo tu, ſi comprehẽdi nihil poſſet, artificia concidere dicebas, neq; mihi dabas, id quod probabile eſſet, ſatis magnam vim habere ad artes: ſi ego nunc tibi refero, artem ſine ſcientia eſſe nõ poſſe. An pateretur hoc Zeuſis, aut Phidias, aut Polycletus, nihil ſe ſcire, quum in his eſſet tanta ſolertia? Quòd ſi eos docuiſſet aliquis, quã vim habere diceretur, ſcientia, deſinerent iraſci: ne nobis quidem ſuccenſerent, quũ didiciſſet id tollere nos, quod nuſquã eſſet: quod autem ſatis eſſet ipſis, relinquere.* [9] *quam rationem maiorum etiam comprobat diligentia: qui primùm iurare ex ſui animi ſententia quemq; voluerũt: deinde ita teneri, ſi ſciens falleret, quòd inſcientia multa verſaretur in vita: tum qui teſtimonium diceret, vt arbitrari ſe diceret etiam quod ipſe vidiſſet: quæq́; iurati iudices cognouiſſent, vt ea non eſſe facta, ſed vt videri pronuntiarent.* [10] *Verùm quoniam non ſolùm nauta ſignificat, ſed etiam Fauonius ipſe inſuſurrat, nauigandi nobis, Luculle, tempus eſſe: & quoniam ſatis multa dixi, eſt mihi perorandum. Poſthac tamẽ quũ hæc quæremus, potius de diſſenſionibus tantis ſummorum virorum diſſeramus, de obſcuritate naturæ, deq́; errore tot philoſophorum, qui de bonis, contrariiſq́; rebus tantopere diſcrepant, vt quum plus vno*

verum eſſe non poſsit, iacere neceſſe ſit tot & tam nobiles diſciplinas, quàm de oculorum, ſenſuumq; reliquorum mendacijs, & de ſorite aut pſeudomeno, quas plagas ipſi contra ſe Stoici texuerunt. " *Tum Lucullus, Non moleſte, inquit, fero nos hæc contuliſſe. Sæpius enim congredientes nos, & maximè in Tuſculanis noſtris, ſi qua videbuntur, requiremus. Optimè, inquam. ſed quid Catulus ſentit? quid Hortenſius?* " *Tum Catulus, Egóne, inquit? ad patris reuoluor ſententiam: quam quidem ille Carneadeam eſſe dicebat: vt percipi nihil putem poſſe, aſſenſurum autem non percepto, id eſt, opinaturum ſapientem exiſtimem, ſed ita, vt intelligat ſe opinari, ſciatq; nihil eſſe quod comprehendi & percipi poſsit:* * *per ἐποχὴν illam omnium rerum comprobans, illi alteri ſententiæ, nihil eſſe quod percipi poſsit, vehementer aſſentior. Habeo, inquam, ſententiam tuã, neq; eam admodum aſpernor. ſed tibi quid tandem videtur, Hortẽſi? Tum ille ridens, tollendum teneo te, inquam. nam iſta Academiæ eſt propria ſentẽtia. Ita ſermone confecto Catulus remanſit, nos ad nauiculas noſtras deſcendimus.*

" 1 Tranſitus à philoſophia morali ad dialecticam tertiam partem ſapientiæ, in qua Cicero diſputat nullam ineſſe ſapientiam, ex varijs & diſſidentibus veterum dialecticorum decretis: de Iudicio veritatis, & notitijs rerum quæ præcepta ſuprà docuimus à dialecticis inſtitutis aliena eſſe, ad phyſicam de anima & animæ affectionibus tractationem propriè pertinere. 2 Has ineptias Protagoræ Ariſtoteles refellit in Metaphyſicis cap. 5. lib. 4. Nam ſi, ait, quod cuique videtur, id verum eſt, plerique autem res contrarias ſimul opinantur, accidit vt vtraque pars contradictionis vera ſimul eſſe poſſit, quo quidem nihil eſt in philoſophia abſurdius. 3 Ariſtippus duos fontes inſtituit, intimam voluptatem & dolorem, vnde oriatur omne iudicium veritatis. Epicurus ſenſus internos vult eſſe integros & ſanctos iudices, & notiones à ſenſibus impreſſas & voluptatem, id eſt, lenem quendam motum, quo ſenſus afficiuntur: vt quicquid hi iudices ſtatuerint, id ratum, firmum, verum iudicetur. 4 Verba ſunt Socratis in Theæteto, An veritatem eo percipere poſſimus, quo eſſentiam non percipimus? TH. Non. SOC. Cuius autem quis veritate caret, huius ſcientiam vllam habet? TH. Quomodo id fieri poſſe? SOC. In motionibus igitur ſenſuum ſcientia non eſt, in ratiocinatione tamen quæ circa illas verſatur, ineſſe oporteret: hac enim naturam rerum & veritatem attingere poſſumus, illis non poſſumus. TH. Id perſpicuum eſt. 5 Dialecticam Stoicorum inſimulat vt incertam & variam à differentibus eorum decretis.

tis. 6 Hactenus docuit in artibus philoſophiæ nullā ineſſe firmā κατάληψιν & ſcientiam: & quia Lucullus conqueſtus erat hac ratione tolli artes, feſtiuè comparat eum ſeditioſo Tribuno plebis, quaſi opifices vrbanos in Ciceronem concitare volenti: alluditq; ad furioſos Tribunos plebis, qui operarios homines promptos ad ſcelus & maleficium interim comparabāt, vt in comitiis quicquid vellent, per vim & ſcelus obtinerent: quo tempore claudebantur opificum tabernæ. Atq; pari feſtiuitate Cicero iocatur in Lucullum, & in inuidiam vocat: quod Stoica & Antiochea paradoxa ſequitur, quæ ſunt inuidioſa ciuibus, quos Stoici ſeruos, quos exules, quos denique inſanos, & furioſos appellant. 7 Alter eſt inuidiæ locus, quo Cicero ſuſpectam & inuidioſam Lucullo & Hortenſio reddit Zenonis & Antiochi diſciplinam, idque teſtimonio ipſius Zenonis geſtu & ſimilitudine manuum diſtinguētis viſum, aſſenſum, comprehenſionem & ſcientiam: definientisque eam ſcientiam, quæ in nullo homine poſſit inueniri. quo argumento nec Lucullus, nec Hortenſius quicquam ſciunt, aut ſapientes eſſe poſſunt. 8 Locus in Hortenſium feſtiuior eſt, quàm aptior ad rem ipſam: quærenda enim fuerant exempla rerum vniuerſalium, nō ſingularium. 9 Alterum argumentum aduerſus κατάληψιν ab antiqua & Romana iuriſiurādi formula & cōſuetudine, vbi teſtes & iudices iurati tantū opinandi verbis vtebantur. 10 Perorationis argumentum & occaſio captatur à cauſſis efficientibus, quibus adiungitur breuis epilogus eorum quę dicta ſunt in confirmatione & confutatione. 11 Lucullus decorum ſuum tenet, neque probans, neque improbans orationem Ciceronis.

12 Catulus ſententiam dicit, in qua ſumma eſt totius Academicæ inſtitutionis comprehenſa duobus decretis, quorum primū eſt, Sapientem nihil ſcire, nullique rei tanquam perceptæ aſſentiri: alterum, Sapientem multa opinari, hiſque eatenus aſſentiri, quatenus probabilia & veriſimilia ſunt.

FINIS.

CICERO VARRONI S. D.

ETSI munus flagitare, quamuis quis oſtenderit, ne populus quidem ſolet, niſi concitatus: tamen ego expectatione promiſſi tui moueor vt admoneam te, non vt flagitem. Miſi autem ad te quatuor admonitores nō nimis verecūdos. noſti enim profectò os adoleſcentioris Academiæ. Ex ea igitur media excitatos miſi: qui metuo ne te fortè flagitent. ego autem mandaui vt rogarent. Expectabam omnino iam diu, meq; ſuſtinebam, ne ad te prius ipſe quid ſcriberem, quàm aliquid accepiſſem, vt poſſem te remunerari quàm ſimillimo munere:

ſed cùm tu tardius faceres, id eſt, vt ego interpretor, diligentius, teneri non potui quin coniunctionem ſtudiorum, amorisq́ noſtri, quo poſſem literarum genere declararem. Feci igitur ſermonem inter nos habitum in Cumano, cùm eſſet vnà Pomponius: tibi dedi parteis Antiochianas, quas à te probari intellexiſſe mihi videbar: mihi ſumpſi Philonis. Puto fore, vt cùm legeris, mirere id nos locutos eſſe inter nos, quod nunquam locuti ſumus: ſed noſti morem dialogorum. Poſt hæc autem, mi Varro, quamplurima, ſi videbitur, & de nobis, & inter nos: ſerò fortaſſe: ſed ſuperiorũ temporum fortuna Reipub. cauſſam ſuſtineat: hæc ipſi præſtare debemus: atq́ vtinam quietis temporibus, atq́ aliquo ſi non bono, at ſaltem certo ſtatu ciuitatis hæc inter nos ſtudia exercere poſſemus. quanquam tum quidem vel aliæ quæpiam rationes, honeſtas nobis & curas & actiones darent. nunc autem quid eſt, ſine his cur viuere velimus? Mihi verò cum his ipſis vix: his autem detractis, ne vix quidem. Sed hæc coràm, & ſæpius. Migrationem & emptionem fœliciter euenire volo, tuumq́ in ea re conſilium probo. Cura vt valeas.

INDEX

INDEX EORVM QVAE IN IN ACADEMIA, FRAGMENTOque Ciceronis Academico continentur.

Academia quid 2.15
Academia, unde 15
Academia vnica iuxta Philonem 29
Academia noua 4.57
Academia vetus à quibus primū oppugnata 48
Academiam nouam primū induxit Arceſilas 56
Academiæ inſtitutū antiquiſſimum 8
Academiæ quæ, & cur ſic nominatæ 8
Academica Ciceronis diſputatio cur à Catulo & Lucullo ad Varronem tranſlata 17
Academicæ diſputationis ſecundus modus 9
Academicarum quæſtionum Ciceronis cauſſa 16
Academicarum quæſtionū liber primus quid contineat 17.18
Academici noui vetus Platonis inſtitutum reuocarunt 3.4
Academici 22
Academici à quo 22
Academici, vnde 2.3
Academici cur tam pauci cùm tam multi æmuli ſint cæterarum ſectarum 10
Academici philoſophi qui 15.16
Academici veteres & noui 3.16
Academici veteres omiſſa vetere differendi modeſtia, ſua decreta tradebant 3
Academicorum differentia à reliquis philoſophis 9
Academicorum in diſputādo mos à quibus corruptus 6
Academicum inſtitutum quodnam fuerit 3
Academicorum libertas 15
Academicos nihil affirmare 55
in motionibus ſenſuum & animorum Academicos tantùm reliquiſſe opinionem 5
Academium neutri generis 3
Academus 2.16
ἀδιάφορα 48
Aegritudo 69
Aer 38
Affabilitas 36
C. Amafanius 23
ἁμάρτημα 49
Amor cæcus in philoſophia perniciosus 11
Anaxagoras 3
Anima immortalis 7
Animatæ qualitates 41
Animus in duas partes diuiſus 50
Animi virtutes 36
Animorum imbecillitas 56
Antiochus Academicus 27
Antiochus Philonis auditor, ab eoq; cur diſceſſerit 29
Antiochei 29
Apollinis oraculū de Socrate 31.32
ἀποπροηγμένα 42
Appetitus naturales 50
Appetitio 53
Arceſilas 3
Arceſilas Pritaneus 56
Arceſilæ inſtitutum 57
Arceſilæ inſtitutum in philoſophia 3
Arceſilæ Socratici cū Peripateticis & reliquis certamen 5
Arceſilea ἐποχὴ 5
Ariſtus philoſophus 28
Ariſtoteleorum iudicum rixæ 12.13
Ariſtoteleorum vanitas & amor cæcus erga Ariſtotelem 11
Ariſtoteleis iudicibus tribus iudicium de Ariſtotelicis animaduerſionibus permittitur 13
Ariſtotelicæ animaduerſiones Rami 11
Ariſtotelicæ animaduer

ſiones Rami, & inſtitutiones dialecticæ cõdemnantur 13
Ariſtotelicum iudicium de Ramo 11
Ariſtoteleorum credulitas 7
Ars 36
Athenis tria gymnaſia 2
Atomi 21.23
Atomi Epicureorum 44
Attilius ferreus ſcriptor Electrã Sophoclis malè conuertit 27
αὐτὸς ἔφα 11

B

Beata vita in vna virtute iuxta Zenonem 48
Beatæ vitæ definitio 36
Beatæ vitæ partitio 28
Beatam vitam in virtute eſſe negauit Ariſtoteles 49
Beatitudo 39
Beatitas 39
Ioannes Bomontins Pariſienſis 12
Bona quæ 35
Bona corporis ibid.
Bonorum & malorum notionem eſſe confuſam 5

C

Carneades 3.57
Carneadis vis dicendi 57
nihil Certi affirmare ſoliti Academici 3
Cicero Academicus nouus 29
Cicero cur ſe contulerit ad philoſophiam 27
Cicero inconſtantiæ cur notetur à philoſophis 16
Cicero vnus ex nouis Academicis 3
Ciceronis in veritatis examine ſtudium 8
Ciceronis libertas in philoſophia tractanda 9
Ciceronis libri de Finib. & de Officijs quid doceant 7
Circes carmina & veneficia 24
Clitomachus 3
Cœlum 51
Comitas 36
Contradictionis conſuetudo in priuatis & publicis negotijs 8
Cõtrarijs diſputationib. veritatem elucere 8
Crantor 3
Crates ibid.
Credulitas in philoſophia pernicioſa 7
Cumæ, oppidum 19
Cumanũ Ciceronis ibid.
Cynoſarges, gymnaſium 2

D

Democritus 4
Democritus cur naturã abſtruſerit 56
Democriti ſtudium. ibid.
Deus, animus mundi 39
Dei Patris ſapientia 46
de Deo, ſummo bono, etc. inter philoſophos altercatio 6
Dialectica tertia philoſophiæ pars 44
Dialectica cur pugno ſimilis 45
Dialecticæ contemptor Epicurus 7
Dialecticæ artis partes duæ 52
in Dialectica tractanda ſcholarum error 1
in Dialectica tractanda Petri Rami cum ſcholis certamen ibid.
Dialectica ſtudia ab Epicureis contemni 23
διάθεσις 36
Diodorus Stoicus 27
Diſcipuli officium 6
Diſputatio omnis quæ via & ratione procedit, à definitione proficiſci debet 12
δογματικοὶ 8
δυσχερήματα 48

E

Ecademus heros 2
Ecademia 2
Egeſinus 3
εἱμαρμένη 42
εἰρωνεία 31
ἐλεγκτικοί 8
Elementa 38.40
Elementa in quinque genera diſtinxit Ariſtoteles 51
Eloquẽtia dialecticæ quomodo reſpondeat 45
Empedocles 3
ἔννοιαι 45.53
ἐντελεχία 40
Epicurus dialecticæ contemptor 7.23
Epicurei 6 à quo 22 creduli 7 cur tam multi 10
ἐποχή 57
ἐποχή Arceſilæ 5
Etymologia 43
Euander 3
ἕξις 36

ἀχηνήματα 48
F
Falſa veris finitima 56
Fauor 40
Fides diuinis in rebus certa 8
Fœlicitatis gradus 36
Forma 39
Fortitudo 36
Fortuna 39.42
Fortuna dea 36
Fortuna proſpera ibid.
G
Generationis gremium 41
Grando ibid.
Græci fontes omniũ diſciplinarum 31
Gurdi 24
Gymnaſia tria Athenis 2
H
Homo ad duas res natus 23
Homo deus mortalis 24
Honeſtum 48
Honeſtum in quo verſetur 37
I
Idea 42.44
Ideæ in Deo & hominibus 46
Ignorantia 53.54
Inſcientia 54
Intelligentia 36
Ironia Socratis 32
Iuſtitia 36
K
Κατάληψις 5.53
κατάληπτον 51.53
καθῆκον 49
κατόρθωμα 49
L
Lacydes 3
Lælius vir doctus 24
Lætitia 50
Latinus ſermo præcipuè è Græco cõuerſus 40
Liberalitas 36
Libido 50
in Liuio Patauinitas 40
Locus 42
λογική 7.23
λόγος 46
Lucullus Ciceronis, integer 16
Lycæum, Gymnaſium 2
Lycium 32
M
Magnificentia 36
Manſuetudo animi ibid.
Mappa 40
Materia 39
Materia & forma principia rerum naturalium, iuxta Academicos 23
Materia omnia accipere poteſt 41
Materia prima ibid.
Mens, ſenſuum fons 53
Mentis vis 44
μέσα 49
Metus 50
Modeſtia 36
Mundus, Deus 51
Mundus à Deo conditus iuxta Platonem 7
Mundus ex atomis confectus, iuxta Epicureos 23
Mundi animus à Deo creatus 42
Mundi fabrica ibid.
Mundi mẽs ἐνέργεια 42
N
Natura 39.53
Natura, ignis 59
Natura quinta 51
Naturæ vis 39
quæ Natura cõſtant mutabilia 41
Naturales cauſſas ex coniectura tantùm pendere 5
Neceſſitas 39
Noui Academici 3
Nubes 41
O
Oceanus deorum parens 45
Oculorum aſpectu aciem animi impediri 56
Officium quid 49
Officiorum quatuor fontes 36
Opinatio ſiue opinio 53
Opinio à ſcientia ſeparata 45
Opinio vera 44
P
Πάθη 50
Peripatetici 6
Peripatetici à quo 23
Peripatetici cur tam multi 10
Permotiones quadruplices hominibus inſitæ 50
Perturbatio quid ibid.
Perturbatio nulla moderata ibid.
Perturbationis definitio, iuxta Zenonem ibid.
Perturbationes quæ. ibi.
Perturbationes naturales 47
Perturbationes omnes opinationi ſubiectæ 54
Perturbationum diuiſio, iuxta Peripateticos 50

Pètoritum 40
φαίνομαι 52
φαντασία 51.53
Philo 3
Philo Academicus 27
Philo pro nouis Academicis libros duos conſcripſit 56
Philoſophum decet veritatis eſſe cupidum 56
Philoſophi antiqui quid tractarent 30
philoſophi mercatores atque inſtitores ſapientiæ 14
Philoſophorum Grammaticorum, &c. libertas in diſputationibus 11
Philoſophorum veterum modeſtia 4
Philoſophia in tres partes diuiſa 5
Philoſophia naturæ 39
Philoſophia quib. de cauſſis expetenda 24
Philoſophia Socratis fuit veritatis inquiſitio 6
Philoſophiæ prima pars de moribus 35
Philoſophiæ tripartita diuiſio, iuxta Platonem 34
Philoſophiæ veræ quid proprium 6
ad Philoſophiam curſe cõtulerit Cicero 27
in Philoſophia an diſcipulus debeat eſſe credulus 6
Philoſophandi morem veterem reuocauit Socrates ibid.
φύσις 42
Plato conſuetudinem Socratis auxit 6
Plato in Academia moratus eſt 2
Plato Socratis diſcipulus 41
Platonis doctrinæ capita 7.8
Platonis philoſophandi ratio 57
Platonis vetus inſtitutum reuocarunt noui Academici 3
Pluuia 41
ποιότης 39
ποιότητες 37.41
Polemo 2
Præpoſita 47
Probabilia ſequuntur Academici 3
προλήψεις 53
προηγμένα 49
πρόνοια 42
Prouidentia Dei mundum regi 7
Prudentia 36
Pythagoræ autoritas 11

Q

Qualitas 39
Qualitates 37
Qualitates variæ 41
Ioan. Quintinus Heduus 17

R

Ramus à tribus iudicib. Ariſtoteleis appellat 12
P. Ramus in Ariſtoteleos 11
P. Rami Ariſtotelicæ animaduerſiones 2
P. Rami certamen cum ſcholis de tractãda dialectica 1
P. Rami & Talæi ſtudium in erudienda iuuentute 1
in Ramũ Triumuirũm ſententia 13
inter Ramum atq; Ariſtoteleos controuerſiæ breuis narratio 11
Reiecta 47
Rheda 40
Rhetorica palmæ curſimilis 45

S

Salutantium interrogatio quæ 20
Sapiens vir bonus 49
Sapientem nihil opinari 54
Sapientia 36 *quid* 4 *quarum rerum cognitione conſtet* 4
in Scholas duplicem errorem inuaſiſſe 1
nihil ſe Scire cur veteres philoſophi dixerint 4
Scientia 36.53 *vnde* 44
Senſa & Senſus 52
Senſus hebetes & tardi 44
Socrates 3
Socrates Academicorum parens 31
Socrates cõtra Sophiſtas 4
Socrates omnium ſapientiſſimus 32
Socratis diſſimulatio 32
Socratis ignorãtia qualis 4
Socratis interrogationes ad eruendam veritatem 6
Socratis philoſophia 29
Socraticus diſputãdi mos 31

Socratica diſputatio 3
Sophiſtæ diſcipulos opinionibus aſtringere ſoliti 6
Sophiſtarũ arrogantiam quomodo Socrates repreſſerit 4.6
Sophiſtarum impudentia 6
Species 42
Speuſippus 3 *Platonis ſucceſſor* 30
Stoici 6 *à quo* 22 *cur tam multi* 11
Strato Lampſacenus 46
Stratonicus Metrodorus 3
Summum bonum 35
in voluptate iuxta Epicureos 23
Summi boni definitio 36
Sus Mineruam 32
Suſpicio 54
συγκατάθεσις 5
Syllogiſmi apodictici & dialectici 44
T
Talæi & Rami ſtudium in erudienda iuuentute 1
τέλος 35
Temeritas 54
Temeritate nihil turpius 57
Temperantia 36
Tempus 41 42
M. Terentius Varro Antiochiarum partium ſtudioſus 16
Theophraſtus antea Tirtamus dictus 46
θεὸς *vnde* 42
Thetys 45
Timæus Platonis 8
Triumuirûm de Ramo ſententia 13
τύχη 42
V
Mar. Varro Academicus 23
M. Varronis inſtitutum 24 *libri de diuinis rebus & humanis, item de Poetis* 26 *ſatyræ Menippeæ* 25
Verborum notatio 40
Veriſimile ſequuntur Academici 3.14
Veritas 36
Veritas in profundo demerſa 54
de Veritatis iudicio Protagoræ, Platonis & Epicuri contentio 5
in Veritatis examine Ciceronis ſtudium 8
Veritatis iudicium ſenſibus nõ conuenire 43
Veritatẽ in profundo eſſe demerſam 4
Veritatem diſputationibus contrariis maximè elucere 8
Veteres Academici 2.3
Viciſſitudines rerum 42
Virtutis definitio 36
Virtutis genera duo. ibid.
Virtutis vis 49
ad Virtutis ſtudium cohortator Socrates 32
in Virtute ſola vita beata iuxta Zenonem 48
Virtutes actionis 36
Virtutum diuiſio 49
Viſus 51.52
Viſus definitio 52.53
Viſorum duo genera ibid.
Viſio ibid.
Vitæ breuitas 56
Vocabula externa in Latium irrepſiſſe 40
Voluptas contra naturam hominis 37
Voluptas ſummum bonũ, iuxta Epicureos 23
Voluptatibus homines in pecudum vitam degenerare 24
Vrbanus 40
X
Xenocrates 2
Y
ὑς τὴν ἀθηνᾶν 33
Z
Zeno quam partem dialecticæ ſecutus ſit 52
Zeno Cittieus Stoicorum princeps 48
à Zenone triplex correctio facta de moribus 50

Index eorum quæ in Lucullo tractantur.

Academicus ſapiens qualis ſit in philoſopha 157
Academicæ inſtitutionis totius ſumma 161
ἀκατάληπτος 109
ἀκατάληπτον 87
Aculei 130
ἀδιαφορία 147.150

ἄδηλον 87
Albinus hiſtoriam Rom. Græcè ſcripſit 157
Alcmeon 121
Alexandria 70
Alexinus 113
Anaxagoras 112. 141
Anaxagoras res omnes confundebat 126
Anaxagoræ & Democriti opinio de luna 147
Anaximander 147
Anaximander Mileſius 141
Anaximenes 147
Anaximenes Mileſius 141
Andromacha 78
Animæ partes tres eſſe Plato affirmat 104. 147
Antiochus 137. 154
Antiochus vnde 109
Antiopa 78
Antipater 134
Antipodas eſſe multi authores confirmãt 147
ἀπάθεια 150
Aqua principium rerum 141
Ariſtippus 153
Ariſtippus duos fontes inſtituit 160
Ariſto Chius 147. 150
Ariſtoneorum ſecta 150
Aulus Albinus 157
ab Auguris ſimilitudo 126

B

Bauli 68

C

Calor, fons vitæ 142
Centaurus ibid.
Chryſippus 113. 134. 157. 158
Chryſippus Solenſis 113
Chryſippea dialectica 125. 126
Cimmerij 103
Cimmericas fundere tenebras 103
Cleanthes 109. 113. 134
Cicero diſputat nullam ineſſe ſapientiã in philoſophia morali 160
Cæruleus color 331
Color purpureus ibid.
Communi loco defendere 115
Crantor Solenſis 154
Critiæ ſententia de animo 148
Cyrenaicorum authoritas 113

D

Defendere loco communi 115
Delos 101
Democritus 112. 146
Democriti & Anaxagoræ opinio de luna 147
Democriti ſtulta confictio de imaginibus 148
Democriti ſapientia de animo 148
Deus, principium 141
Dialectica 125
Dicæarchus 147
δηλόω 101
Diodorus cognomẽto Cronis 113
Diodorus Stoicus 137
Diogenes 134
Diogenis ſententia de animo 148
Dionyſius Heracleotes 109
δογματικοί 84
Dolor & voluptas 153. 160

E

Eminentia 78
Empedocles 142. 147
ἔννοιαι 85
ἐπέχω 102
ἐφεκτικοί 84
Epicurus vnde 109
Epicuro quãtus Sol videatur 116
in Epicurum apoſtrophe 147
ἐποχή 102. 131
Eretriaca ſecta 150
Euryſtheus 121
Exemplum de ſignis ſimilibus 119
ab Exemplis ſpecialibus argumentum 118
Exordium 105
Exules ciues 161

F

Flauus color 131
Furioſi ciues 161
de Furioſis exempla 121

G

Galeni ſententia de anima 147
Grammatica 126

H

Halicætus 116
Heraclides Ponticus 147
Heracliti ſententia de animo 148
Heraclito ignis videtur eſſe principium 142
Hercules 121. 134
Herilliorum ſecta 150
Herphantes Pythagoreus 147
Hipponis ſententia de animo 148

Homines quintæ claſsis 113
Hydra 134

I

Ignis,principium 142
Inſani ciues 161
Inteſtinus timor 96
Locus in Carneadem & Diogenem 157
Ira 154
Iudices integri & ſancti, ſenſus interni 160

K

κατάληψις 78

L

Lacidium 74
Lapitha 142
Lernea palus 134
Liberalitas gratuita ,an mercenaria 157
Linceus 116
Literæ ſacræ quid contineant 147
Locus communis 115
Loco communi defendere ibid.
Lucretius impius 157
Lyſippus Sicyonius 119

M

M.Cl.Marcellus 157
Medicorum tria genera 147
Mediocritas in rebus 154
Megarenſis ſecta 150
Mercator 112
Moralis virtus 154
de Moribus quæſtio 150
Myrmecides ſtatuarius 142
Myſteria 102

N

Nicol.Copernicus 147

O

Oblatus timor 96
Oceanus 141
Oculorum imbecillitas 116.
ὁμοιομέρεια 141
Operarij homines prompti ad ſcelus & maleficium 161
Opifices vrbani ibid.
nihil tam ſimile Ouo, quàm ouum 101

P

Panætius Rhodius 134
Paradoxa Stoica & Antiochea 161
Parmenides 142
Parmenidis ſententia 113
Pelles 7
Penelopes, Vlyſsis vxor 126
Pherecrates 147
Philolai ſententia de terra ibid.
Philoſophi inter ſe diſſentientes ibid.
Plato mundum eſſe creatum à Deo facit 142
Poliænus 134
Poſidonius ibid.
Præſtigiator 96
πρόληψις 85
Proſopopœia 101
Protagoras 112
Protagoras res omnes confundebat 126
Protagoræ ineptiæ 160
Prouerbium 102
Purpureus color 131
Pyrrho Elienſis 150
Pyrrhoneorũ ſecta ibid.

Q

Quæſtuoſus homo 112

R

Res in promptu 68
Res integra 68

S

Sacra Cereris & Proſerpinæ 102
Sapientem nihil opinari 161
Sapientẽ nihil ſcire. ibid.
Scientia perfecta 140
Publ.Scipio Naſica 157
Seditioſus & furioſus Tribunus 161
Senſus rerum indices, nõ iudices 131
Senſus interni,integri et ſancti iudices 160
Serui ciues 161
Seruius Tullus 113
quomodo Socrates ratiocinatur 157
Socrates nihil affirmans 147
Socratis ſententia 160. 161
Socratis ſententia de Deo 150
Socraticus vnde 109
Sophiſta 96.97
Stilpo Megarenſis 113
Stoici credunt mundum cœleſti prouidẽtia regi 142
Stoici putant ignẽ mundum deflagraturum ibid.
Stratonis authoritas 102

T

Talpæ 116
Thales 147
Thales Mileſius 141
Tuditanus 121

V

an Veritatem eo percipere poſsimus, quò eſſentiam non percipimus 160.161

I

Viri boni, deorum amici 157
Virtus moralis 154
Viſorum partitio duplex 153
Vitam fortuna regit, nō ſapientia 159
Vmbræ 78
Voluptas & dolor 153. 160
de Voluptate & virtute qualem deliberationē ſcripſerit Xenophon 157

X

Xenocratis ſententia de animo 148
Xenophanes Colophonius 141
Xenophanis ſententia de terra 147
Xenophontis deliberatio de voluptate & virtute 157
Xyſtus 68

Z

Zeno 134
Zeno dicebat neminem eſſe conſulem niſi ſapientem 157
cur Zeno ſapientem regem appellauerit. ibidem.

FINIS.

M. Tul. Ciceronis de ORATORE AD QVINtum fratrem Dialogi tres,

AVDOMARI TALAEI EXplicationibus illuſtrati.

CAROLO LOTHARINGO CARdinali ampliſſimo Audomarus Talæus S. P. D.

TRes Ciceronis de Oratore dialogos (Carole Lotharinge Cardinalis) prælectionibus noſtris expoſitos, cur in tuo potiſsimùm nomine publicatos eſſe volui, ſi quis requirat, is nec obſeruantiæ erga te meæ, nec oblati muneris rationem vllam habere videbitur. Etenim qui cum Petro Ramo fratre chariſsimo, meiq́ amantiſsimo annos propè iam viginti communione voluntatum, ſtudiorum, fortunarumq́; omnium arctiſsima coniunctus vixerim, poſſumne tua in illum ſingularia beneficia, non in me quoque collata iudicare? Habuit Academia Pariſienſis centum abhinc annis tres magnas de conſtituendis philoſophiæ ſtudiis contentiones: omneſque pro legibus & inſtitutis Academiæ ſuſceptas: nullam tamen Petri Rami contentione neque legibus conuenientiorem, neque authori ſuo moleſtiorem & grauiorem. Prima fuit anno 1473. Ioanne Fanutio Rectore Academiæ, & contentionis eius authore, vt Ariſtotelis libri, non barbarorum Sophiſtarum commentarij in ſcholis prælegerentur. iuſtiſsima etiam temporibus illis poſtulatio pleriſque videbatur, ad eamque regis authoritas acceſſerat: attamen barbaries peruicit, & Academia Pariſienſis Ariſtotele quemuis vel barbarum & ſordidum Sophiſtam commodiorem eſſe iuuentuti, & vtiliorem iudicauit. Secunda contentio authore Iacobo Fabro Picardo Stapulenſi veterem querimoniam renouauit, nec authoritate principũ, ſed magno diuturnæ profeſsionis labore pulſis Sophiſtis Ariſtotelem in ſcholas reduxit, vt legibus imperati & deſcripti libri iuuentuti prælegerentur. Tertiam Petri Rami diligentia induſtriaq́; excitauit, qui magnam quidem laudem Fabro populari ſuo tribueret, quòd Ariſtotelem legendum propoſuiſſet, ſed multò maiorem laudem putaret Ariſtotelis philoſo-

phiam non ſolùm legi, ſed cũ iudicio legi & commodo exerceri, phyſicam rerum phyſicarũ ortus, progreſſus, interitus tractando: ethicam, bene viuendo: logicam, bene diſſerendo, & excellentium hominum conſilia & iudicia cognoſcendo & imitando, cùm præſertim ad eam rem ex inſtitutis Academiæ dies annis ſingulis ducentum & viginti ſeptem omni prælectione philoſophiæ liberi & vacui concedantur. Attamen quamuis hæc contentio tam legitima eſſet, tamque votis omnibus optanda, horribile tamen eſt, inuidiæ tempeſtatem & molem ab vno homine concitatam meminiſſe: imò verò eius librum contra Petri Rami contentionem hanc diuulgatum legere: Ita res veriſsima & vtiliſsima tetris calumniarum tenebris offunditur. Ergo quum tam laudabile Petri Rami ſtudium non ſolùm pro tua ſapientia ab oppreſsionis fraude defenderis, ſed etiam regia profeſsione ornaueris, poſſumne vllis officiorum muneribus debitam tibi obſeruantiam ſatis teſtari, quum te etiam licèt ſummi Francici regni gubernaculis occupatiſsimum, tamẽ honeſtarum & laudatarũ literarũ ſtudiis tam libenter occupari videam? Laudant te huius ampliſsimi regni regiones atq; prouinciæ, cùm tuæ bonitatis & æquitatis auxilio leuantur: at in perpetuũ etiam exteræ gentes laudabunt, quæ pro te non caducum fortunæ aut corporis aliquem fructum, ſed animi tantùm, támque omnibus mortalibus commune & optabile bonum fuerint affectæ. Ergo vt philoſophiæ ſaltem in aliqua parte non ſolùm veram cognitionem, ſed etiam exercitationem, vſum, vtilitatem, pro viribus nonnihil adiuuarem, & (vt logicis artibus conſilia præſtantium hominum, iudiciaque cognoſcenda ac perſpicienda eſſent) reipſa & exemplo docerem, propoſui mihi tres Oratorios Ciceronis dialogos, in quibus quum viderem ſeorſum inuentionis, diſpoſitionis, memoriæ nomine non longè alias artes (ſi genera ſpectes) quàm quæ Ariſtotelis Topicis & Analyticis continentur, inſtitui: elocutionis item ſeparatim & actionis nomine veram rhetoricam definiri, Petri Rami quæſtiones Brutinas, & rhetoricas diſtinctiones imitatus, omnibus partibus præcipuè id vnum elaboraui, vt duarum artium diſtinctionem perpetuò retinerem: præcepta tantùm neceſſaria, cognata, propria probarem, contraria notarem, ordinẽ & methodum locis omnibus exquirerem: vt rhetorica & logica præceptis & regulis diſtinctæ à pueris & facilius ediſcerentur, & vtilius exercerentur, qui duo ſummi ſunt in diſciplinis fructus ſingulariter & vnicè ſpectandi. In cæteris etiam intelligentiæ neceſſariis partibus, rerum hiſtoria, verborum interpretatione, quamuis à ſuperioribus Interpretibus ſtudioſè tractatæ ſint, nullam tamen negligentiam noſtram accuſare volui. Quare hæc erit in Oratoriis hiſce tribus libris & logica luce clarioribus effectis, vtilitas: ſed enim etſi commoditas in diſtinctis artibus tanta non eſſet, tamen eſſet in ipſarum tractatione artium differendi dicendique exemplum tam illuſtre propoſitum, vt vel ob eam cauſſam vnicam

nicam totum volumen ad verbum pueris ediſcendum eſſe iudicem. Iouem philoſophi dicebant, ſi Græcè loqui vellet, non alio ſermone quàm Platonis vſurum: at verò tanto iuſtius dicam Iouem, ſi de re vlla cum alio deo differere & colloqui vellet, non aliis quàm Ciceronis dialogis & colloquiis vſurum, quantò Romana ciuitas Athenienſi ciuitate maior, Scæuolaque & Craſſus & Antonius maiores Gorgia, Protagora, & reliquis Platonicis perſonis fuêre: Tantus eſt in perſonis ipſis decor, tanta in ſermone cuiuſque dignitas, tanta in omni tractatione rerum & verborum moderatio & confirmatio, vt nihil mirum ſit, quod ait Guarinus, repertis primùm Ciceronis de Oratore libris, eloquentiam, quæ tot annos ſepulta iacuerat, reuixiſſe: horum ſiquidem librorum vel exemplis ſolis magnus orator poſsit effici. Quamobrem vigilias noſtras, quibus tanti operis & τεχνολογίαν diſtinguere, & tractationem illuſtrare conati ſumus, cui potius offeram quàm Petri Rami, quàm etiam meo Mecœnati, imò quàm Academiæ Rhemenſis fundatori, quàm Pariſienſis regio tutori, quàm omnium liberalium artium vnico patrono ac ſingulari?

IN MARCI TVLLII CICERONIS LIBROS DE ORATORE AUDOMARI TALÆI EXPLICATIONES.

Cicero tribus Oratorijs dialogis ſcholas & diſputationes duorum dierum inſtituit, vt ex initio primi & tertij libri conſtat. Primus liber continet Academicum ſermonem vnius diei conſumptum in contentione de varia & multiplici definitione oratoris, vbi Licinius Craſſus M. Tullij Ciceronis ſententiam explicat de perfecto oratore, cui non ſolùm Rhetoricam, ſed omnium artium eruditionem & doctrinam tribuit, vt de rebus omnibus ſcienter & ornatè poſſit dicere. Antonius defendit ſententiam Q. Ciceronis de vulgari & mediocri oratore, cui detracta tot artium ſcientia & cognitione, mediocrem tantùm prudentiam & exercitationem in cauſſis forenſibus relinquit. Q. Mutius Scæuola ſenex adeſt quaſi ſermonis author & moderator. Publ. Sulpitius & Caius Cotta adoleſcentes auditores, & tanquam diſcipuli tribus illis magiſtris adhibentur. Secundus liber habet alterius diei matutinum ſermonem, in quo Antonius tres artes prudentiæ à Græcis acceptas, inuentionem, diſpoſitionem, & memoriam, multò magnificentius & aptius ad vſum forenſem tractat, quàm fuerant à Græcis hominibus expoſitæ. Tertius pomeridianam Craſſi diſputationē explicat, de elocutione & pronuntiatione. Qui quidem ſermo, quamuis ab illis Romanis hominibus, quos Cicero inducit, nunquam habitus fuerit, tamen aptè fingitur ad gratiam & dignitatem huius oratoriæ diſputationis: Genus enim ſermonum poſitum in hominum veterum authoritate plus neſcio quo modo videtur habere grauitatis: & quidem datur ea dialogis venia, (vt de ſuis Academicis teſtatur Cicero) Puto, inquit, fore, mireris, quum legeris id nos locutos eſſe inter nos, quod nunquam locuti ſumus: ſed noſti morem dialogorum. Atque vt primi libri contentio de Oratore è libris Græcorum hominum ſumpta eſſe videtur, vt Carneadis, Clitomachi, Critolai, Diodori, Mneſarchi, Apollonij, Menedemi, qui ibi obiter citantur, ex Phædro etiam & Gorgia Platonis, ita ſecundi & tertij τεχνολογία Ariſtotelica & Iſocratica eſt. Hos dialogos Cicero diu multumq́ in manibus habuit, vt ſcribit in epiſtola ad Atticum: tandemq́ elimatos & expolitos edidit, L. Domitio Ænobarbo & Appio Claudio Pulchro Coſſ. quo anno M. Craſſus diues profectus eſt ad bellum Parthicum, ſicut nos ex eadem epiſtola poſſumus augurari, qui annus fuit ab Vrbe condita ſeptingenteſimus, à Conſulatu autem Ciceronis nonus.

[Margin: Cic. in Lælio.] [Margin: Lib. 9. Epiſtol. famil.] [Margin: Lib. 4.]

M. Tul. Ciceronis ad QVINTVM FRATREM de Oratore Liber I.

[1] COgitanti mihi ſæpenumero, & memoriã vetera repetenti, perbeati fuiſſe, Quinte frater, illi videri ſolent, qui in optima Republica cùm & honoribus & rerum geſtarum gloria florerent, eum vitæ curſum tenere potuerunt, vt vel in negotio ſine periculo, vel in otio cum dignitate eſſe poſſent. [2] Ac fuit tempus illud cùm mihi quoq; initium requieſcendi, atq; animum ad vtriuſq; noſtrum præclara ſtudia referendi, fore iuſtum & propè ab omnibus conceſſum eſſe arbitrarer, ſi infinitus forenſium rerum labor, & ambitionis occupatio [3] decurſu honorũ, etiam ætatis flexu conſtitiſſet. Quam ſpem cogitationum & conſiliorum meorũ, cùm graues communium temporũ, tum varij noſtri caſus fefellerũt. Nam qui locus quietus & tranquillitatis pleniſſimus fore videbatur, in eo maximæ moleſtiarum, & turbulentiſſimæ tempeſtates extiterunt. [4] Neq; verò nobis cupientibus atq; optantibus fructus otij datus eſt ad eas arteis, quibus à pueris dediti fuimus, celebrandas, inter noſq; recolendas. Nam prima ætate incidimus in ipſam perturbationem diſciplinæ veteris: & conſulatu deuenimus in medium rerum omnium certamen atque diſcrimen: & hoc tempus omne poſt Conſulatum, obiecimus ijs fluctibus, qui per nos à communi peſte depulſi, in noſmetipſos redundarunt. [5] Sed tamen in his vel aſperitatibus rerũ, vel anguſtijs

temporis, obſequar ſtudijs noſtris: & quātum mihi vel fraus inimicorum, vel cauſſæ amicorū, vel Reſpub. tribuet otij, ad ſcribendum potiſsimùm conferam. Tibi verò frater, neq; hortanti deero, neq; roganti. Nam neq; authoritate quiſquam apud me plus te valere poteſt, neq; voluntate. [6] Ac mihi repetenda eſt veteris cuiuſdam memoriæ non ſanè ſatis explicata recordatio, ſed, vt arbitror, apta ad id quod requiris, vt cognoſcas, quæ viri omnium eloquentiſsimi clariſsimiq; ſenſerint de omni ratione dicendi. [7] Vis enim, vt mihi ſæpe dixiſti, quoniam quædam pueris aut adoleſcentulis nobis ex Commentariolis noſtris inchoata atq; rudia exciderunt, vix hac ætate digna, & hoc vſu quem ex cauſsis, quas diximus, tot tantisq; conſecuti ſumus, aliquid ijſdem de rebus politius à nobis perfectiusq; proferri: [8] ſolesq; nonnunquam hac de re à me in diſputationibus noſtris diſſentire, quòd ego eruditiſsimorum hominum artibus eloquentiam contineri ſtatuam: tu autem illam ab elegantia doctrinæ ſegregandam putes, & in quodam ingenij atq; exercitationis genere ponendam. [9] Ac mihi quidem ſæpenumero in ſummos homines, ac ſummis ingenijs præditos intuenti, quærēdum eſſe viſum eſt, [10] quid eſſet cur plures in omnib. artibus quàm in dicendo admirabiles extitiſſent. nam quocūq; te animo & cogitatione conuerteris, permultos excellentes in quoq; genere videbis, nō mediocrium artium, ſed propè maximarū. [11] Quis enim eſt, qui ſi clarorum hominum ſcientiam, rerum geſtarum, vel vtilitate vel magnitudine metiri velit, non anteponat oratori imperatorem? Quis autem dubitet, quin belli duces ex hac vna ciuitate præſtantiſsimos penè innumerabiles, in dicendo autem excellentes vix paucos proferre poſsimus? [12] Iam verò conſilio ac ſapientia qui regere ac gubernare

Rempu-

Rempublicam poſſent, multi noſtra, plures patrum memoria, atq; etiam maiorum extiterunt: [13] quum boni perdiu nulli, vix autem ſingulis ætatibus ſinguli tolerabiles oratores inuenirentur. [14] Ac ne quis fortè cum alijs ſtudijs, quæ reconditis in artibus, atq; in quadam varietate literarum verſentur, magis hanc dicendi rationem, quàm cum imperatoris laude, aut cum boni ſenatoris prudentia comparandam putet, conuertat animum, & ea ipſa artium genera circumſpiciat, quiq; in ijs floruerint, quamq; multi ſint facillimè quanta oratorum ſit, ſemperq; fuerit paucitas, iudicabit. [15] Neq; enim te fugit, laudandarum artium omnium procreatricem quandam, & quaſi parentem, eam quam φιλοσοφίαν Græci vocant, ab hominibus doctiſſimis iudicari. In qua difficile eſt enumerare quot viri, quanta ſcientia, quantaq; in ſuis ſtudijs varietate & copia fuerint, qui non aliqua in re vna ſeparatim elaborarint, ſed omnia quæcunque eſſent, vel ſcientiæ perueſtigatione, vel diſſerendi ratione comprehenderint. [16] Quis ignorat, ij qui Mathematici vocantur, quanta in obſcuritate rerum, & quàm recondita in arte, & multiplici ſubtiliq; verſentur? quo tamen in genere ita multi perfecti homines extiterunt, vt nemo ferè ſtuduiſſe ei ſcientiæ vehementius videatur, quin quod voluerit, cōſecutus ſit. [17] Quis Muſicis? quis huic ſtudio literarū quod profitentur ij, qui Grammatici vocantur, penitus ſe dedit, quin omnem illarum artium penè infinitam vim & materiam ſcientia & cognitione comprehenderit? [18] Verè mihi hoc videor eſſe dicturus, ex omnibus ijs, qui in harum artium ſtudijs liberaliſſimis ſint doctrinisq; verſati, minimam copiam Poetarum egregiorum extitiſſe: atque in hoc ipſo numero, in quo perraro exoritur aliquis excellens, ſi di-

ligenter & ex noſtrorũ & Græcorum copia comparare voles, multò tamen pauciores oratores quàm poetæ boni reperientur. [19] *Quod hoc etiam mirabilius debet videri, quia cæterarum artium ſtudia ferè reconditis atque abditis è fontibus hauriuntur: dicendi autem omnis ratio in medio poſita, communi quodam in vſu, atque in hominum more & ſermone verſatur: vt in cæteris id maximè excellat, quod longiſſimè ſit ab imperitorum intelligentia ſenſuq́; diſiunctum: in dicendo autem vitium vel maximum ſit, à vulgari genere orationis, atque à cõſuetudine communis ſenſus abhorrere.* [20] *Ac ne illud quidem verè dici poteſt, aut plures cæteris artibus inſeruire, aut maiore delectatione, aut ſpe vberiore, aut præmijs ad perdiſcendum amplioribus commoueri. Atque vt omittam Græciam, quæ ſemper eloquentiæ princeps eſſe voluit, atque illas omnium doctrinarum inuentrices Athenas, in quibus ſumma dicendi vis & inuenta eſt, & perfecta: in hac ipſa ciuitate profectò nulla vnquam vehementius quàm eloquentiæ ſtudia viguerunt. Nam poſteaquam imperio omnium gentium conſtituto, diuturnitas pacis otium confirmauit, nemo ferè laudis cupidus adoleſcens non ſibi ad dicendum ſtudio omni enitendum putauit.* [21] *Ac primò quidem totius rationis ignari,* [22] *qui neq; exercitationis vllam viã, neq; aliquod præceptum artis eſſe arbitrarentur, tantum quantum ingenio & cogitatione poterant, conſequebantur. Poſt autem auditis oratoribus Græcis, cognitisq́; eorum literis, adhibitisq́; doctoribus, incredibili quodam noſtri homines dicendi ſtudio flagrauerunt. Excitabat eos magnitudo & varietas multitudoq́; in omni genere cauſſarum, vt ad eam doctrinam, quam ſuo quiſq; ſtudio conſecutus eſſet, adiungeretur vſus frequẽs, qui*

omnium

omnium magiſtrorū præcepta ſuperaret. [23] Erant autem huic ſtudio maxima, quæ nunc quoq; ſunt, propoſita præmia, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem. Ingenia verò (vt multis rebus poſſumus iudicare) noſtrorum hominum, multùm cæteris hominibus omnium gentium præſtiterunt. [24] Quibus de cauſſis quis non iure miretur, ex omni memoria ætatum, temporum, ciuitatum, tam exiguum oratorum numerū inueniri? Sed nimirū maius eſt hoc quiddam, quàm homines opinantur, & pluribus ex artibus ſtudijsq; collectum. Quis enim aliud in maxima diſcentium multitudine, ſumma magiſtrorum copia, præſtantiſsimis hominum ingenijs, infinita cauſſarum varietate, ampliſsimis eloquentiæ propoſitis præmijs, eſſe cauſſæ putet, niſi rei quandam incredibilem magnitudinem ac difficultatem? [25] Eſt enim & ſcientia comprehēdenda rerum plurimarum, ſine qua verborum volubilitas inanis atq; irridenda eſt: & ipſa oratio conformanda non ſolùm electione, ſed etiam conſtructione verborum: & omnes animorū motus, quos hominum generi rerum natura tribuit, penitùs pernoſcendi: quòd omnis vis ratioq; dicendi, in eorum qui audiunt, mentibus aut ſedandis aut excitandis exprimenda eſt. Accedat eódem oportet lepos quidam, facetiæq; & eruditio libero digna, celeritasq; & breuitas & reſpondendi & laceſſendi, ſubtili venuſtate atq; vrbanitate coniuncta. Tenenda præterea eſt omnis antiquitas, exemplorumq; vis: neq; legum aut iuris ciuilis ſcientia negligenda eſt. Nam quid ego de actione ipſa plura dicam? quæ motu corporis, quæ geſtu, quæ vultu, quæ vocis conformatione ac varietate moderanda eſt: quæ ſola per ſe ipſa quanta ſit, hiſtrionum leuis ars & ſcena declarat: in qua cùm omnes in oris & vocis & motus moderatio-

ne elaborent, quis ignorat quàm pauci ſint, fuerintq́, quos animo æquo ſpectare poſſimus? Quid dicam de theſauro rerum omnium memoria? quæ niſi cuſtos inuentis cogitatisq́ rebus & verbis adhibeatur, intelligimus, omnia, etiãſi præclariſſima fuerint in oratore, peritura. [26] *Quamobrem mirari deſinamus, quæ cauſſa ſit eloquentium paucitatis, cùm ex ijs rebus vniuerſis eloquentia conſtet, quibus in ſingulis elaborare permagnum eſt: hortemurq́ potius liberos noſtros, cæterosq́, quorum gloria nobis & dignitas chara eſt, vt animo rei magnitudinem complectantur: neque ijs aut præceptis, aut magiſtris, aut exercitationibus, quibus vtuntur omnes, ſed alijs quibuſdam ſe id quod expetunt, conſequi poſſe cõfidant.* [27] *Ac mea quidem ſententia, nemo poterit eſſe omni laude cumulatus orator, niſi erit omnium rerum magnarum atq́ artium ſcientiam conſecutus. Etenim ex rerum cognitione efflorescat & redundet oportet oratio: quæ, niſi ſubeſt res ab oratore percepta & cognita, inanem quandam habet elocutionem, & penè puerilem.* [28] *Neque verò ego hoc tantùm oneris imponam noſtris præſertim oratoribus, in hac tanta occupatione Vrbis ac vitæ, nihil vt ijs putem licere neſcire: quanquam vis oratoris, profeſſioq́ ipſa bene dicendi, hoc ſuſcipere ac polliceri videtur, vt omni de re, quæcunq́ ſit propoſita, ab eo ornatè copioſeq́ dicatur. Sed quia non dubito, quin hoc pleriſque immenſum infinitumq́ videatur, & quòd Græcos homines non ſolùm ingenio & doctrina, ſed etiam otio ſtudioq́ abundantes, partitionẽ quandam artium feciſſe video, neque in vniuerſo genere ſingulos elaboraſſe,* [29] *ſed ſepoſuiſſe à cæteris dictionibus eam partem dicendi, quæ in forenſibus diſceptationibus iudiciorum, aut deliberationum verſaretur, & id vnum genus Oratori reliquiſſe:*

reliquiſſe: non complectar in his libris amplius quàm quod huic generi re quæſita, & multùm diſputata, ſummorum hominum propè conſenſu eſt tributum: repetamq́ non ab incunabulis noſtræ veteris puerilisq́ doctrinæ quendam ordinem præceptorum, ſed ea quæ quondam accepi in noſtrorum hominum eloquentiſsimorum, & omni dignitate principum diſputatione eſſe verſata, non quòd illa contemnam quæ Græci dicendi artifices & doctores reliquerūt: ſed cùm illa pateant, in promptuq́ ſint omnibus, neq́ ea interpretatione mea aut ornatius explicari, aut planius exprimi poſſint: dabis hanc veniam, mi frater, vt opinor, vt eorum quibus ſumma dicendi laus à noſtris hominibus conceſſa eſt, authoritatem Græcis anteponam.

1 Exordium hoc caſu Ciceronis præfatur, & cauſſas huius inſtitutæ ſcriptionis & eloquentiæ magnitudinem & difficultatem: tandemq́ue innuit doctiſſimis hominibus Romanis locum fore in proximo dialogo: Cicero igitur commemorat primùm ſuam in Repub. aduerſam fortunam. Syllogiſmus eſt ſimplex ſecundi generis:

> Ciues in Republica beati poſt adeptam rerum geſtarum gloriam aut in negotio tuto, aut in otio honeſto viuunt:
>
> Cicero perfunctus magna cum gloria honoribus publicis nec in negotio tuto, nec in otio honeſto viuere potuit:
>
> Cicero igitur perfunctus honoribus Reipub. ciuis beatus non fuit.

Propoſitio præcedit, in qua duæ ſpecies beatitudinis comprehenduntur, vna in negotio & actione, altera in otio & contemplatione rerum: ſed Cicero neutram probat, ſi vel actioni periculum, vel otio & contemplationi ignobilitas & obſcuritas vitæ adiuncta fuerit. quæ ſententia eſt Ariſtotelis, qui in Ethicis virum bonum, licèt omni virtute præditum, ſi inciderit in calamitates Priami, aut dignitate vitæ careat, beatum eſſe non putat. 2 Prima pars aſſumptionis declaratur à repugnantibus:

> Cicero communibus & priuatis temporum ſuorum moleſtiis & tempeſtatibus iactatus fuit:
>
> In negotiis igitur publicis ſine periculo verſatus non eſt.

3 Allegoria ducitur à ludis Circenſibus, in quibus aurigæ currum ad metam flectunt, ne illic offendāt. & decurſo ſpatio conſiſtunt. Redditio ſimilitudinis duplex intelligitur, vna de honoris decurſu, altera de ætatis flexu: quaſi Cicero per omnes honorum gradus ad ingraueſcentis, & ad ſenectutem ſeſe inflectentis ætatis otium cum dignitate coniunctum peruenire contenderit: quo tamen beatitudinis fructu ipſe priuatus fuit. 4 Secunda pars aſſumptionis de tranquillo otio & ſtudio literarum, quo Cicero caruit, illuſtratur enumeratione partium vitæ, in quibus tranquillum nihil habuit. Cicero enim circa annum ætatis ſuæ viceſimum quintum ſub Sylla ſtipendia meruit, quo tempore tanta fuit perturbatio veteris diſciplinæ, vt ſalus & dignitas Reipubl. in perpetuum ſublata videre-

tur: & incidit in maximos motus, quos repreſſit in orationibus de lege Agraria, de Liberis proſcriptorum,& aduerſus Catilinam: & poſt Conſulatum, quum ini micitias cum Cæſare, Vatinio, Clodio gereret, Clodiana factione victus, & in exi lium pulſus eſt. 5 Omiſſa ſyllogiſmi concluſione, captatur occaſio commentationis oratoriæ cùm ab otio, quod Cicero ſuffuratur, tum ab authoritate Quin ti fratris, à quo inuitatur ad ſcribendum. 6 Generalis eſt propoſitio totius diſputationis,& dialogi de oratore: Repetenda eſt(inquit) recordatio rei quondam perceptæ & auditæ, non ſatis explicata & approbata, ſed inter doctiſſimos ho mines Craſſum & Antonium controuerſa, & addubitata de ratione dicendi.

7 Argumentum Quinti fratris ſumitur ex diſſimili factorum collatione, Ci cero olim adoleſcentulus rudes commentarios de Ratione dicendi ædidit, vix iam Ciceronis fama & celebritate ſatis dignos: Nunc igitur operæpretium eſt, vt ipſe ætate & doctrina & rerum vſu iudicioque prouectus, politos magis & eru ditos proferat. Rudes illi & pueriles commentarij ſunt duo libri de Rhetorica inuentione, quibus velut magiſtrorum ſuorum dictata complexus eſt, ideoque cul
Lib. 3. pari tanquam falſa præcipiat, non poteſt, vt ait Fabius. His autem libros de Oratore ſubſtituit, omnium ſanè (ſi dictionis elegantiam ſpectes) magnificentiſſimos & ornatiſſimos, in quibus, vt Phidias in Ioue Olympio ſummè elaborauit, ſic orator ipſe quicquid habuit eloquentiæ & humanitatis exprimere voluit: de
Libro 13. ad Atticum. quibus quid ipſe ſentiat, in Epiſtolis ita ſcribit, Sunt etiam de Oratore noſtri tres mihi vehementer probati: in eis quoque hæ perſonæ ſunt, vt mihi tacendum fue rit: Craſſus enim loquitur, Antonius, Catulus ſenex, C. Iulius frater Catuli, Cotta, Sulpitius. puero me hic ſermo inducitur, vt nullæ eſſe poſſint partes meæ.
Libro 4. ad Atticum. Item, De libris oratoriis factum eſt à me diligenter: diu multumque in manibus fuerunt, deſcribas licet. Et ad Lentulum, Scripſi etiam Academico more,
Lib. Epiſtol. famil. 1. quemadmodum quidem volui, tres libros in diſputatione & dialogo de Oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles: abhorrent enim à communibus præceptis,& omnem antiquorum,& Ariſtotelicam & Iſocraticam rationem oratoriam cóplectuntur. 8 Primus dialogus de Oratore diuiditur in duas quæſtiones de duplici oratoris definitione: Craſſus enim perſonam M. Ciceronis ſuſtinebit,& oratorem perfectum omnibus magnis artibus definiet. Scæuola & Antonius qui defendent partes Q. Ciceronis, non tantam artium perfectionem tribuent oratori, ſed communem quandam prudentiam & exercitationem in ciuilibus cauſſis: ſed tamen neque illo, neque hoc modo rectè definietur Orator, vt opportunè in ſingulis capitibus oſtendemus. 9 Cicero reliqua parte procemij explicat ſuam ſententiam de oratore,& eloquentia perfecta, ſicut fecit in oratore perfecto, & in perſona Craſſi facturus eſt in his dialogis: vtturque gradatione quæſtionum & argumentorum: Pauciores homines eloquentia, quàm reliquis artibus floruerunt, quia eloquentia difficilis eſt: eloquentia autem difficilis eſt, quia multis rebus & artibus conſtat. Nos verò cauſſam paucitatis huius ad homines referre debemus, qui olim magis aliis ſtudiis, quàm forenſibus litibus dediti eſſent, non ad eloquentiæ forenſis difficultatem, quia ſi in cæteris artibus talem perfectionem fingere volumus, qualem Cicero in eloquentia comminiſcitur, tam difficile eſt inuenire Poëtam perfectum, aut philoſophum perfectum, aut imperatorem perfectum, quàm oratorem: præſertim cùm ſinguli hac commentitia definiendi ratione ἐγκυκλοπαιδίαν omnium artium ad perfectionem ſuæ laudis requirant. Cùm igitur Cicero perfectos Imperatores, perfectos poëtas, perfectos philoſophos multos, oratores autem perfectos paucos admodum fuiſſe dicat, ego profectò ſi quis me cauſſam rogaret, ita reſponderem, priſcis temporibus plures homines aliis artibus, quàm eloquentiæ forenſi ſtuduiſſe: & idcircò plures poëtica aut philoſophica, aut imperatoria laude præſtitiſſe, quàm forenſi & oratoria. 10 Prima quæſtio (quòd pauci quidem oratores, multi verò in cæteris artibus excellentes fuerunt) diſputatur ex loco diſtribu-

diſtributionis,per genera quædam artium,vt militaris,philoſophicæ,ciuilis,mathematicæ, muſicæ, grammaticæ, poeticæ. 11 Primus diuiſionis locus eſt de militari ſcientia, vbi multitudo Imperatorum Romanorum confertur cum excellentium oratorum paucitate. 12 Secundus locus eſt de ciuili ſcientia, quæ verſatur in adminiſtratione Reipubl.vbi ſimiliter numerus bonorum oratorum vincitur à numero excellentium rectorũ & principum. 13 In Bruto licèt multos oratores Cicero laudauerit, partim vt hortaretur ſuos ad eloquentiæ ſtudiũ, partim etiam quòd ſuos amaret, tamen ad extremum illius dialogi concludit vix ſingulis ætatibus binos oratores laudabiles extitiſſe. 14 Tranſit à duabus Reipub.diſciplinis ad reconditiores,quæ vocantur liberales & ingenuæ,quarum præcepta continẽt abſtruſam ſcientiam,& à communi ſenſu vulgi remotam: Tertio igitur loco philoſophi excellentes comparantur oratoribus,vt multi cum paucis. 15 Philoſophiam vocat laudandarum artium procreatricem, quia philoſophi artes & diſciplinas ingenuas inuenerunt, & in lucem protulerunt, vt de Academicis ait: Ex eorum ſcriptis & inſtitutis cùm omnis doctrina liberalis, omnis *Lib. de Finibus 5.* hiſtoria,omnis ſermo elegans ſumi poteſt,tum varietas artium tanta eſt,vt nemo ſine eo inſtrumento ad vllam rem illuſtriorem ſatis ornatus poſſit accedere. ab his oratores, ab his Imperatores, ac rerumpublicarum rectores extiterunt: &, vt ad maiora veniam,Mathematici,Poëtæ,Muſici,Medici denique ex hac tanquam omnium artium officina profecti ſunt. 16 Quartus locus eſt de Mathematicis artibus, Arithmetica, Geometria, Aſtrologia, quæ prima perdiu & ſolæ artes fuerunt ab Hebræis primùm inuentæ & celebratæ, deinde ab Aegyptiis & Græcis,his præſertim,qui Pythagorei & Phyſici dicebantur, vſque ad tempora Socratis. 17 Quintus locus de Muſica & Grammatica ſequitur,quarum artium Cicero infinitam vim & materiam eſſe dicit, quia in muſicis infinita genera ſonorum gignuntur,& in grammaticis infinita genera animaduerſionum ſunt, circa *ἀναλογίαν* & phraſin verborum, quæ infinitè variantur. 18 Sextus locus de Poëtis illuſtratur collatione minorum: pauci fuerunt excellentes Poëtæ: at pauciores longè fuerunt oratores. 19 Auget admirationem paucitatis à diſſimilibus,quòd multæ artes obſcuræ ſint, eloquentia verò tota popularis: verùm talis diſtinctio ad eloquentiam forenſem accommodanda eſt,quæ verbis & ſententiis popularibus diſputat ciuiles controuerſias,non ad generalem, quæ non ſolùm ciuilibus cauſſis,ſed omnibus artibus & diſputationibus elegantiam communiter impertit,qua vera & germana ſignificatione Hiſtorici,Poëtæ,Philoſophi,qui ornatè ſcribunt, Oratores appellantur: & Academici veteres, qui philoſophiam de moribus & rebus occultis ornatè & copioſè tractarunt, tam verè nomen & laudem oratoris ſuſtinent,quàm cauſidici & actores litium forenſium. Itaq; ſi propriam & legitimam eloquentiæ notionem ſequamur,hæc diſſimilibus minimè quadrabit: quia Plato cùm in Timæo de rebus obſcuris, & ab intelligentia communi remotis eleganter & ornatè ſcribit,non minus orator & eloquens appellandus eſt,quàm Demoſthenes,cùm agit cauſſam Cteſiphontis. 20 Prolepſis eſt de tribus cauſſis, quibus oratorum paucitas excuſari poſſit, quòd aut ſtudium, aut delectatio, aut præmia eloquentiæ defuerint, & propterea hanc artem pauci homines ſecuti fuerint,tanquam iniucundam & infructuoſam: ſed harum cauſſarum prima & ſecunda confutantur exemplis Athenienſium & Romanorum. Quòd autem ait Athenas fuiſſe omnium doctrinarum inuentrices, ex communi ſuorum opinione loquitur,qui propter ignorationem vetuſtatis exiſtimabant Athenis omnes artes & diſciplinas natas fuiſſe,quia illic docerentur: cùm tamen veteres annales loquantur Chaldæos,Hebræos,Aegyptios,primos artium inuentores fuiſſe,à quibus Græci omnem ſuam ſapientiam acceperunt. 21 Illuſtrat ſtudij rationem tribus eloquentiæ cauſſis,natura,doctrina,& exercitatione: quarum nulla Romanis adoleſcentibus defuit, qui conſtituto Romano imperio aciem ingeniorum ſuorum ab externis armis ad domeſticas lites conuerterunt,&

adhibitis Græcis doctoribus,artem litigandi, id eſt, eloquentiam forenſem ſtudioſè didicerunt: & qui in ſole & puluere contra hoſtem gladiis & telis pugnabant,parto otio nouum genus certaminis in foro & ſenatu lingua & verbis inſtituerunt. 22 Suetonius Rhetoricam non ſolùm Romæ ſerò receptam eſſe, ſed aliquando prohibitam exerceri ſcribit, vt Strabone & Meſſala Conſulibus,& Licinio Craſſo Cenſore, qui edicto ſuo Rhetoras expulit: poſtea verò & ipſa vtilis honeſtaque apparuit, & plerique eam præſidij & gloriæ cauſſa appetiuerunt.

23 Partitur mercedem ſtudiis eloquentiæ propoſitam in tria quaſi genera, gratiam,opes,dignitatem: de quibus lege Ciceronem lib.2.de Offic. 24 Epiphonema eſt ad augendam admirationẽ tantæ paucitatis,& ſolutio primæ quæſtionis, Cur tam pauci fuerunt oratores? quia eloquentia res eſt difficilis: quod approbatur epilogo ſuperiorum argumentorum. 25 Eloquentiæ difficultas item intelligi poteſt ex his partibus,ex quibus Cicero eam cõſtare putat. Verùm vt ſententia Ciceronis qualis ſit,diligentius animaduertatur,orationem de natura & perfectione eloquentiæ paulò altius repetamus. Omnes artes ſuis & propriis præceptis tradi debent,ſic,vt vitioſiſſimum ſit quicquam vlla in arte ex aliis artibus confundere & permiſcere: atque vt grammaticæ nihil præter etymologiam,orthographiam,ſyntaxin,proſodiam tribuitur, quia hæ ſolæ eius artis partes & virtutes ſunt: ſic eloquentia nihil ſibi præter elocutionem & actionem vendicare debet,quia in his ſolis omnis ornatus & dignitas orationis verſatur. eloquentiæ autem nomine rhetores duas ſignificationes conturbant, aliàs prudentiam quandam in ciuilibus cauſſis ornatè & copioſè tractandis intelligunt, quæ quidem vna & ſpecialis ars,& à cæteris diſtincta nõ eſt, ſed ex multis artibus conflata,Grammaticis,Rhetoricis,Phyſicis,Dialecticis,Ethicis,& reliquis: quæ ſi partes eſſent eloquẽtiæ illius ciuilis,æquum erat, vt in Rhetorum præceptis omnes traderentur: quod tamen non faciunt:& idcircò ciuilis huius eloquentiæ perfectam artem non tradunt: aliàs eloquentiam definiunt: quaſi ſingularem artem, & à cæteris diſtinctam: cui partes quinque ſubiiciunt,Inuentionem,Diſpoſitionem,Elocutionem,Memoriam & Actionem: vbi dialecticam, cuius propriæ partes ſunt Inuentio, Diſpoſitio & Memoria non ſolùm alieno loco cum Rhetorica confundunt,ſed præceptis etiam non ſatis idoneis inſtituunt,vt in partibus ipſis diſputabitur. Eloquentiæ igitur vera propriaque doctrina cùm in elocutione & actione tota ſit,eius quoque perfectio in his partibus tota erit: perfectio enim & finis artium ex ipſarum artium virtute eſt, nõ ex rebus alienis extrinſecùs dependet: itaque perfectior erit orator,qui ſuæ artis, id eſt, elocutionis & actionis vim conſequutus erit, qui etiam ſi reliquas artes teneat, homo quidẽ multis virtutibus inſtructior erit, perfectior orator nõ erit. 26 Generalis eſt concluſio propoſitæ quæſtionis,vbi denuò difficultas eloquentiæ augetur à diſſimilibus:ꝙ nõ puerilibus Rhetorum præceptis & exercitationibus,ſed multis arduis rebus comparatur: vt doctrina plurimarum artium,elocutione in verbis ſingulis & coniunctis,ratione mouẽdorum affectuum, facetiis,hiſtoria,iuris ciuilis ſcientia, actione,memoria: quæ omnia quin homini politico, & ei quidem homini, qui ſit in Republ.conſilio linguaque princeps, neceſſaria eſſe dicantur, non impedio: ſin autem eloquentiæ partes fecerimus,ſicuti Cicero facit,videndum eſt ne plus eloquentiæ tribuamus,quàm artis eius & diſciplinæ natura ferre poſſit,& oratorem ridiculum informemus non modò ſuis & propriis, ſed multò magis alienis pennis (inſtar Horatianæ cornicis) indutum & coloratum: nam de tam multis plumis,duæ tantùm ſunt oratoris propriæ, Elocutio & Actio: reliquas orator ementitur ſuas: denique tam abſurdum eſſe iudico,hiſtoriam,philoſophiàm,iuris ciuilis ſcientiam,membra Rhetoricæ artis appellare,quàm Grammaticæ. 27 Hæc ſententia Ciceronis plenius in hoc libro explicatur in Dialogo & in oratione L. Craſſi. Statuit igitur ad perfectionẽ oratoris neceſſariam eſſe rerum ſcientiam, quòd ſine hac elocutio ridicula ſit. Quo tamen argumento non concludit re-

rum

rum ſcientiam magis eloquentiæ propriam eſſe, quàm eloquentiam ſcientiæ rerum: vt enim elocutio ſine rerum ſcientia irridetur, ſic rerum ſcientia ſine elocutione. 28 Prolepſis eſt contra proximam oratoris informationem. Infinitum eſt omnia velle ſcire, & Græci Rhetores eloquentiam tantùm in ciuili materia poſuerunt: cui ita reſpondet, vt proponat rationem futuri ſermonis, quem fingit olim à doctiſſimis hominibus habitum de oratore, atque ita ſub alienis perſonis de opere ſuo promittit, illud videlicet fore præſtantiſſimum, & Græcorum ſcriptis & præceptis multò excellentius, quaſi Cicero tacitè quidem, ſed ita tamen, vt facilè intelligas, glorietur ſe vt dicendi, ita ſcribendi & diſputandi palmam ſcriptoribus Græcis auferre. 29 Pulſis è Sicilia tyrannis, vt ait Cicero, cùm ſinguli iudicio res ſuas repeterent, Tyſias & Corax artem litigandi verius quàm bene dicendi docere cœperunt, quam Rhetoricam nomine quidem parum apto & idoneo vocarunt, eamq́ue totam poſuerunt in tractandis ciuilibus cauſſis: cùm tamen generalior ſit Rhetorica verè & legitimè tradita: quam primâ viam, quamuis diſtortam & plenam erroris Ariſtoteles & poſteri in Rhetoricis libris ſecuti ſunt, vnde vitioſa eloquentiæ deſcriptio nata eſt, & artium in hac vna arte varia confuſio. *In Bruto.*

[1] *Cum igitur vehementius inueheretur in cauſſam principum Conſul [2] Philippus, Druſiq; Tribunatus pro ſenatus authoritate ſuſceptus, infringi iam ac debilitari videretur, dici nemini, [3] ludorum Romanorum diebus Luc. Craſſum quaſi colligendi ſui cauſſa ſe in Tuſculanum contuliſſe. veniſſe eòdem ſocer eius, qui fuerat, Q. Mutius dicebatur, & M. Antonius, homo & conſiliorum in Republ. ſocius, & ſumma cum Craſſo familiaritate coniunctus. Exierant autem cum ipſo Craſſo duo adoleſcentes & Druſi maximè familiares, & in quibus magnam tum ſpem maiores natu dignitatis ſuæ collocarãt, C. Cotta, qui tum Tribunatum pleb. petebat, & P. Sulpitius, qui deinceps eum magiſtratum petiturus putabatur. [4] Hi primo die de temporibus illis, deq; vniuerſa Republ. quam ob cauſſam venerant, multum inter ſe vſq; ad extremum tempus diei collocuti ſunt: quo quidem in ſermone multa diuinitùs à tribus illis Conſularibus [5] Cotta deplorata & commemorata narrabat, vt nihil incidiſſet poſtea ciuitati mali, quod nõ impendere illi tanto antè vidiſſent. Eo autem omni ſermone confecto, tantam in Craſſo humanitatem fuiſſe, vt cùm lauti accubuiſſent, tolle-*

retur omnis illa ſuperioris triſtitia ſermonis, eaq; eſſet in homine iucunditas, & tantus in iocando lepos, vt dies inter eos Curiæ fuiſſe videretur, conuiuium Tuſculani. [6] *Poſtero autem die quum illi maiores natu ſatis quieſſent, in ambulationem ventum eſſe dicebat: tum Scæuolam duobus ſpatijs tribúſue factis dixiſſe, Cur non imitamur, Craſſe, Socratem illum qui eſt in Phædro Platonis? nam me hæc tua platanus admonuit, quæ non minus ad opacandum hunc locum patulis eſt diffuſa ramis, quàm illa, cuius vmbram ſecutus eſt Socrates: quæ mihi videntur non tam ipſa aquula, quæ deſcribitur, quàm Platonis oratione creuiſſe.* [7] *Sed quod ille duriſſimis pedibus fecit, vt ſe abijceret in herbam, atq; ita illa quæ Philoſophi diuinitùs ferunt eſſe dicta, loqueretur: id meis pedibus certè concedi eſt æquius. Tum Craſſum, Imò verò commodius etiam, puluinoſq; popoſciſſe, & omnes in ijs ſedibus, quæ erant ſub platano, conſediſſe dicebat. Ibi, vt ex priſtino ſermone relaxarentur animi omnium, ſolebat Cotta narrare, Craſſum ſermonẽ quendam de ſtudio dicendi intuliſſe: qui cùm ita eſſet exorſus,* [8] *Non ſibi cohortandum Sulpitium & Cottam, ſed magis vtrumq; collaudandum videri, quòd tantam iam eſſent facultatem adepti, vt non æqualibus ſuis ſolùm anteponerentur, ſed cum maioribus natu compararentur:* [9] *Neque verò mihi quicquam, inquit, præſtabilius videtur, quàm poſſe dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere quò velis, vnde autem velis, deducere.* [10] *Hæc vna res in omni libero populo, maximeq; in pacatis tranquilliſq; ciuitatibus præcipuè ſemper floruit, ſempérque dominata eſt. Quid enim eſt aut tam admirabile, quàm ex infinita multitudine hominum exiſtere vnum, qui id quod omnibus na*

tura

tura ſit datum, vel ſolus, vel cum paucis facere poßit? aut tam iniucundum cognitu atque auditu, quàm ſapientißimis ſententijs, grauibusq; verbis ornata oratio & perpolita? aut tam potens, tamq; magnificum, quàm populi motus, iudicum religiones, ſenatus grauitatem, vnius oratione conuerti? [11] *Quid tam porrò regium, tam liberale, tam munificum, quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in ciuitate? Quid autem tam neceſſarium,* [12] *quàm tenere ſemper arma, quibus vel tectus ipſe eſſe poßis, vel prouocare improbos, vel te vlciſci laceßitus?* [13] *Age verò, ne ſemper forũ, ſubſellia, roſtra, curiamq; mediteris, quid eſſe poteſt in otio aut iucundius, aut magis proprium humanitatis, quàm ſermo facetus, ac nulla in re rudis? Hoc enim vno præſtamus vel maximè feris, quòd colloquimur inter nos, & quòd exprimere dicendo ſenſa poſſumus. Quamobrem quis hoc non iure miretur, ſummeq; in eo elaborandum eſſe arbitretur, vt quo vno homines maximè beſtijs præſtant, in hoc hominibus ipſis antecellat?* [14] *Ut verò iam ad illa ſumma veniamus, quæ vis alia potuit aut diſperſos homines vnum in locum congregare, aut à fera agreſtiq; vita ad hũc humanum cultum ciuilemq; deducere, aut iam conſtitutis ciuitatibus, leges, iudicia, iura deſcribere? Ac ne plura, quæ ſunt penè innumerabilia, conſecter, comprehendam breui.* [15] *Sic enim ſtatuo, perfecti oratoris moderatione & ſapientia non ſolùm ipſius dignitatem, ſed & priuatorum plurimorum & vniuerſæ Reipub. ſalutem maximè contineri. Quamobrem pergite, vt facitis, adoleſcẽtes, atq; in id ſtudium, in quo eſtis, incumbite, vt & vobis honori, & amicis vtilitati, & Reipub. emolumento eſſe poßitis.* [16] *Tum Scæuola comiter,*

vt ſolebat, Cætera, inquit, aſſentior Craſſo, ne aut [17] *C. Lælij ſoceri mei, aut de huius generi aut arte, aut gloria detrahã: ſed illa duo, Craſſe, vereor vt tibi poſſim cõcedere: Vnũ, quòd ab oratoribus ciuitates & ab initio conſtitutas, & ſæpe conſeruatas eſſe dixiſti. Alterum, quòd remoto foro, concione, iudicijs, ſenatu, ſtatuiſti oratorem in omni genere ſermonis & humanitatis eſſe perfectum.* [18] *Quis enim tibi hoc conceſſerit, aut initio genus hominum in montibus ac ſyluis diſſipatum, non prudentum conſilijs compulſum potius, quàm diſertorum oratione delinitum, ſe oppidis mœnibusq́ ſepſiſſe? aut verò reliquas vtilitates aut inſtituendis, aut conſeruandis ciuitatibus, non à ſapientibus & fortibus viris, ſed à diſertis ornateq́ dicentibus eſſe conſtitutas?* [19] *An verò tibi Romulus ille aut paſtores & conuenas congregaſſe, aut Sabinorum connubia coniunxiſſe, aut finitimorum vim repreſſiſſe eloquentia videtur, non conſilio & ſapientia ſingulari? Quid in Numa Pompilio? quid in Seruio Tullo? quid in cæteris Regibus? quorum multa ſunt eximia ad conſtituendam Rempubl. num quod eloquentiæ veſtigium apparet? Quid exactis Regibus, tametſi ipſam exactionem mente, non lingua perfectam L. Bruti eſſe cernimus. Sed deinceps omnia nónne plena conſiliorum, inania verborũ videmus?* [20] *Ego verò ſi velim & noſtræ ciuitatis exemplis vti, & aliarum, plura proferre poſſim detrimẽta publicis rebus, quàm adiumenta per homines eloquentiſſimos importata. Sed vt reliqua prætermittam, omnium mihi videor, exceptis, Craſſe, vobis duobus, eloquentiſſimos audiſſe Tiberium & C. Sempronios: quorum pater homo prudens & grauis, haudquaquam eloquens, & ſæpe aliàs, & maximè Cenſor, ſaluti Reipub. fuit: atq́ is non accurata quadam orationis*

copia,

copia, ſed nutu atq; verbo libertinos in vrbanas tribus tranſtulit. quod niſi feciſſet, Rempubl. quam nunc vix tenemus, iam diu nullam haberemus. At verò eius filij diſerti, & omnibus vel naturæ, vel doctrinæ præſidijs ad dicendum parati, cùm ciuitatem vel paterno conſilio, vel auitis armis florentiſſimam accepiſſent, iſta præclara gubernatrice (vt ais) ciuitatum eloquentia Rempub. diſſipauerunt. [21] *Quid leges veteres, moresq; maiorum: quid auſpicia, quibus & ego, & tu Craſſe, cum magna Reipub. ſalute præſumus: quid religiones & cerimoniæ: quid hæc iura ciuilia, quæ iampridem in noſtra familia ſine vlla eloquentiæ laude verſantur: num aut inueta ſunt, aut cognita, aut omnino ab oratorum genere tractata? Equidem & Seruium Galbam memoria teneo diuinum hominem in dicẽdo, & M. Aemilium Porcinam, & Cn. ipſum Carbonem, quem tu adoleſcẽtulus perpuliſti, ignarum legum, hæſitantem in maiorum inſtitutis, rudem in iure ciuili. Et hæc ætas noſtra, præter te, Craſſe, qui tuo magis ſtudio, quàm proprio munere aliquo diſertorum, ius à nobis ciuile didiciſti, quod interdum pudeat, iuris ignara eſt.* [22] *Quod verò in extrema oratione quaſi tuo iure ſumpſiſti, oratorem in omnis ſermonis diſputatione copioſiſſimè poſſe verſari, id, niſi hîc in tuo regno eſſemus, non tuliſſem: multisq; præeſſem, qui aut interdicto tecum contenderent,* [23] *aut te ex iure manu conſertum vocarent, quòd in alienas poſſeſſiones tam temerè irruiſſes.* [24] *Agerent enim tecum lege primùm Pythagorei omnes, atq; Democritici, cæteriq; in ſuo genere Phyſici: vindicarentq; ornati homines in dicendo & graues, quibuſcum tibi iuſto ſacramento contendere non liceret.* [25] *Urgerent præterea philoſophorum greges, iam ab illo fonte & capite Socrate: nihil te de bonis*

rebus in vita, nihil de malis, nihil de animi permotionibus, nihil de hominum moribus, nihil de ratione vitæ didiciſſe, nihil omnino quæſiſſe, nihil ſcire conuincerent: & cùm vniuerſi in te impetum feciſſent, tum ſingulæ familiæ litem tibi intenderent. Inſtaret Academia, quæ quicquid dixiſſes, id te ipſum negare cogeret. [26] *Stoici verò noſtri diſputationum ſuarum atq; interrogationum laqueis te irretitum tenerent.* [27] *Peripatetici autem hæc ipſa, quæ propria oratorum putas eſſe, adiumenta atq; ornamenta dicendi, ab ſe peti vincerent oportere: ac nõ ſolum meliora, ſed etiam multò plura Ariſtotelem Theophraſtumq; de his rebus, quàm omnes dicendi magiſtros, ſcripſiſſe oſtenderent.* [28] *Miſſos facio Mathematicos, Grammaticos, Muſicos, quorum artibus veſtra iſta dicendi vis ne minima quidem ſocietate coniungitur.* [29] *Quamobrem iſta tanta tamq; multa profitenda, Craſſe, non cenſeo: ſatis id eſt magnum, quod potes præſtare, vt in iudiciis ea cauſſa, quamcunq; tu dicis, melior & probabilior eſſe videatur: vt in concionibus, vt in ſententiis dicendis, ad perſuadendum tua plurimùm valeat oratio: deniq; vt prudentibus diſertè, ſtultis etiam verè dicere videaris. Hoc amplius ſi quid poteris, non id mihi videbitur orator, ſed Craſſus ſua quadam propria, non communi oratorum facultate poſſe.*

1 Hactenus generale totius operis exordium fuit: deinceps ſequitur apparatus proxim. dialogi ex occaſione perſonarũ, temporis & loci: Craſſus enim cum familiaribus ſuis exit ex vrbe recreandi animi gratia: & tempus fingitur vacuum à publicis negotiis: & Tuſculanum eligitur, locus quietus & pacatus. 2 L. Marius Philippus Conſul fuit cum Iulio Cæſare anno Vrbis conditæ 663. qui cùm legem à Liuio Druſo Tribuno pleb. pernicioſa largitione latam, vt iudicia penes ſenatum & equeſtrem ordinem ex æqua parte eſſent, improbaret, inuectus eſt in concione populi Romani in cauſſam principum, dixitque ſibi eſſe videndum aliud conſilium, illo ſenatu Rempublicam regere non poſſe, vt ait Cicero. *In Proœmio libri 3.*
3 Ludi Romani etiam Megalenſes dicti ſunt, id eſt, magnis diis conſecrati, & Scenici & Circenſes, quos tum M. Marcellus faciebat, vt paulò pòſt ait Craſſus. Cogebat me M. Marcellus hic noſter, qui nunc ædilis Curulis eſt: & profectò niſi lu-

ſi ludos nunc faceret, huic noſtro ſermoni intereſſet. 4 Sermo primi diei fuit de Republica, in quo laudatur prudentia trium perſonarum in proſpiciendis caſibus futuris: & eo perfecto ſermone laudatur etiam inter cœnadum vrbanitas Craſſi. 5 Quamuis C. Cotta per equitum inuidiam depulſus Tribunatu, & eiectus ciuitate fuerit, poſtea tamen rediit Romam, & geſſit Conſulatum: Potuit igitur Cicero à Cotta de his ſermonibus inaudiſſe: vel certè (quod veriſimilius eſt) Cicero id ipſum ad diſputationis huius dignitatem & grauitatem confingit.
6 Scæuola ſecundo loco ad imitationem Platonici Socratis locum oratorio ſermoni congruum deligit ſub platano, quæ erat in hortis Craſſi: Socrates enim diſputaturus cum Phædro exiit Athenis, vt trans Iliſſum fluuium æſtiuam platani vmbram ſequeretur: Νὴ τὴν ἥραν, καλή γ' ἡ καταγωγή, ἥ τε γὰρ πλάτανος αὕτη μάλα ἀμφιλαφής τε καὶ ὑψηλή· τοῦ τε ἄγνου τὸ ὕψος καὶ τὸ σύσκιον πάγκαλον, καὶ ὡς ἀκμὴν ἔχει τῆς ἄνθης, ὡς ἂν εὐωδέστατον παρέχοι τὸν τόπον, ἥ γε αὖ πηγὴ χαριεστάτη ὑπὸ τῆς πλατάνου ῥεῖ, μάλα ψυχροῦ ὕδατος, ὥς γε τῷ ποδὶ τεκμήρασθαι, νυμφῶν τε τινῶν καὶ Ἀχελῴου ἱερὸν ἀπὸ τῶν κορῶν τε καὶ ἀγαλμάτων ἔοικεν εἶναι, εἰ δ' αὖ βούλει τὸ εὔπνουν τοῦ τόπου, ὡς ἀγαπητόν τε, καὶ σφόδρα ἡδὺ, θερινόν τε, καὶ λιγυρὸν ὑπηχεῖ τῷ τῶν τεττίγων χορῷ, πάντων δὲ κομψότατον τὸ τῆς πόας ὅτι ἐν ἠρέμα προσάντει ἱκανὴ πέφυκε κατακλινέντι τὴν κεφαλὴν παγκάλως ἔχειν, ὥς τε ἄριστά σοι ἐξενάγηται, ὦ φίλε φαῖδρε. Per Iunonem quidem pulcherrimum diuerticulum· hæc enim platanus eſt admodum patulis diffuſa ramis, & procera, & altitudo viticis opacitasque perpulchra, & tanquam vigorem floris habet, adeò vt florentiſſimum locum efficiat: fons quoque gratiſſimus ſub platano fluit aquæ val de frigidæ, vt ex tactu pedis licèt conijcere, nymphisque nonnullis, & Acheloo ſacrum eſſe apparet ex puppis & imaginibus. quòd ſi voluptate duceris, perflatus eſt locus, itaque & amabilis, & valde ſuauis, æſtiuusque & canorus reſonat cicadarum choro, ſed omnium pulcherrimum eſt ipſa herba, quòd ſenſim in accliui prato caput hominis molliter accumbentis parata ſit excipere, itaque abs te exceptus ſum, ô amice Phædre. Hæc Socrates. Platanus autem ἀπὸ τοῦ πλάτους, id eſt, latitudine dicitur, quia latè ſuos ſpargit ramos, cuius non eſt alia commendatio, quàm quòd æſtate Solem arceat, & hyeme admittat, vt ait Plinius. 7 Scæ uola vtitur collatione minorum, Socrates (ait) duriſſimis pedibus quæſiuit herbam, vbi cum Phædro quieſceret: quantò igitur æquius eſt nobis mollioribus & delicatioribus herbam ſub pedibus concedi? Socrates (vt ait Gellius) ſtare ſolitus dicitur pertinaci ſtatu perdius & pernox, à ſummo lucis ortu ad Solem alterum orientem inconniuens, immobilis, iiſdem in veſtigiis, ore & oculis in eundem locum directis, cogitabundus tanquam quodam ſeceſſu mentis atque animi facto à corpore. 8 Primus L. Craſſi ſermo cohortationem continet ad eloquentiæ ſtudium ex variis eloquentiç laudibus, vbi eloquentię nomine ciuilem quandam facultatem in cauſſis agendis intelligit, eloquentiam propriam & veram ex elocutione & actione non diſtinguit, cuius laudes iſtæ propriæ nõ eſſent, ſed multarum artium & virtutum communes: nam etſi excellens actor cauſſarum forenſium hæc omnia efficit, quæ L. Craſſus longa oratione proſequitur, non tamen ſola & propria facultate eloquẽtiæ efficit hæc omnia, ſed multarum aliarum artium & virtutum muneribus & officiis quibus eſt ornatus: etenim vir ille politicus, quẽ Craſſus tam magnificè laudat, non ſolùm eloquens eſt, ſed vir multarum præterea artium peritus, multisque excellentibus animi virtutibus inſtructus. Itaque quòd dicendo tenet hominum cœtus, quòd populi, iudicum, ſenatus mentes oratione conuertit, quòd dat ſalutem afflictus, quòd diſperſos homines vnum in locum congregat, & ad humanitatem inſtituit, id aſſequitur non ſola verborum elegantia, & actionis dignitate, quæ ſolæ ſunt oratoris & eloquen

Lib. 12. cap. 1

Lib. 2.

tiæ virtutes propriæ, ſed iuſtitia,prudentia,fortitudine humanitate, authoritate,
& ſententiarum,quæ ex diuerſis artibus promuntur,grauitate & pondere: præte-
rea etiam dialectica in inueniendis & diſponẽdis rationibus ad confirmandum
vel refellendum facultate, & ſcientia, quas tot artes & virtutes homini politico
qui verſetur in magnis cauſſis & negotiis, apprimè vtiles eſſe fateor, ſed tamen
eos inſcienter facere contendo, qui laudes aliarum artium & virtutum in vnam
ſolam eloquentiam deriuant: & quòd diſertus cauſidicus multarum artium viri-
bus adiutus,in dicendo præſtat,eum ſola eloquentiæ vi, & facultate præſtare te-
merè & inconſideratè confirmãt, nec ſatis animaduertunt,quid cuique arti pro-
priè tribuendum ſit: quod perinde eſt, ac ſi quis volens grammaticum laudare,
dixerit hunc ferre opem multis,& connubia inſtituere: quorum tamen alterum
humanitati,alterum beneuolentiæ charitatiq́; tribuendum eſt,non arti & ſcien-
tiæ grammaticæ: qua quidem ignoratione & inſcitia diſtinguendi rerum gene-
ra & proprietates, plerique homines ſæpe falſas & alienas laudes tum perſonis,
tum rebus ipſis affingunt. 9 Primus locus laudis ſumitur ex tribus officiis o-
ratoris, id eſt,hominis politici, & actoris cauſſarum ciuilium, quæ ſunt docere,
delectare,mouere in foro,& cauſſis ciuilibus. 10 Secundus locus illuſtratur fa
cultate excellentis oratoris & orationis dignitate, in rebus & verbis,& triplici ge-
nere auditorum,populi in roſtris,iudicum in foro,ſenatus in curia: quorũ men-
tes & animos eloquentia regit & gubernat: exemplum potes ex Cicerone ſume-
re,qui nullam ferè cauſſam vel ad populum,vel ad iudices,vel in ſenatu egit,quin
quod voluerit,dicendo & perſuadendo conſecutus fuerit. 11 Tertius locus ex
officiis oratoris,per quaſdam ſpecies iuſtitiæ diuiſis & diſtinctis. 12 Allegoria
eſt à gladiis & armis militum,quibus eloquentia ciuilis comparatur: quia quan
tum valet in bello ferrum,vt ait Demetrius,tantum valet in Republica oratio: il-
Plutarch.in lic enim res viribus geritur,hic perſuaſione: vnde Pyrrhus dicebat Cyneam lega
Apophteg. tum plures vrbes oratione ſubegiſſe, quàm Rex ipſe cepiſſet armis. 13 Dedu-
cit eloquentiæ laudes à ciuilibus cauſſis, ad priuatum otium, vbi dicendi virtus
etiam elucet: quartus igitur locus amplificatur à circunſtantiis. Syllogiſmus eſt
ſimplex primi generis:

Virtus,qua homines præſtant beſtiis, diſcenda à nobis eſt,vt etiam reli
quis hominibus antecellamus:

Eloquentia eſt virtus,qua homines præſtant beſtiis:

Eloquentia igitur eſt diſcenda à nobis, vt etiam reliquis hominibus
antecellamus.

14 Quintus locus ex aliis eloquentiæ factis ducitur, quæ ſunt,vrbem condi-
diſſe, homines ad humanitatem inſtituiſſe, Rempublicam legibus ornaſſe, quæ
quidem eloquentiæ propria non ſunt, ſed cum prudentia & aliis artibus com-
Tuſcul 5. munia: & Cicero laudes iſtas tribuit Philoſophiæ,ſicut Horatius Poetis. 15 Po
In arte Poe- ſtremum argumentum ex adiunctis auctis collatione minorum. 16 Scæuola
tica. ſenior primo loco inducitur aduerſus orationem Licinij Craſſi,qui magnificè e-
loquentiæ vim laudauit: nec tamẽ omnibus laudationis argumentis reſiſtit, ſed
tantùm quarto & quinto, quòd non orator debeat eſſe in omni genere eruditio-
nis perfectus,nec ab oratore ciuitates conditæ & conſeruatæ fuerint. vbi præpo-
ſterus ordo ſeruatur,priusq́ue refellitur quintum argumentum, & quartum po-
ſteriùs. 17 C.Lælius,qui & ſapiens & eloquens dictus & habitus eſt, Læliam
filiam maiorem natu Q.Mutio Scæuolæ in matrimonium dedit, isq́ue dicendi
In Bruto. gloria floruit,ſicut Africanus bellica laude: vide Ciceronem. Licinius autẽ Craſ
ſus Liciniam filiam Scæuolæ vxorem duxit. Itaque Scæuola gener C.Lælij, &
ſocer Licinij Craſſi fuit. 18 Quintum argumentum Luc.Craſſi in tria quaſi
membra diuiditur, quorum vnum fuit de conditis, alterum de conſeruatis per
oratores ciuitatibus,tertium de legibus deſcriptis: quorum primum Scæuola re-
fellit à diſſimili cauſſa, quaſi prudentia, non eloquentia, ſummorum hominum
conditæ

conditæ & conſeruatæ ciuitates fuerint:vtraque tamen cauſſa huius effectus eſſe potuit, prudentiam dico & eloquentiam. 19 Exempla ſunt de Romanis Regibus,& L.Bruto primo Conſule,illuſtrata diſſimilibus:

Veteres illi prudentia Rempub.conſtituerunt & conſeruarunt:
Non igitur eloquentia.

Huic iam argumento reſpondimus: exempla diſcutiamus. Romulus interfecto Amulio auunculo ſuo,collectis paſtoribus, Romam condidit, & Aſylum conuenis patefecit: & cùm à finitimis coniugia negarentur, ſimulatis ludis Conſualibus,virgines & mulieres,quæ conuenerant,rapi iuſſit,vnde bella à finitimis illata ſunt,quæ partim repreſſit,partim icto fœdere pacauit. Numa Pompilius ſacra & ceremonias, quæ ad religionem pertinerent, Romæ primus inſtituit. Tullus Hoſtilius domuit Albanos, Ancus Martius amplificauit vrbem, Tarquinius Priſcus ludos inſtituit, & ornamenta militiæ reperit. Seruius Tullus populum diſtribuit in claſſes. Tarquinius Superbus fundamenta Capitolij iecit. Brutus primus Conſul Tarquinios,ob illatum Lucretiæ ſtuprum,vrbe & regno expulit.de quibus omnibus lege Liuium. 20 Scæuola item refellit ſeparatim ſecundum membrum quinti argumenti,de conſeruatione ciuitatum,ex factis oratorum:q ab his plura detrimenta publicis rebus importata ſint: quod probatur exemplis duorum Gracchorum, quibus diſſimile T.Gracchi patris exemplum præponitur. T.Gracchus ſine eloquentia Reipub.ſalutaris fuit: Tiberius & Caius Gracchi ſumma eloquentia præditi ſuadendis legibus Agrariis, authores ciuilis ſeditionis extiterunt: quod tamen eloquentiæ vitium non magis eſt, quàm eſſet gladij, ſi quis armatus gladio hominem interfeciſſe argueretur. Eloquentia enim eſt inſtrumentum quoddam, quo bene & male quis vti poſſit. de Gracchorum eloquentia & ſeditionibus vide Plutarchum. 21 Tertium argumenti quinti membrum de legum deſcriptione refellitur item à diſſimili, quòd leges à prudentibus,non ab eloquentibus inuentæ, & cognitæ,& explicatæ ſunt: idque Scæuola declarat exemplis oratorum, Galbæ, Aemilij, Carbonis, & aliorum multorum, qui ſummi oratores fuerunt ſine legum ſcientia. Sergius Galba grandis & penè tragicus orator,fuit ingenio acri & incitato,cuius tamen illa mens, quæ viua voce ſpirabat,in ſcriptis elanguit. M.Aemilius Lepidus, qui eſt dictus Porcina,iiſdem temporibus fuit,quibus Galba:ſed paulò minor natu,& ſummus orator habitus eſt:& fuit (vt apparet ex eius orationibus)ſcriptor ſanè bonus.Cn.Papyrius Carbo aptus turbulentis concionibus, quem Craſſus admodum adoleſcens accuſauit,vnde ſummam ingenij non modò laudem,ſed etiam admirationem eſt conſecutus. 22 Scæuola confutat quartum argumentum Craſſi, quo ſtatuebat oratorem in omni genere orationis eſſe perfectum, probatque artes oratori ſubiectas non eſſe,inductione facta per ſpecies. Philoſophia naturalis non eſt oratoris,neque Ethica,neque Mathematica,neque Muſica, neque Grammatica,eademque eſt ratio de cæteris artibus: non igitur oratori reliquarum artium ſcientia ſubiecta eſt. Sed in oratione Scæuola iuris peritus allegoriam perpetuam, quæ ſumitur ex formulis & verbis iuris ciuilis, retinet: alluditque ad improbos homines,qui temerè in alienas poſſeſſiones irruunt,& his oratorem Craſſi comparat,velut illegitimum poſſeſſorem ſuperiorum artium. 23 In lite vindiciarum ex duobus litigantibus, alter alterum ad conſerendum manu in rem, de qua lis eſſet, vocabat, atque ſimul in agrum profecti, aliquid ex eo in ius ad Prætorem deferebant,vt in duabus glebis tanquam in toto agro vindicarent. Cicero pro Muræna veterem formam manu conſerēdi his verbis expreſſit, Fundus qui eſt in agro,qui Sabinus vocatur, meus eſt, eum meum eſſe aio, ibi te ego ex iure manu conſertum voco: tum defenſor ait,Vnde tu me ex iure manu conſertum vocaſti, ibi te reuoco. 24 Primus locus inductionis eſt de phyſicis antiquiſſimis.& primis philoſophis, qui in rerum naturalium inquiſitione & contemplatione verſabantur, quorum duo genera fuerunt, vnum Italicum, quod à

Decad.1.lib. 1. & 2.

Cic.in Bruto.

Pythagora: alterum Ionicum, quod à Thalete duxit originem. de quibus vide Diogenem Laërtium. 25 Secundus locus inductionis eſt de Ethicis philoſophis, quorum fons & caput eſſe dicitur Socrates, idque metaphoricôs, quia ex eo tanquam ex fonte aliquo Philoſophi plurimi defluxerunt, & ex eius philoſophia doctrinam ſuam hauſerunt: Socrates enim primùm philoſophari cœpit de virtutibus & vitiis, cùm ante eum Philoſophi cogitationes & vigilias in inquirendis cauſſis rerum naturalium ponerent. 26 Tertius locus de Dialecticis, Academicis, & Stoicis, quorum vtrique in ea parte philoſophiæ, quæ dialectica appellatur, maximè elaborarunt, & ſtudioſiſſimè ſe ipſos exercuerũt. Mos autem Academiæ fuit aduerſari ſemper in diſputando, qui profectus à Socrate, repetitus ab Arceſila, confirmatus à Carneade, ad Ciceronis vſq; viguit ætatem. Stoici verò in diſputando ſubtiliſſimi, ad illaqueandum ſimplices & incautos homines, captioſiſſimum genus argumentationis ſecuti ſunt, quem Soritem vocant, additis etiam ad vehemẽtius & acrius vrgendum interrogatiunculis minutis, quibus homines capiuntur, non ſecùs atque feræ plagis & retibus implicatæ. 27 Quartus locus de Rhetorica arte falsò aſſumitur: non enim ſequitur ſi Philoſophi de Rhetorica arte præceperint, vt ea præcepta philoſophiæ propria ſint: Ariſtoteles æmulus Iſocratis, pomeridianis horis artem oratoriam docuit, eamque pluribus libris complexus eſt. Theophraſtus quoque Ariſtotelis diſcipulus de Rhetorica ſcripſit, atque hinc ſtudioſius philoſophi quàm Rhetores, præcipueque Stoicorum & Peripateticorum principes. 28 Quintus locus tres artes inducit, Mathematicam, Grammaticam, & Muſicam, quæ ſunt ab oratoris artibus & exercitationibus remotiſſimæ. 29 Scæuola tandem cõcludit ſublatis de oratoris profeſſione tot artibus & diſciplinis nullam eſſe oratoris propriam, niſi mediocrem quandam facultatem in tractandis cauſſis ciuilibus: quæ quidem Scæuolæ ſententia eſt de homine politico, qui nunc nomine nõ proprio, ſed alieno orator appellatur, cui quidem multæ aliæ artes vtiles ſunt: nulla tamen eſt eius propria, præter hanc forenſem & ciuilem.

Epilogus diſputationis Scæuolæ.

Duo ſunt capita in refutatione Scæuolæ aduerſus Craſſum, vnum de origine & inſtitutis ciuitatum, alterum de artibus oratoris: illud leuiter & Academicè refutatum videtur magis ad eliciendam ex Craſſo reſponſionem, quàm ad aſſeuerationem certæ alicuius ſententiæ, quia ad congregandum agreſtes homines vnum in locum, & ſanciendas in ciuitate leges tam neceſſaria fuit eloquentia, quæ viua voce alliceret, quàm prudentia, quæ quod eſſet rectum & honeſtum, tacita mente cogitaret. Itaque potuit eadem virtus eiuſdem rei cauſſa eſſe: hoc autem alterum rectè & verè cæteras humanitatis artes ab eloquentia diſtinguit, vt Phyſicam, Ethicam, Mathematicam, Grammaticam, Muſicam: nam ſingulæ ſuis propriis & finibus & præceptis definiendæ ſunt: ſed tamen ad extremum nimis anguſtam eloquentiæ & oratoris circumſcriptionem Scæuola facit in materia ciuilium cauſſarum: vt enim Grammatica vitioſè definiretur, ars rectè & emendatè in foro & cauſſis ciuilibus loquendi, & grammaticus vir peritus emendata oratione res ciuiles tractandi, quia facultas & vſus grammaticæ multò latiùs patet, & in Mathematicis, Phyſicis, Ethicis, cunctiſque rebus, quæ puro & proprio ſermone explicantur, etiam cernitur: ita qui oratorem ad ſolas controuerſias ciuiles aſtringit, multò anguſtioribus terminis, quàm par ſit, concludit eloquẽtiam, quæ debet eſſe tam generalis, quàm grammatica.

' Tum ille, Non ſum, inquit, neſcius, Scæuola, iſta inter Græcos dici & diſceptari ſolere. Audiui enim ſummos homines, cùm quæſtor ex Macedonia veniſſem Athenas, florente

rente Academia, vt temporibus illis ferebatur, quòd eam Carneades, & Clitomachus, & Aeſchines obtinebant. Erat etiam Metrodorus, qui cum illis vnà ipſum illum Carneadem diligentius audierat, hominem omnium in dicendo, vt ferebant, acerrimum & copioſiſſimum. Vigebat auditor Panætij illius tui Mneſarchus, & Peripatetici Critolaus & Diodorus. Multi erant præterea præclari in Philoſophia, & nobiles, à quibus omnibus vna penè repelli voce oratorem à gubernaculis ciuitatum, excludi ab omni doctrina, rerumq́ maiorum ſcientia, ac tantùm in iudicia & conciunculas, [2] tanquam in aliquod piſtrinum detrudi & compingi videbam. [3] Sed ego neque illis aſſentiebar, neque harum diſputationum inuentori & principi longè omnium in dicendo grauiſſimo & eloquentiſſimo Platoni, cuius tum Athenis diligentius legi cum Carneade Gorgiam: quo in libro in hoc maximè admirabar Platonem, quòd mihi in oratoribus irridẽdis ipſe eſſe orator ſummus videbatur. [4] Verbi enim controuerſia tandiu torquet Græculos homines, contentionis cupidiores, quàm veritatis. [5] Nam ſi quis hunc ſtatuet eſſe oratorem, qui tantummodo in iure, aut in iudicijs poſſit, aut apud populum, aut in Senatu copioſè loqui, tamen huic ipſi multa tribuat & concedat neceſſe eſt: Neq; enim ſine multa pertractatione omnium Rerump. neque ſine legum, moris, iuris ſcientia, neq; natura hominum incognita, ac moribus, in his ipſis rebus ſatis callidè verſari & peritè poteſt. Qui autem hæc cognouerit, ſine quibus ne illa quidem minima in cauſis quiſquam rectè tueri poteſt, quid huic abeſſe poterit de maximarum rerum ſcientia? [6] Sin oratoris nihil vis eſſe, niſi compoſitè, ornatè, copioſè eloqui: quæro, id ipſum quî poſſit aſſequi ſine ea ſcientia quam ei

non conceditis? Dicendi enim virtus, niſi ei qui dicit, ea de quibus dicit, percepta ſint, extare non poteſt. [7] *Quamobrem ſi ornatè loquutus eſt, ſicut fertur; & mihi videtur, phyſicus ille Democritus, materies illa fuit phyſici, de qua dixit: ornatus verò ipſe verborum, oratoris putandus eſt. Et ſi Plato de rebus à ciuilibus controuerſiis remotiſſimis diuinitùs eſt loquutus, quod ego concedo: ſi item Ariſtoteles, ſi Theophraſtus, ſi Carneades, in rebus iis, de quibus diſputauerunt, eloquentes, & in dicendo ſuaues atq; ornati fuerunt, ſint eæ res, de quibus diſputant, in aliis quibuſdam ſtudiis: oratio quidem ipſa propria eſt huius vnius rationis de qua loquimur & quærimus.* [8] *Etenim videmus iiſdem de rebus ieiunè quoſdam & exiliter, vt eum, quem acutiſſimum ferunt, Chryſippum, diſputauiſſe: neq; ob eam rem philoſophiæ non ſatisfeciſſe, quòd non habuerit hanc dicẽdi ex arte alienam facultatem. Quid ergo intereſt? aut quî diſcernes eorum, quos nominaui, vbertatem in dicendo & copiam, ab eorum exilitate, qui hac dicendi varietate & elegantia non vtuntur? Unum erit profectò, quòd ii qui bene dicunt, afferunt proprium, compoſitam orationem, & ornatam, & artificio quodam & expolitione diſtinctam.* [9] *Hæc autem oratio, ſi res non ſubeſt ab oratore percepta & cognita, aut nulla ſit neceſſe eſt, aut omnium irriſione ludatur. Quid eſt enim tam furioſum, quàm verborum vel optimorum atq; ornatiſſimorum ſonitus inanis, nulla ſubiecta ſententia, nec ſcientia?* [10] *Quicquid erit igitur, quacunq; ex arte, quocunq; de genere, id orator ſi tanquam clientis cauſſam didicerit, dicet melius & ornatius, quàm ille ipſe eius rei inuentor atq; artifex.* [11] *Nam ſi quis erit, qui hoc dicat, eſſe quaſdam oratorum proprias ſententias atq; cauſſas, & quaſi certarum*

rerum forenſibus cancellis circumſcriptam ſcientiam, fatebor equidem in his magis aſſiduè verſari hanc noſtram dictionem: ſed tamen in his ipſis rebus permulta ſunt, quæ iſti magiſtri, qui Rhetorici vocantur, nec tradunt, nec tenent. Quis enim neſcit maximam vim exiſtere oratoris in hominum mentibus vel ad iram, aut odium, aut dolorem incitandis, vel ab hiſce iiſdem permotionibus ad lenitatem miſericordiamq; reuocandis? quæ, niſi qui in naturas hominum, vimq; omnem humanitatis, cauſſasq; eas, quibus mẽtes aut incitantur, aut reflectuntur, penitùs perſpexerit, dicendo, quod volet, perficere non poterit. Atqui totus hic locus, philoſophorum putatur proprius: neq; orator me authore vnquam repugnabit: ſed cùm illis cognitionem rerum conceſſerit, quòd in ea ſolùm illi voluerint elaborare: [12] tractationem orationis, quæ ſine illa ſcientia nulla eſt, ſibi aſſumet. Hoc enim eſt proprium oratoris, quod ſæpe iam dixi, oratio grauis & ornata, & hominum ſenſibus ac mentibus accommodata, [13] quibus de rebus Ariſtotelem & Theophraſtum ſcripſiſſe fateor: ſed vide ne hoc, Scæuola, totum ſit à me: nam ego quæ ſunt oratoris cum illis communia, nõ mutuor ab illis: iſti quæ de his rebus diſputant, oratorum eſſe concedunt. Itaq; cæteros libros, artis iſti ſuæ nomine: hos, rhetoricos & inſcribunt, & appellant. [14] Etenim cùm illi in dicendo inciderint loci (quod perſæpe euenit) vt de diis immortalibus, de pietate, de concordia, de amicitia, de communi ciuium, de hominum, de gentium iure, de æquitate, de temperantia, de magnitudine animi, de omni virtutis genere ſit dicendum, clamabunt, credo, omnia Gymnaſia, atq; omnes Philoſophorum ſcholæ, ſua hæc eſſe omnia propria, nihil omnino ad oratorem pertinere. Quibus ego, vt de his rebus

omnibus in angulis conſumendi otij cauſſa diſſerant, cùm conceſſero, illud tamen oratori tribuam & dabo, vt eadem de quibus illi tenui quodam & exiguo ſermone diſputant, hic cum omni grauitate & iucunditate explicet. [15] *Hæc ego cum ipſis Philoſophis tum Athenis diſſerebam. Cogebat enim me M. Marcellus hic noſter, qui nunc Aedilis Curulis eſt: & profectò niſi ludos nunc faceret, huic noſtro ſermoni intereſſet: ac iam tum erat adoleſcentulus his ſtudijs mirificè deditus.* [16] *Iam verò de legibus inſtituendis, de bello, de pace, de ſocijs, de vectigalibus, de iure ciuium generatim in ordines ætateſq; deſcripto, dicāt vel Græci, ſi volunt,* [17] *Lycurgum aut Solonem (quanquam illos quidem cenſemus in numero eloquentium reponendos) ſciſſe melius quàm* [18] *Hyperidem aut Demoſthenem perfectos iam homines in dicendo, & perpolitos: vel noſtri* [19] *Decemuiros, qui XII. tabulas perſcripſerunt, quos neceſſe eſt fuiſſe prudentes, anteponant in hoc genere &* [20] *Ser. Galbæ, & ſocero tuo C. Lælio, quos conſtat dicendi gloria præſtitiſſe.* [21] *Nunquam enim negabo eſſe quaſdam artes proprias eorum, qui in his cognoſcendis atq; tractandis ſtudium ſuum omne poſuerunt: ſed oratorem plenum atq; perfectum eſſe eum dicam, qui de omnibus rebus poſſit variè copioſeq; dicere. Etenim ſæpe in ijs cauſſis, quas omnes proprias eſſe oratorum confitentur, eſt aliquid quod non ex vſu forenſi, quem ſolum oratoribus conceditis, ſed ex obſcuriore aliqua ſententia ſit promendum & aſſumendum. Quæro enim, num poſſit aut contra imperatorem, aut pro imperatore dici ſine rei militaris vſu, aut ſæpe etiam ſine regionum terreſtrium aut maritimarum ſcientia? Num apud populum de legibus iubendis, aut vetandis, num in Senatu de omni Reipub. genere dici ſine ſumma re-*

rum ciuilium cognitione & prudentia? Num admoueri poſsit oratio ad ſenſus animorum atq; motus vel inflammandos, vel etiam extinguendos (quod vnum in oratore dominatur) ſine diligentiſsima perueſtigatione earum omnium rationum, quæ de naturis humani generis ac moribus à philoſophis explicantur? [22] Atq; haud ſcio an minus hoc vobis ſim probaturus: equidem non dubitabo quod ſentio dicere: Phyſica iſta ipſa, quæ paulò antè, & mathematica, & cæterarum artium propria poſuiſti, ſcientiæ ſunt eorum, qui illa profitentur: illuſtrare autem oratione ſi quis iſtas ipſas artes velit, ad oratoris ei confugiendum eſt facultatem. Neque enim ſi [23] Philonem illum architectum, qui Athenienſibus armamentarium fecit, conſtat perdiſertè populo rationem operis ſui reddidiſſe, exiſtimandum eſt architecti potius artificio diſertum, quàm oratoris fuiſſe. Nec ſi huic M. Antonio pro Hermodoro fuiſſet de naualium opere dicendum, non cùm ab illo cauſſam didiciſſet, ipſe ornatè de alieno artificio copioſéq; dixiſſet. Neq; verò [24] Aſclepiades is, quo nos medico amicoq; vſi ſumus, tum cùm eloquentia vincebat cæteros medicos, in eo ipſo quòd ornatè dicebat, medicinæ facultate vtebatur, non eloquentiæ. [25] Atq; illud eſt probabilius, neque tamen verum, quod Socrates dicere ſolebat, omnes in eo quod ſcirent, ſatis eſſe eloquentes: illud verius, neq; quenquam in eo diſertum eſſe poſſe, quod neſciat: neq;, ſi id optimè ſciat, ignarusq; ſit faciundæ ac poliendæ orationis, diſertè id ipſum poſſe de quo ſciat, dicere. [26] Quamobrem ſi quis vniuerſam & propriam oratoris vim definire complectiq; vult, is orator erit mea ſententia, hoc tam graui dignus nomine, qui, quæcunq; res inciderit, quæ ſit dictione explicanda, prudenter, & compoſitè, & ornatè, & memori

ter dicat cum quadam etiam actionis dignitate. [27] *Sin cuipiam nimis infinitum videtur, quod ita propoſui, quacunq; de re: licèt hinc quantum cuiq; videbitur, circuncidat atq; amputet: tamen illud tenebo, ſi quæ cæteris in artibus aut ſtudijs ſita ſunt, orator ignoret, tantumq́; ea teneat, quæ ſint in diſceptationibus, aut in vſu forenſi, tamē his de rebus ipſis ſi ſit ei dicendum, cùm cognouerit ab ijs, qui tenent, quæ ſit in quaque re, multò oratorem melius, quàm ipſos illos, quorum ea ſunt artes, eſſe dicturum. Ita ſi de re militari dicendum huic erit Sulpitio, quæret à* [28] *C. Mario affini noſtro: & cùm acceperit, ita pronuntiabit, vt ipſi C. Mario penè hic melius, quàm ipſe ille ſcire videatur. Sin de iure ciuili tecum communicabit, teq́; hominem prudentiſſimum & peritiſſimum in ijs ipſis rebus, quas abs te didicerit, dicendi arte ſuperabit. Sin quæ res inciderit, in qua de natura, de vitijs hominum, de cupiditatibus, de modo, de continentia, de dolore, de morte dicendum ſit: forſitan, ſi ei ſit viſum, (& ſi hæc quidem noſſe debet orator)* [29] *cum Sext. Pompeio erudito homine in philoſophia communicabit: hoc profectò efficiet, vt quamcunq; rem à quoq; cognouerit, de ea multò dicat ornatius, quàm ille ipſe vnde cognorit.* [30] *Sed, ſi me audierit, quoniam philoſophia in treis partes eſt diſtributa, in naturæ obſcuritatem, in differendi ſubtilitatem, in vitam atq; mores: duo illa relinquamus, idq́; largiamur inertiæ noſtræ: tertium verò, quod ſemper oratoris fuit, niſi tenebimus, nihil oratori in quo magnus eſſe poſſit, relinquemus. Quare hic locus de vita & moribus totus eſt oratori perdiſcendus: cætera ſi non didicerit, tamen poterit, ſiquando volet, ornare dicendo, cùm erunt ad eum delata & tradita.* [31] *Etenim ſi conſtat inter doctos, hominem ignarum aſtrologiæ orna-*

tiſſimis

tiſſimis atq; optimis verſibus [32] Aratum de cœlo ſtelliſq; dixiſſe, [33] ſi de rebus ruſticis hominem ab agro remotiſſimum Nicandrum Colophonium, poetica quadam facultate, non ruſtica, ſcripſiſſe præclarè: quid eſt cur non orator de rebus ijs eloquentiſſimè dicat, quas ad certam cauſſam tempuſq; cognorit? [34] Eſt enim finitimus oratori poeta, numeris aſtrictior paulò, verborum autem licentia liberior, multis verò ornandi generibus ſocius, ac penè par: in hoc quidem certè propè idem, [35] nullis vt terminis circumſcribat, aut definiat ius ſuum, quò minus ei liceat eadem illa facultate & copia vagari, quà velit. [36] Nam quod illud Q. Scæuola negaſti te fuiſſe laturum, niſi in meo regno eſſes, quòd in omni genere ſermonis, in omni parte humanitatis dixerim oratorem perfectum eſſe debere: nunquam me hercule hoc dicerem, ſi eum, quem fingo, meipſum eſſe arbitrarer: ſed vt ſolebat C. Lucilius ſæpe dicere, homo tibi ſubiratus, mihi propter ipſam cauſſam minus quàm volebat familiaris, ſed tamen & doctus, & perurbanus: ſic ſentio, neminem eſſe in oratorum numero habendum, qui nō ſit omnibus ijs artibus, quæ ſunt libero homine dignæ, perpolitus: quibus ipſis ſi in dicendo non vtimur, tamen apparet, atq; extat, vtrum ſimus earum rudes, an didicerimus: [37] vt qui pila ludunt, nō vtuntur in ipſa luſione artificio proprio palæſtræ, ſed indicat ipſe motus, didicerintne palæſtrā, an neſciant: & qui aliquid fingunt, etſi tum pictura nihil vtuntur, tamen vtrum ſciant pingere, an neſciant, non obſcurum eſt: ſic in orationibus hiſce ipſis iudiciorum, cōcionum, ſenatus, etiamſi propriè cæteræ non adhibentur artes, tamen facilè declaratur, vtrum is qui dicat, tantummodo in hoc declamatorio ſit opere iactatus, an ad dicendum omnibus ingenuis arti-

bus inſtructus acceſſerit. [38] *Tum ridens Scæuola, Non luctabor, inquit, tecum Craſſe amplius. id enim ipſum quod contra me locutus es, artificio quodam es conſecutus, vt & mihi, quæ ego vellem, non eſſe oratoris concederes: & ea ipſa neſcio quo modo rurſus detorqueres, atq; oratori propria traderes.* [39] *Hæc cùm ego Prætor Rhodum veniſſem, & cum ſummo illo doctore ipſius diſciplinæ Apollonio, ea quæ à Panætio acceperam, contuliſſem, irriſit ille quidem, vt ſolebat, philoſophiam, atq; contempſit: multaq; non tam grauiter dixit, quàm facetè: tua autem fuit oratio eiuſmodi, non vt vllam artem doctrinámve contemneres, ſed vt omnes comites ac miniſtras oratoris eſſe diceres:* [40] *quas ego, ſi quis ſit vnus complexus omnes, idemq; ſi ad eas facultates iſtam ornatiſſimæ orationis adiunxerit, non poſſum dicere eum non egregium quendam hominem atq; admirandum fore: ſed is, ſi quis eſſet, aut ſi etiam vnquam fuiſſet, aut verò ſi eſſe poſſet, tu eſſes vnus profectò, qui & meo iudicio, & omnium vix vllam cæteris oratoribus (pace horum dixerim) laudem reliquiſti. Verùm ſi tibi ipſi nihil deeſt quod in forenſibus rebus ciuilibuſq; verſetur, quin ſcias, neq; eam tamē ſcientiam, quam adiungis oratori, complexus es: videamus ne plus ei tribuas, quàm res & veritas ipſa concedat.* [41] *Hic Craſſus, Memento, inquit, me non de mea, ſed de oratoris facultate dixiſſe. Quid enim nos aut didicimus, aut ſcire potuimus, qui antè ad agendum, quàm ad cognoſcendum venimus? quos in foro, quos in ambitione, quos in Repub. quos in amicorum negotijs res ipſa antè confecit, quàm poſſemus aliquid de rebus tantis ſuſpicari. Quòd ſi tibi tantùm in nobis videtur eſſe, quibus etiamſi ingenium, vt tu putas, non maximè defuit, doctrina certè, & otium, & hercule etiam ſtudium*

illud

illud dicendi acerrimum defuit: quid cenſes, ſi ad alicuius ingenium vel maius illa, quæ ego non attigi, acceſſerint, qualem illum & quantum oratorem futurum?

1 Scæuola primus eſt oppoſitus Craſſo ad reprehendendum duas laudes oratoris, quas Craſſus in oratione ſua poſuerat. Craſſus igitur deinde reſpondet ad reprehenſionem Scæuolæ, ac primùm indicat philoſophos Græcos à quibus iſta Scæuolę diſputatio contra oratorem ſumpta ſit, Carneadem, Clitomachum, Aeſchinem, Metrodorum, Mneſarchum, Critolaum, Diodorum, qui oratori detrahebant, non ſolùm laudem vrbium conditarum & conſeruatarum, ſed etiam cognitionem doctrinæ ingenuæ, & liberalis. De quibus philoſophis vide Diogenem Laertium. 2 Comparat Carneadem oratorē miſeris ſeruis, qui propter aliquam noxam contractam detruduntur in piſtrinum, ad verſandas molas, quibus frumentum tunditur & comminuitur, ſicut ait Terentius: *Terentius in Andria.*

S. Verberibus cæſum te in piſtrinum Daue dedam vſq; ad necem.

His igitur confertur cauſidicus, qui in tribus generibus cauſſarum aſſiduiſſimè & laborioſiſſimè verſatur. 3 Craſſus incipit refellere contraria Philoſophorum teſtimonia, & imprimis Platonis, à repugnantibus: Plato in irridendis ſummis oratoribus, ipſe eſt ſummus orator: non igitur eos ſeriò irridet. Socrates in Gorgia contra Polum & Calliclem diſputans, cùm ciuilis ſcientiæ duas ſpecies ad corpus retuliſſet, Gymnaſticam & medicinam, duas item ad animum, legalem & iuſtitiam, ſingulis artibus & virtutibus vitioſas & fallaces earum imitationes oppoſuit, Gymnaſticæ, artem mangonum: medicinæ, artem coquorum: legali, ſophiſticam: iuſtitiæ, rhetoricam: ibique contendit rhetoricam non eſſe artem, ſed per tiam quandam inartificialem aucupandæ gratiæ & voluptatis in foro & cauſſis ciuilibus. Socratis verba ſunt, τέχνην δ' αὐτὴν οὐ φημὶ εἶναι, ἀλλ' ἐμπειρίαν, ὅτι οὐκ ἔχει λόγον οὐδένα, ᾧ προσφέρει ἃ προσφέρει ὁποῖα ἄττα τὴν φύσιν ἐστίν, ὥστε τὴν αἰτίαν ἑκάστου μὴ ἔχειν εἰπεῖν· ἐγὼ δὲ τέχνην οὐ καλῶ, ὃ ἂν ᾖ ἄλογον πρᾶγμα. τούτων δὲ πέρι εἰ ἀμφισβητεῖς, ἐθέλω ὑποσχεῖν λόγον. τῇ μὲν οὖν ἰατρικῇ, ὥσπερ λέγω, ἡ ὀψοποιητικὴ κολακεία ὑπόκειται· τῇ δὲ γυμναστικῇ, κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον τοῦτον ἡ κομμωτική, κακοῦργός τε καὶ ἀπατηλὴ καὶ ἀγεννής, καὶ ἀνελεύθερος, σχήμασί τε καὶ χρώμασι, καὶ λειότησι, καὶ αἰσθήσει, ἀπατῶσα, ὥστε ποιεῖν ἀλλότριον κάλλος ἐφελκομένους τοῦ οἰκείου τοῦ διὰ τῆς γυμναστικῆς ἀμελεῖν· ἵν' οὖν μὴ μακρολογῶ, ἐθέλω σοι εἰπεῖν, ὥσπερ οἱ γεωμέτραι, ἤδη γὰρ ἂν ἴσως ἀκολουθήσειας. ὅτι ὃ κομμωτικὴ πρὸς γυμναστικήν, τοῦτο ὀψοποιητικὴ πρὸς ἰατρικήν· μᾶλλον δὲ ὧδε, ὅτι ὃ κομμωτικὴ πρὸς γυμναστικήν, τοῦτο σοφιστικὴ πρὸς νομοθετικήν, καί, ὅτι ὃ ἡ ὀψοποιητικὴ πρὸς ἰατρικήν, τοῦτο ῥητορικὴ πρὸς δικαιοσύνην. Hanc verò artem eſſe non dico, ſed peritiam: quoniam nullam eorum quæ adfert, qualia ſint natura, rationem habet, nec poteſt vniuſcuiuſque rei cauſſam dicere: ego verò artem non appello quæ ratione careat. de his autem ſi dubitas, volo rationem reddere. Medicinæ quidem (vt dico) ſubijcitur blanda ars parandorum obſoniorum: Gymnaſticæ autem eodem modo ars fucandi, improba, fallax, minimè generoſa & liberalis, figuris, coloribus, lineamentis & ſenſu ſic imponens, vt faciat nos aliena forma captos propriam, quæ per gymnaſticen inducitur, negligere. ac ne ſim longior, volo tibi dicere quemadmodum ſolent geometræ: iam enim fortaſſe aſſequeris: quod fucandi ars eſt ad gymnaſticen, hoc ipſum eſt ars coquorum ad medicinam: immò verò ſic, quod ars fucandi ad gymnaſticen, hoc eſt, ſophiſtica ad

legalem: & quod ars coquorum ad medicinam, hoc rhetorice ad iuſtitiam. Verùm Socrates eam Rhetoricam, quæ ſuis temporibus exercebatur, exagitat & vituperat, non autem veram & honeſtam, vt ait Fabius. *Cap. 10. lib. 2.* 4 Craſſus indicat de oratore controuerſiam in nomine ipſo conſiſtere, quòd alio atque alio modo definiatur: oratoris ſiquidem nomine triplex orator diſtingui videtur, primus perfectus & omni ſcientia cumulatus, qui de omnibus rebus ornatè & copioſè poſſit dicere, quem Craſſus antea laudauit, & Antonius poſtea eloquentem appellabit: ſecundus mediocris, qui de tribus generibus cauſſarum poſſit aptè dicere, quem Scæuola aduerſus Craſſum defendit, & Antonius poſtea diſertum appellabit. Sed neutra definitio recta eſt: quia neque perfectus orator ex artium ſcientia, ſed ex elocutionis & actionis perfectione: neque mediocris ex actione ciuilium cauſſarum, ſed ex mediocri facultate eloquendi & pronuntiandi definiri debet, vt poſtea plenius oſtendemus. Tertius autem communis à Craſſo interdum velut per tranſennam demonſtratur, cùm is oratori ſolum ornatum orationis, hoc eſt, elocutionis & actionis, attribuit. De primo & perfecto Craſſus ita reſpondet, vt quamuis ſecundum vel tertium conſtituas, tamen perfectum illis nominibus neceſſe ſit inſtitui: quæ Craſſi diſputatio quamuis perſæpe in veram & generalem & ſimplicem eloquentiæ informationem incidat, non tamen in ea permanet, ſed eò relabitur, vt eloquentiæ nomine politicam & forenſem quandam facultatem multarum artium diſciplinis inſtructam confundat, non vnius artis propriam virtutem definiat. 5 Diſputat definitione ſecundi & mediocris oratoris, ſuum oratorem contineri: Argumẽtum eſt ex cauſſa, quæ dicitur ſine qua, ita concluſum:

> Qui res magnas cognouerit, ſine quibus cauſſas forenſes tractare non poteſt, is magnarum rerum eſt ſcientiam conſecutus:
>
> Orator autem Scæuolæ res magnas percipere debet, ſine quibus non poſſit agere cauſſas:
>
> Orator igitur Scæuolæ magnarum rerum ſcientiam ſit conſecutus, neceſſe eſt.

Aſſumptio præcedit, quæ illuſtratur enumeratione rerum oratori & cauſſidico tenendarum. Verùm Scæuola negaret Craſſo aſſumptionis huius rationem, ſicut etiam poſtea Antonius negabit. 6 Craſſus item diſputat definitione tertij oratoris ſummum & perfectum oratorem ſuum contineri: quia ſine magnarum rerum ſcientia non poſſit orator copioſè & ornatè eloqui: qui locus eſt diligenter animaduertendus: nam Craſſus argumento, & argumentatione peccat: argumento quidem, quia puer in propoſitis poetis & oratoribus poſſit à magiſtro omnia ornamenta eloquentiæ doceri, & in his exerceri: Argumentatione verò, quia non ſequitur, ſi ornatus rhetorici vſus ſine magnarum rerum ſcientia conſiſtere non poteſt, idcircò magnarum rerum ſcientiam oratoris propriam eſſe: Aliud enim eſt quippiam oratori eſſe neceſſarium, aliud eſſe proprium. 7 Hic Craſſus verè de oratoris facultate philoſophatur, & eloquentiam verè à cæteris artibus diſtinguit: ſic ſi Democritus, Plato, Ariſtoteles, Theophraſtus, Carneades purè & emendatè loquuti ſunt, puritas ſermonis ſit grammatici propria, materies verò aliarum artium, quas ipſi coluerunt: & ſi idem ipſi philoſophi ſubtiliter & prudenter argumentati & ratiocinati ſunt, hæc rationis ſubtilitas dialecticæ propria ſit, materies verò aliarum artium: ſed Craſſus in hac tam vera diſtinctione artium non conſiſtit, ſed ad ſuum politicum hominem, & ad artium confuſionem ſtatim reuertitur: Democritus res phyſicas imprimis docuit, de cuius libris ita ſcribit Suidas: γνήσια δὲ βιβλία εἰσὶ δύο, ὅ, τε μέγας διάκοσμος, καὶ περὶ φύσιος κόσμου. id eſt, germani autem eius ſunt duo libri, magnus diacoſmus & de ornatu naturæ. Plato Athenienſis omnium politiſſimè & elegantiſſimè ſcripſit de mundo, & partibus eius, de homine, & pleriſque rebus minimè vulgaris & popularibus. Ariſtoteles eius diſcipulus non ſolùm philoſophus, ſed etiam eloquens

quens habitus eſt. Theophraſtus, Ariſtotelis auditor, à dignitate orationis hoc nomen inuenit. Carneades patronus nouæ Academiæ, tantùm in dicendo valuit, vt ad eum audiendum etiam Rhetores accederent, de quo vide Diogenem Laertium. 8 Exemplum Chryſippi ſuperioribus diſſimile eſt, quo eloquentia rectè & verè à philoſophia ſeparetur: quia Chryſippus ſine eloquentia ſummus extitit philoſophus: à philoſopho autem ſi afferat eloquentiam, non aſpernor: ſi non habeat, non admodum flagitem, vt ait Cicero. Chryſippus itaque Stoicus cùm inuentionis acumine & rerum copia abundaret, non vſque tamen adeò dictione clarus fuit, vt author eſt Laertius: is compoſuit volumina & philoſophica, & hiſtorica, & grammatica, vt ait Suidas. 9 Oratio hominis politici elegans verbis, ſed inanis ſententiarum, merito quidem iure irridenda eſt, quia nullam habeat ad docendum authoritatem: & furorem non ſani hominis indicat, qui audeat multis audientibus multa verba temerè & inaniter effutire. Compoſitè & aptè ſine ſententiis dicere, ait Cicero, inſania eſt: ſententiosè autem, ſine verborum ordine & modo, infantia. Duæ ſunt igitur magnæ laudes orationis, vna in apparatu rerum, altera in ornatu verborum: & ambæ quidem homini politico ſi eo vtiles, non vt vni eloquentiæ propriè conueniant, verùm vt laus rerum artibus his, vnde res nobis ſuppetunt, laus ornatæ dictionis, rhetoricæ virtuti debeatur. 10 Concludit oratorem de omni re, quam didicerit, melius eſſe dicturum, quàm hominem artis peritum, ſed eloquentiæ expertem: quæ concluſio veriſſima eſt: nam qui arithmeticus erit & orator, melius de numeris dicet, quàm qui arithmeticus tantùm fuerit, & non orator. 11 Πρόληψις eſt: Orator tantùm in tribus generibus cauſſarum verſatur: non igitur ad eum pertinet rerum omnium ſcientia. vbi Craſſus ita primùm concedit, vt tamen neget ſine rerum ſcientia oratorem in ciuilibus cauſſis verſari poſſe: idque probat à phyſica, quæ ſpecies eſt ſcientiæ, quæ (vt ipſe putat) maximè eſt neceſſaria oratori, ad mouendos vel ſedandos affectus. 12 Craſſus hic redit ad veram & germanam diſtinctionem oratoris, à philoſophis, cùm oratori ſolum ornatum tribuit. 13 Argumentum Scæuolæ de Theophraſto & Ariſtotele, Rhetoricæ artis ſcriptoribus Craſſus cócedit, ſed ex eo contrarium concludit per diſtinctionem: Orator communem habet philoſophiam cum philoſopho, non communem eloquentiam: ſed propoſitio huius diſtinctionis falſa eſt, quia Philoſophia tam propria eſt philoſophorum, quàm Rhetorica rhetorum: nec verò Philoſophia rhetorum, aut philoſophorum Rhetorica eſt, non magis quàm Philoſophia grammaticorum, aut Grammatica philoſophorum, ſed ſingularum artium certi ſunt homines, qui ab his denominantur. 14 Occurrit huic obiectioni (Philoſophia moralis eſt philoſophorum: non igitur oratorum) quæ refellitur à diſſimilibus, quòd philoſophi ieiunè & exiliter, oratores copiosè & grauiter diſputent: quod magis decorè & conuenienter perſonæ Craſſi dictum eſt, quàm verè: philoſophi enim quidam copiosè & ornatè loquuntur, vt Plato, Ariſtoteles, Theophraſtus. atque hæc diſſimilitudo de artibus intelligenda non eſt, quæ vſu coniungi & diſiungi poſſunt, vt oratio aliquando ſit philoſophica & ornata, aliàs ornata, ſed non philoſophica, vel philoſophica, ſed non ornata: de antiquis igitur hominum ſtudiis hic locus intelligatur, quorum nonnulli extiterunt philoſophi qui contempta eloquentia philoſophiam præcipuè in ſcholis meditarentur, vt Stoici: alij etiam dicti oratores, qui ornatè & copiosè cauſſas ciuium agerent, & hac dictione forenſi interdum locos graues ex philoſophia tractarẽt, qui vel politici, vel cauſſidici propriè dicerentur: ſed neſcio quomodo nomen oratoris, quod erat commune omnium bene & ornatè dicentium, proprium & ſuum effecerunt. neque tamen tam de nomine ipſo contendo, quàm de congerie artium, vno eloquentiæ nomine confuſarum, vt Dialecticæ, philoſophiæ, ſcientiæ iuris, hiſtoriæ: quæ confuſio contra naturam ipſam eſt, & hominum ingeniis magnas tenebras offundit. 15 Concluditur locus de philoſophia oratori neceſſaria, cum honorifica interfatione de

Lib. 2. de Finib. bon. & mal.

In Orat. ad Brutum.

M.Marcello: qui locus etiam ſignificat ex Græcis ſumptam eſſe hanc diſputationem:& tranſitum facit ad ea quæ ſequuntur. 16 Scæuola negauerat res politicas inuentas & tractatas fuiſſe ab oratoribus: cui loco Craſſus reſpondet,collatione parium: Lycurgus & Solon non melius leges ſcierunt, quàm Demoſthenes & Hyperides: nec melius Decemuiri, quàm Galba & Lælius: quod argumentum Craſſi parum probabile eſt, nec ſatis conſequens: quia oratores illi res politicas perceperunt,nō eloquentiæ,ſed prudentiæ quadam facultate. 17 Lycurgus Lacedæmonis leges ſuas authoritate Apollinis Delphici, Solon Athenienſibus authoritate Palladis confirmauit, quarum capita Plutarchus refert, ſummamq́ue viri vtriuſque ſapientiam in condendis legibus commendat: vterque etiam eloquens, vt temporibus illis habitus eſt. 18 Demoſthenes o-
In Bruto. rator Athenienſis fuit, quem (vt ait Cicero) planè quidem perfectum & cui nil admodum deſit,facilè dixeris: nihil acutè inueniri potuit in eis cauſſis, quas ſcripſit, nihil (vt ita dicam) ſubdolè, nihil verſutè, quod ille non viderit, nihil ſubtiliter dici,nihil preſsè,nihil enucleatè,quo fieri poſſit aliquid limatius, nihil contrà grande,nihil incitatum,nihil ornatum.vel verborum grauitate,vel ſententiarum, quo quicquam eſſet elatius. huic proximus fuit Hyperides. 19 Decemuiri creati ſunt centuriatis comitiis,Appius Claudius,& Titus Genutius,qui deſignati Conſules fuerant,cumq́ue his Publius Sextius eius anni Conſul, & tres legati,qui à Græcis leges attulerant, Publ.Poſthumius,Seruius Sulpitius,Aulus Manlius:& vnus ex ſuperioris anni Coſs.T.Romulius,qui accuſante Siccio damnatus, pòſt author popularis ſententiæ fuerat: ex reliquo deinde ſenatu C.Iulius,T.Veturius,P.Horatius,conſulares omnes: hi leges tum ex Græcorum iure, tum ex inſtitutis patriis propoſuerſit in decem tabulas, vt à quouis ciue poſſent: deinde centuriatis comitiis ſancitas, & in æs inciſas conſtituerit in maximè conſpicuo loco fori, & quia aliquid legum deeſſe videbatur, in proximum annum
Lib.10. rurſus Decemuiri creati ſunt.Author Dionyſ.Halicarn. 20 Cicero Lælium &
In Bruto. Galbam in numero oratorum aſcribit,& elegātiam in Lælio,vim in Galba fuiſſe ſcribit: ſed Lælij mentem ſpirare etiam in ſcriptis, Galbæ autem vim occidiſſe.

21 Craſſus ita concludit diſtinctionem artium ab oratore, vt tamen neget illum vel in ciuilibus cauſſis verſari poſſe ſine multarum & magnarū artium ſcientia: idq́ue probatur inductione artium, militaris, Geographicæ, Politicæ,Phyſicæ, quæ ad diſputandas cauſſas ciuiles oratori conferunt: ſed Craſſus oratoris perfectionem non aduentitiis illis & extrinſecùs aſſumptis artibus, verùm Rhetoricæ artis poteſtate, & fine (ſicut aliàs diximus) metiri definireque debuit.

22 Præmunitio eſt ad proximam diſtinctionem eloquētiæ à cæteris artibus, quæ quidem veriſſima eſt: ſed in ea Craſſus non permanet, quia eò tandem relabitur,vt oratori nō ſolùm facultatem ornandæ & poliendæ orationis,ſed etiam artium cognitionem & ſcientiam ſubiiciat: vtitur enim exemplis valde idoneis Philonis,Antonij,& Aſclepiade,in quibus ſingulis oſtendit quid eloquentia differat ab alienis artibus: ſed neſcio quo modo Craſſus quaſi oblitus ſui, nec ſatis acutè conſiderans quid in hac cauſſa dicendum ſit,oratorem legitimum poſſeſſorem omnium artium paulò pòſt ſtatuit: & in oratoris definitione ſummaque
Cap. 37. lib. 7 comprehenſione cæteras artes & diſciplinas confundit. 23 Laudatus eſt,ait Plinius,Cteſiphon Gnoſius æde Epheſiæ Dianæ admirabiliter fabricata,Philon Athenis armamentario mille nauium. 24 Aſclepiades ex Rhetore factus medi-
Ibidem. cus,condita noua ſecta, reperit rationem qua vinum ægris mederetur, vt ait Plinius,& relato è funere homine,& conſeruato, ſponſionem fecit cum fortuna, ne medicus crederetur, ſi vnquam inualidus vllo modo fuiſſet ipſe: & victor ſuprema ſenecta lapſu ſcalarum exanimatus eſt. 25 Dictum Socratis refellitur accommodatè ad ſententiam Craſſi, quia eloquentia & ſcientia rerum ita ſeparantur, vt tamen ad perfectam oratoris, id eſt, politici hominis laudem coniunctæ eſſe debeant. 26 Craſſus concludit oratoris ſui perfecti definitionem, ex artium

artium ſcientia,& Rhetoricis quinque virtutibus cumulati, Inuentione, diſpoſitione,elocutione,memoria,& actione: quæ ſententia Craſſi de viro politico ſummo & excellenti vera quidem eſt, qui multis & variis artibus inſtructus, ad tractandas ciuiles cauſſas debet accedere:de oratore verò vnius artis homine,& à cæteris artibus diſtincto, falſa planè eſt: cuius perfectio (ſicut antè diximus) non conſtat ex aliis artibus, ſed ex artis ſuæ perfecta conſecutione:vt qui optimè eloqui & pronuntiare poteſt,is ſummus & perfectiſſimus orator ſit: ſi quam præterea artem didicit, non orator quidem perfectior, ſed homo doctior, & pluribus artibus excellentior æſtimandus ſit. 27 Πρόληψις eſt de particula definitionis (quacunque de re) quaſi oratori propoſitum non ſit omnem rem ſcire, ſed cùm ſcierit, eius proprium ſit ornatè explicare: quod quidem veriſſimum eſt: quia ornatus orationis duntaxat ad oratorem pertinet: ſcientia rerum quæ ornatè explicantur, ex aliis artibus & ſtudiis ſumenda eſt: verùm Craſſus ridiculè pronuntiat oratorem, cùm ex aliis rem quampiam cognouerit, melius dicturum,quàm hos ipſos,quorum hæ ſunt artes: non enim tum orator ſolùm fuerit, ſed arithmeticus,ſi de numeris: medicus,ſi de morbis: imperator, ſi de bellis dicat: nec video cur melius de re quapiam dicat forẽſis orator,quàm proprius eius rei artifex, qui etiam diſertus & eloquens fuerit: vt exempli gratia, non melius Demoſthenes, nec ornatius de virtute & moribus dicet, quàm Plato, aut Theophraſtus.Itaq; inductio illa per ſpecies quarundam artium,vt militiæ,iuris,philoſophiæ,ineptam comparationem oratoris cum aliis proſequitur. 28 C.Marius bellicam vitam magis quàm vrbanam ſecutus, in Numidia Iugurtham vicit: ad aquas Sextias Teutones & Ambrones, in Italia etiam Cymbros debellauit: bello ſociali Marſos fudit: ex Africa reuerſus, in Italia magnam ciuium & municipum ſtragem fecit. Lege Florum. 29 Cicero (vt ipſe ait) Sext.Pompeium in aſtrologia ſtudioſè verſatum cognouit: Idemq́ue ait, Pompeius Sexti filius aliquem numerum obtinebat: nam Sextus frater eius præſtantiſſimum ingenium contulerat ad ſummam iuris ciuilis,& ad perfectam Geometriæ & rerum Stoicarum ſcientiam. 30 De tribus philoſophiæ partibus Craſſus ait moralem eſſe oratori politico apprimè neceſſariam: ſicut ipſe quoque alibi teſtatur. Ariſtoteles quoque Rhetoricam philoſophiæ partem moralis facit, propter morum & affectuum ſcientiam. 31 Argumentum eſt à paribus: Aratus & Nicander de alienis ſtudiis ornatè loquuti ſunt.Igitur & orator poteſt,cùm aliunde cognouerit. 32 Aratus Solenſis Athenodori filius,natus eſt(ſi Suidæ credimus) Olympiade 124.Συνέταξε δὲ (vt ait ille) βίβλια ταῦτα, τὰ φαινόμενα,ὧν θαυμάσιος ἡ εἰσβολὴ, καὶ ὁ ζῆλος ὁμηρικός· ὕμνους εἰς πᾶνα, σπονδοφόρους, παίγνια, ἀστρολογίαν ἀστροθεσίαν, σύνθεσιν φαρμάκων θηριακῶν, ἐπιτήδειαν, ἀνθρωπογονίαν. id eſt, Compoſuit autem hos libros,phænomena,quorum admirabilis ingreſſus & imitatio Homerica : hymnos in Pana, ſpondophoros, ludicra, aſtrologiam,aſtrotheſiam, hoc eſt, aſtrorum ſitum, theriacorũ pharmacorum,idoneam compoſitionem de ortu hominum. Potuit autem fieri, vt Aratus ignarus aſtrologiæ, numero poëtico verſuque aſtrologiam tractarit, ſicut orator in agricultura non verſatus optimè de agricultura dicet,cùm in commentariis legerit,vel à litigatore acceperit. Sic Aratus potuit de commentariis aſtrologorum in ſuum poëma transferre,nõ quòd huius artis cauſſas & rationes penitus intelligeret: quod idem de Nicandro exiſtimandum eſt. 33 Nicander filius Xenophanis, Colophonius, grammaticus,medicus, & poëta fuit temporibus noui Attali, ſeu poſtremi Galatonicæ, quem Romani interemerunt, vt ait Suidas : ſcripſit autem θηριακὰ. ἀλεξιφάρμακα, γεωργικὰ, ἑταιρειῶν βίβλια πέντε, ἰάσεων συναγωγὴν. προγνώστικα, δι᾽ ἐπῶν, μεταπέφρασται δὲ ἐκ τῶν τοῦ Ἱπποκράτους προγνωστικῶν. id eſt, Theriaca, Alexipharmaca, Georgica, ſodalitiorum libros quinque,reme-

In Officijs.

In Bruto.

3. de Orat.

diorum collectionem, prognoſtica carminibus, tranſlata autem ſunt ex Hippocratis prognoſticis. 34 Proxima comparatio declaratur per aliam collationem rerum, quibus poeta cum oratore cõuenit, aut non conuenit: ſed hæc diſtinctio oratoris & poetæ ex vulgari opinione, non ex veritate ſumitur: poëſis enim pars eſt oratoriæ elocutionis: quia elocutio aliàs dicitur ſoluta, aliàs magis aſtricta numeris, nec alia troporum & figurarum doctrina eſt in oratione ſoluta, & in carmine, ſed vſus nonnihil diuerſus. 35 Facultas oratoris & poetæ circa res omnes communiter verſatur, quia eloquẽtia communis eſt omnium rerum ornatè explicandarum: res autem ornatè explicantur vel oratione libera, vel deuincta aſtrictionibus numeris: & in vtroque genere perpoliendæ & ornandæ orationis vna & communis doctrina eloquentiæ in tropis & figuris valet. 36 Craſſus modeſtiæ gratia remouet à ſe laudem perfecti oratoris, quem defendit: & tamen diſputat eum omnibus artibus ingenuis cumulatum eſſe debere: primùm teſtimonio Lucilij, deinde duplici ſimilitudine eorum, qui pila ludunt, & aliquid fingunt. C. Lucilius ſatyricum ſtylum acuit in nobiles ciues ſui temporis, vt in Vectium

Lib. 10. & Scæuolam, in quo (vt ait Fabius) eruditio mira fuit & libertas, atque inde acerbitas & abundantia ſalis: obiit Neapoli anno ætatis ſuæ 46. 37 Artificium palæſtræ non tantùm in ipſa luctatione ſitum erat, ſed in confirmatione geſtus corporis vt ſtatus & flexus: atque omnino habitus ipſe venuſtatem & dignitatem quandam præ ſe ferret: vt brachia recta eſſent, ne indoctæ ruſticæúe manus, ne ſtatus indecorus, ne qua in proferendis pedibus inſcitia, ne caput oculiúe ab alia corporis inclinatione diſſiderent. 38 Scæuola deducitur è ſermone, quia ſenem non decet longa & prolixa his de rebus oratio: diſcedens tamen epilogum quendam ſuperioris diſputationis colligit, & ad extremum leuiter Craſſo repugnat, quòd Craſſus aliarum artium ſcientiam diſtinguit ab eloquentia: ſed earum tamen vſum oratori neceſſarium ſubiicit: quæ de politico homine dicta ſunt, non de oratore & facultate communis oratoris. 39 Scæuolæ reprehenſio conſtat exemplis diſſimilibus:

Apollonius rhetor philoſophiam contempſit:
Craſſus eloquentiæ miniſtram facit.

Apollonius Molo Rhodius orator vnus in cauſſis, ſcriptorque præſtantiſſimus fuit, cui Cicero dedit operam: Dictatore enim Sylla legatus ad ſenatum de Rho

In Bruto. diorum præmiis venerat, vt ait Cicero. 40 Altera reprehenſio magis eſt contra perſonam Craſſi, quàm contra rem ipſam. Syllogiſmus eſt connexus ſecundi modi:

Si quis eſſet omni laude perfectus orator, Craſſus is eſſet:
At Craſſus talis non eſt:
Nemo igitur omni laude perfectus orator.

Animaduertendum autem eſt (quod ait Scæuola) virum illum omnibus artibus cumulatum, egregium & admirandum eſſe, quod quidem verum eſt: ſed hic vir admirãdus nõ potius orator, quàm philoſophus, quàm ciuitatis rector, quàm hiſtoricus, quàm denique iuris peritus appellandus eſt: præſertim cùm non minus philoſophiam, & politiam, & hiſtoriam, & ius ciuile teneat, quàm eloquentiam: vt non minus perfectus philoſophus, aut politicus, aut hiſtoricus, aut iuris conſultus, quàm perfectus orator dici poſſe videatur. 41 Craſſus reiicit à ſe laudem oratoris ex cauſſis perfectæ eloquentiæ, quòd neque doctrinam, neque ſtudium bonarum artium ad cauſſas forenſes adhibuerit: & inde argumentatur à minore ad maius: Si Craſſus ſine doctrina & ſtudio magnarum artium tamen orator videtur, ſi quis profectò artem & ſtudium ad dicendum adhibuerit, is perfectus erit. Aſſumptionis ſententia præceſſit in oratione Scæuolæ.

Quid inter Scæuolam & Craſſum de oratore conueniat, & quid interſit.

Scæuola & Craſſus in hoc primùm de oratore conſentiunt, vt ſit is inuenien di, diſ-

proſequamini. Quod quidem ſi erit à vobis impetratum, magnam habebo, Craſſe, huic palæſtræ & [1] Tuſculano tuo gratiam, & longè Academiæ illi ac Lycio tuum hoc ſuburbanum Gymnaſium anteponam. [2] Tum ille, Imò verò, inquit, Sulpiti, rogemus Antonium, qui & poteſt facere id quod requiris, & conſueuit, vt te audio dicere. Nam me quidem ſemper à genere hoc toto ſermonis refugiſſe, & tibi cupienti atq; inſtanti ſæpiſſimè negaſſe, tute paulo antè dixiſti: quod ego non ſuperbia, neq; inhumanitate faciebam, neq; quò tuo ſtudio rectiſſimo atq; optimo nō obſequi vellem, præſertim cùm te vnum ex omnibus ad dicendum maximè natum aptumq; cognoſſem: ſed me hercule iſtius diſputationis inſolentia, atq; earum rerum quæ quaſi traduntur in arte, inſcitia. Tum Cotta: Quoniam id quod difficillimum nobis videbatur, vt omnino de his rebus, Craſſe, loquerere, aſſecuti ſumus, de reliquo iam noſtra culpa fuerit, ſi te, niſi omnia quæ percūctati erimus, explicaris, dimiſerimus. [4] De his credo rebus, inquit Craſſus, vt in conditionibus ſcribi ſolet, de quibus ſciam, poteroq;. Tum ille: Namq; quod tu non poteris, aut neſcies, quis noſtrûm tam impudens eſt, qui ſe ſcire aut poſſe poſtulet? Iam verò iſta conditione, dum mihi liceat negare poſſe quod nō potero, & fateri neſcire quod neſciam: licet, inquit Craſſus, veſtro arbitratu percunctemini. [5] Atqui, inquit Sulpitius, hoc primùm ex te, de quo modò Antonius expoſuit, quid ſentias, quærimus, exiſtiméſne artem aliquam eſſe dicēdi? Quid mihi nunc vos, inquit Craſſus, tanquam alicui Græculo otioſo & loquaci, & fortaſſe docto atque erudito, quæſtiunculam, de qua meo arbitratu loquar, ponitis? Quando enim me iſta curaſſe aut cogitaſſe arbitramini, & non ſemper irriſiſſe potius eorum hominum

impudentiam, qui cùm in ſchola aſſediſſent, ex magna hominum frequentia dicere iuberent, ſi quis quid quæreret? Quod primùm ferũt Leontinum feciſſe Gorgiam, qui permagnum quiddam ſuſcipere ac profiteri videbatur, cùm ſe ad omnia de quibus quiſque audire vellet, eſſe paratum denũciaret. Poſtea verò vulgò hoc facere cœperunt, hodieq́ faciunt: vt nulla ſit res neq; tanta, neq; tam improuiſa, neque tam noua, de qua ſe non omnia quæ dici poſſunt, profiteantur eſſe dicturos. [6] *Quòd ſi te Cotta arbitrarer, aut te Sulpiti de ijs rebus audire velle, adduxiſſem huc Græcum aliquẽ, qui nos iſtiuſmodi diſputationibus delectaret: quod ne nunc quidem difficile factu eſt. eſt enim apud M. Piſonem adoleſcentem iam huic ſtudio deditum, ſummo hominem ingenio, noſtriq́ cupidiſſimum, Peripateticus Staſeas, homo nobis ſanè familiaris, & vt inter homines peritos conſtare video, in illo ſuo genere omnium princeps.* [7] *Quem tu, inquit, mihi Mutius, Staſeam, quem Peripateticum narras? Gerendus eſt tibi mos adoleſcentibus Craſſe, qui non Græci alicuius quotidianam loquacitatem ſine vſu, neque ex ſcholis cantilenam requirunt, ſed ex homine omnium ſapientiſſimo atq; eloquentiſſimo: atque ex eo, qui non in libellis, ſed in maximis cauſſis, & in hoc domicilio imperij & gloriæ ſit cõſilio linguaq́ princeps: cuius veſtigia qui perſequi cupiunt, eius ſententiam ſciſcitantur.* [8] *Equidem te, cùm in dicendo ſemper putaui deum, tum verò tibi nunquam eloquentiæ maiorem tribui laudem, quàm humanitatis: qua nunc te vti vel maximè decet, neq; defugere eam diſputationem, ad quam te duo excellentis ingenij adoleſcentes cupiunt accedere.* [9] *Ego verò, inquit, iſtis obſequi ſtudeo: neq; grauabor, breuiter, meo more, quid quaq; de re ſentiam, dicere. Ac primum*

mum illud (quoniam authoritatem tuam negligere Scæuolæ fas eſſe mihi non puto) reſpondeo, mihi dicendi aut nullam artem, aut pertenuem videri, ſed omnem eſſe contentionem inter homines doctos in verbi controuerſia poſitam. Nam ſi ars ita definitur, vt paulò antè expoſuit Antonius, ex rebus penitùs perſpectis, planeq́ue cognitis, atque ab opinionis arbitrio ſeiunctis, ſcientiaq́ue comprehenſis, non mihi videtur ars oratoris eſſe vlla. Sunt enim varia, & ad vulgarem popularemq́ue ſenſum accommodata omnia genera huius forenſis noſtræ dictionis. Sin autem ea quæ obſeruata ſunt in vſu ac ratione dicendi, hæc ab hominibus callidis ac peritis animaduerſa ac notata, verbis deſignata, generibus illuſtrata, partibus diſtributa ſunt, id quod fieri potuiſſe video: non intelligo quamobrem non, ſi minus illa ſubtili definitione, at hac vulgari opinione ars eſſe videatur. [1] *Sed ſiue eſt ars, ſiue artis quædam ſimilitudo, non eſt quidem ea negligenda: verùm intelligendum eſt alia quædam ad conſequendam eloquentiam eſſe maiora. Tum Antonius vehementer ſe aſſentiri Craſſo dixit, quòd neque ita amplecteretur artem, vt ij ſolerent, qui omnem vim dicendi in arte ponerent: neque rurſum eam totam, ſicut plerique philoſophi facerent, repudiaret. Sed exiſtimo, inquit, gratum te his eſſe Craſſe, facturum, ſi iſta expoſueris, quæ putas ad dicẽdum plus quàm ipſam artem poſſe prodeſſe.*

1 Hactenus per Craſſum & Scæuolam oratoris definitio varias in partes diducta & diſputata fuit: & per M. Antonium velut arbitrum quendam diſceptata & diiudicata: deinceps diſputabitur de cauſſis & partibus eloquẽtiæ perfectæ, quibus orator Craſſi perfectus & abſolutus efficitur: quæ ſunt natura, doctrina, & exercitatio, ad quas præparatur aditus interlocutione Sulpitij laudantis ſuperiorem ſermonem de definitione oratoris: & Craſſum ipſum ad ſequentem exhortantis. In quo interim ex decoro perſonarum Craſſus fingitur grauis & refractarius, Antonius verò facilis & humanus: ſeruatur etiam decorum in adoleſcentibus, Sulpitio & Cotta: qui dicendi cauſſa, ſenes interrogant, & ad reliquum ſermonem de cauſſis perfectæ eloquẽtiæ ſubtiliter explicandis inſtigant: tranſi-

tus itaque à generali definitione oratoris ad generalem partitionem eloquentiæ perfectæ ex tribus cauſſis, natura, doctrina, & exercitatione: quas Craſſus in adoleſcentium gratiam demonſtrabit. 2 Metonymia eſt, qua per Ariſtoteles Lycium, & Academiam Plato ſignificatur: & per Tuſculanum, Ciceronis oratorius dialogus: qui Lycio & Academiæ, id eſt, Græcorum diſputationibus & libris longè anteponitur. 3 Craſſus (quæ eius eſt modeſtia) reiicit in Antonium propoſitam diſputationem: & ſeipſum excuſat à cauſſis diſſimilibus, quòd non inhumanitate, ſed inſcitia hanc diſſerendi prouinciam fugerit, & fugiat: ſed Cotta iuuenis alter additur ad vrgẽdum Craſſum, vt inchoatum de oratore ſermonem continuet. Argumentum Cottæ eſt à maiori ad minus:

Quod erat difficillimum, à Craſſo iam impetrauimus:
Quod igitur minus difficile eſt, non negabit.

4 Craſſus quaſi adoleſcentum precibus victus, aſſentitur: decorum igitur in hoc dialogiſmo mirificè ſeruatum eſt, in quo & adoleſcentes præ ſe ferunt ingenuum quendam amorem diſcendi: & Craſſus homo grauis, & in rebus magnis occupatus, non tam ſua, quàm adoleſcentium voluntate, ad leuem & ſcholaſticum de Rhetoricis rebus ſermonem deſcendit: hæc autem Craſſi aſſenſio concluſa eſt ad hunc modum:

Craſſus dicturus eſt de quibus ſcierit, aut poterit:
De oratoris autem facultate poterit:
De oratoris igitur facultate dicturus eſt:

5 Sulpitius admonitus ſuperiore oratione Carneadis, primam orationem ponit: ſitne vlla ars dicendi? quam Craſſus pro decoro perſonæ ſuæ contemnit, quòd ſcholaſtica & ſophiſtica eiuſmodi diſputatio à viro graui, & in negotiis Reipublicæ verſato procul abhorreat: Itaq; commemorat Sophiſtarum Græcorum vetus exemplum, qui impudenter ſe de omni re dicturos profitebantur. Chærepho apud Platonem εἰπέ μοι, ὦ Γοργία, ἀληθῆ λέγει Καλλικλῆς ὅδε, ὅτι ἐπαγγέλλῃ ἀποκρίνεσθαι ὅ, τι ἄν τίς σε ἐρωτᾷ; Γοργ. ἀληθῆ ὦ Χαιρεφῶν· καὶ γὰρ δὴ νῦν αὐτὰ ταῦτα ἐπηγγελλόμην, καὶ λέγω, ὅτι οὐδείς μέ πω ἠρώτηκε καινὸν οὐδὲν πολλῶν ἐτῶν. Χαιρεφ. Ἦ που ἄρα ῥᾳδίως ἀποκρίνῃ, ὦ Γοργία. Γοργ. Πάρεστι τούτου πεῖραν λαμβάνειν, ὦ Χαιρεφῶν. Id eſt; Dic mihi, ô Gorgia, an verè Callicles hoc dicit, te profiteri ad id de quo quis te interroget, reſpondere? GORG. Verè ait, Chærepho: id enim ipſum profitebar, atque nihil noui multis iam annis me ab vllo homine interrogatum eſſe dico. CHAEREP. Facilè igitur reſpondes, Gorgia. GORG. Licet tibi, ô Chærepho; periculũ eiuſce rei facias. 6 Alterum exemplum vim habet diſſimilitudinis, quòd hæc quæſtio à Staſea Græco philoſopho petenda fuerit, non à Craſſo. Staſeas Neapolitanus, multos annos fuit apud Marc. Piſonem, nobilis ſanè Peripateticus, vt ait Cicero: hic autem Piſo, de quo mentio fit, maximè ex omnibus, qui antè fuerunt, Græcis doctrinis eruditus fuit: qui cùm in cauſſis floruiſſet adoleſcẽs, minor haberi eſt cœptus poſtea: deinde ex virginum iudicio magnã laudem eſt adeptus, & ex eo tempore quaſi reuocatus in curſum, tenuit locum tandiu, quàm ferre potuit laborem. Lege plura in Cicerone. 7 Authoritas Scæuolæ interponitur ad impellendum Craſſum, inuerſa proxima diſſimilitudine: Adoleſcentes non requirunt Staſeam hominem loquacem & inexpertum: ſed Craſſum potius doctiſſimum hominem, & vſu rerum ciuilium peritiſſimum, vbi Cicero indicat (quod etiam in procemio fecit) hanc oratoriam diſputationem non tam ex rhetorum ſcholis, quàm ex vſu ciuili & forenſi ſumptam eſſe: neque ſe tractare Græcas & Latinas rhetorum ſcholas, ſed eam potius eloquentiam, quam in agendis ciuilibus cauſſis expertus eſt, & cognouit. 8 Alterum Scæuolæ argumentum per ὑπερβολὴν commendationem humanitatis: à minori ad maius.

Lib. 5. de Finibus.

In Bruto.

In

In Craſſo ſumma ineſt eloquentia:
Sed humanitas multò maior:

Quæ ratio laudis pertinet ad impellendum animũ Craſſi, vt id velit, quod duo adoleſcentes exoptant & rogant: in quo dialogiſmo iuuenilis ardor ad diſcendum percipiendumq; res honeſtas & vtiles demonſtratur. 9 Craſſus reſpondet ad quæſtionem de arte, adhibita diſtinctione nominis ambigui; vt cùm ars duobus modis definiatur, non priore quidem definitione, ſed poſteriore rhetorica ſit ars: nam prima definitio artis pertinet ad diſciplinas mathematicas, quæ certiſſimæ ſunt, & ex rebus planè cognitis, ſcientiaque comprehenſis conſtant: ſecunda conuenit aliis artibus; quarum decreta non certis quidem & euidentibus demonſtrationibus, ſed obſeruatione quadam & probabili ratione continentur: in quo genere ſunt artes philoſophorum de moribus & rebus occultis probabiliter diſſerentium, & rhetorum, & opificum: in quibus tamen legitima & recta poteſt eſſe diſciplinæ deſcriptio, vt ea res, de qua agitur, primùm definiatur; deinde in genera diuidatur: tum partes generibus ſubiectæ via & ordine declarentur, donec ad extremas & infimas quaſque ſpecies diſputatio deducta fuerit.
10 Craſſus expedita quæſtione Sulpitij, monet vtilem quidem eſſe artem rhetoricam, neque contemnendam: ſed alias eſſe tamen præterea cauſſas ad dicendum multò maiores, & excellentiores: de quibus vt diſſerat, ab Antonio in adoleſcentium gratiam inuitatur.

[1] *Dicam equidem, quoniam inſtitui, petámque à vobis, inquit, ne has meas ineptias efferatis: quanquam moderabor ipſe, ne vt quidam magiſter atq; artifex, ſed quaſi vnus è togatorum numero, atq; ex forenſi vſu homo mediocris, neque omnino rudis, videar non ipſe aliquid à me prompſiſſe, ſed fortuitò in ſermonem veſtrum incidiſſe. Equidem quum peterem magiſtratus, ſolebam in prehenſando dimittere à me Scæuolam, cui ei ita dicerem, me velle eſſe ineptum: id erat petere blandius: quod niſi ineptè fieret, bene non poſſet fieri. Hunc autem eſſe vnum hominem ex omnibus, quo præſente ego ineptus eſſe minimè vellem: quẽ quidem nunc mearum ineptiarum teſtem & ſpectatorem fortuna conſtituit.* [2] *Nam quid eſt ineptius, quàm de dicendo dicere, cùm id ipſum dicere nunquam ſit non ineptum, niſi cùm eſt neceſſarium? Perge verò Craſſe, inquit Mutius. iſtam enim culpam, quam vereris, ego præſtabo.* [3] *Sic igitur ſentio, inquit Craſſus, naturam primùm atq; ingenium ad dicẽdum vim afferre maximam: neq; verò iſtis, de quibus paulò ante*

dixit Antonius, ſcriptoribus artis, rationem docendi & viam, ſed naturam defuiſſe. Nam & animi atq; ingenij celeres quidam motus eſſe debent, qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum ornandumq́; ſint vberes, & ad memoriam firmi atq; diuturni. Et ſi quis eſt qui hæc putet arte accipi poſſe, quod falſum eſt (præclarè enim ſe res habeat, ſi hæc accendi aut commoueri arte poßint, inſeri quidem & donari ab arte non poſſunt omnia: ſunt enim illa dona naturæ) quid de illis dicet, quæ certè cum ipſo homine naſcuntur, linguæ ſolutio, vocis ſonus, latera, vires, conformatio quædam & figura totius oris & corporis? [4] *Neq; hæc ita dico, vt ars aliquid limare nō poßit, (neq; enim ignoro & quæ bona ſint, fieri meliora poſſe doctrina: & quæ non optima, aliquo modo acui tamen & corrigi poſſe) ſed ſunt quidam aut ita lingua hæſitantes, aut ita voce abſoni, aut ita voce motuq́; corporis vaſti atq; agreſtes, vt etiam ſi ingenijs atque arte valeant, tamē in oratorum numerum venire non poſſint. Sunt autem quidam ita naturæ muneribus in iiſdem rebus habiles, ita ornati, vt non nati, ſed ab aliquo deo ficti eſſe videantur.* [5] *Magnum quoddam eſt onus atq; munus, ſuſcipere atq; profiteri, ſe eſſe omnibus ſilentibus vnum maximis de rebus magno in conuentu hominum audiendum. Adeſt enim ferè nemo, quin acutius atq; acrius vitia in dicente, quàm recta videat. Ita quicquid eſt in quo offenditur, id etiam illa, quæ laudanda ſunt, obruit.* [6] *Neq; hæc in eam ſententiam diſputo, vt homines adoleſcentes ſi quid naturale fortè non habeant, omnino à dicendi ſtudio deterream. Quis enim non videat,* [7] *C. Cælio æquali meo, maximo honori fuiſſe, homini nouo, illam ipſam quamcunq; aſſequi potuerit, in dicendo mediocritatem? Quis veſtrûm æqualem*

meum Q. Varium, vaſtum hominem atq; fœdum, non intelligit illa ipſa facultate quamcunq; habet, magnam eſſe in ciuitate gratiam conſecutum? Sed quia de oratore quærimus, fingendus eſt nobis oratione noſtra, detractis omnibus vitijs, orator, atq; omni laude cumulatus. [8] *Neque enim ſi multitudo litium, ſi varietas cauſſarum, ſi hæc turba & barbaria forenſis dat locum vel vitioſiſſimis oratoribus, idcircò nos hoc quod quærimus, omittemus. Itaq; in ijs artibus, in quibus non vtilitas quæritur neceſſaria, ſed animi libera quædam oblectatio, quàm diligenter, & quàm propè faſtidioſè iudicamus? Nullæ enim lites, neq; controuerſiæ ſunt, quæ cogant homines ſicut in foro non bonos oratores, item in theatro actores malos perpeti. Eſt igitur oratori diligenter prouidendum, non vti illis ſatisfaciat, quibus neceſſe eſt, ſed vt ijs ipſis admirabilis eſſe videatur, quibus liberè liceat iudicare.* [9] *Ac ſi quæritis planè quid ſentiam, enuntiabo apud homines familiariſſimos quod adhuc ſemper tacui, & tacendum putaui. Mihi etiam quiq; optimè dicunt, quiq; id facillimè atq; ornatiſſimè facere poſſunt, tamen niſi timidè ad dicendum accedunt, & in exordienda oratione perturbantur, penè impudentes videntur, tametſi id non accidere non poteſt. Ut enim quiq; optimè dicit, ita maximè dicendi difficultatem varioſq; euentus orationis, hominumq; expectatione pertimeſcit. Qui verò nihil poteſt dignum re, dignum nomine oratoris, dignum hominum auribus efficere, atq; edere, is mihi, etiamſi commouetur in dicẽdo, tamen impudens videtur: non enim pudendo, ſed non faciendo id quod non decet, impudentiæ nomẽ effugere debemus: quem verò non pudet (id quod in pleriſq; video) hunc ego non reprehenſione ſolùm, ſed etiam pœna dignum puto. Equidem*

bus inſtructus acceſſerit. [38] Tum ridens Scæuola, Non luctabor, inquit, tecum Craſſe amplius. id enim ipſum quod contra me locutus es, artificio quodam es conſecutus, vt & mihi, quæ ego vellem, non eſſe oratoris concederes: & ea ipſa neſcio quo modo rurſus detorqueres, atq; oratori propria traderes. [39] Hæc cùm ego Prætor Rhodum veniſſem, & cum ſummo illo doctore iſtius diſciplinæ Apollonio, ea quæ à Panætio acceperam, contuliſſem, irriſit ille quidem, vt ſolebat, philoſophiam, atq; contempſit: multaq; non tam grauiter dixit, quàm facetè: tua autem fuit oratio eiuſmodi, non vt vllam artem doctrinámve contemneres, ſed vt omnes comites ac miniſtras oratoris eſſe diceres: [40] quas ego, ſi quis ſit vnus complexus omnes, idemq; ſi ad eas facultates iſtam ornatiſſimæ orationis adiunxerit, non poſſum dicere eum non egregium quendam hominem atq; admirandum fore: ſed is, ſi quis eſſet, aut ſi etiam vnquam fuiſſet, aut verò ſi eſſe poſſet, tu eſſes vnus profectò, qui & meo iudicio, & omnium vix vllam cæteris oratoribus (pace horum dixerim) laudem reliquiſti. Verùm ſi tibi ipſi nihil deeſt quod in forenſibus rebus ciuilibusq; verſetur, quin ſcias, neq; eam tamẽ ſcientiam, quam adiungis oratori, complexus es: videamus ne plus ei tribuas, quàm res & veritas ipſa concedat. [41] Hic Craſſus, Memento, inquit, me non de mea, ſed de oratoris facultate dixiſſe. Quid enim nos aut didicimus, aut ſcire potuimus, qui antè ad agendum, quàm ad cognoſcendum venimus? quos in foro, quos in ambitione, quos in Repub. quos in amicorum negotijs res ipſa antè confecit, quàm poſſemus aliquid de rebus tantis ſuſpicari. Quòd ſi tibi tantùm in nobis videtur eſſe, quibus etiamſi ingenium, vt tu putas, non maximè defuit, doctrina certè, & otium, & hercule etiam ſtudium

illud

illud dicendi acerrimum defuit: quid cenſes, ſi ad alicuius ingenium vel maius illa, quæ ego non attigi, acceſſerint, qualem illum & quantum oratorem futurum?

1 Scæuola primus eſt oppoſitus Craſſo ad reprehendendum duas laudes oratoris, quas Craſſus in oratione ſua poſuerat. Craſſus igitur deinde reſpondet ad reprehenſionem Scæuolæ, ac primùm indicat philoſophos Græcos à quibus iſta Scæuolę diſputatio contra oratorem ſumpta ſit, Carneadem, Clitomachum, Aeſchinem, Metrodorum, Mneſarchum, Critolaum, Diodorum, qui oratori detrahebant, non ſolùm laudem vrbium conditarum & conſeruatarum, ſed etiam cognitionem doctrinæ ingenuæ, & liberalis. De quibus philoſophis vide Diogenem Laertium. 2 Comparat Carneadem oratorē miſeris ſeruis, qui propter aliquam noxam contractam detruduntur in piſtrinum, ad verſandas molas, quibus frumentum tunditur & comminuitur, ſicut ait Terentius: *Terentius in Andria.*

S. Verberibus cæſum te in piſtrinum Daue dedam vſq. ad necem.

His igitur confertur cauſidicus, qui in tribus generibus cauſſarum aſſiduiſſimè & laborioſiſſimè verſatur. 3 Craſſus incipit refellere contraria Philoſophorum teſtimonia, & imprimis Platonis, à repugnantibus: Plato in irridendis ſummis oratoribus, ipſe eſt ſummus orator: non igitur eos ſeriò irridet. Socrates in Gorgia contra Polum & Calliclem diſputans, cùm ciuilis ſcientiæ duas ſpecies ad corpus retuliſſet, Gymnaſticam & medicinam, duas item ad animum, legalem & iuſtitiam, ſingulis artibus & virtutibus vitioſas & fallaces earum imitationes oppoſuit, Gymnaſticæ, artem mangonum: medicinæ, artem coquorum: legali, ſophiſticam: iuſtitiæ, rhetoricam: ibique contendit rhetoricam non eſſe artem, ſed peritiam quandam inartificialem aucupandæ gratiæ & voluptatis in foro & cauſſis ciuilibus. Socratis verba ſunt, τέχνην δὲ αὐτὴν οὐ φημὶ εἶναι, ἀλλ᾽ ἐμπειρίαν, ὅτι οὐκ ἔχει λόγον οὐδένα, ᾧ προσφέρει ἃ προσφέρει ὁποῖα ἄττα τὴν φύσιν ἐστὶν, ὥστε τὴν αἰτίαν ἑκάστου μὴ ἔχειν εἰπεῖν· ἐγὼ δὲ τέχνην οὐ καλῶ, ὃ ἂν ᾖ ἄλογον πρᾶγμα. τούτων δὲ πέρι εἰ ἀμφισβητεῖς, ἐθέλω ὑποσχεῖν λόγον. τῇ μὲν οὖν ἰατρικῇ, ὥσπερ λέγω, ἡ ὀψοποιητικὴ κολακεία ὑπόκειται· τῇ δὲ γυμναστικῇ, κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον τοῦτον ἡ κομμωτική, κακοῦργός τε καὶ ἀπατηλὴ καὶ ἀγεννὴς, καὶ ἀνελεύθερος, σχήμασί τε καὶ χρώμασι, καὶ λειότησι, καὶ αἰσθήσει, ἀπατῶσα, ὥστε ποιεῖν ἀλλότριον κάλλος ἐφελκομένους τοῦ οἰκείου τοῦ διὰ τῆς γυμναστικῆς ἀμελεῖν· ἵν᾽ οὖν μὴ μακρολογῶ. ἐθέλω σοι εἰπεῖν, ὥσπερ οἱ γεωμέτραι, ἤδη γὰρ ἂν ἴσως ἀκολουθήσειας. ὅτι ὃ κομμωτικὴ πρὸς γυμναστικὴν, τοῦτο ὀψοποιητικὴ πρὸς ἰατρικήν· μᾶλλον δὲ ὧδε, ὅτι ὃ κομμωτικὴ πρὸς γυμναστικὴν, τοῦτο σοφιστικὴ πρὸς νομοθετικὴν, καὶ, ὅτι ὃ ἡ ὀψοποιητικὴ πρὸς ἰατρικὴν, τοῦτο ῥητορικὴ πρὸς δικαιοσύνην. Hanc verò artem eſſe non dico, ſed peritiam: quoniam nullam eorum quæ adfert, qualia ſint natura, rationem habet, nec poteſt vniuſcuiuſque rei cauſſam dicere: ego verò artem non appello quæ ratione careat. de his autem ſi dubitas, volo rationem reddere. Medicinæ quidem (vt dico) ſubiicitur blanda ars parandorum obſoniorum: Gymnaſticæ autem eodem modo ars fucandi, improba, fallax, minimè genèroſa & liberalis, figuris, coloribus, lineamentis & ſenſu ſic imponens, vt faciat nos aliena forma captos propriam, quæ per gymnaſticen inducitur, negligere. ac ne ſim longior, volo tibi dicere quemadmodum ſolent geometræ: iam enim fortaſſe aſſequeris: quod fucandi ars eſt ad gymnaſticen, hoc ipſum eſt ars coquorum ad medicinam: immò verò ſic, quod ars fucandi ad gymnaſticen, hoc eſt, ſophiſtica ad

legalem: & quod ars coquorum ad medicinam, hoc rhetorice ad iuſtitiam. Verùm Socrates eam Rhetoricam, quæ ſuis temporibus exercebatur, exagitat & vituperat, non autem veram & honeſtam, vt ait Fab us. *Cap. 10. lib. 2.* 4 Craſſus indicat de oratore controuerſiam in nomine ipſo conſiſtere, quòd alio atque alio modo definiatur: oratoris ſiquidem nomine triplex orator diſtingui videtur, primus perfectus & omni ſcientia cumulatus, qui de omnibus rebus ornatè & copioſè poſſit dicere, quem Craſſus antea laudauit, & Antonius poſtea eloquentem appellabit: ſecundus mediocris, qui de tribus generibus cauſſarum poſſit aptè dicere, quem Scæuola aduerſus Craſſum defendit, & Antonius poſtea diſertum appellabit. Sed neutra definitio recta eſt: quia neque perfectus orator ex artium ſcientia, ſed ex elocutionis & actionis perfectione: neque mediocris ex actione ciuilium cauſſarum, ſed ex mediocri facultate eloquendi & pronuntiandi definiri debet, vt poſtea plenius oſtendemus. Tertius autem communis à Craſſo interdum velut per tranſennam demonſtratur, cùm is oratori ſolum ornatum orationis, hoc eſt, elocutionis & actionis, attribuit. De primo & perfecto Craſſus ita reſpondet, vt quamuis ſecundum vel tertium conſtituas, tamen perfectum illis nominibus neceſſe ſit inſtitui: quæ Craſſi diſputatio quamuis perſæpe in veram & generalem & ſimplicem eloquentiæ informationem incidat, non tamen in ea permanet, ſed eò relabitur, vt eloquentiæ nomine politicam & forenſem quandam facultatem multarum artium diſciplinis inſtructam confundat, non vnius artis propriam virtutem definiat. 5 Diſputat definitione ſecundi & mediocris oratoris, ſuum oratorem contineri: Argumẽtum eſt ex cauſſa, quæ dicitur ſine qua, ita concluſum:

> Qui res magnas cognouerit, ſine quibus cauſſas forenſes tractare non poteſt, is magnarum rerum eſt ſcientiam conſecutus:
> Orator autem Scæuolæ res magnas percipere debet, ſine quibus non poſſit agere cauſſas:
> Orator igitur Scæuolæ magnarum rerum ſcientiam ſit conſecutus, neceſſe eſt.

Aſſumptio præcedit, quæ illuſtratur enumeratione rerum oratori & cauſſidico tenendarum. Verùm Scæuola negaret Craſſo aſſumptionis hu us rationem, ſicut etiam poſtea Antonius negabit. 6 Craſſus item diſputat definitione tertij oratoris ſummum & perfectum oratorem ſuum contineri: quia ſine magnarum rerum ſcientia non poſſit orator copioſè & ornatè eloqui: qui locus eſt diligenter animaduertendus: nam Craſſus argumento, & argumentatione peccat: argumento quidem, quia puer in propoſitis poëtis & oratoribus poſſit à magiſtro omnia ornamenta eloquentiæ doceri, & in his exerceri: Argumentatione verò, quia non ſequitur, ſi ornatus rhetorici vſus ſine magnarum rerum ſcientia conſiſtere non poteſt, idcircò magnarum rerum ſcientiam oratoris propriam eſſe: Aliud enim eſt quippiam oratori eſſe neceſſarium, aliud eſſe proprium. 7 Hic Craſſus verè de oratoris facultate philoſophatur, & eloquentiam verè à cæteris artibus diſtinguit: ſic ſi Democritus, Plato, Ariſtoteles, Theophraſtus, Carneades purè & emendatè loquuti ſunt, puritas ſermonis ſit grammatici propria, materies verò aliarum artium, quas ipſi cognorunt: & ſi idem ipſi philoſophi ſubtiliter & prudenter argumentati & ratiocinati ſunt, hæc rationis ſubtilitas dialecticæ propria ſit, materies verò aliarum artium: ſeu Craſſus in hac tam vera diſtinctione artium non conſiſtit, ſed ad ſuum politicum hominem, & ad artium confuſionem ſtatim reuertitur: Democritus res phyſicas imprimis docuit, de cuius libris ita ſcribit Suidas: γνήσια δὲ βιβλία εἰσὶ δύο, ὅ,τε μέγας διάκοσμος, καὶ περὶ φύσεως κόσμου. id eſt, germani autem eius ſunt duo libri, magnus diacoſmus & de ornatu naturæ. Plato Athenienſis omnium politiſſimè & elegantiſſimè ſcripſit de mundo, & partibus eius, de homine, & pleriſque rebus minimè vulgatis & popularibus. Ariſtoteles eius diſcipulus non ſolùm philoſophus, ſed etiam eloquens

quens habitus eſt. Theophraſtus, Ariſtotelis auditor, à dignitate orationis hoc nomen inuenit. Carneades patronus nouæ Academiæ, tantùm in dicendo valuit, vt ad eum audiendum etiam Rhetores accederent, de quo vide Diogenem Laertium. 8 Exemplum Chryſippi ſuperioribus diſſimile eſt, quo eloquentia rectè & verè à philoſophia ſeparetur: quia Chryſippus ſine eloquentia ſummus extitit philoſophus: à philoſopho autem ſi afferat eloquentiam, non aſperner: ſi non habeat, non admodum flagitem, vt ait Cicero. Chryſippus itaque Stoicus cùm inuentionis acumine & rerum copia abundaret, non vſque tamen adeò dictione clarus fuit, vt author eſt Laertius: is compoſuit volumina & philoſophica, & hiſtorica, & grammatica, vt ait Suidas. 9 Oratio hominis politici elegans verbis, ſed inanis ſententiarum, merito quidem iure irridenda eſt, quia nullam habeat ad docendum authoritatem: & furorem non ſani hominis indicat, qui audeat multis audientibus multa verba temerè & inaniter effutire. Compoſitè & aptè ſine ſententiis dicere, ait Cicero, inſania eſt: ſententiosè autem, ſine verborum ordine & modo, infantia. Duæ ſunt igitur magnæ laudes orationis, vna in apparatu rerum, altera in ornatu verborum: & ambæ quidem homini politico ſint vtiles, non vt vni eloquentiæ propriè conueniant, verùm vt laus rerum artibus his, vnde res nobis ſuppetunt, laus ornatæ dictionis, rhetoricæ virtuti debeatur. 10 Concludit oratorem de omni re, quam didicerit, melius eſſe dicturum, quàm hominem artis peritum, ſed eloquentiæ expertem: quæ concluſio veriſſima eſt: nam qui arithmeticus erit & orator, melius de numeris dicet, quàm qui arithmeticus tantùm fuerit, & non orator. 11 Πρόληψις eſt: Orator tantùm in tribus generibus cauſſarum verſatur: non igitur ad eum pertinet rerum omnium ſcientia. vbi Craſſus ita primùm concedit, vt tamen neget ſine rerum ſcientia oratorem in ciuilibus cauſſis verſari poſſe: idque probat à phyſica, quæ ſpecies eſt ſcientiæ, quæ (vt ipſe putat) maximè eſt neceſſaria oratori, ad mouendos vel ſedandos affectus. 12 Craſſus hîc redit ad veram & germanam diſtinctionem oratoris, à philoſophis, cùm oratori ſolum ornatum tribuit. 13 Argumentum Scæuolæ de Theophraſto & Ariſtotele, Rhetoricæ artis ſcriptoribus Craſſus cōcedit, ſed ex eo contrarium concludit per diſtinctionem: Orator communem habet philoſophiam cum philoſopho, non communem eloquentiam: ſed propoſitio huius diſtinctionis falſa eſt, quia Philoſophia tam propria eſt philoſophorum, quàm Rhetorica rhetorum: nec verò Philoſophia rhetorum, aut philoſophorum Rhetorica eſt, non magis quàm Philoſophia grammaticorum, aut Grammatica philoſophorum, ſed ſingularum artium certi ſunt homines, qui ab his denominantur. 14 Occurrit huic obiectioni (Philoſophia moralis eſt philoſophorum: non igitur oratorum) quæ refellitur à diſſimilibus, quòd philoſophi ieiunè & exiliter, oratores copiosè & grauiter diſputent: quod magis decorè & conuenienter perſonæ Craſſi dictum eſt, quàm verè: philoſophi enim quidam copiosè & ornatè loquuntur, vt Plato, Ariſtoteles, Theophraſtus. atque hæc diſſimilitudo de artibus intelligenda non eſt, quæ vſu coniungi & diſiungi poſſunt, vt oratio aliquando ſit philoſophica & ornata, alias ornata, ſed non philoſophica, vel philoſophica, ſed non ornata: de antiquis igitur hominum ſtudiis hic locus intelligatur, quorum nonnulli extiterunt philoſophi qui contempta eloquentia philoſophiam præcipuè in ſcholis meditarentur, vt Stoici: alij etiam dicti oratores, qui ornatè & copiosè cauſſas ciuium agerent, & hac dictione forenſi interdum locos graues ex philoſophia tractarét, qui vel politici, vel cauſſidici propriè dicerentur: ſed neſcio quomodo nomen oratoris, quod erat commune omnium bene & ornatè dicentium, proprium & ſuum effecerunt. neque tamen tam de nomine ipſo contendo, quàm de congerie artium, vno eloquentiæ nomine confuſarum, vt Dialecticæ, philoſophiæ, ſcientiæ iuris, hiſtoriæ. quæ confuſio contra naturam ipſam eſt, & hominum ingeniis magnas tenebras offundit. 15 Concluditur locus de philoſophia oratori neceſſaria, cum honorifica interfatione de

Lib. 2. de Finib. bon. & mal.

In Orat. ad Brutum.

M.Marcello: qui locus etiam ſignificat ex Græcis ſumptam eſſe hanc diſputationem: & tranſitum facit ad ea quæ ſequuntur. 16 Scæuola negauerat res politicas inuentas & tractatas fuiſſe ab oratoribus: cui loco Craſſus reſpondet, collatione parium: Lycurgus & Solon non melius leges ſcierunt, quàm Demoſthenes & Hyperides: nec melius Decemuiri, quàm Galba & Lælius: quod argumentum Craſſi parum probabile eſt, nec ſatis conſequens: quia oratores illi res politicas perceperunt, nō eloquentiæ, ſed prudentiæ quadam facultate. 17 Lycurgus Lacedæmonis leges ſuas authoritate Apollinis Delphici, Solon Athenienſibus authoritate Palladis confirmauit, quarum capita Plutarchus refert, ſummamque viri vtriuſque ſapientiam in condendis legibus commendat: vterque etiam eloquens, vt temporibus illis habitus eſt. 18 Demoſthenes o-
In Bruto. rator Athenienſis fuit, quem (vt ait Cicero) planè quidem perfectum & cui nil admodum deſit, facilè dixeris: nihil acutè inueniri potuit in eis cauſſis, quas ſcripſit, nihil (vt ita dicam) ſubdolè, nihil verſutè, quod ille non viderit, nihil ſubtiliter dici, nihil preſſè, nihil enucleatè, quo fieri poſſit aliquid limatius, nihil contrà grande, nihil incitatum, nihil ornatum, vel verborum grauitate, vel ſententiarum, quo quicquam eſſet elatius. huic proximus fuit Hyperides. 19 Decemuiri creati ſunt centuriatis comitiis, Appius Claudius, & Titus Genutius, qui deſignati Conſules fuerant, cumque his Publius Sextius eius anni Conſul, & tres legati, qui à Græcis leges attulerant, Publ. Poſthumius, Seruius Sulpitius, Aulus Manlius: & vnus ex ſuperioris anni Coſs. T. Romulius, qui accuſante Sicio damnatus, pòſt author popularis ſententiæ fuerat: ex reliquo deinde ſenatu C. Iulius, T. Veturius, P. Horatius, conſulares omnes: hi leges tum ex Græcorum iure, tum ex inſtitutis patriis propoſuerūt in decem tabulas, vt à quouis ciue poſſent: deinde centuriatis comitiis ſancitas, & in æs inciſas conſtituerūt in maximè conſpicuo loco fori, & quia aliquid legum deeſſe videbatur, in proximum annum
Lib. 10. rurſus Decemuiri creati ſunt. Author Dionyſ. Halicarn. 20 Cicero Lælium &
In Bruto. Galbam in numero oratorum aſcribit: & elegātiam in Lælio, vim in Galba fuiſſe ſcribit: ſed Lælij mentem ſpirare etiam in ſcriptis, Galbæ autem vim occidiſſe.

21 Craſſus ita concludit diſtinctionem artium ab oratore, vt tamen neget illum vel in ciuilibus cauſſis verſari poſſe ſine multarum & magnarū artium ſcientia: idque probatur inductione artium, militaris, Geographicæ, Politicæ, Phyſicæ, quæ ad diſputandas cauſſas ciuiles oratori conferunt: ſed Craſſus oratoris perfectionem non aduentitiis illis & extrinſecùs aſſumptis artibus, verùm Rhetoricæ artis poteſtate, & fine (ſicut aliàs diximus) metiri definireque debuit.

22 Præmunitio eſt ad proximam diſtinctionem eloquētiæ à cæteris artibus, quæ quidem veriſſima eſt: ſed in ea Craſſus non permanet, quia eò tandem relabitur, vt oratori nō ſolùm facultatem ornandæ & poliendæ orationis, ſed etiam artium cognitionem & ſcientiam ſubiiciat: vtitur enim exemplis valde idoneis Philonis, Antonij, & Aſclepiade, in quibus ſingulis oſtendit quid eloquentia differat ab alienis artibus: ſed neſcio quo modo Craſſus quaſi oblitus ſui, nec ſatis acutè conſiderans quid in hac cauſſa dicendum ſit, oratorem legitimum poſſeſſorem omnium artium paulò pòſt ſtatuit: & in oratoris definitione ſummaque
Cap. 37. lib. 7 comprehenſione cæteras artes & diſciplinas confundit. 23 Laudatus eſt, ait Plinius, Cteſiphon Gnoſius æde Epheſiæ Dianæ admirabiliter fabricata, Philon Athenis armamentario mille nauium. 24 Aſclepiades ex Rhetore factus medi-
Ibidem. cus, condita noua ſecta, reperit rationem qua vinum ægris mederetur, vt ait Plinius, & relato è funere homine, & conſeruato, ſponſionem fecit cum fortuna, ne medicus crederetur, ſi vnquam inualidus vllo modo fuiſſet ipſe: & victor ſuprema ſenecta lapſu ſcalarum exanimatus eſt. 25 Dictum Socratis refellitur accommodatè ad ſententiam Craſſi, quia eloquentia & ſcientia rerum ita ſeparantur, vt tamen ad perfectam oratoris, id eſt, politici hominis laudem coniunctæ eſſe debeant. 26 Craſſus concludit oratoris ſui perfecti definitionem, ex ar-

artium ſcientia,& Rhetoricis quinque virtutibus cumulati, Inuentione, diſpoſitione,elocutione,memoria,& actione: quæ ſententia Craſſi de viro politico ſummo & excellenti vera quidem eſt, qui multis & variis artibus inſtructus, ad tractandas ciuiles cauſſas debet accedere:de oratore verò vnius artis homine,& à cæteris artibus diſtincto, falſa planè eſt: cuius perfectio (ſicut antè diximus) non conſtat ex aliis artibus, ſed ex artis ſuæ perfecta conſecutione:vt qui optimè eloqui & pronuntiare poteſt,is ſummus & perfectiſſimus orator ſit: ſi quam præterea artem didicit, non orator quidem perfectior, ſed homo doctior, & pluribus artibus excellentior æſtimandus ſit. 27 Πρόληψις eſt de particula definitionis (quacunque de re) quaſi oratori propoſitum non ſit omnem rem ſcire, ſed cùm ſcierit, eius proprium ſit ornatè explicare: quod quidem veriſſimum eſt: quia ornatus orationis duntaxat ad oratorem pertinet: ſcientia rerum quæ ornatè explicantur, ex aliis artibus & ſtudiis ſumenda eſt: verùm Craſſus ridiculè pronuntiat oratorem, cùm ex aliis rem quampiam cognouerit, melius dicturum,quàm hos ipſos,quorum hæ ſunt artes: non enim tùm orator ſolùm fuerit, ſed arithmeticus,ſi de numeris: medicus,ſi de morbis: imperator, ſi de bellis dicat: nec video cur melius de re quapiam dicat forẽſis orator,quàm proprius eius rei artifex, qui etiam diſertus & eloquens fuerit: vt exempli gratia, non melius Demoſthenes, nec ornatius de virtute & moribus dicet, quàm Plato, aut Theophraſtus.Itaq; inductio illa per ſpecies quarundam artium,vt militiæ,iuris,philoſophiæ,ineptam comparationem oratoris cum aliis proſequitur. 28 C.Marius bellicam vitam magis quàm vrbanam ſecutus, in Numidia Iugurtham vicit: ad aquas Sextias Teutones & Ambrones, in Italia etiam Cymbros debellauit: bello ſociali Marſos fudit: ex Africa reuerſus, in Italia magnam ciuium & municipum ſtragem fecit. Lege Florum. 29 Cicero (vt ipſe ait) Sext.Pompeium in aſtrologia ſtudioſè verſatum cognouit: *In Officijs.* Idemque ait, Pompeius Sexti *In Bruto.* filius aliquem numerum obtinebat: nam Sextus frater eius præſtantiſſimum ingenium contulerat ad ſummam iuris ciuilis,& ad perfectam Geometriæ & rerum Stoicarum ſcientiam. 30 De tribus philoſophiæ partibus Craſſus ait moralem eſſe oratori politico apprimè neceſſariam: ſicut ipſe quoque alibi teſtatur. *3.de Orat.* Ariſtoteles quoque Rhetoricam philoſophiæ partem moralis facit, propter morum & affectuum ſcientiam. 31 Argumentum eſt à paribus: Aratus & Nicander de alienis ſtudiis ornatè loquuti ſunt. Igitur & orator poteſt,cùm aliunde cognouerit. 32 Aratus Solenſis Athenodori filius,natus eſt(ſi Suidæ credimus) Olympiade 124. Συνέταξε δὲ (vt ait ille) βίβλια ταῦτα, τὰ φαινόμενα, ὧν θαυμάσιος ἡ εἰσβολὴ, καὶ ὁ ζῆλος ὁμηρικός· ὕμνους εἰς Πᾶνα, σπονδοφόρους, παίγνια, ἀστρολογίαν, ἀστροθεσίαν, συνθέσιν φαρμάκων θηριακῶν, ἐπιτήδειαν, ἀνθρωπογονίαν. id eſt, Compoſuit autem hos libros,phænomena,quorum admirabilis ingreſſus & imitatio Homerica : hymnos in Pana, ſpondophoros, ludicra, aſtrologiam,aſtrotheſiam, hoc eſt, aſtrorum ſitum, theriacorũ pharmacorum,idoneam compoſitionem de ortu hominum. Potuit autem fieri, vt Aratus ignarus aſtrologiæ, numero poetico verſuque aſtrologiam tractarit, ſicut orator in agricultura non verſatus optimè de agricultura dicet,cùm in commentariis legerit,vel à litigatore acceperit: Sic Aratus potuit de commentariis aſtrologorum in ſuum poema transferre,nõ quòd huius artis cauſſas & rationes penitus intelligeret: quod idem de Nicandro exiſtimandum eſt. 33 Nicander filius Xenophanis, Colophonius, grammaticus,medicus, & poeta fuit temporibus noui Attali, ſeu poſtremi Galatonicæ, quem Romani interemerunt, vt ait Suidas : ſcripſit autem θηριακά. ἀλεξιφάρμακα, γεωργικά, ἑταιρειῶν βίβλια πέντε, ἰάσεων συναγωγήν. προγνωστικά, δι᾽ ἐπῶν, μεταπέφρασται δὲ ἐκ τῶν τοῦ Ἱπποκράτους προγνωστικῶν. id eſt, Theriaca, Alexipharmaca, Georgica, ſodalitiorum libros quinque,reme-

proſequamini. Quod quidem ſi erit à vobis impetratum, magnam habebo, Craſſe, huic palæſtræ & [2] Tuſculano tuo gratiam, & longè Academiæ illi ac Lycio tuum hoc ſuburbanum Gymnaſium anteponam. [3] Tum ille, Imò verò, inquit, Sulpiti, rogemus Antonium, qui & poteſt facere id quod requiris, & conſueuit, vt te audio dicere. Nam me quidem ſemper à genere hoc toto ſermonis refugiſſe, & tibi cupienti atq; inſtanti ſæpiſſimè negaſſe, tute paulò antè dixiſti: quod ego non ſuperbia, neq; inhumanitate faciebam, neq; quò tuo ſtudio rectiſſimo atq; optimo nō obſequi vellem, præſertim cùm te vnum ex omnibus ad dicendum maximè natum aptumq; cognoſſem: ſed me hercule iſtius diſputationis inſolentia, atq; earum rerum quæ quaſi traduntur in arte, inſcitia. Tum Cotta: Quoniam id quod difficillimum nobis videbatur, vt omnino de his rebus, Craſſe, loquerere, aſſecuti ſumus, de reliquo iam noſtra culpa fuerit, ſi te, niſi omnia quæ percũctati erimus, explicaris, dimiſerimus. [4] De his credo rebus, inquit Craſſus, vt in conditionibus ſcribi ſolet, de quibus ſciam, poteroq;. Tum ille: Namq; quod tu non poteris, aut neſcies, quis noſtrûm tam impudens eſt, qui ſe ſcire aut poſſe poſtulet? Iam verò iſta conditione, dum mihi liceat negare poſſe quod nō potero, & fateri neſcire quod neſciam: licet, inquit Craſſus, veſtro arbitratu percunctemini. [5] Atqui, inquit Sulpitius, hoc primùm ex te, de quo modò Antonius expoſuit, quid ſentias, quærimus, exiſtiméſne artem aliquam eſſe dicēdi? Quid mihi nunc vos, inquit Craſſus, tanquam alicui Græculo otioſo & loquaci, & fortaſſe docto atque erudito, quæſtiunculam, de qua meo arbitratu loquar, ponitis? Quando enim me iſta curaſſe aut cogitaſſe arbitràmini, & non ſemper irriſiſſe potius eorum hominum

impudentiam, qui cùm in ſchola aſſediſſent, ex magna hominum frequentia dicere iuberent, ſi quis quid quæreret? Quod primùm ferūt Leontinum feciſſe Gorgiam, qui permagnum quiddam ſuſcipere ac profiteri videbatur, cùm ſe ad omnia de quibus quiſque audire vellet, eſſe paratum denunciaret. Poſtea verò vulgò hoc facere cœperunt, hodieq́; faciunt: vt nulla ſit res neq; tanta, neq; tam improuiſa, neque tam noua, de qua ſe non omnia quæ dici poſſunt, profiteantur eſſe dicturos. [6] *Quòd ſi te Cotta arbitrarer, aut te Sulpiti de ijs rebus audire velle, adduxiſſem huc Græcum aliquē, qui nos iſtiuſmodi diſputationibus delectaret: quod ne nunc quidem difficile factu eſt. eſt enim apud M. Piſonem adoleſcentem iam huic ſtudio deditum, ſummo hominem ingenio, noſtriq́; cupidiſſimum, Peripateticus Staſeas, homo nobis ſanè familiaris, & vt inter homines peritos conſtare video, in illo ſuo genere omnium princeps.* [7] *Quem tu, inquit, mihi Mutius, Staſeam, quem Peripateticum narras? Gerendus eſt tibi mos adoleſcentibus Craſſe, qui non Græci alicuius quotidianam loquacitatem ſine vſu, neque ex ſcholis cantilenam requirunt, ſed ex homine omnium ſapientiſſimo atq; eloquentiſſimo: atque ex eo, qui non in libellis, ſed in maximis cauſſis, & in hoc domicilio imperij & gloriæ ſit cōſilio linguaq́; princeps: cuius veſtigia qui perſequi cupiunt, eius ſententiam ſciſcitantur.* [8] *Equidem te, cùm in dicendo ſemper putaui deum, tum verò tibi nunquam eloquentiæ maiorem tribui laudem, quàm humanitatis: qua nunc te vti vel maximè decet, neq; defugere eam diſputationem, ad quam te duo excellentis ingenij adoleſcentes cupiunt accedere.* [9] *Ego verò, inquit, iſtis obſequi ſtudeo: neq; grauabor, breuiter, meo more, quid quaq́; de re ſentiam, dicere. Ac primum*

mùm illud (quoniam authoritatem tuam negligere Scæuola fas eſſe mihi non puto) reſpondeo, mihi dicendi aut nullam artem, aut pertenuem videri, ſed omnem eſſe contentionem inter homines doctos in verbi controuerſia poſitam. Nam ſi ars ita definitur, vt paulò antè expoſuit Antonius, ex rebus penitùs perſpectis, planeq́ cognitis, atq́ ab opinionis arbitrio ſeiunctis, ſcientiaq́ comprehenſis, non mihi videtur ars oratoris eſſe vlla. Sunt enim varia, & ad vulgarem popularemq́ ſenſum accommodata omnia genera huius forenſis noſtræ dictionis. Sin autem ea quæ obſeruata ſunt in vſu ac ratione dicendi, hæc ab hominibus callidis ac peritis animaduerſa ac notata, verbis deſignata, generibus illuſtrata, partibus diſtributa ſunt, id quod fieri potuiſſe video: non intelligo quamobrem non, ſi minus illa ſubtili definitione, at hac vulgari opinione ars eſſe videatur. [1] *Sed ſiue eſt ars, ſiue artis quædam ſimilitudo, non eſt quidem ea negligenda: verùm intelligendum eſt alia quædam ad conſequendam eloquentiam eſſe maiora. Tum Antonius vehementer ſe aſſentiri Craſſo dixit, quòd neq́ ita amplecteretur artem, vt ij ſolerent, qui omnem vim dicendi in arte ponerent: neq́ rurſum eam totam, ſicut pleriq́ philoſophi facerent, repudiaret. Sed exiſtimo, inquit, gratum te his eſſe Craſſe, facturum, ſi iſta expoſueris, quæ putas ad dicẽdum plus quàm ipſam artem poſſe prodeſſe.*

1 Hactenus per Craſſum & Scæuolam oratoris definitio varias in partes diducta & diſputata fuit: & per M. Antonium velut arbitrum quendam diſceptata & diiudicata: deinceps diſputabitur de cauſſis & partibus eloquẽtiæ perfectæ, quibus orator Craſſi perfectus & abſolutus efficitur: quæ ſunt natura, doctrina, & exercitatio, ad quas præparatur aditus interlocutione Sulpitij laudantis ſuperiorem ſermonem de definitione oratoris: & Craſſum ipſum ad ſequentem exhortantis. In quo interim ex decoro perſonarum Craſſus fingitur grauis & refractarius, Antonius verò facilis & humanus: ſeruatur etiam decorum in adoleſcentibus, Sulpitio & Cotta: qui dicendi cauſſa, ſenes interrogant, & ad reliquum ſermonem de cauſſis perfectæ eloquẽtiæ ſubtiliter explicandis inſtigant: tranſi-

tus itaque à generali definitione oratoris ad generalem partitionem eloquentiæ perfectæ ex tribus cauſſis,natura,doctrina,& exercitatione:quas Craſſus in adoleſcentium gratiam demonſtrabit. 2 Metonymia eſt, qua per Ariſtoteles Lycium,& Academiam Plato ſignificatur: & per Tuſculanum, Ciceronis oratorius dialogus: qui Lycio & Academiæ, id eſt, Græcorum diſputationibus & libris longè anteponitur. 3 Craſſus (quæ eius eſt modeſtia) reiicit in Antonium propoſitam diſputationem: & ſeipſum excuſat à cauſſis diſſimilibus, quòd non inhumanitate, ſed inſcitia hanc diſſerendi prouinciam fugerit,& fugiat: ſed Cotta iuuenis alter additur ad vrgẽdum Craſſum, vt inchoatum de oratore ſermonem continuet. Argumentum Cottæ eſt à maiori ad minus:

Quod erat difficillimum,à Craſſo iam impetrauimus:
Quod igitur minus difficile eſt,non negabit.

4 Craſſus quaſi adoleſcentum precibus victus,aſſentitur: decorum igitur in hoc dialogiſmo mirificè ſeruatum eſt,in quo & adoleſcentes præ ſe ferunt ingenuum quendam amorem diſcendi: & Craſſus homo grauis,& in rebus magnis occupatus, non tam ſua, quàm adoleſcentium voluntate, ad leuem & ſcholaſticum de Rhetoricis rebus ſermonem deſcendit: hæc autem Craſſi aſſenſio concluſa eſt ad hunc modum:

Craſſus dicturus eſt de quibus ſcierit,aut poterit:
De oratoris autem facultate poterit:
De oratoris igitur facultate dicturus eſt:

5 Sulpitius admonitus ſuperiore oratione Carneadis, primam orationem ponit: ſitne vlla ars dicendi? quam Craſſus pro decoro perſonæ ſuæ contemnit, quòd ſcholaſtica & ſophiſtica eiuſmodi diſputatio à viro graui,& in negotiis Reipublicæ verſato procul abhorreat: Itaq; commemorat Sophiſtarum Græcorum vetus exemplum,qui impudenter ſe de omni re dicturos profitebantur. Chærepho apud Platonem *εἰπέ μοι, ὦ Γοργία, ἀληθῆ λέγει Καλλικλῆς ὅδε, ὅτι ἐπαγγέλλῃ ἀποκρίνεσθαι ὅ,τι ἄν τίς σε ἐρωτᾷ; Γοργ. ἀληθῆ ὦ Χαιρεφῶν· καὶ γὰρ νυνδὴ αὐτὰ ταῦτα ἐπηγγελλόμην, καὶ λέγω, ὅτι οὐδείς μέ πω ἠρώτηκε καινὸν οὐδὲν πολλῶν ἐτῶν. Χαιρεφ. Ἦ που ἄρα ῥᾳδίως ἀποκρινῇ, ὦ Γοργία. Γοργ. Πάρεστι τούτου πεῖραν λαμβάνειν, ὦ Χαιρεφῶν.* Id eſt; Dic mihi, ô Gorgia, an verè Callicles hoc dicit, te profiteri ad id de quo quis te interroget, reſpondere? GORG. Verè ait, Chærepho: id enim ipſum profitebar, atque nihil noui multis iam annis me ab vllo homine interrogatum eſſe dico. CHAEREP. Facilè igitur reſpondes, Gorgia. GORG. Licet tibi, ô Chærepho; periculũ eiuſce rei facias. 6 Alterum exemplum vim habet diſſimilitudinis, quòd hæc quæſtio à Staſea Græco philoſopho petenda fuerit, non à Craſſo. Staſeas Neapolitanus, multos annos fuit apud Marc. Piſonem, nobilis ſanè Peripateticus, vt ait Cicero: hic autem Piſo, de quo mentio fit, maximè ex omnibus, qui antè fuerunt, Græcis doctrinis eruditus fuit: qui cùm in cauſſis floruiſſet adoleſcẽs, minor haberi eſt cœptus poſtea: deinde ex virginum iudicio magnã laudem eſt adeptus, & ex eo tempore quaſi reuocatus in curſum, tenuit locum tandiu, quàm ferre potuit laborem. Lege plura in Cicerone. 7 Authoritas Scæuolæ interponitur ad impellendum Craſſum, inuerſa proxima diſſimilitudine: Adoleſcentes non requirunt Staſeam hominem loquacem & inexpertum: ſed Craſſum potius doctiſſimum hominem, & vſu rerum ciuilium peritiſſimum, vbi Cicero indicat (quod etiam in prooemio fecit) hanc oratoriam diſputationem non tam ex rhetorum ſcholis, quàm ex vſu ciuili & forenſi ſumptam eſſe: neque ſe tractare Græcas & Latinas rhetorum ſcholas, ſed eam potius eloquentiam, quam in agendis ciuilibus cauſſis expertus eſt, & cognouit. 8 Alterum Scæuolæ argumentum per *ὑπερβολὴν* commendationem humanitatis: à minori ad maius.

Lib. 5. de Finibus.

In Bruto.

In Craſſo ſumma ineſt eloquentia:
Sed humanitas multò maior:

Quæ ratio laudis pertinet ad impellendum animũ Craſſi, vt id velit, quod duo adoleſcentes exoptant & rogant: in quo dialogiſmo iuuenilis ardor ad diſcendum percipiendumq; res honeſtas & vtiles demonſtratur. 9 Craſſus reſpondet ad quæſtionem de arte, adhibita diſtinctione nominis ambigui; vt cùm ars duobus modis definiatur, non priore quidem definitione, ſed poſteriore rhetorica ſit ars: nam prima definitio artis pertinet ad diſciplinas mathematicas, quæ certiſſimæ ſunt, & ex rebus planè cognitis, ſcientiaque comprehenſis conſtant: ſecunda conuenit aliis artibus; quarum decreta non certis quidem & euidentibus demonſtrationibus, ſed obſeruatione quadam & probabili ratione continentur: in quo genere ſunt artes philoſophorum de moribus & rebus occultis probabiliter diſſerentium, & rhetorum, & opificum: in quibus tamen legitima & recta poteſt eſſe diſciplinæ deſcriptio, vt ea res, de qua agitur, primùm definiatur; deinde in genera diuidatur: tum partes generibus ſubiectæ via & ordine declarentur, donec ad extremas & infimas quaſque ſpecies diſputatio deducta fuerit.

10 Craſſus expedita quæſtione Sulpitij, monet vtilem quidem eſſe artem rhetoricam, neque contemnendam: ſed alias eſſe tamen præterea cauſſas ad dicendum multò maiores, & excellentiores: de quibus vt diſſerat, ab Antonio in adoleſcentium gratiam inuitatur.

[1] Dicam equidem, quoniam inſtitui, petámque à vobis, inquit, ne has meas ineptias efferatis: quanquam moderabor ipſe, ne vt quidam magiſter atq; artifex, ſed quaſi vnus è togatorum numero, atq; ex forenſi vſu homo mediocris, neque omnino rudis, videar non ipſe aliquid à me prompſiſſe, ſed fortuitò in ſermonem veſtrum incidiſſe. Equidem quum peterem magiſtratus, ſolebam in prehenſando dimittere à me Scæuolam, cùm ei ita dicerem, me velle eſſe ineptum: id erat petere blandius: quod niſi ineptè fieret, bene non poſſet fieri. Hunc autem eſſe vnum hominem ex omnibus, quo præſente ego ineptus eſſe minimè vellem: quẽ quidem nunc mearum ineptiarum teſtem & ſpectatorem fortuna conſtituit. [2] Nam quid eſt ineptius, quàm de dicendo dicere, cùm id ipſum dicere nunquam ſit non ineptum, niſi cùm eſt neceſſarium? Perge verò Craſſe, inquit Mutius: iſtam enim culpam, quam vereris, ego præſtabo. [3] Sic igitur ſentio, inquit Craſſus, naturam primùm atq; ingenium ad dicẽdum vim afferre maximam: neq; verò iſtis, de quibus paulò antè

dixit Antonius, ſcriptoribus artis, rationem docendi & viam, ſed naturam defuiſſe. Nam & animi atq; ingenij celeres quidam motus eſſe debent, qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum ornandumq; ſint vberes, & ad memoriam firmi atq; diuturni. Et ſi quis eſt qui hæc putet arte accipi poſſe, quod falſum eſt (præclare enim ſe res habeat, ſi hæc accendi aut commoueri arte poſſint, inſeri quidem & donari ab arte non poſſunt omnia: ſunt enim illa dona naturæ) quid de illis dicet, quæ certè cum ipſo homine naſcuntur, linguæ ſolutio, vocis ſonus, latera, vires, conformatio quædam & figura totius oris & corporis? [4] Neq; hæc ita dico, vt ars aliquid limare nō poſſit, (neq; enim ignoro & quæ bona ſint, fieri meliora poſſe doctrina: & quæ non optima, aliquo modo acui tamen & corrigi poſſe) ſed ſunt quidam aut ita lingua hæſitantes, aut ita voce abſoni, aut ita voce motuq; corporis vaſti atq; agreſtes, vt etiam ſi ingenijs atque arte valeant, tamē in oratorum numerum venire non poſſint. Sunt autem quidam ita naturæ muneribus in iiſdem rebus habiles, ita ornati, vt non nati, ſed ab aliquo deo ficti eſſe videantur. [5] Magnum quoddam eſt onus atq; munus, ſuſcipere atq; profiteri, ſe eſſe omnibus ſilentibus vnum maximis de rebus magno in conuentu hominum audiendum. Adeſt enim ferè nemo, quin acutius atq; acrius vitia in dicente, quàm recta videat. Ita quicquid eſt in quo offenditur, id etiam illa, quæ laudanda ſunt, obruit. [6] Neq; hæc in eam ſententiam diſputo, vt homines adoleſcentes ſi quid naturale forte non habeant, omnino à dicendi ſtudio deterream. Quis enim non videat, [7] C. Cælio æquali meo, maximo honori fuiſſe, homini nouo, illam ipſam quamcunq; aſſequi potuerit, in dicendo mediocritatem? Quis veſtrûm æqualem

 meum

meum Q. Varium, vaſtum hominem atq; fœdum, non intelligit illa ipſa facultate quamcunq; habet, magnam eſſe in ciuitate gratiam conſecutum? Sed quia de oratore quærimus, fingendus eſt nobis oratione noſtra, detractis omnibus vitiis, orator, atq; omni laude cumulatus. Neque enim ſi multitudo litium, ſi varietas cauſſarum, ſi hac turba & barbaria forenſis dat locum vel vitioſiſſimis oratoribus, idcircò nos hoc quod quærimus, omittemus. Itaq; in iis artibus, in quibus non vtilitas quæritur neceſſaria, ſed animi libera quædam oblectatio, quàm diligenter, & quàm propè faſtidioſè iudicamus? Nullæ enim lites, neq; controuerſiæ ſunt, quæ cogant homines ſicut in foro non bonos oratores, item in theatro actores malos perpeti. Eſt igitur oratori diligenter prouidendum, non vti illis ſatisfaciat, quibus neceſſe eſt, ſed vt iis ipſis admirabilis eſſe videatur, quibus liberè liceat iudicare. Ac ſi quæritis planè quid ſentiam, enuntiabo apud homines familiariſſimos quod adhuc ſemper tacui, & tacendum putaui. Mihi etiam qui optimè dicunt, quiq; id facillimè atq; ornatiſſimè facere poſſunt, tamen niſi timidè ad dicendum accedunt, & in exordienda oratione perturbantur, penè impudentes videntur, tametſi id non accidere non poteſt. Vt enim quiq; optimè dicit, ita maximè dicendi difficultatem varioſq; euentus orationis, hominumq; expectatione pertimeſcit. Qui verò nihil poteſt dignum re, dignum nomine oratoris, dignum hominum auribus efficere, atq; edere, is mihi, etiamſi commouetur in dicẽdo, tamen impudens videtur: non enim pudendo, ſed non faciendo id quod non decet, impudentiæ nomẽ effugere debemus: quem verò non pudet (id quod in pleriſq; video) hunc ego non reprehenſione ſolùm, ſed etiam pœna dignum puto. Equidem

& in vobis animaduertere ſoleo, & in meipſo ſæpiſſimè experior, vt exalbeſcam in principijs dicendi, & tota mente atq; omnibus artubus contremiſcam. Adoleſcentulus verò ſic in initio accuſationis exanimatus ſum, vt hoc ſummum beneficium Quinto Maximo debuerim, quòd continuò concilium dimiſerit, ſimul ac me fractum ac debilitatum metu viderit. Hic omnes aſſenſi, ſignificare inter ſeſe, & colloqui cœperunt: fuit enim mirificus quidam in Craſſo pudor: qui tamen non modò non obeſſet eius orationi, ſed etiam probitatis commendatione prodeſſet. [12] *Tum Antonius, Sæpe, vt dicis, inquit, animaduerti Craſſe, & te, & cæteros ſummos oratores (quanquam tibi par, mea ſententia, nemo vnquam fuit) in dicendi exordio permoueri. Cuius quidem rei cùm cauſſam quærerem, quidnam eſſet cur vt in quoq; oratore plurimùm eſſet, ita maximè is pertimeſceret: has cauſſas inueniebam duas. Vnam quòd intelligerent ij, quos vſus ac natura docuiſſet, nonnunquam ſummis oratoribus non ſatis ex ſententia euentum dicendi procedere: ita non iniuria quotieſcunq;* [13] *dicerent, id quod aliquando poſſet accidere, ne tum accideret, timere. Altera eſt hæc, de qua queri ſæpe ſoleo: Cæterarum homines artium ſpectati & probati, ſiquando aliquid minus bene fecerunt quàm ſolent, aut noluiſſe, aut valetudine impediti non potuiſſe conſequi id quod ſcirent, putantur. Noluit, inquiunt, hodie agere Roſcius, aut crudior fuit.* [11] *Oratoris peccatum ſi quod eſt animaduerſum, ſtultitiæ peccatum videtur: Stultitia autem excuſationem non habet, quia nemo videtur, aut quia crudus fuerit, aut quòd ita maluerit, ſtultus fuiſſe. Quo etiam grauius iudicium in dicendo ſubimus. Quoties enim dicimus, toties de nobis iudicatur. Et qui ſemel in geſtu peccauit, non continuò*

exiſti-

exiſtimatur neſcire geſtum: Cuius autem in dicendo aliquid reprehenſum eſt, aut æterna in eo, aut certè diuturna valet opinio tarditatis. [12] *Illud verò, quod à te dictum eſt, eſſe permulta quæ orator niſi à natura haberet, non multum à magiſtro adiuuaretur, valde tibi aſſentior: inq; eo vel maximè probaui ſummum illum doctorem Alabandenſem Apollonium, qui cùm mercede doceret, tamen non patiebatur eos, quos iudicabat non poſſe oratores euadere, operam apud ſeſe perdere: dimittebatq;, & ad quam quemq; artem putabat eſſe aptum, ad eam impellere atque hortari ſolebat.* [13] *Satis eſt enim cæteris artificijs percipiendis tantummodo ſimilem eſſe hominis: & id quod tradatur, vel etiam inculcetur, ſi quis fortè ſit tardior, poſſe percipere animo & memoria cuſtodire: Non quæritur mobilitas linguæ, non celeritas verborum: non deniq; ea quæ nobis non poſſumus fingere, facies, vultus, ſonus: In oratore autem acumen dialecticorum, ſententiæ philoſophorum, verba propè poetarum: memoria iuriſconſultorum, vox tragœdorum, geſtus penè ſummorum actorum eſt requirendus. Quamobrem nihil in hominum genere rarius perfecto oratore inueniri poteſt. Quæ enim ſingularum rerum artifices ſingula ſi mediocriter adepti ſunt, probantur: ea niſi omnia ſumma ſunt in oratore, probari non poſſunt.* [14] *Tum Craſſus, Atqui vide, inquit, in artificio & opera perquàm tenui & leui quantò plus adhibeatur diligentiæ, quàm in hac re, quam conſtat eſſe maximam.* [15] *Sæpe enim ſoleo audire Roſcium, quum ita dicat, ſe adhuc reperire diſcipulum, quem quidem probaret, potuiſſe neminem: non quò non eſſent quidam probabiles, ſed quia ſi aliquid modò eſſet vitij, id ferre ipſe non poſſet. Nihil eſt enim tam inſigne, nec tam ad diuturnitatem*

memoriæ ſtabile, quàm id in quo aliquid offenderis. Itaq; vt ad hanc ſimilitudinem huius hiſtrionis oratoriam laudem dirigamus, videtíſne quàm nihil ab eo niſi perfectè, nihil niſi cum ſumma venuſtate fiat, niſi ita vt deceat, & vti omnes moueat, atq; delectet? Itaq; hoc iamdiu eſt conſecutus, vt in quo quiſq; artificio excelleret, is in ſuo genere Roſcius diceretur. Hanc ego abſolutionem perfectionemq; in oratore deſiderans, in qua ipſe longè abſum, facio impudenter. Mihi enim volo ignoſci, cæteris ipſe non ignoſco. Nam qui non poteſt, qui vitioſè facit, quem deniq; non decet, hunc (vt Apollonius iubebat) ad id quod facere poſſit, detrudendum puto. [16] *Num tu igitur, inquit Sulpitius, me aut hunc Cottam ius ciuile, aut rem militarem iubes diſcere? Nam quis ad iſta ſumma atq; in omni genere perfecta poteſt peruenire? Tum ille, Ego verò, inquit, quòd in vobis egregiam quandam ac præclaram indolem ad dicendum eſſe cognoui, idcircò hæc expoſui omnia: nec magis ad eos deterrendos qui non poſſent, quàm ad vos, qui poſſetis, exacuendos accommodaui orationem meam. Et quanquam in vtroq; veſtrum ſummum eſſe ingenium ſtudiumq; perſpexi: tamē hæc quæ ſunt in ſpecie poſita, de quibus plura fortaſſe dixi, quàm ſolent Græci dicere, in te Sulpiti diuina ſunt. Ego enim neminem nec motu corporis, neq; ipſo habitu atq; forma aptiorem, nec voce pleniorem aut ſuauiorē mihi videor audiſſe,* [17] *quæ quibus à natura minora data ſunt, tamen illud aſſequi poſſunt, vt iis quæ habeant, modicè & ſcienter vtantur, & vt ne dedeceat. Id enim eſt maximè vitandum, & de hoc vno minimè eſt facile præcipere, non mihi modò, qui ſicut vnus paterfamiliàs his de rebus loquor, ſed etiam ipſi illi Roſcio, quem ſæpe audio dicere, caput eſſe artis, decere:*

re: [18] *quod tamen vnum id eſſe, quod tradi arte non poſſit.* [19] *Sed ſi placet, ſermonem aliò transferamus, & noſtro more aliquando, non rhetorico loquamur. Minimè verò, inquit Cotta, nunc enim te iam exoremus neceſſe eſt, quoniam retines nos in hoc ſtudio, nec ad aliam dimittis artem, vt nobis explices quicquid eſt iſtud quod tu in dicēdo potes. Neq; enim ſumus nimis auidi: iſta tua mediocri eloquētia contenti ſumus: idq́; ex te quærimus (vt ne plus nos aſſequamur, quàm quantulum tu in dicendo aſſecutus es) quoniam quæ à natura expetenda ſunt, ea dicis nō nimis deeſſe nobis: quid præterea eſſe aſſumendum putes? Tum Craſſus arridens,* [20] *Quid cenſes, inquit, Cotta, niſi ſtudium & ardorem quendam amoris? ſine quo cùm in vita nihil quicquā egregium, tum certè hoc quod tu expetis, nemo vnquam aſſequetur. Neq; verò vos ad eam rem video eſſe cohortandos, quos, cùm mihi quoq; ſitis moleſti, nimis etiam flagrare intelligo cupiditate. Sed profectò ſtudia nihil proſunt perueniendi aliquò, niſi illud quod eò quò intendas, ferat, deducatq́;, cognoris. Quare quoniam mihi leuius quoddam onus imponitis, neq; ex me de oratoris arte, ſed de hac mea, quantulacunq; eſt, facultate quæritis: exponam vobis non quandam aut perreconditam, aut valde difficilem, aut magnificā, aut grauem rationem conſuetudinis meæ, qua quondam ſolitus ſum vti, cùm mihi in iſto ſtudio verſari adoleſcenti licebat. Tum Sulpitius, O diem Cotta nobis, inquit, optatum. Quod enim neq; precibus vnquam, nec inſidiando, nec ſpeculando aſſequi potui, vt, quid Craſſus ageret, meditandi aut dicendi cauſſa, non modò videre mihi, ſed ex eius ſcriptore & lectore Diphilo ſuſpicari liceret, id ſpero nos eſſe adeptos, omniaq́; iam ex ipſo, quæ diu cupimus, cognituros.*

1 Craſſus excitatus ad dicendum de maioribus eloquentiæ cauſſis, nouo quaſi procœmio vtitur: & dignitatis retinendæ gratia, ſeipſum extenuat, quaſi res leues & ineptas dicturus ſit: qui locus illuſtratur duobus diſſimilibus. primum ſic eſt, Dicam non vt artifex, ſed vt mediocris cauſſidicus, nō omnino imperitus. Secundum ſic, Cùm prehenſabam, non habebam Scæuolam teſtem, at teſtis hic eſt mearum ineptiarum. *Val. Max. libro 4. cap. 5.* Licinius Craſſus, cùm omnium candidatorum more, circumfuſorum ſupplex populo ire cogeretur, nunquã adduci potuit, vt id præſente Scæuola faceret: Itaque rogabat eum, vt à ſe, dum ineptæ rei inſeruiret, diſcederet. 2 Ratio à coniugatis:

Dicere ſine aliqua cauſſa eſt ineptum:
Ergo præcipere de dicendo ſine aliqua cauſſa item ineptum eſt.

3 Craſſus incipit exponere cauſſas eloquentiæ maiores arte, & præſtantiores, naturam ſcilicet & exercitationem: ac primùm naturæ partes enumerat, inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam: vbi dialecticæ naturalis partes cum eloquentiæ partibus confundit: quia acumen ad inueniendum, & prudentia ad diſponendum, bonitaſque memoriæ, naturales dotes ſunt dialecticæ virtutis propriæ. Nec verò Craſſum, ſi maximè velis, excuſare poſſis, quòd naturam politici hominis, & non communis oratoris, oratione ſua definiuerit: non enim naturam totam eiuſmodi hominis oſtendit, quē cùm vellet eſſe perfectum omnibus artibus, æquum certè erat, vt quemadmodum dialecticæ & rhetoricæ, ſic aliarum artium naturales dotes ei traderet, vt ſemina virtutum ad percipiendam philoſophiam moralem, igniculos ingenij ad contemplationem phyſicam, naturæ propenſionem ad ſtudium iuris: doceretque quemadmodum vir ille politicus ad omnis diſciplinæ ſcientiam egregiè natus & aptus eſſet, & in eo mirabilis indoles omnium virtutum eluceret. Cæterùm natura oratoris, quæ ſecundum veterem & antiquam conſuetudinem artium malè traditur à Craſſo, duabus in rebus cernitur, animo & corpore: vt animi dotes ſint ad percipiendam eloquentiam, acumen, vbertas, memoria: corporis autem bona ſint linguæ ſolutio, cùm omnibus ſublatis impedimentis expeditè & articulatè loquimur, qualem legimus fuiſſe in Cotta & Sulpitio, & pleriſque aliis oratoribus: huic opponitur *Philip. 3.* hæſitantia linguæ, quam Cicero notauit in Bambalione: tum vocis ſonus preſſus, ſuauis, vrbanus, venuſtus, ingenuus, liberalis, qualis fuit in Catulo: huic opponitur vox agreſtis, dura, & vaſta, & inculta: qualis fuit Cottæ. Tum latera firma & robuſta, ad eliciendum & ſuſtinendum ſpiritum vocis: *In Bruto.* ſic Cn. Pompeius lateribus pugnans dicitur, incitans animos, acer, acerbus, criminoſus: tum conformatio quædam totius oris, & corporis venuſta & decens, vnde magnam laudem tulit Hortenſius: contrà verò vituperatus eſt Sextus Titius, vt ſolutus & mollis in geſtu: & C. Curio, qui cùm cauſſam ageret, toto corpore in vtramque partem vacillabat: hæc & eiuſmodi dona naturæ, licèt ab arte iuuare poſſint, vt ſi bona ſint, meliora fiant, ſi non omnino bona, arte quodammodo corrigantur & emendentur, ſicut de Demoſthene accepimus: tamen ab arte & doctrina non donantur, ſed à natura. 4 Actio arte quidem iuuatur, ſed natura tamen potiſſimùm conſtat: qui locus illuſtratur diſſimilitudine hominum, quorum alij voce & geſtu corporis habiles & ornati ſunt, alij iiſdem in rebus inepti & deformes.

5 Craſſus expoſitis naturæ dotibus, quib. inſtructus eſſe debet orator, amplioris commendationis gratia amplificat eloquentiæ difficultatem, Magnum, inquit, & arduum eſt in conuentu multorum hominum dicere, quia in eo nihil niſi rectum & perfectum requiritur. 6 Prolepſis eſt, quòd Craſſus non idcircò adoleſcentes, in quibus hæc omnia naturæ dona nō fuerint, velit ab eloquentia deterrere: quia & mediocribus oratoribus ſua laus eſt, (vt probat duobus exemplis Cælij & Varij) ſed quòd hoc loco ſtatuat docere, qualis ſit optimus orator, quem non exemplo proprio & ſingulari, ſed vniuerſa quadam definitione & *In Bruto.* cogitatione comprehendit. 7 Cicerò ſcribit in Cælio induſtriam ſummam

fuiſſe,

fuiſſe,ſummasq; virtutes,eloquentiæ tantùm, quàm eſſet in rebus priuatis,amicis eius,in Republ.ipſius dignitati ſatis. Ibidem de Qu.Vario videtur honorificentius mentionem facere,quàm in hoc dialogo. Acutior (inquit) Carbone Q. Varius rebus inueniendis, nec minus verbis expeditus,fortis verò actor & vehemens,& verbis nec humilis, nec abiectus, & quẽ planè oratorẽ dicere auderes.

8 Prolepſis eſt à diſſimilibus:

Non ſi malus orator in foro toleratur,idcircò perfectus non eſt à nobis exquirendus.

Qui locus illuſtratur diſſimilitudine artium ludicrarũ & forenſiũ: Non quemadmodum malus actor è theatro,ſic malus orator è foro exploditur:quia in hoc retinendo aliqua neceſſitas eſt,in illo non eſt. 9 Craſſus excitat attentionem ad præceptum de ingenuo pudore oratoris, præſertim in principio orationum: res igitur ita ſe habet,vt orator quò melior, eò verecundior ſit, & quò deterior, eò ſit impudentior: ſic in principiis orationum Ciceronis ſæpe datur aliqua verecundiæ & metus ſignificatio: vt pro Quintio, Quæ res in ciuitate plurimũ poſſunt, hæ contra nos faciunt ambæ hoc tempore,ſumma gratia & eloquentia: quarum alteram C.Aquili vereor,alteram metuo:eloquentia Q.Hortenſij ne me dicendo impediat,nonnihil commoueor: gratia Sext.Næuij, ne P.Quintio noceat, id non mediocriter pertimeſco. Et Agraria 2.De me autem ipſo vereor ne arrogantis ſit apud uos dicere,ingrati tacere. Et pro Milone, Etſi vereor,Iudices,ne turpe ſit pro fortiſſimo viro dicere inſipientem timere,minimeque deceat cùm T.Annius Milo ipſe magis de Reipubl. ſalute, quàm de ſua perturbetur, me ad eius cauſſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe: tamen hæc iudicij noua forma terret oculos, qui quocunque inciderint, veterem conſuetudinem fori,& priſtinum morem iudiciorum minimè vident. Et pro Deiotaro, Cùm in omnibus cauſſis Cai Cæſar, initio dicendi cõmoueri ſoleam vehementius,quàm videtur vel vſus vel ætas mea poſtulare, tum in hac cauſſa ita me multa perturbant, vt quantum mea fides ſtudij mihi adferat ad ſalutem regis Deiotari defendendam,tantum facultatis timor detrahat. Et Fabius, Iudex,inquit,odit litigantis ſecuritatem. Item, Conueni: frequentiſſimè procemio lenis pronuntiatio: nihil eſt enim ad conciliandũ gratius verecundia:non tamen ſemper. Lib. 4. Lib. 11. 10 Antonius approbat ſententiam Craſſi de ingenuo pudore oratoris: cuius duas cauſſas adfert,& quòd orator timet,ne cauſſæ aut famæ ſuæ non reſpondeat: & quòd in oratore peccatum nõ excuſetur.explicatio ſecundæ cauſſæ comparatione diſſimilium tractatur:

Hiſtriones ſi quando peccant,excuſantur:
Orator non excuſatur.

Prima pars diſſimilitudinis probatur exemplo Roſcij: atque hæc collatio de bono oratore,& excellenti hiſtrione intelligẽda eſt. 11 Ἀνταπόδοσις diſſimilitudinis, vbi ſyllogiſmus eſt ſimplex primi generis:

Stultitia non excuſatur:
Oratoris peccatum eſt ſtultitia:
Oratoris itaque peccatum non excuſatur.

12 Antonius item approbat ſententiam Craſſi de naturalibus dotibus mentis & corporis, quæ in oratore requiruntur. idque teſtimonio Apollonij Rhetoris Alabandenſis,qui diſcipulos dociles,& ad rhetoricam ineptos à ſe dimittebat. Alabanda autem (vt ait Stephanus) oppidum eſt Cariæ, ab Alabando Caris filio ita nominatum. 13 Confirmatio ex diſſimilitudine aliarum artium, quæ contentæ ſunt mediocri ingenio, & facultate hominis, eloquentia autem variam & multiplicem naturæ facultatem & gratiam requirit.Secunda pars diſſimilitudinis illuſtratur enumeratione earum rerum, quas orator à natura aſſumit: vbi Antonius indicat tam multa, quæ oratori velut legitimo poſſeſſori tribuuntur, non eſſe eloquentiæ propria (nam ſingula propriis ſuis artificibus attribuit) ne-

que oratorem definiri hominem vnius artis, ſed virum politicum multis ingenuis naturæ dotibus inſtructum, vt dialecticis, philoſophicis, poeticis, tragicis, comicis, &c. 14 Craſſus auget eloquentiæ difficultatem collatione hiſtrionicæ artis, quæ tametſi eloquentia minor eſt, tamen maximè induſtrios & laborioſos habet artifices. qui locus facto & exēplo Roſcij declaratur. 15 Collatio eſt ex diſſimilibus, Non quemadmodum Roſcius in arte ſua perfectus eſt, & detractis omnibus vitiis omni laude cumulatus hiſtrio, ſic in eloquentia quiſquam perfectus inueniri poteſt. hæc ſententia (Roſcius in ſuo genere) abiit in prouerbium, quo vtimur ad ſignificandum hominem in aliqua arte excellentem: Quintus enim Roſcius tanta dignitate vocis & geſtus comœdias in ſcena agebat, vt hominis actione nihil videretur eſſe venuſtius & excellentius: de quo Cicero in orationibus pro Quintio, pro Roſcio, & pro Archia poëta. 16 Πρόληψις eſt ad pudorem & decorem perſonarum, ne adoleſcentes Cotta & Sulpitius ea ſibi videantur arrogare, quæ Craſſus de natura oratoris commemorauit: eſt enim elegantius laudes noſtras alieno, quàm noſtro ore prædicari. Itaque Craſſus eam laudem magis decorè proſequitur, & auget collatione maiorum:

Magnæ ſunt ingenij & corporis dotes in Cotta & Sulpitio:
Sed in Sulpitio maiores & excellentiores ſunt.

Vbi Sulpitius adducitur in exemplum excellentis oratoris, & maximis naturæ dotibus præditi. Cotta verò in exemplum mediocris & tolerabilis oratoris. Fuit Sulpitius (vt ait Cicero) omnium quos quidem audierim, grandis, & (vt ita dicam) Tragicus orator: vox cùm magna, tum ſuauis: geſtus & motus corporis ita venuſtus, vt tamen ad forum, non ad ſcenam inſtitutus videretur. 17 De natura mediocris oratoris Craſſus hoc præcipit, vt ab eo decorum præcipuè ſeruetur: idque dicit maximè propter Cottam, in quo non erat tam excellens vis naturæ, quàm in Sulpitio. erat enim, vt ait Cicero, infirmis lateribus. 18 Tametſi in ſingulis artibus intelligitur, quid in his rebus, quas artes maximè tractant, decorum ſit, vt grammatica, quomodo loquamur: ex arithmetica, quomodo rectè numeremus: ex geometria, quomodo aptè metiamur: tamen infinitæ ſunt res artibus non comprehenſæ, in quibus quid decorum ſit, nulla ars & doctrina tradit.

In Bruto. *In Bruto.*

19 Craſſus ſimulat ſe aliò velle transferre ſermonē, vt habeat perpetuam perſonæ & grauitatis ſuæ rationem, ne iudicio & voluntate ſua, ſed potius adoleſcentum cohortatu, & precibus in hac diſputatione Rhetorica commorari videatur: itaq; huic additur Cotta ſupplex, qui Craſſi eloquentiam per iocum & εἰρωνείας extenuat, ne Craſſus (ſicut antea) ſe moroſum & difficilem ad reſpondendum, & reliqua explicandum præbeat. 20 Ardens amor naturæ coniunctus eſt, quia naturale eſt incitamentum ad percipiendam & conſequendam eam virtutem, ad quam natus ſis, & habilis: res enim magnæ ab hominibus comparātur: primùm ſi ad eas ſint apti, deinde ſi eas ardore quodam amoris optent: tum ſi viam & artem in agendo cognoſcant: poſtremò ſi vſum & exercitationem adhibeant.

[1] Tum Craſſus, Atqui arbitror, Sulpiti, quum audieris, non tam te hæc admiraturum quæ dixero, quàm exiſtimaturum tum, quum ea audire cupiebas, cauſam cur cuperes, non fuiſſe. Nihil enim dicam reconditum, nihil expectatione veſtra dignum, nihil aut inauditum vobis, aut cuiquam nouum. [2] Nam principio illud, quod eſt homine ingenuo liberaliterq́ educato dignum, non negabo me iſta omnium

communia & contrita præcepta didiciſſe, primùm oratoris officium eſſe, dicere ad perſuadendum accommodatè: [3] deinde eſſe omnem orationem aut de infinitæ rei quæſtione, ſine deſignatione perſonarum & temporũ, aut de certis in perſonis ac temporibus locata. [4] In vtraq; autem re quicquid in controuerſiam veniat, in eo quæri ſolere, aut factúmne ſit, aut ſi eſt factum, quale ſit, aut etiam quo nomine vocetur: aut quod nonnulli addunt, rectène factum eſſe videatur. [5] Exiſtere autem controuerſias etiam ex ſcripti interpretatione, in quo aut ambiguè quid ſit ſcriptum, aut contrariè, aut ita, vt à ſententia ſcriptum diſſideat: [6] His autem omnibus partibus ſubiecta quædam eſſe argumenta propria: [7] ſed cauſſarum quæ ſint à communi quæſtione ſeiunctæ, partim in iudicijs verſari, partim in deliberationibus: Eſſe etiam genus tertium, quod in laudandis aut vituperandis hominibus poneretur: certosq; eſſe locos, quibus in iudicijs vteremur, in quibus æquitas quæritur: alios in deliberationibus, qui omnes ad vtilitatem dirigẽtur eorum quibus conſilium daremus: alios item in laudationibus, in quibus ad perſonarum dignitatem omnia referrentur. [8] Quumq; eſſet omnis oratoris vis ac facultas in quinque partes diſtributa, vt deberet reperire primùm quid diceret: deinde inuenta non ſolùm ordine, ſed etiam momento quodam atq; iudicio diſpenſare atq; diſponere: [9] tum ea deniq; veſtire atque ornare oratione: pòſt memoria ſepire: ad extremum, agere cum dignitate & venuſtate: [10] etiam illa cognoram & acceperam, antè quàm de re diceremus, initio conciliandos eorum eſſe animos, qui audirẽt: deinde rem demonſtrandam: poſteà controuerſiam conſtituendam: tum id quod nos intenderemus, confirmandum: pòſt, quæ contrà dicerentur,

refellenda: extrema autem oratione, ea quæ pro nobis eſſent, amplificanda & augenda, quæq; eſſent pro aduerſarijs, infirmanda atq; frangenda. " Audieram etiam quæ de orationis ipſius ornamentis traderētur: in qua præcipitur primùm, vt purè & Latinè loquamur, deinde vt planè & dilucidè, tum vt ornatè, pòſt ad rerum dignitatem aptè, & quaſi decorè: ſingularumq; rerum præcepta cognoram. Quinetiam quæ maximè propria eſſent naturæ, tamen his ipſis artem adhiberi videram. Nam de actione & de memoria quædam breuia, ſed magna cum exercitatione præcepta guſtaram. " In his enim ferè rebus omnis iſtorum artificum doctrina verſatur: quam ego ſi nihil dicam adiuuare, mentiar: habet enim quædam quaſi ad commouendum oratorem, quò quidque referat, & quò intuens, ab eo quodcunq; ſibi propoſuerit, minus aberret. [3] Verùm ego hanc vim intelligo eſſe in præceptis omnibus, non vt ea ſecuti oratores, eloquentiæ laudem ſint adepti: ſed quæ ſua ſponte homines eloquentes facerent, ea quoſdam obſeruaſſe, atq; id egiſſe: ſic eſſe non eloquentiam ex artificio, ſed artificium ex eloquentia natum: quod tamen, vt antè dixi, non eycio: eſt enim etiamſi minus neceſſarium ad bene dicendum, tamen ad cognoſcendum non illiberale.

1 Expoſitis naturalis eloquentiæ, ſtudiiſque muneribus, oratori neceſſariis, Craſſus dicturus de Rhetorica arte ſecunda cauſſa perfectæ eloquentiæ, modeſtè extenuat quod dicturus eſt ad retinendum ingenuum pudorem. Dicam, inquit, non magnum aliquid, ſed quod adoleſcentulus didici, & facere conſueui de artificio Rhetorico. 2 Craſſus breuiter perſtringit artis Rhetoricæ præcepta, quæ fuſius duobus reliquis libris explicantur: hæc autem ſummatim ſunt in definitione oratoris, & in tribus partibus artis, quæſtione, facultate oratoris, & oratione: quam diſtributionem Cicero quoque in Partitionibus oratoriis ſecutus eſt. Definitio oratoris ex eius fine ſumitur: nam oratori, id eſt (vt nunc loquimur) aduocato ciuili propoſitum eſt aptè dicere ad perſuadendum: quæ definitio communis oratoris propria non eſſet, quia dialectica inuentio & diſpoſitio magis ad perſuadēdum, quàm Rhetorica vel elocutio vel actio valet. 3 Quæſtio diuiditur ex grammaticis circunſtantiis nominum: vt enim hæc ſunt communia, vel propria, ita vel communiter vel propriè aliquid quæritur: quæ diuiſio ve-

ſio vera quidem eſt, ſed inutilis, vel in hac quinque partibus confuſa rhetorica: quia tota ars & inuentionis, & diſpoſitionis, & elocutionis, & actionis, & memoriæ, bene tradita, communis eſt omnium quæſtionum: quemadmodum igitur doctrina diſpoſitionis, vel elocutionis non requirit diuiſionem quæſtionis in infinitam & finitam, ita neque ars inuentionis, cuius generalia præcepta omnibus explicandis quæſtionibus inſeruiunt. 4 Vtrumque genus quæſtionis infinitum & finitum diuiditur in quæſtionem vel de re, vel de ſcripto: & quæſtio de re diuiditur in ternas ſpecies, an ſit aliquid factum, quid ſit, recténe factum ſit: vt, An ſit tyrannus, quid ſit tyrannus, recténe occidatur tyrannus, & an non. &, An ſit Clodius inſidiator, quid ſit Clodius, recténe cæſus ſit Clodius. Sed hæc partitio videtur eſſe manca & imperfecta, quia multa quæruntur, quæ in nullum horum generum cadunt: vt, Vbi viuit Salamandra, quando veniet Antichriſtus, ex qua materia factus eſt murus Babylonis. 5 Quæſtio legalis, & cõmuniter & propriè tripartita eſt: aliàs enim naſcitur ex ambiguè ſcripto, vt quidam teſtamento iuſſit poni ſtatuam auream haſtam tenentem: quæritur an ſtatua debeat eſſe aurea, an haſta. aliàs ex contrariis ſcriptis: vt, Tyrannicidæ ſtatua in Gymnaſio reponatur: &, Mulieri ſtatua in Gymnaſio ne ponatur. Mulier occiſo tyranno ſtatuam petit, quæſtio ex cõtrariis legibus naſcitur, aliàs ex ſcripto & voluntate ſcribentis: vt, Peregrinus ſi muros aſcenderit, capite plectatur: peregrinus quum hoſtes muro deieciſſet, depoſcitur ad ſupplicium: quæritur hic ſenſus & interpretatio legis. 6 Rhetores quæſtionẽ variè diuidunt, quòd non putent vnam communem eſſe inuentionem omnium quæſtionum, & idcircò ſingulis generibus ſuos locos accommodant, ſicut faciet Antonius libro ſecundo: ſed tamen ſicut eſt vna pronuntiatio communis omnium rerum pronunciandarum, ſic quoq; vna inuentio communis omnium argumentorum tradi potuit, & à Cicerone ipſo tradita eſt: nam cauſſæ, effectus, ſubiecta, adiuncta, diſſentanea, comparata, notatio, coniugatio, diuiſio, definitio, teſtimonia, ſunt loci quidam generales, qui tractandis omnibus quæſtionibus conueniunt, & ſub quibus omnes Rhetorici loci, qui adhibentur ad ſingulas quæſtiones, continentur. 7 Quæſtio finita, quam Græci ὑπόθεσιν, Latini cauſſam nominant, diuiditur in tria genera, iudicium, deliberationem, & demonſtrationem: quæ partitio ex Ariſtotelis primo libro ad Theodecten ſumpta eſt, ſed manca & imperfecta, quia non omnis quæſtio ſpecialis in his tribus generibus ponitur: ſed idcircò ab antiquis retenta eſt, quòd in his ferè ſolis generibus politicus orator exerceretur. 8 Diuiſio Rhetoricæ facultatis in inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, & actionem, ſi de vera & communi Rhetorica intelligitur, ſuperuacua eſt: quia inuentio, diſpoſitio, & memoria communis huius Rhetoricæ nihil ſunt, ſed dialecticæ artis partes ſunt: ſin de Rhetorica forenſi intelligitur, mutila & imperfecta eſt: quia forenſis illa Rhetorica non ſolùm conſtat ex his quinque partibus, ſed etiam ex philoſophia morali & naturali, ex hiſtoria, iuriſprudentia, & multis aliis diſciplinis, quæ ad vſum forenſem neceſſariæ ſunt. Itaque vtramuis Rhetoricæ ſignificationem rhetores ſequuntur, peccant in diuiſione: quia vel illic multa non neceſſaria ponunt, vel hic multa neceſſaria prætermittunt. 9 Elocutio veſti comparatur, velut inuentio corpori, vt libro 2. de Oratore, Non erit, vt opinor, iniqua partitio, ſi cùm hunc ego oratorem, quem fingo, vt inſtitui, crearo, aluero, confirmaro, tradam eum Craſſo veſtiendum atque ornandum. Et in Bruto, Reconditas exquiſitasque ſententias mollis & pellucens veſtiebat oratio. 10 Diuiſio orationis in quinque partes, earumque ordo partium, rhetoricum nihil habet, quia in his quinque partibus nihil præcipitur de ornatu & actione orationis, ſed ex dialecticæ methodi legibus dependet, quæ iubent vt in exordio res primùm proponatur, deinde narratione explicetur, tum certas in partes diuidatur: quæ adhibita confirmatione vel refutatione doceantur vel improbentur, tum ad extremum diſputatio concludatur: eamque ordinis deſcriptionem, ſi quid artis

eſt, non oratoria, ſed dialectica ars ſuo iure ſibi vendicat: quippe cuius ſit proprium munus docere, quæ in longa oratione proponi, & quæ ſequi via & ordine debeant. 11 De quatuor elocutionis virtutibus, quas Craſſus propoſuit, vna duntaxat eſt oratoris propria & germana: nam Latinè loqui, non eſt laus orato-
Lib.3. de Oratore. ris, vt ait Cicero, ſed ciuis Romani: & perſpicuitas in oratione communis eſt virtus Grammaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ: & decorũ item commune eſt omnium artium, omniſque humanæ prudentiæ & humanitatis: ſolus igitur ornatus in tropis & figuris Rhetoricæ elocutionis proprius eſt. 12 Concludit Rhetoricæ artis vtilitatem allegorica ſimilitudine ſagittariorum: qui ſcopum, quò tela ſua dirigant, intuentur: nec tamen omnem vim dicendi ſtatuit in arte ipſa: quia ante artem repertã multi fuerunt eloquentes, ex quorũ obſeruatione ars ipſa nata
Cap.2. lib.3. ſit: homines enim, vt ait Fabius, ſicut in medicina cùm viderent alia ſalubria, alia inſalubria, ex obſeruatione eorum fecerunt artem: ita cùm in dicendo alia vtilia, alia inutilia deprehenderent, notarunt ea ad imitandum, vitandumque, & quædam ſecundùm rationem eorum adiecerunt ipſi quoque: hæc confirmata ſunt vſu, tum quæ quiſque ſciebat, docuit. 13 Artis Rhetoricæ obſeruatio ab antiquis Rhetoribus vitioſè facta vitioſam artem genuit: nam cùm in ſingulis artibus propria & diſtincta materies obſeruari debeat, vt Grammaticæ materies in Grammatica, & Rhetoricæ in Rhetorica: Græci tamen & Latini Rhetores non propriam quandam eloquentiæ vim & facultatem ſpectarunt, ſed potius hominem vnum, in quo ſpecies multarum artium eluceret: & cùm eloquentia ad omnes res accommodari poſſit, nihilominus tamen illi Rhetoricam artem duntaxat ad materiem cauſſarum ciuilium traduxerunt: itaq; in tota artis deſcriptione propter vitioſam obſeruationem grauiter erratum eſt.

[1] *Et exercitatio quædã ſuſcipienda vobis eſt, quanquam vos quidem iampridem eſtis in curſu: ſed ijs qui egrediuntur ad ſtudium, quiq; ea quæ agenda ſunt in foro, tanquam in acie, poſſunt etiam nunc exercitatione quaſi ludicra præ diſcere ac meditari. Hanc ipſam, inquit Sulpitius, noſſe volumus: attamen iſta quæ abs te breuiter de arte decurſa ſunt, audire cupimus: quanquam ſunt nobis quoq; non inaudita: verùm illa mox: nunc de ipſa exercitatione quid ſentias, quærimus. Equidem probo iſta, Craſſus, inquit, quæ vos facere ſoletis, vt cauſſa aliqua poſita conſimili cauſſarum earum, quæ in forum deferuntur, dicatis quàm maximè ad veritatem accommodatè. Sed pleriq; in hoc vocem modò, neq; eam ſcienter, & vires exercent ſuas, & linguæ celeritatem incitant, verborumq; frequentia delectantur, in quo fallit eos quod audierunt, dicendo homines, vt dicant efficere ſolere. Verè enim etiam illud dicitur, Peruerſè dicere homi-*

nes, peruerſe dicẽdo facillimè conſequi. Quamobrem in iſtis ipſis exercitationibus etſi vtile eſt etiam ſubitò ſæpe dicere, tamen illud vtilius, ſumpto ſpatio ad cogitandum, paratius atq; accuratius dicere. [2] Caput autem eſt, quod (vt verè dicam) minimè facimus (eſt enim magni laboris, quem plerique fugimus) quamplurimùm ſcribere. [3] Stylus, optimus & præſtantiſsimus dicendi effector ac magiſter: neque iniuria. Nam ſi ſubitam & fortuitam orationem commentatio & cogitatio facile vincit, hanc ipſam profectò aſsidua ac diligens ſcriptura ſuperabit. Omnes enim ſiue artis ſunt loci, ſiue ingenij cuiuſdam atq; prudentiæ, qui modo inſunt in ea re, de qua ſcribimus, inquirentibus nobis, omniq; acie ingenij contemplantibus oſtendunt ſe, & occurrunt: omneſq; ſententiæ, verbaq; omnia, quæ ſunt cuiuſque generis maximè propria, maximeq; illuſtria, ſub acumen ſtyli ſubeant & ſuccedant neceſſe eſt: tum ipſa collocatio confirmatioq; verborum perficitur in ſcribendo, non poetico, ſed quodam oratorio numero & modo. [4] Hæc ſunt quæ clamores & admirationes in bonis oratoribus efficiunt: neq; ea quiſquam, niſi diu multumq; ſcriptitarit, etiam ſi vehementiſsimè ſe in his ſubitis dictionibus exercuerit, conſequetur: & qui à ſcribendi conſuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem, vt etiam ſubitò ſi dicat, tamen illa quæ dicantur, ſimilia ſcriptorum eſſe videantur: atq; etiam ſi quando in dicendo ſcriptum attulerit aliquid, cùm ab eo diſceſſerit, reliqua ſimilis oratio conſequetur. Vt concitato nauigio cùm remiges [5] inhibuerunt, retinet tamen ipſa nauis motũ & curſum ſuum intermiſſo impetu pulſuq; remorum: ſic in oratione perpetua cùm ſcripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua curſum, ſcriptorum ſimilitudine & vi concitata. [6] In

quotidianis autem cogitationibus equidem mihi adoleſcentulus proponere ſolebam illam exercitationem maximè, qua C. Carbonem, noſtrum illum inimicum, ſolitum eſſe vti ſciebam, vt aut verſibus propoſitis quammaximè grauibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem quem memoria poſſem comprehendere, eam rem ipſam, quam legiſſem, verbis alijs quammaximè poſſem lectis pronuntiare. Sed pòſt animaduerti hoc eſſe in hoc vitij, quod ea verba quæ maximè cuiuſq; rei propria, quæq; eſſent ornatiſſima atq; optima, occupaſſet aut Ennius, ſi ad eius verſus me exercerem: aut Gracchus, ſi eius orationem mihi fortè propoſuiſſem. Ita ſi iiſdem verbis vterer, nihil prodeſſe, ſi alijs, etiam obeſſe, quum minus idoneis vti conſueſcerem. [7] *Poſtea mihi placuit, eoq; ſum vſus adoleſcens, vt ſummorum oratorum Græcas orationes explicarem: quibus lectis hoc aſſequebar, vt quum ea quæ legerem Græcè, Latinè redderem, non ſolùm optimis verbis vterer, & tamen vſitatis, ſed etiam exprimerem quædam verba imitãdo, quæ noua noſtris eſſent, dummodo eſſent idonea.* [8] *Iam vocis, & ſpiritus, & totius corporis, & ipſius linguæ motus & exercitationes, non tam artis indigent, quàm laboris: quibus in rebus habenda eſt ratio diligenter quos imitemur, quorum ſimiles velimus eſſe. Intuendi nobis ſunt non ſolùm oratores, ſed etiam actores: ne mala conſuetudine ad aliquam deformitatem prauitatemq; veniamus.* [9] *Exercẽda eſt etiam memoria ediſcendis ad verbum quamplurimis & noſtris ſcriptis, & alienis. Atq; in ea exercitatione non ſanè mihi diſplicet adhibere, ſi conſueris, etiam iſtam locorum ſimulacrorumq; rationem, quæ in arte traditur.* [10] *Educenda deinde dictio eſt ex hac domeſtica exercitatione & vmbratili medium in agmen, in pulue-*

rem,

rem, in clamorem, in caſtra, atque aciem forenſem: ſubeundus vſus omnium, & periclitandæ vires ingenij: & illa commentatio incluſa, in veritatis lucem proferenda eſt. [11] *Legendi etiam poetæ, cognoſcenda hiſtoria: omnium bonarum artium ſcriptores ac doctores & legendi, & peruolutãdi, & exercitationis cauſſa laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi: diſputandumq́ de omni re in contrarias partes: & quicquid erit in quaq; re quod probabile videri poſſit, eliciendum atq; dicendum. Perdiſcendum ius ciuile, cognoſcendæ leges, percipienda omnis antiquitas, ſenatoria conſuetudo, diſciplina Reipubl. iura ſociorum, fœdera, pactiones: cauſſa imperij cognoſcenda eſt.* [*] *Libandus eſt etiam ex omni genere vrbanitatis, facetiarum quidam lepos, quo tanquam ſale perſpergatur omnis oratio.* [13] *Effudi vobis omnia quæ ſentiebam: quæ fortaſſe, ſi quemcunque patremfamiliàs arripuiſſetis ex aliquo circulo, eadem vobis percunctantibus reſpondiſſet.*

1 Craſſus tranſit ab arte Rhetorica ad exercitationem, tertiam cauſſam conſequendæ eloquentiæ, cuius duo ſunt prima & ſumma genera: eloquentia enim exercetur partim domi, partim in foro & ciuilibus cauſſis: & prior illa domeſtica exercitatio poſterioris huius forenſis gratia ſuſcipitur, vt cùm adoleſcentes in Rhetorum ſcholis diu multumque declamauerint, legerint, audierint, ſcripſerint, multa & varia didicerint, multò paratiores & inſtructiores ad veram eloquentiæ exercitationem, id eſt, ad agendas ciuiles cauſſas accedant. quo in loco videmus exercitationis oratoriæ campũ anguſtioribus terminis concludi, quàm expediat: Craſſus enim eloquentiæ ſtudium ad vſum forenſis dictionis totum refert: at eloquentia exercenda eſt non ſolùm vt in foro & ſenatu, ſed vt in hiſtoria, vt in philoſophia, vt denique in omni re: quæcunque oblata fuerit, eleganter & ornatè dicas: nec minus eloquentiam exercuit in philoſophia Plato, aut in hiſtoria Theopompus, aut in poeſi Pindarus, quàm Athenis Demoſthenes, aut Romæ Cicero in iudiciis aut concionibus publicis. Sed Craſſi ſententiam explicemus: Declàmatio primùm genus eſt domeſticæ & ludicræ exercitationis, & declaratur ſimilitudine tyronum, qui prius exercentur in campo, quàm in aciem & prælium veniant. Interpoſita igitur Sulpitij adoleſcentis rogatione Craſſus tradit duo declamationis oratoriæ præcepta. primum, vt ea ſit forenſium cauſſarum ſimilis, quod etiam præcipit Fabius. ſecundum, vt ſit meditata: vbi reprehendit *Lib.2.& 10.* iactatum in ſcholis prouerbium, ἐκ τῦ λέγειν τὸ λέγειν ποιεῖζεται, id eſt, dicendo conſequimur vt dicamus: quia vt bene dicendo, boni oratores, ſic male dicendo, mali & vitioſi fiunt: cùm igitur duplex ſit ratio declamandi, vna ſubita & ex-

temporalis, altera prouiſa & meditata, licèt prior interdum ſit vtilis, poſteriorem tamen magis approbat Craſſus. 2 Secundum genus exercendæ eloquentiæ eſt ſtylus, qui cùm ſit duplex, alter ſubitus, alter meditatus, Craſſus hunc meditatum magis probat, primùm à ſimilibus: Vt declamatio meditata melior eſt, quàm extemporalis: ita ſcriptio: deinde, quòd illic partes Rhetoricæ (quæ vulgò dicuntur)
Lib.10 ca.3. diligentius exercentur, inuentio, diſpoſitio, & elocutio: quem locum Fabius explicat. Sit primò tardus, dum diligens, ſtylus: quæramus optima: nec protinus ſeſe offerentibus gaudeamus: adhibeatur iudicium inuentis, diſpoſitio probatis: delectus enim rerum verborumque habendus eſt, & pondera ſingulorum examinanda: poſtea ſubeat ratio collocandi, verſenturque omni modo numeri. Et paulò pòſt, Sic ſcripſiſſe Salluſtium accepimus, & ſanè manifeſtus eſt etiam ex opere ipſo labor. Virgilium quoque pauciſſimos ſcripſiſſe die verius author eſt Varius: oratoris quidem alia eſt conditio, itaque hanc moram & ſolicitudinem initiis impero: nam primùm hoc conſtituendum, hoc obtinendum eſt, vt quàm optimè ſcribamus: celeritatem dabit conſuetudo: paulatim res facilius ſeſe oſtendent: verba reſpondebunt: compoſitio ſequetur: cuncta denique, vt in familia bene conſtituta, in officio erunt: ſumma hæc eſt rei, Citò ſcribendo non fit vt benè ſcribatur, bene ſcribendo fit vt citò. 3 Stylus erat inſtrumentum, quo veteres in tabulis ſcribebant, hinc factum eſt, vt ſtylus pro ſcriptione per metonymiam dicatur: vt in Bruto. Etiam artifex (vt ita dicam) ſtylus. Et in Epiſt. Stylus dicendi opifex. Et lib.3. de Orat. Hanc ad leuè cùm exercitatione, tum ſtylo, qui & alia, & hoc maximè ornat & limat, formanda nobis oratio eſt. 4 Commendatur diligens & accuratus ſtylus ex his quæ bonis oratoribus accidunt, cuiuſmodi ſunt clamores & admirationes audientiũ, ex accurata diligẽtia faciendæ & poliendæ orationis. 5 Inhibere, verbum eſt nauticum, quo Cicero hic abutitur: non enim eſt remos ſuſtinere, ſed contrà remigare: nec tamen ſi impropriè locutus eſt Cicero, idcircò locus hic corrigendus & imitandus eſt, vt pro eo Suſtinere reponatur: ſed ſatis eſt admonere, Ciceronem impropriè locutum eſſe: in quo cùm ipſe rur-
Lib.13. ſus in alio opere peccaſſet, peccatum ſuum à nautis didicit, vt ſcribit ad Atticum: Inhibere illud tuum, quod valde mihi arriſerat, vehementer diſplicet: eſt enim verbum totum nauticum: quanquam id quidem ſciebam, ſed arbitrabar ſuſtineri remos, cùm inhiberi eſſent remiges iuſſi: id non eſſe eiuſmodi didici heri, cùm ad villam noſtram nauis appelleretur. Non enim ſuſtinent, ſed alio modo remigant: id ab ἐποχῆς remotiſſimum eſt. quare facies, vt ita ſit in libro quemadmodum fuit. Dices hoc idem Varroni, ſi fortè mutauit: nec eſt melius quicquam, quàm vt Lucullus ſuſtineat currum, vt bonus ſæpe agitator, equosque: ſemperq; Carneades προβολὴν pugilis, & retentionem aurigæ ſimilem facit ἐποχῇ. Inhibitio autem remigum motum habet, & vehementiorem quidem remigationis nauem conuertentis ad puppim. Vides quantò hoc diligentius curem, quàm aut de rumore, aut de Pollione. 6 Duplex exercendi ſtyli ratio proponitur: vna, cùm Latini alicuius authoris ſententiæ verbis aliis explicantur: altera, cùm Græca Latinè redduntur: priorem Craſſus improbat hoc argumento:

Si vtimur iiſdem verbis, nihil proficimus: ſi aliis, minus idoneis vti conſueſcimus:
Sed vtimur iiſdem, aut aliis verbis:
Quare in hoc genere exercitationis aut nihil proficimus, aut minus idoneis verbis vti conſueſcimus.

Sed Craſſus dupliciter fallitur, in partitione & in partis vnius reiectione. In partitione quidem, quia non tantùm duo ſunt modi, quibus ſtylus Latinè conformari poſſit, ſed etiam tertius adiici debet, cùm authoris alicuius Latini non ſententiam eandem, ſed argumentum ſimile nobis proponimus, quod verbis ipſius authoris, aut omnibus, aut quamplurimis exprimamus: quomodo pueri vtiliter

in

In Ciceronis imitatione exercentur. In partis etiam reiectione fallitur Craſſus,
quia poſſumus ſententiam propoſiti alicuius authoris tam idoneis & illuſtribus
verbis reddere, quàm author ipſe ſit vſus: itaque Fabius conuerſionem ex Lati- *Lib.10.*
nis ait multum conferre, neque παράφρασιν, tantùm interpretationem eſſe vult,
ſed circa eoſdem ſenſus certamen atque æmulationem: ideoque ab aliis & à Ci
cerone diſſentit, qui vertere Latinas orationes vetãt, quia occupatis optimis, quic
quid aliter dixerimus, neceſſe ſit eſſe deterius: nam (vt ait Fabius) non ſemper
deſperandum eſt, aliquid illis quæ dicta ſunt melius poſſe reperiri: neque natu-
ra tam ieiunam & pauperem fecit eloquentiam, vt vna de re niſi ſemel dici non
poſſit. Quid? quod Cicero nobile certamen cum Roſcio Comœdo inſtituit, v-
trum hiſtrio circa voces eaſdem plura geſtu variare, an orator ipſe eandem rem
pluribus verbis ornare poſſet? Et de Archia Poeta Cicero loquitur his verbis,
Quoties vidi reuocatum dicere eandem rem commutatis verbis atq; ſententiis?
Et rhetores commorationem vocant figuram, cùm eadem res commutatis verbis
iteratur. Itaque Craſſus hoc loco nobis audiendus eſt. 7 Altera ſtyli exercen-
di ratio tum valet, cùm ſtylus Latinè iam factus eſt: non enim Græca Latinè be-
ne reddi poſſunt, niſi Latina iam noris: qua exercitatione multi decepti ſunt, qui
cùm Latinè neſcirent, ſperarunt tamen ex hac Craſſi ſententia Græcis authori-
bus Latinè vertendis magnam ſe ſtyli laudem conſecuturos: cùm tamen eorum
ſcriptis nihil ſit ineptius & infantius. Cicero autem prius Romæ Latinè didicit,
quàm Athenis Græcè: & cùm Demoſthenis, Platonis, Xenophontis Græcos li-
bros Latinè vertebat, optimè rum Latinè ſciebat: & quod Fabius præcipit, à Græ-
cis eſſe incipiendum: id tum in Romana conſuetudine valuit, qua infantes & pue-
ri à nutricibus Latinè loqui diſcebant. 8 Tertium genus domeſticæ exercita
tionis eſt in actione, in qua Craſſus præcipit, vt nobis optimos quoſque non ora-
tores ſolùm, ſed hiſtriones proponamus: ſic Demoſthenes ex Græcis oratoribus
Calliſtratum, ex hiſtrionibus Satyrum: & Cicero ex Latinis oratoribus Craſ-
ſum, Antonium, Sulpitium, & Hortenſium: ex hiſtrionibus verò, Roſcium & Ae-
ſopum diligẽter obſeruauit. 9 Exercitatio memoriæ plurimùm confert, quia
ſuppeditat oratori promptuarium multarum rerum, & copiam verborum: itaq;
vtile eſt oratori multa ſcripta ad verbum ediſcere, vt & ſententiis & verbis abun-
det. quòd verò Craſſo non diſplicet artem memoriæ, quam Simonides inueniſ-
ſe dicitur, adhibere ex locis & imaginibus, ab eo Quintilianus diſſentit, & hanc *Lib.11.*
artem totam deridet, vt confuſam & operoſam nimis: cenſetque potius compo-
ſitione & diuiſione rerum, quas ediſcere volumus, vtendum eſſe: ſi qua verò do
ctrina eſt iuuandæ memoriæ, ea tota eſt artificij dialectici, in legibus ſyllogiſmi
& methodi. quemadmodum dialecticæ Inſtitutiones Petri Rami planius indi-
cant. 10 Eloquentia non ſolùm exercetur domi in declamando, ſcribendo, vo
cem & geſtum conformando, multa memoriæ mandando, ſed etiam in foro, vt
in actionibus ciuilium cauſſarum, quæ per allegoricam ſimilitudinem bello &
prælio comparantur: quia vt illic ferro & ſtrepitu inter milites, ita hìc voce & cla-
more inter oratores decertatur. Itaque perſæpe Cicero res forenſes metaphoris
rerum bellicarum ſignificat, propter vicinam & germanam quandam earum in-
ter ſe ſimilitudinem. vt in Bruto, Phalereus eruditiſſimus ille quidem horum
omnium, ſed non tam armis inſtitutus, quàm palæſtra: itaque delectabat magis
Athenienſes, quàm inflammabat: proceſſerat enim in ſolem & puluerem, non
vt è militari tabernaculo, ſed vt è Theophraſti doctiſſimi hominis vmbraculis. Et
Cicero de ſeipſo ſic ait, Quamuis illa clamoribus adoleſcentuli diximus de ſup *In Orat.*
plicio parricidarum? 11 Craſſus relabitur ad reliquas partes exercitationis do
meſticæ, quas ſummatim & breuiter perſequitur. vt lectionem poetarum, quam
Theophraſtus ait oratori plurimùm conferre: hiſtoriam, quæ (vt ait Fabius) ora- *Lib.10.*
tionem alit velut molli quodam ſucco: cognitionem omnium bonarum artium,
vnde copia dicẽdi comparatur: diſputationem de rebus in contrarias partes, quæ

m iij

ingenium hominis acuit ad forenſes controuerſias: iuris ſcientiam, qua egent cauſſæ forenſes quotidie: ſcientiam politicam, quæ mores Reipub. & diſciplinam continet: facetiasq́;, quæ ad delectandum auditorem plurimùm valent. 12 Facetiarum lepos comparatur ſali: quòd vt ſal aſperius cibis, gratiores eos efficit, ita facetiæ condimenta quædam ſunt, & deliciæ orationis, quæ riſum & voluptatem mouent: Quinetiam facetiæ μεταφορικῶς dicuntur ſales: vt in Officiis, Sale verò & facetiis Cæſar Catuli patris frater vicit omnes. Et ad Pætum, Accedunt nũc Attici, ſed ſalſiores, q̃ illi Atticorum, Romam veteres atque vrbani ſales. 13 Generalis eſt concluſio, de tribus eloquentiæ cauſſis, natura, doctrina, & exercitatione: cum modeſta extenuatione Craſſi penè deſpicientis ſermonem ſuum tritum & vulgarem, & vel imperitiſſimis hominibus notiſſimum.

Lib. 1.
Lib 9. Epiſt. famil.

[1] *Hæc quum Craſſus dixiſſet, ſilentium eſt conſecutum: quanquam ſatis iis qui aderant, ad id quod erat propoſitum, dictum videbatur, tamen ſentiebant celerius eſſe multò, quàm ipſi vellent, ab eo peroratum. Tum Scæuola, Quid eſt, Cotta, inquit, quid tacetis? nihilne vobis in mentem venit, quod præterea à Craſſo requiratis? Immò id me hercule, inquit, ipſum attẽdo. tantus enim curſus verborum fuit, & ſic euolauit oratio, vt eius vim & incitationem aſpexerim, veſtigia ingreſſumq́ non viderim: & tanquam in aliquam locupletem ac refertam domum venerim, non explicata veſte, neq́ propoſito argento, neque tabulis & ſignis propalam collocatis, ſed his omnibus multis magnificisq́ rebus conſtructis ac reconditis, ſic modò in oratione Craſſi diuitias ac ornamenta eius ingenij per quædam inuolucra atque integumenta perſpexi: ſed ea quum contemplari cuperem, vix aſpiciendi poteſtas fuit: ita neq́ hoc poſſum dicere, me omnino ignorare quid poſſideat, neq́ planè noſſe ac vidiſſe.* [2] *Quin tu igitur facis idem, inquit Scæuola, quod faceres, ſi in aliquam domum plenam ornamentorum illam veniſſes? Si ea ſepoſita, vt dicis, eſſent, tuq́ valde ſpectandi cupidus eſſes, non dubitares rogare dominum vt proferri iuberet, præſertim ſi eſſet familiaris: ſimiliter nunc petes à Craſſo, vt eam copiam ornamentorum ſuorum, quam conſtructam*

di,diſponendi,recordandi,eloquendi,pronuntiandi peritus: quod ſi de vnius artis artifice à Grammatico dialectico & cæteris artificibus diſtincto ſentiunt, confusè faciunt: cùm inuentio, diſpoſitio, & memoria dialecticoum propriè partes ſint, elocutio & pronuntiatio ſolæ rhetorum ſint: ſed ſi de oratore tanquam politico principe præcipiunt, indiſertè facultatem eius exprimunt, quæ non ſolùm rhetorica & dialectica, ſed cæteris artibus contineatur, quæ tamen in Rhetoricis libris non explicantur. Deinde etiam inter ſe conueniunt, vt oratoris propria materies ſit in diſceptatione cauſſarum ciuilium, in quo vterque labitur: quia eloquentia communis eſt omnium quæſtionum ciuilium, & non ciuilium ornatè dicendarum. diſſentiunt autem inter ſe, quòd Scæuola materiem rerum forenſium ſine doctrina & cognitione magnarum artium agi & tractari poſſe defendit: ſi modò vir politicus prudentiam, & vſum, & facultatem mediocrem in agendis cauſſis nactus fuerit: & idcircò negat oratorem in omni genere humanitatis verſatum eſſe oportere. Craſſus in hoc gradu Scæuolæ reſiſtit, quòd perſæpe cauſſæ eiuſmodi incidunt, in quibus de virtutibus & vitiis, de natura & rebus occultis, de Republ. de iure ciuili, de exemplis antiquitatum, deque cunctis rebus, quæ in artibus tractantur, oratori dicendum ſit: Itaque concludit oratorem nullius eruditionis expertem atque ignarum eſſe debere: in qua contentione vterque nomine oratoris abutitur ad ſignificandum hominem politicum actorem ciuilium cauſſarum. Illud etiam conſideremus, Craſſum, dum Scæuolæ reſpondet, parum ſibi conſtare, & inſtar Proteos varium & mutabilem eſſe: aliàs enim vera & germana notione oratorem informat, cùm ei ſolùm ornatum orationis attribuit: aliàs hominem politicum hoc nomine definit omnibus artibus inſtructum, qui de omni re ſcienter & ornatè poſſit dicere: aliàs vt homo ille politicus aliquid ignoret, concedit: ſed hoc addit, cùm rem quampiam ab homine docto cognouerit, eum melius & ornatius eſſe dicturum, quàm eum, à quo didicerit: quæ collatio qualis eſſet, ſuo loco diximus.

Tum Antonius, [1] Probas mihi, inquit, iſta Craſſe, quæ dicis: nec dubito quin multò locupletior in dicendo futurus ſit, ſi quis omnium rerum atq; artium rationem naturamq́; comprehenderit. Sed primùm id difficile factu eſt, præſertim in hac noſtra vita, noſtriſq́; occupationibus: deinde illud etiam verendum eſt, ne abſtrahamur ab hac exercitatione & conſuetudine dicendi populari & forenſi. Aliud enim quoddam genus orationis eſſe videtur eorum hominum, de quibus paulò antè dixiſti, quamuis illi ornatè & grauiter, aut de natura rerum, aut de humanis rebus loquantur. [2] Nitidum quoddam genus eſt verborum & lætum, ſed palæſtræ magis & olei, quàm huius ciuilis turbæ ac fori. Namque egomet, qui ſerò ac leuiter Græcas literas attigiſſem, tamen cùm Proconſul in Ciliciam proficiſcens, Athenas ve-

*niſſem, complures tum ibi dies ſum propter nauigandi diffi-
cultatem commoratus: [3] ſed cùm quotidie mecum haberem homines doctiſſimos, eos ferè ipſos qui abs te modò ſunt nominati: cumq́ hoc, neſcio quo modo, apud eos increbuiſſet, me in cauſſis maioribus, ſicuti te, ſolere verſari: pro ſe quiſq́ eorum, quantum poterat, de officio & ratione oratoris diſputabat. [4] Horum alij, ſicut iſte ipſe Mneſarchus, hos quos nos oratores vocaremus, nihil eſſe dicebat, niſi quoſdam operarios lingua celeri & exercitata: oratorem autem, niſi qui ſapiens eſſet, eſſe neminem: atq́ ipſam eloquentiam, quòd ex bene dicendi ſcientia conſtaret, vnam quandam eſſe virtutem: & qui vnam virtutem haberet, omnes habere: eaſq́ ipſas eſſe inter ſe æqualeis & pares. Ita qui eſſet eloquens, eum virtutes omnes habere, atq́ eſſe ſapientem. Sed hæc erat ſpinoſa quædam & exilis oratio, longeq́ à noſtris ſenſibus abhorrebat. [5] Carneades verò multò vberius iiſdem de rebus loquebatur, non quò aperiret ſententiam ſuam, (hic enim mos erat patrius Academiæ, aduerſari ſemper omnibus in diſputando) ſed tum maximè tamen hoc ſignificabat, eos qui Rhetores nominarentur, & qui dicendi præcepta traderent, nihil planè tenere: neq́ poſſe quenquam facultatem aſſequi dicendi, niſi qui philoſophorum inuenta didiciſſet. Diſputabant contrà diſerti homines Athenienſes, in Republ. cauſſiſq́ verſati, in quibus erat etiam is qui nuper Romæ fuit, Menedemus hoſpes meus: qui cùm diceret eſſe quandam prudentiam, quæ verſaretur in perſpiciendis rationibus conſtituendarum & regendarum Rerumpublicarum, excitabatur homo promptus ab homine abundanti doctrina, & quadam incredibili varietate rerum atq́ copia: Omneis enim parteis illius ipſius prudentiæ petendas eſſe à phi-*

à philoſophia dicebat, neq; ea quæ ſtatuerentur in Republ. de dijs immortalibus, de diſciplina iuuentutis, de iuſtitia, de patientia, de temperantia, de modo rerum omnium, cæteraq; ſine quibus ciuitates aut eſſe, aut bene moratæ eſſe non poſſent, vſquam in eorum libris inueniri. Quòd ſi tantam vim rerum maximarum arte ſua rhetorici illi doctores complecterentur, quærebat cur de proœmijs & de epilogis, & de huiuſmodi nugis (ſic enim appellabat) referti eſſent eorum libri: de ciuitatibus inſtituendis, de ſcribendis legibus, de æquitate, de iuſtitia, de fide, de frangendis cupiditatibus, de conformandis hominum moribus, litera in eorum libris nulla inueniretur? [6] *Ipſa verò præcepta ſic illudere ſolebat, vt oſtenderet non modo eos illius expertes eſſe prudentiæ, quam ſibi adſciſcerent, ſed ne hanc quidem ipſam dicendi rationem ac viam noſſe: Caput enim eſſe arbitrabatur oratoris, vt & ipſis apud quos ageret, talis, qualem ſe ipſe optaret, videretur, (id fieri vitæ dignitate, de qua nihil Rhetorici iſti doctores in præceptis ſuis reliquiſſent) & vti qui audirent, ſic afficerentur animis, vt eos affici vellet orator: quod item fieri nullo modo poſſe, niſi cognoſceret is qui diceret, quot modis hominum mentes, & quibus rebus, & quo genere orationis in quamq; partem mouerentur: hac autem eſſe penitus in media philoſophia retruſa atq; abdita, quæ iſti Rhetores ne primoribus quidem labris attigiſſent.* [7] *Ea Menedemus exemplis magis quàm argumentis conabatur refellere: Memoriter enim multa ex orationibus Demoſthenis præclarè ſcripta pronuntians, docebat illum in animis vel iudicum, vel populi in omnem partem dicẽdo permouendis, non fuiſſe ignarum quibus ea rebus conſequeretur: quæ negaret ille ſine philoſophia quenquam ſcire poſſe.* [8] *Huic reſponde-*

bat, non ſe negare Demoſthenem ſummam prudentiam, ſummamq́ vim habuiſſe dicendi: ſed ſiue ille hoc ingenio potuiſſet, ſiue (id quod conſtaret) Platonis ſtudioſus audiendi fuiſſet: non quid ille potuiſſet, ſed quid iſti docerent, eſſe quærendum. ⁹ Sæpe etiam in eam partem ferebatur oratione, vt omnino diſputaret, nullam artem eſſe dicendi: idq́ cùm argumẽtis docuerat, quòd ita nati eſſemus, vt & blandiri, & ſuppliciter inſinuare ijs à quibus eſſet petendum, & aduerſarios minaciter terrere poſſemus, & rem geſtam exponere, & id quod intenderemus, confirmare, & id quod contrà diceretur, refellere, & ad extremum deprecari aliquid, & conqueri: quibus in rebus omnis oratorum verſaretur facultas: & quòd conſuetudo exercitatioq́ & intelligendi prudentiam acueret, & eloquendi celeritatem incitaret: tum etiam exemplorum copia nitebatur: Nam primùm quaſi dedita opera neminem ſcriptorem artis ne mediocriter quidem diſertum fuiſſe dicebat, cùm repeteret vſq́ à ¹⁰ *Corace neſcio quo, & Tiſia, quos artis illius inuentores & principes fuiſſe conſtaret, eloquentiſſimos autem homines, qui iſta nec didiciſſent, nec omnino ſciſſe curaſſent, innumerabiles quoſdam nominabat: in quibus etiam, ſiue ille ridens, ſiue quòd ita putaret, atq; ita audiſſet, me in illo numero, qui illa non didiciſſem, & tamen (vt ipſe dicebat) poſſem aliquid in dicendo, proferebat. Quorum ego illi alterum facile aſſentiebar, nihil me didiciſſe: in altero autem me illudi ab eo, aut etiam ipſum errare arbitrabar.* ¹¹ *Artem verò negabat eſſe vllam, niſi quæ cognitis, penituſq́ perſpectis, & in vnum exitum ſpectantibus, & nunquam fallentibus rebus contineretur: Hæc autem omnia quæ tractarentur ab oratoribus, dubia eſſe & incerta, cùm & diceren-*

tur

tur ab ÿs, qui ea omnia non planè tenerent, & audirentur ab ÿs, quibus nō ſcientia eſſet tradenda, ſed exigui temporis aut falſa, aut certè obſcura opinio. [12] Quid multa? ſic mihi tum perſuadere videbatur, neq; artificium vllum eſſe dicendi, neq; quenquam poſſe, niſi qui illa quæ à doctiſſimis hominibus in philoſophia dicerentur, cognoſſet, aut callidè aut copioſè dicere. Quibus dicere Carneades ſolebat, ingenium tuum Craſſe vehementer, me ſibi perfacilem in audiendo, te perpugnacem in diſputando eſſe viſum. [13] Tumq; ego hac eadem opinione adductus, ſcripſi etiam illud quodam in libello, qui me imprudenter & inuito excidit, & peruenit in manus hominum, Diſertos me cognouiſſe nonnullos, eloquentem adhuc neminem: quod eum ſtatuebam diſertum, qui poſſet ſatis acutè atq; dilucidè apud mediocres homines ex communi quadam hominum opinione dicere: eloquentem verò, qui mirabilius & magnificentius augere poſſet, atque ornare quæ vellet, omneſque omnium rerum, quæ ad dicendum pertinerent, fonteis animo ac memoria contineret. [14] Id ſi eſt difficile nobis, qui antè quàm ad diſcendum ingreſſi ſimus, obruimur ambitione & foro, ſit tamen in re poſitum atque natura. Ego enim, quantum auguror coniectura, quantáque ingenia in noſtris hominibus eſſe video, non deſpero fore aliquem aliquando, qui & ſtudio acriore, quàm nos ſumus atque fuimus, & otio ac facultate diſcendi maiore ac maturiore, & labore atque induſtria ſuperiore, cùm ſe ad audiendum, legendum, ſcribendúmque maiore opera dediderit, exiſtat talis orator, qualem quærimus: qui iure non ſolùm diſertus, ſed etiam eloquens dici poſſit: qui tamen mea ſententia aut hic eſt iam Craſſus: aut ſi quis pari fuerit ingenio, pluráque

quàm hic & audierit, & lectitarit, & ſcripſerit, paulùm huic aliquid poterit addere.

1 Antonius inducitur velut honorarius arbiter contentionis oratoriæ inter Craſſum & Scæuolam, quorum ſententias neque prorſus condemnat, neque prorſus approbat, ſed ea moderatione diſceptat, vt Scæuolam de oratore forenſi, Craſſum de perfecto rectè dixiſſe & ſenſiſſe doceat: & oratorem quidem Scæuolæ diſertum, Craſſi verò eloquentem nominet. Principio duæ rationes afferuntur, quæ dici & proferri ſolent contra oratorem Craſſi: quòd vix quiſquam talis eſſe poſſit, qualem fingit Craſſus: & quòd eloquentiæ cum Philoſophia coniunctione forenſis dictio amittatur. 2 Allegoria ducitur ab athletis, qui quemadmodum ad voluptatem ſpectantium nitidius & elegantius certabant, quàm acrius & vehementius: ſic philoſophorum oratio magis ad delectandos animos, quàm ad permouendos compoſita ſit. 3 Cicero indicat hanc contentionem & diſputationem de oratoris genere & natura ex Græcorum philoſophorum libris ſumptam eſſe, nec aliud ſe mandare his dialogis oratoriis, quàm quod à Græcis philoſophis diſputatum & perſcriptum cognouit: vt vrbanitas huius orationis tota ſit Ciceronis, ſententiæ verò & capita diſputationis Græcorum philoſophorum. 4 Antonius incipit referre contrarias Græcorum opiniones de oratore, quales prius inter Craſſum & Scæuolam extiterunt: prima eſt Stoici Mneſarchi, qui fuit Panætij auditor, oratorem non vſu forenſi quodam, ſed perfectæ ſapientiæ & virtutum omnium cumulo definientis: cuius fontes duobus ſyllogiſmis comprehenditur. Primus ſic eſt,

Qui vnam virtutem habet, omnes adeptus eſt:
Qui eloquentiam habet, vnam virtutem habet:
Ergo qui eloquentiam habet, omnes virtutes adeptus eſt.

Secundus ſic eſt,

Qui adeptus eſt omnes virtutes, ſapiens eſt:
Orator eſt adeptus omnes virtutes:
Orator igitur eſt ſapiens.

Quam ſententiam parum probabilem eſſe ait Antonius: & reuera propoſitio prioris ſyllogiſmi Stoica magis eſt, quàm vera: quia virtutes morum & intelligentiæ ſeparari poſſunt: nec enim qui temperantiam habet, protinus omnes virtutes habet morales: nec qui Geometriam didicit, omnes artes didicit. 5 Carneades patronus Academiæ nouæ, vehemens fuit in diſputationibus, cuius argumenta contra rhetoras ſummatim referuntur: ac primùm facilioris intelligentiæ gratia Carneadis diſputatio duas in partes diſtribuenda eſt: quòd philoſophia, quæ eſt oratori neceſſaria, non explicetur à rhetoribus: quòd nulla ſit ars rhetorum: prioris contentionis explicandæ gratia interponitur ſententia Menedemi detrahentis oratori philoſophiam, & oratorem ex mediocri prudentia definientis: cui Carneades protinus reſiſtit, probatque eiuſmodi ciuilem prudentiam à Rhetoribus non rectè informari: quia nihil de philoſophia præcipiunt: ſine qua orator in ciuilibus cauſſis verſari non poſſit: ſumma eius ratio ſic concluditur:

Si rhetores philoſophiam tenerent, eam libris ſuis complecterentur, & explicarent:
Sed philoſophiam libris ſuis non explicant:
Non igitur philoſophiam rhetores tenent.

6 Alterum Carneadis argumentum (quod artem ſuam oratores neſciant) ſumitur ex præcipuis cauſſis benedicendi. Syllogiſmus ſic eſt,

Morum dignitas, & affectuum ratio explicantur à philoſophis, non à rhetoribus:
Dignitas morum & affectuum ratio, duo ſunt oratoris capita:

Duo

Duo igitur oratoris capita explicantur, à philoſophis, nõ à rhetoribus. Propoſitio fallax eſt, quia de moribus & affectibus ſatis multa præcipiuntur in Rhetorum libris, vt Ariſtotelis: Aſſumptio de ciuili & politico homine dicitur, *1. & 2. libro* non de vero & propriè dicto oratore: qui ſi informandus eſſet, eius certè faculta- *Rhetoric. ad* ti neque mores, neque affectus ſubiiceremus, ſed ſolam vim ornandæ & cum di- *Theod.* gnitate vocis & geſtus exprimendæ orationis. 7 Menedemus contra proximum Carneadis argumentum de naturali philoſophia opponitur, vtens exemplo Demoſthenis, qui ſummus orator fuerit, neque tamen artes phyſicas didicerit. 8 Carneades refellit Menedemum dupliciter, & quòd Demoſthenes philoſophiam tenuerit, & quòd ſi non tenuiſſet, non ſequitur tamen artes Rhetorum probari oportere, quæ philoſophiam non docent. De Demoſthene quemadmodum Platonis auditor fuit, lege Ciceronem & Gellium. 9 Secunda pars *In Bruto &* Carneadææ contentionis (quòd nulla ſit ars dicendi) confirmatur ad hunc *perfecto O-* modum: *ratore.*

Eloquentia natura & vſu conſtat. *Cap.13. lib.3*
Non igitur doctrina.

Sed argumentum fallax & captioſum eſt, quia quod natura fit, & vſu, etiam arte fieri poteſt: imò verò ex tribus rebus conſtat omnium virtutum perfectio, natura, doctrina, & exercitatione. Illud præterea conſiderandum eſt, ordiri, narrare, confirmare, refutare, perorare, nihil eſſe Rhetoricæ facultatis, ſed dialecticæ inuentionis & diſpoſitionis. Quòd verò Carneades citat aliquos Rhetoras, qui minimè eloquentes fuerint, & aliquos oratores, qui Rhetoricæ nullam artem didicerint, non inde concluditur nullam artem eſſe dicendi, quia neque ars ſola facit eloquentem hominem, neq; natura & exercitatio ſolæ oratorem perfectum efficiunt, ſed ad oratoris perfectionem arte præterea opus eſt. Itaque neque mirum eſt Rhetoras illos ſine natura caruiſſe laude dicendi, neque hos oratores ſine doctrina perfectos non fuiſſe. 10 Artium ſcriptores antiquiſſimi, ait Fabius, Co- *Cap. 1. lib. 3.* rax & Tiſias Siculi, quos inſecutus eſt vir eiuſdem inſulæ Gorgias Leontinus. Suidas Coracem appellat τ̃ ῥητορικῆς εὑρετὴν, περὶ οὗ, καὶ τὸ, κακοῦ κόρακος κακὸν εἰρημένον ᾠόν. id eſt, Rhetoricæ inuentorem, de quo & illud eſt, Mali corui malum dictum ouum: neque tamen hic elocutionis & pronuntiationis leges inuenit, aut docuit, ſed de generibus cauſſarum & ſtatuum, deque partibus orationis aliquid primus ſcribere cœpit: forenſem igitur & litigioſam quandam artem Corax inuenit, non veram & propriè dictam Rhetoricam. Ariſtoteles ait, cùm ſublatis in Sicilia tyrannis, res priuatæ longo interuallo iudiciis repeterentur, tum primùm quòd eſſet acuta illa gens & controuerſa natura, artem & præcepta Siculos Coracem & Tiſiam conſcripſiſſe: nam antea neminem ſolitum via nec arte, ſed accuratè tamen & de ſcripto pleroſque dicere. 11 Vltimum Carneadis argumentum à definitione artis. Syllogiſmus ſimplex ſecundi generis:

Ars conſtat ex rebus certis:
Rhetorica non conſtat ex rebus certis:
Rhetorica igitur non eſt ars.

Quòd rectè concluſum eſt de Rhetorica ciuili, in qua res inconſtantes & variæ tractantur. 12 Carneadis diſputatio per epilogum concluditur, vbi duæ principes totius orationis partes repetitæ ſunt: oratorem ſine philoſophia neminem eſſe poſſe: & nullam eſſe rhetoricam artem.

Sententia Antonij de Oratore.

13 Antonius hic tanquam arbiter Græcorum philoſophorum & diſceptator eſt: oratoremque Menedemi vocat diſertum, Carneadis verò & Mneſarchi eloquentem: quem vtrunque definitione explicat, vt intelligatur in hac tanquam peroratione ſuperioris contentionis qualem oratorem Craſſus, & qualem Scæuola inſtituit: & quid inter vtrumq; intereſt. Nos verò ſatis (vt opinor) ſuperque

ctam vno in loco [3] quaſi per tranſennam prætereuntes ſtri ctim aſpeximus, in lucem proferat, & ſuo quicque loco collo cet. [4] Ego verò, inquit Cotta, à te peto Scæuola: me enim & hunc Sulpitium impedit pudor ab homine omnium grauiſſimo, qui genus huiuſmodi diſputationis ſemper contempſerit, hæc, quæ ipſi forſitan puerorum elemēta videantur, exquirere: ſed tu hoc nobis da Scæuola, & perfice, vt Craſſus hæc, quæ coarctauit, & peranguſte referſit in oratione ſua, dilatet nobis atq; explicet. Ego me hercule, inquit Mutius, antea veſtra magis hoc cauſſa volebam, quàm mea. Neque enim tantopere hanc à Craſſo diſputationem deſiderabam, quantopere eius in cauſſis oratione delector. Nunc verò Craſſe, mea quoq; etiam cauſſa rogo, vt quoniam tantum habemus otij, quantum iam diu nobis non contigit, ne grauere exædificare id opus quod inſtituiſti. Formam enim totius negotij opinione maiorem melioremq; video, quam vehementer probo. [5] Enimuero, inquit Craſſus, mirari ſatis non queo etiam te hæc Scæuola deſiderare, quæ neq; ego teneo, vti ij qui docent: neq; ſunt eius generis, vt ſi optime tenerem, digna eſſent iſta ſapientia, ac tuis auribus. [6] An tu, inquit ille, ſi de iſtis communibus & peruagatis vix huic ætati audiendum putas, etiámne illa negligere poſſumus, quæ tu oratori cognoſcenda eſſe dixiſti? de naturis hominum, de moribus, de rationibus ijs quibus hominum mentes & incitarentur, & reprimerentur, de hiſtoria, de antiquitate, de adminiſtratione Reipubl. deniq; de noſtro ipſo iure ciuili? Hanc enim ego omnem ſcientiam & copiam rerum in tua prudentia ſciebam ineſſe, in oratoris verò inſtrumento [7] tam lautam ſuppellectilem nunquam videram. [8] Potes igitur, inquit Craſſus (vt alia omittam, quæ ſunt immenſa, & vt

ad ipſum tuum ius ciuile veniam) oratores putare eos, quos multas horas expectauit, cùm in campum properaret & ridens & ſtomachans Scæuola? cùm Hypſeus maxima voce, plurimis verbis à M. Craſſo prætore contenderet, vt ei quem defendebat, cauſſa cadere liceret, Cn. autem Octauius homo conſularis non minus longa oratione recuſaret, ne aduerſarius cauſſa caderet, ac ne is pro quo ipſe diceret, turpi tutelæ iudicio, atq; omni moleſtia, ſtultitia aduerſarij liberaretur. Ego verò iſtos, inquit, (memini enim mihi narrare Mutium) non modo oratoris nomine, ſed ne foro quidem dignos putarem. Atqui non defuit illis patronis, inquit Craſſus, eloquentia, neq; dicẽdi ratio, aut copia, ſed iuris ciuilis prudentia, quòd alter plus lege agendo petebat, quàm quantum lex in XII. tabulis permiſerat: quod cùm impetraſſet, cauſſa caderet: alter iniquũ putabat plus ſecum agi, quàm quòd eſſet in actione: neq; intelligebat, ſi ita eſſet actum, litem aduerſarium perditurum. ⁹ *Quid his paucis diebus? Nónne nobis in tribunali Q. Pompeij prætoris vrbani familiaris noſtri ſedentibus, homo ex numero diſertorum poſtulabat, vt illi vnde peteretur, vetus atq; vſitata exceptio daretur, cuius pecuniæ dies fuiſſet? quod petitoris cauſſa comparatum eſſe non intelligebat, vt ſi ille inficiator probaſſet iudici antè petitam eſſe pecuniam, quàm eſſet cœpta deberi, petitor rurſus cùm peteret, ne exceptione excluderetur, quòd ea res in iudicium antea nõ veniſſet. Quid ergo hoc fieri turpius, aut dici poteſt, quàm eum qui hanc perſonam ſuſceperit, vt amicorum controuerſias cauſſaſq; tueatur, laborantibus ſuccurrat, ægris medeatur, afflictos excitet, hunc in minimis tenuiſſimiſq; rebus ita labi, vt alijs miſerandus, alijs irridendus eſſe videatur?* ¹⁰ *Equidem propinquum noſtrum Publ.*

Craſſum

Craſſum illum diuitem, & multis alijs in rebus elegantem hominem & ornatum, præcipuè in hoc ferẽdum & laudandum puto, quòd cùm Publ. Scæuolæ frater eſſet, ſolitus eſt ei perſæpe dicere, neq; illum in iure ciuili ſatis illi arti facere poſſe, niſi dicendi copiam aſſumpſiſſet (quod quidem hic, qui mecum conſul fuit, filius eius eſt cõſecutus) neq; ſe antè cauſſas amicorum tractare atque agere cœpiſſe, quàm ius ciuile didiciſſet. [11] Quid verò ille M. Cato? nónne & eloquentia tanta fuit, quantam illa tempora atque illa ætas in hac ciuitate ferre maximam potuit, & iuris ciuilis omnium peritiſsimus? [12] Verecundius hac de re iamdudum loquor, quòd adeſt vir in dicendo ſummus, quem ego vnum oratorem maximè admiror, ſed tamen idem hoc ſemper ius ciuile contempſit. Verùm quoniam ſententiæ atque opinionis meæ voluiſtis eſſe participes, nihil occultabo: & quoad potero, vobis exponam quid de quaque re ſentiam. Antonij incredibilis quædam & propè ſingularis & diuina vis ingenij videtur, etiamſi hac ſcientia iuris nudata ſit, poſſe facilè cæteris armis prudentiæ cauſſas tueri atque defendere: [13] quamobrem hic nobis ſit exceptus: cæteros verò non dubitabo primùm inertiæ condemnare ſententia mea, pòſt etiam impudentiæ. Nam volitare in foro, hærere in iure ac prætorum tribunalibus, iudicia priuata magnarum rerum obire, in quibus ſæpe non de facto, ſed de æquitate ac iure certetur: iactare ſe in [14] cauſsis centumuiralibus, in quibus [15] vſucapionum, [16] tutelarum, [17] gentilitatum agnationum, [18] alluuionum, circunluuionum, [19] nexorum, [20] mancipiorũ, [21] parietum, luminum, ſtillicidiorum, [22] teſtamentorum ruptorũ aut ratorum, cæterarumq; rerum innumerabilium iura verſentur, cũ omnino quid [23] ſuũ, quid

alienum, quare deniq; [24] ciuis an peregrinus, [25] ſeruus an liber quiſpiam ſit, ignoret: inſignis eſt impudentiæ. [26] Illa verò deridenda arrogantia eſt, in minoribus nauigijs rudem eſſe ſe confiteri, quinqueremes autem, aut etiam maiores gubernare didiciſſe. Tu mihi cùm in circulo decipiare aduerſarij ſtipulatiuncula, & cùm obſignes tabellas clientis tui, quibus id ſit ſcriptum, quo ille capiatur: ego tibi vllam cauſſam maiorem committendam putem? [27] Citius hercule is, qui duorum ſcalmorum nauiculam in portu euerterit, in Euxino ponto Argonautarum naue gubernarit. [28] Quid ſi ne paruæ quidem cauſſæ ſunt, ſed ſæpe maximæ, in quibus certatur de iure ciuili: quod tandem os eſt illius patroni, qui ad eas cauſſas ſine vlla ſcientia iuris audet accedere? Quæ potuit igitur eſſe cauſſa maior, quàm illius militis, de cuius morte cùm domum falſus ab exercitu nuntius veniſſet, & pater eius, re credita, teſtamẽtum mutaſſet, & quem ei viſum eſſet, feciſſet hæredem, eſſetq; ipſe mortuus, res delata eſt ad Centumuiros, cùm miles domum reueniſſet, egiſſetq; lege in hæreditatem paternam [29] teſtamento exhæres filius? Nempe in ea cauſſa quæſitum eſt de iure ciuili, poſſetne paternorum bonorum exhæres eſſe filius, quem pater teſtamẽto neq; hæredem neque exhæredem ſcripſiſſet nominatim. [30] Quid qua de re inter Marcellos & Claudios patricios Centumuiri iudicarunt, cùm Marcelli ab liberti filio ſtirpe, Claudij patricij eiuſdem hominis hæreditatem gente ad ſe rediiſſe dicerent: nónne in ea cauſſa fuit oratoribus de toto ſtirpe ac gentilitatis iure dicẽdum? [31] Quid quod item in centumuirali iudicio certatum eſſe accepimus? qui Romam in exilium veniſſet, cui Romæ exulare ius eſſet, ſi ſe ad aliquem quaſi patronum applicuiſſet, inteſtatoq; eſſet mortuus,

tuus, nônne in ea cauſſa ius applicationis obſcurum ſanè & ignotum, patefactum in iudicio atq; illuſtratum eſt à patrono? [32] *Quid nuper, cùm ego C.Sergij* [33] *Auratæ contra hunc noſtrum Antonium iudicio priuato cauſſam defenderem, nônne omnis noſtra in iure verſata defenſio eſt? Cùm enim Marius Gratidianus ædes Auratæ vendidiſſet, neq; ſeruire quandam earum ædium partem in mancipij lege dixiſſet, defendebamus, quicquid fuiſſet incommodi in mancipio, id ſi venditor ſciſſet, neq; declaraſſet, præſtare debere.* [34] *Quo quidem in genere familiaris noſter M.Bucculeius, homo neq; meo iudicio ſtultus, & ſuo valde ſapiens, & à iuris ſtudio non abhorrens, ſimili in re quodammodo nuper errauit: nam cùm ædes L. Fuſio venderet, in mancipio lumina vti tum eſſent, ita recepit. Fuſius autem ſimul atque ædificari cœptum eſt in quadam parte vrbis, quæ modo ex illis ædibus conſpici poſſet, egit ſtatim cum Bucculeio, quòd cuicunque particula cœli officeretur, quamuis eſſet procul, mutari lumina putabat.* [35] *Quid verò clariſſima M.Curij cauſſa, & M.Coponij nuper apud Centumuiros, quo concurſu hominum, qua expectatione defenſa eſt? cùm Q.Scæuola æqualis & collega meus, homo omnium & diſciplina iuris ciuilis eruditiſſimus, & ingenio prudentiaq; acutiſſimus, & oratione maximè limatus atq; ſubtilis, atq;, vt ego ſoleo dicere, iuriſperitorum eloquentiſſimus, eloquentium iuriſperitiſſimus, ex ſcripto teſtamentorum iura defenderet, negaretq;, niſi poſthumus & natus, & antè quàm in ſuam tutelam veniret, mortuus eſſet, hæredem eum eſſe poſſe, qui eſſet ſecundum poſthumum & natum & mortuum hæres inſtitutus: ego autem defenderem hac eum mente fuiſſe, qui teſtamentum feciſſet, vt ſi filius non eſſet qui in tutelam ve-*

niret. M. Curius eſſet hæres: num deſtitit vterque noſtrum in ea cauſſa, in authoritatibus, in exemplis, in teſtamentorum formulis, hoc eſt in medio iure ciuili verſari? Omitto iam plura exempla cauſſarum ampliſſimarum, quæ ſunt innumerabilia. [36] *Capitis noſtri ſæpe poteſt accidere vt cauſſæ verſentur in iure. Etenim ſi C. Mancinum nobiliſſimum atq; optimum virum, ac conſularē, cùm propter inuidiam Numantini fœderis Paterpatratus ex ſenatuſconſulto Numantinis dedidiſſet, eumq; illi non recepiſſent, poſteaq; Mancinus domum reueniſſet, neque in ſenatum introire dubitaſſet, Publ. Rutilius M. F. Tribunus plebis de ſenatu iuſſit educi, quòd eum ciuem negaret eſſe, quia memoriæ ſic eſſet proditum, quem pater ſuus aut populus vendidiſſet, aut Paterpatratus dedidiſſet, ei nullum eſſe poſtliminium: quam poſſumus reperire ex omnibus rebus ciuilibus cauſſam contentionemq; maiorem, quàm de ordine, de ciuitate, de libertate, de capite hominis conſularis, præſertim cùm hæc non in crimine aliquo, quod ille poſſit inficiari, ſed in ciuili iure conſiſteret?* [37] *Similiq; in genere inferiore ordine, ſi quis apud nos ſeruiſſet ex populo fœderato, ſeſeq; liberaſſet, ac poſtea domum reueniſſet, quæſitum eſt apud maiores noſtros, num is ad ſuos poſtliminio rediiſſet, & amiſiſſet hanc ciuitatem.* [38] *Quid, de libertate (quo iudicium grauius eſſe nullum poteſt) nónne ex iure ciuili poteſt eſſe contentio, cùm quæritur, is qui domini voluntate cenſus ſit, ſi non ſit conditum luſtrum, ſítne liber?* [39] *Quid, quod vſu memoria patrum venit, vt paterfamiliàs, qui ex Hiſpania Romam veniſſet, quum vxorem prægnantem in prouincia reliquiſſet, Romæq; alteram duxiſſet, neque nuntium priori remiſiſſet, mortuúſque eſſet inteſtato, & ex vtraque*

traque filius natus eſſet: mediocríſne res in controuerſiam adducta eſt, cùm quæreretur de duobus ciuium capitibus, & de puero, qui ex poſteriore natus erat, & de eius matre, quæ, ſi iudicaretur certis quibuſdam verbis, non nouis nuptijs fieri cum ſuperiore diuortium, in concubinæ locum duceretur? [40] *Hæc igitur & horum ſimilia iura ſuæ ciuitatis ignorantem, erectum & celſum alacri & prompto ore ac vultu huc atque illuc intuentem, vagari magna cum caterua toto foro, præſidium clientibus, atq; opem amicis, & propè cunctis ciuibus lucem ingenij & conſilij ſui porrigentem atque tendentem, nónne in primis flagitioſum putandum eſt?* [41] *Et quoniam de impudentia dixi, caſtigemus etiam ſegnitiem hominum, atque inertiam. Nam ſi eſſet iſta cognitio iuris magna ac difficilis, tamen vtilitatis magnitudo deberet homines ad ſuſcipiendum diſcendi laborem impellere. Sed, ô dij immortales, non dicerem hoc audiente Scæuola, niſi ipſe dicere ſoleret nullius ſibi artis faciliorem cognitionem videri:* [42] *quod quidem certis de cauſsis à pleriſque aliter exiſtimatur: primùm, quia veteres illi, qui huic ſcientiæ præfuerunt, obtinendæ atque augendæ potentiæ ſuæ cauſſa peruulgari artem ſuam noluerunt: deinde poſteaquàm eſt editum, expoſitis à* [43] *Cn. Flauio primùm actionibus, nulli fuerunt, qui illa artificioſè digeſta generatim componerent. Nihil eſt enim quod ad artem redigi poſsit, niſi ille prius, qui illa tenet, quorum artem inſtituere vult, habeat illam ſcientiam, vt ex ijs rebus, quarum ars nondum ſit, artem efficere poſsit.* [44] *Hoc video dum breuiter voluerim dicere, dictum à me eſſe paulò obſcurius: ſed experiar, & dicam, ſi potero, planius. Omnia ferè quæ ſunt concluſa nunc artibus, diſperſa & diſsipata quondã fuerunt, vt in muſicis,*

numeri, & voces, & modi: in Geometria, lineamenta, formæ, interualla, magnitudines: in Aſtrologia, cæli conuerſio, ortus, obitus, motusq́ ſyderum: in Grammaticis, poetarum pertractio, hiſtoriarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam ſonus: in hac deniq́ ipſa ratione dicendi excogitare, ornare, diſponere, meminiſſe, agere, ignota quondam omnibus, & diffuſa latè videbātur. Adhibita eſt igitur ars quædam extrinſecùs ex alio genere quodam, quod ſibi totum philoſophi aſſumunt, quæ rem diſſolutam diuulſamq́ conglutinaret, & ratione quadam conſtringeret. Sit ergo in iure ciuili finis hic legitimè atq́ vſitatè in rebus cauſisq́, ciuium æqualitatis conſeruatio. Tum ſunt notanda genera, & ad certum numerum paucitatemq́ reuocanda. Genus autem id eſt, quod ſui ſimiles communione quadam, ſpecie autem differentes, duas aut plures complectitur partes. Partes autem ſunt, quæ generibus ijs, ex quibus emanant, ſubyciuntur. Omniaq́ quæ ſunt vel generum vel partium nomina, definitionibus, quam vim habeant, eſt exprimendum. Eſt enim definitio, earum rerum quæ ſunt eius rei propriæ, quam definire volumus, breuis & circumſcripta quædam explicatio. Hiſce ego rebus exempla adiungerem, niſi apud quos hæc haberetur oratio, cernerem. nunc complectar, quod propoſui, breui. [4] Si enim aut mihi facere licuerit quod iam diu cogito, aut alius quiſpiam, aut me impedito, occuparit, aut mortuo effecerit, vt primùm omne ius ciuile in genera digerat, quæ perpauca ſunt: deinde eorum generum quaſi quædam membra diſpertiat, tum propriam cuiuſq́ vim definitione declaret: perfectam artem iuris ciuilis habebitis, magis magnam atq́ vberem, quàm difficilem & obſcuram. [46] Atq́ interea tamen dum hæc, quæ diſperſa

diſperſa ſunt, coguntur, vel paßim licet carpentem & colligentem vndiq; repleri iuſta iuris ciuilis ſciētia. Nónne videtis equitem Romanum, hominem acutißimo omnium ingenio, ſed minimè cæteris artibus eruditum, C. Aculeonem, qui mecum viuit, ſemperq́; vixit, ita tenere ius ciuile, vt cùm ab hoc diſceſſeris, nemo de iis qui peritißimi ſunt, anteponatur? Omnia enim ſunt poſita ante oculos, collocata in vſu quotidiano, in congreſſione hominum, atq; in foro: neq; ita multis literis, aut voluminibus magnis continentur. eadem enim ſunt elata primùm à pluribus, deinde paucis commutatis verbis, etiam ab iiſdem ſcriptoribus ſcripta ſunt ſæpius. [47] *Accedit verò, quo facilius percipi cognoſciq́; ius ciuile poßit, (quod minimè pleriq; arbitratur) mira quædam in cognoſcendo ſuauitas & delectatio. Nam ſiquidem aliena ſtudia delectant, plurima eſt & in omni iure ciuili, & in Pontificum libris, & in XII. tabulis, antiquitatis effigies, quòd & verborum priſca vetuſtas cognoſcitur, & actionum genera quædam maiorum conſuetudinem vitamq́; declarant.* [48] *Siue quis ciuilem ſcientiam contempletur, quam Scæuola non putat oratoris eſſe propriam, ſed cuiuſdam ex alio genere prudentiæ, totam hanc deſcriptis omnibus ciuitatis vtilitatibus ac partibus, XII. tabulis contineri videbitis:* [49] *Siue quem iſta præpotens & glorioſa philoſophia delectat, dicam audacius, hoſce habet fontes omnium diſputationum ſuarum, qui iure ciuili & legibus continentur. ex his enim & dignitatem maximè expetendam videmus,* [50] *cùm verus, iuſtus, atq; honeſtus labor honoribus, præmiis atq; ſplendore decoratur: vitia autem hominum atq; fraudes, damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exiliis, morte multantur: & docemur* [51] *nō infinitis concertationumq́; ple-*

nis diſputationibus, ſed authoritate nutuq; legum domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, noſtra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abſtinere. Fremant omnes licet, dicam quod ſentio: [52] *Bibliothecas me hercule omnium philoſophorum vnus mihi videtur XII tabularum libellus, ſi quis legũ fonteis & capita viderit, & authoritatis pondere & vtilitatis vbertate ſuperare.* [53] *Ac ſi nos, id quod maximè debet, noſtra patria delectat, cuius rei tanta eſt vis ac tanta natura, vt Ithacam illam in aſperrimis ſaxulis tanquam nidulum affixam, ſapientiſſimus vir immortalitati anteponeret: quo amore tandem inflammati eſſe debemus in eiuſmodi patriam, quæ vna in omnibus terris domus eſt virtutis, imperij, dignitatis? cuius primùm nobis mens, mos, diſciplina nota eſſe debet, vel quia eſt patria parens omnium noſtrum, vel quia tanta ſapientia fuiſſe in iure conſtituendo putanda eſt, quanta fuit in his tantis opibus imperij comparandis.* [54] *Percipietis etiam illam ex cognitione iuris lætitiam & voluptatẽ, quòd quantum præſtiterint noſtri maiores prudentia cæteris gentibus, tum facillimè intelligetis, ſi cum illorum Lycurgo & Dracone, & Solone noſtras leges conferre volueritis. Incredibile eſt enim quàm ſit omne ius ciuile præter hoc noſtrum inconditum, ac penè ridiculum: de quo multa ſoleo in ſermonibus quotidianis dicere, cùm hominum noſtrorum prudentiam cæteris hominibus & maximè Græcis antepono. His ego de cauſſis dixeram, Scæuola, ijs qui perfecti oratores eſſe vellent, iuris ciuilis cognitionem eſſe neceſſariã.* [55] *Iam verò ipſa per ſeſe quantũ afferat ijs, qui ei præſunt, honoris, gratiæ, dignitatis, quis ignorat? Itaq; vt apud Græcos infimi homines mercedula adducti miniſtros ſe præbent in iudicijs oratoribus, ij qui apud illos*

πραγμα-

πραγματικοὶ vocantur: ſic in noſtra ciuitate contrà ampliſſimus quiſq; & clariſſimus vir, vt ille qui propter hanc iuris ciuilis ſcientiam ſic appellatus à ſummo poeta eſt,

Egregiè cordatus homo Catus Æliu' Sextus.

multiq; prætereà: qui cùm ingenio ſibi authore dignitatem reperiſſent, perfecerunt vt in reſpondendo iure, authoritate plus etiam, quàm ipſo ingenio valerent. 56 *Senectuti verò celebrandæ & ornandæ quod honeſtius poteſt eſſe perfugium, quàm iuris interpretatio? Equidem mihi hoc ſubſidium iam inde ab adoleſcentia comparaui, non ſolùm ad cauſſarum vſum forenſem, ſed etiam ad decus atq; ornamentum ſenectutis: vt cùm me vires (quòd ferè iam tempus aduentat) deficere cœpiſſent, ab ſolitudine domum meam vindicarẽ. Quid eſt enim præclarius, quàm honoribus & Reipublicæ muneribus perfunctum ſenem, poſſe ſuo iure dicere id quod apud Ennium dicat ille Pythius Apollo, ſe eſſe eum, vnde ſibi ſi non populi & reges, at omnes ſui ciues conſilium expetant?*

57 Suarum rerum incerti, quos ego mea ope ex
Incertis certos, compoteſque conſilî
Dimitto, vt ne res temerè tractent turbidas.

Eſt enim ſine dubio domus iuriſconſulti totius oraculum ciuitatis. Teſtis eſt huiuſce Q. Mutij ianua & veſtibulum, quod in eius infirmiſſima valetudine, affectaq; iam ætate, maxima quotidie frequentia ciuium, ac ſummorum hominum ſplendore celebratur. 58 *Iam verò illa non longam orationem deſiderant, quam ob rem exiſtimem publica quoq; iura, quæ ſunt propria ciuitatis atq; imperij, tum monumenta rerum geſtarum, & vetuſtatis exempla oratori nota eſſe debere: Nam vt in rerum priuatarum cauſſis atq; iudicijs*

*depromenda ſæpe oratio eſt ex iure ciuili, & idcircò, vt an-
tè diximus, oratori iuris ciuilis ſcientia neceſſaria eſt: ſic in
cauſsis publicis iudiciorum, concionum, ſenatus, omnis hæc
& antiquitatis memoria, & publici iuris authoritas, & re-
gendæ Reipubl. ratio ac ſcientia, tanquam aliqua materies
ijs oratoribus qui verſantur in Republ. ſubiecta eſſe debent.
59 Non enim cauſidicum neſcio quem, neq; proclamatorem
aut rabulam hoc ſermone noſtro conquirimus, ſed eum vi-
rum, qui primùm ſit eius artis antiſtes, cuius cùm ipſa natu
ra magnam homini facultatem daret, tamẽ eſſe deus puta-
tur: vt & ipſum, quod erat hominis proprium, nõ partum
per nos, ſed diuinitùs ad nos delatum videretur: deinde qui
poſsit 60 non tam caduceo, quàm nomine oratoris ornatus,
incolumis vel inter hoſtium tela verſari: tum qui ſcelus frau
demq́; nocentis poſsit dicendo ſubijcere odio ciuium, ſuppli-
cioq́; conſtringere: idemq́; ingenij præſidio innocentiam iu-
diciorum pœna liberare: idemq́; languentem labentemq́; po
pulum aut ad decus excitare, aut ab errore deducere, aut
inflammare in improbos, aut incitatum in bonos mitigare:
qui deniq; quemcunque in animis hominum motum res &
cauſſa poſtulet, eum dicendo vel excitare poſsit, vel ſedare.
61 Hanc vim ſi quis exiſtimat aut ab ijs qui de dicẽdi ratio-
ne ſcripſerunt, expoſitam eſſe, aut à me poſſe exponi tam bre
ui, vehementer errat: neq; ſolùm inſcitiam meam, ſed ne re-
rum quidem magnitudinem perſpicit. Equidem vobis,
quoniam ita voluiſtis, fontes vnde hauriretis, atque itine-
ra ipſa ita putaui eſſe demonſtranda, non vt ipſe dux eſſem,
quod & infinitum eſt, & non neceſſarium: ſed vt common
ſtrarem tantùm viam, & (vt fieri ſolet) digitum ad fontes
intenderem. Mihi verò, inquit Mutius, ſatis ſuperq́; abs
te vi-*

te videtur iſtorum ſtudijs (ſi modo ſunt ſtudioſi) eſſe factum.
63 *nam vt Socratem illum ſolitum aiunt dicere, perfectum ſibi opus eſſe, ſi quis ſatis eſſet concitatus cohortatione ſua ad ſtudium cognoſcendæ percipiendæq́ virtutis (quibus enim id perſuaſum eſſet, vt nihil mallent ſe eſſe quàm bonos viros, ijs reliquam facilem eſſe doctrinā) ſic ego intelligo, ſi in hac, quæ patefecit oratione ſua Craſſus, intrare volueritis, facillimè vos ad ea quæ cupitis, peruenturos ab hoc aditu, ianuaq́ patefacta.*

1 Silentium fingitur orationem Craſſi conſecutum: & quia ſumma admiratio facit, vt penè obmuteſcamus, & quia plura adhuc expectantur à Craſſo. Itaq; Scæuola velut magiſter continuandi & producendi ſermonis, adoleſcentes excitat ad quærendum, ſi quid præterea velint: Cotta autem celeritatem ſuperioris ſermonis declarat duobus ſimilibus: quæ omnia eò pertinent, vt Craſſus rurſus ad dicendum paulò copioſius, quàm antea, de cauſſis eloquentiæ reuocetur. Prima ſimilitudo in allegoria eſt: Vt equi celeritate currendi nullum ferè veſtigium relinquunt: ſic oratio Craſſi tam incitata fuit, vt de ea nihil penè intueri poſſimus. Altera ſic: Vt ſi quis diuitem domum ingreſſus, ſuppellectilem pretioſam videat, ſed abſconditam, & non explicatam: ſic nos in eloquentiæ domum à Craſſo deducti, diuitias & ornamenta illius inuoluta & nō euoluta vidimus. 2 Scæuola ex proxima ſimilitudine arripit occaſionem ſimilitudinis, ad exercitandum Cottam, vt Craſſum roget. 3 Prouerbium eſt ſumptum ex mercatorum conſuetudine, qui cancellos aut vitrum pellucidum mercibus ſuis obiiciunt, vt prætereuntibus eas contemplari liceat: neq; merces explicant, niſi licitatori idoneo.

4 Hic decorum ſeruatur in pudore adoleſcentum, & grauior Scæuolæ authoritas interponitur, vt Craſſus latius exponat, quæ breuiter dixit. Itaque Scæuola preces ſuas auget collatione minorum: Antea, inquit, rogabam Craſſum tantùm adoleſcentum cauſſa: nunc etiam mea ipſius cauſſa Craſſum rogo. 5 Craſſus nihil amplius de natura & arte oratoris dicturus eſt, quia ars ad imitationem naturæ, quam veteres ſibi fingunt, duobus reliquis libris explicabitur: & de tam multis exercitationis oratoriæ partibus ſolam iuris ciuilis diſciplinā ſcientiamq; magnificè commendabit, & amplificabit: tranſitus latet in dialogo Craſſi, Socraticè & modeſtè diſſimulantis ſe neſcire artem rhetoricam, & rem admodum leuem eſſe: & Scæuolæ Craſſum vocantis ad maiores & grauiores exercitationis oratoriæ partes, quas paulò antè Craſſus duntaxat attigit. 6 Hæc cauſſa fuit, cur Cicero de ſecundo & tertio libris dimouerit Scæuolam, quia primi libri ſermo non alienus quidem eſſet à perſona Scæuolæ, vbi quæreretur quis ſit orator, & quæ cauſſæ perfectæ eloquentiæ: reliqui verò libri τεχνολογίας haberent. Itaque huic ioculatoriæ diſputationi ſenem intereſſe noluit: vt ſcribit ad Pomp. Atticum. 7 Alluſio eſt ad diuitis patrisfamiliâs ſupellectilem, quæ vt varia & copioſa eſt, in menſis, trapezophoris, ſubſellijs, ſcamnis, lectis, culcitris, toralibus, mappis, vaſis aquariis, peluibus, candelabris, lucernis, trullis, capſis, armariis, vitreis, eſcariis, potoriis. Ita perfecti oratoris ſuppellex varia eſt, in philoſophia, hiſtoria, iure ciuili, in omnium rerum atque artium apparatu, tractatione, vſu.

8 Craſſus omiſſis reliquis partibus exercitationis oratoriæ, duas tantū proximo ſermone renouabit; vnam de ſtudio iuris ciuilis, alteram de cognitione anti-

quitatis, & exemplorum : primùm igitur incipit dilatare locum illum de iure ci-
uili, eamque diſputationem ingreditur, maximè in gratiam Scæuolæ ſui ſoceri,
qui ius ciuile profitebatur, & quem, niſi de re grauiore dicatur, vix ſatis decorum
ſit diutius in hoc dialogo retineri. primum argumentum eſt ab exemplis ſpecia-
libus oratorum : Hypſæus & Octauius oratores in cauſſa & iudicio tutelæ pro-
pter ignorationem iuris ciuilis, turpiter & ridiculè lapſi ſunt : eſt igitur neceſſa-
ria oratori iuris ciuilis cognitio. Hypſæus pro pupillo, Octauius pro tutore cauſ-
ſam dicebat, quorum ille plus petendo, quàm lex permittit, cauſſa cadebat : hic re-
cuſando ne tutor nomine mulctæ tantum ſolueret, quantum aduerſarius pete-
bat, ſtultitia recuſandi non vincebat, quod feciſſet, ſi Hypſæum hoc modo, id eſt,
plus petendo agere paſſus eſſet. 9 Argumentum ſecundum ſumitur ab exem
plo ſpeciali cuiuſdam oratoris ſtultè exceptionem poſtulantis à iudice, videlicet
vt actio daretur eius pecuniæ, cuius dies fuiſſet : nec ea pecunia, quæ nondum
deberi cœpta eſſet, solueretur ante conſtitutum tempus : qua petitione cauſſam
actoris bonam faciebat, & ſuam malam: nó enim debuit eiuſmodi exceptionem
petere, ſed ſimpliciter negare pecuniam tum, cùm peteretur, deberi. Itaque quod
ita excepit, profuit actoris cauſſæ, vt quum actor victus priore actione rurſus ad
diem cóſt.tutum pecuniam peteret, ne exceptione legis excluderetur, ſed ei tum
lege liceret agere, quòd ea res perinde eſſet, acſi in iudicium non veniſſet. Exce-
Libro digeſt. 41. ptio autem, vt ait Vlpianus, eſt quaſi excluſio quædam, quæ interponi actioni
cuiuſdam rei ſolet, ad excludendum id quod in intentioné condemnationémve
deductum eſt. 10 Tertium argumentum ab authoritate Publ. Craſſi Mutia-
ni: Pub. Craſſus dicebat Scæuolam non poſſe iuri ciuili ſatisfacere ſine eloquen
tia: ergo iuris prudentiæ & eloquentiæ artes inter ſe coniunctæ ſunt. hic Craſſus
quinque habuiſſe rerum bonarum maxima & præcipua traditur, quòd eſſet di-
tiſſimus, quòd nobiliſſimus, quòd eloquentiſſimus, quòd iuris conſultiſſimus,
Cap. 3. & 10 lib. 1. quòd pontifex maximus, vt ait Gellius. hunc item Cicero laudat in Bruto, & ap-
pellat fratrem Pub. Scæuolæ. Publium Craſſum, inquit, valde probatum orato-
rem iiſdem ferè temporibus accepimus, qui & ingenio valuit, & ſtudio & habuit
quaſdam etiam domeſticas diſciplinas : nam & cum ſummo illo oratore Seruio
Galba, cuius Caij filio filiam ſuam collocauerat, affinitate ſeſe deuinxerat, & cùm
eſſet Pub. Mutij filius, fratremq; haberet Pub. Scæuolam, domi ius ciuile cogno-
uerat: in eo conſtat induſtriam ſummam fuiſſe, maximamque gratiam, cùm &
conſuleretur plurimum, & diceret. 11 Quartum argumétum ab exemplo M.
Lib. 7. Catonis ſenioris, qui (vt ait Plinius) primus Porciæ gentis tres ſummas artes in
homine præſtitiſſe exiſtimatus eſt, optimus orator, optimus imperator, optimus
ſenator. Et Fabius: M. Cato (ait) cùm in dicendo præſtantiſſimus, tum iuris fuit
idem peritiſſimus. 12 Prolepſis eſt: M. Antonius ſummus eſt orator, nec tamé
iuris peritus : cui obiectioni Craſſus reſpondet cum decora commendatione,
quòd Antonius naturalem iuris prudentiam habeat, iuriſconſultorum libris &
diſciplina non inferiorem. 13 Diuiſio ex adiunctis : Oratores qui neſciunt
ius ciuile, partim inertes ſunt, partim impudentes. Cuius diuiſionis partes Craſ
ſus *ὕστερον πρότερον* exequitur: quia prius diſſerit de impudentia, quàm tamen
poſteriore loco propoſuit. primum impudentiæ argumentum illuſtratur indu-
ctione multarum ciuilium cauſſarum, quæ pendent ex iure ciuili. 14 Cauſſæ
centumuirales apud centum quinque viros iudices agebantur, qui ex triginta
quinque tribubus terni delecti, de multis ciuium controuerſiis cognoſcebant, vt
de iure vſucapionis, tutelę, gentilitatis, agnationis, alluuionis, circunluuionis, &c.
15 Vſucapio, eſt ius poſſidendi rem captam, & quæſitam continuatione tem-
poris lege definiti, vt res quidem mobilis per triennium, immobilis verò per lon
gi temporis poſſeſſionem inter præſentes decennio, inter abſentes viginti annis
vſucapiatur, vt ait Iuſtinianus: iureconſulti quoque præſcriptionem eadem ſigni
ficatione vſurpant. 16 Tutela (vt Seruius definit) vis & poteſtas eſt in capite
libero

libero conſtituta ad tuendum eum, qui per ætatem ſua ſponte ſe defendere nequit, iure ciuili data & permiſſa. Tutores autem ſunt, qui eam vim & poteſtatem habent. 17 Gentilitas, eſt gentilium ſeries, id eſt, eorum, qui inter ſe eodem nomine ſunt, qui ab ingenuis oriundi ſunt, quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit, qui capite non ſunt diminuti: Agnatio autem eorum, qui virilis ſexus propinquitate iuncti ſunt. 18 Alluuio fluminis eſt fundum alluentis, ſicut circunluuio fluminis inſulam repentè natam circumfluentis: cauſſæ autem centumuirales interdum oriuntur de fundis per alluuionem adiectis, aut detractis, & de inſula per circunluuionem repentè nata in flumine, cuius eſſe debeat.
19 Nexos veteres dicebant, qui ſuas operas in ſeruitute pro pecunia quam debebant, domino præſtabant: nam obærati qui ſoluendo non eſſent, vocati in ius, lege duodecim tabularum in temporariam ſeruitutem creditori addicebantur. 20 Mancipia dicta ſunt, quòd ab hoſtibus manu capiantur: hac tamen appellatione continentur omnes ſerui, qui alieno dominio præter naturam ſubiiciuntur, ſiue iure belli, ſiue alia ratione. dicitur etiam mancipium res quæ mancipatur, & à noſtro dominio ad alterius tranſit: idq; olim fiebat, adhibitis non minus quàm quinque teſtibus ciuibus Romanis puberibus, & eo qui libripens dicebatur: is autem qui mancipium accipiebat, æs tenens ita dicebat: Hunc ego hominem iure Quiritum meum eſſe aio: iſq; mihi emptus eſt hoc ære, æreaq; libra: deinde ære percutiebat libram, idque dabat ei, à quo accepiſſet mancipium, quaſi pretij loco, vt ait Boetius. 21 De iure parietum, luminũ, ſtillicidiorum,
ſcribitur in Digeſtis: Paries eſt, ſiue murus, ſiue maceria eſt, vt ait Gellius. Lumen *De verb.ſig.*
(vt ait Paulus) id eſt, vt cœlum videatur. & intereſt inter Lumen & Proſpectum: *Lib.8.digeſt.*
nam Proſpectus etiam ex inferioribus locis eſt: Lumen ex inferiore loco eſſe non poteſt. Stillicidium, eſt ſtillarum & aquæ pluuiæ fluxus è tecto. 22 Teſtamentum eſt voluntatis noſtrę iuſta ſententia de eo quod poſt mortem fieri volumus. Rumpitur teſtamentum aut adoptione, aut poſteriore teſtamento, aut hæredis caſu, aut capitis diminutione, aut imperfectione, aut iniquitate. Ratum autem
eſt, quod permanet, neq; reſcinditur. de teſtamẽtis ruptis & ratis vide Valerium. *Lib.8.*
23 Suum propriè ad dominium refertur, vnde pro meo, tuo, ſuo, poſſidere dicimus: aliàs ad obligationem & ius perſonæ, vt ius ſuum perſequi, & ſuum argentum legare, quale eſt illud quod eſt in nominibus: huic opponitur alienum.
24 Ciuis ius habet ciuitatis eius in qua viuit, peregrinus nõ habet. 25 Seruus eſt homo ſui iuris, nec alienæ poteſtati præter naturam ſubiectus. Liber contrà ſui iuris eſt, & habet naturalem facultatem faciendi quodcunque libet, niſi quod vi aut iure prohibetur. 26 Secundum argumentum ſumitur ex factis impudentiæ, collatione minorum auctis. ſyllogiſmus ſimplex primi generis:

Qui rudem ſe in paruis, exercitatum in magnis cauſſis profitetur: impudens eſt:

Oratores multi ſe rudes in paruis, & exercitatos in magnis cauſſis profitentur:

Multi igitur oratores impudentes ſunt.

Propoſitio ſyllogiſmi continet allegoriam, vbi ex paruis nauigiis paruæ cauſſæ, & & ex quinque remibus magnæ cauſſæ ſignificantur. 27 Concluſio ſyllogiſmi cum allegorica comparatione à minori ad maius. Difficillimum eſt imperitum nautam in Euxino ponto nauem (quam Græci Argo vocauerunt) agere: at difficilius eſt oratorem ignarum iuris, magnas cauſſas in foro tractare. Argonautæ fuerunt Heroës, Iaſon, Hercules, Caſtor, Pollux, & alij multi, qui ædificata naue Argo ad Colchos vecti pellem inauratam arietis ſuſtulerunt, Regiſque filiam Medeam rapuerunt, quibus traiiciendus fuit Boſphorus Thracius, & Pontus Euxinus in hoc tranſitu maximè incuruus, breuis, atrox, nebuloſus, raris ſtationibus, non molli, nec arenoſo circundatus littore, vicinus Aquilonibus: & quia non profundus eſt, fluctuoſus, atque feruens, vt ait Pomponius Mela.

28 Tranſit à leuioribus cauſſis ad grauiores & difficiliores, quæ egent iuris ſcientia. ſyllogiſmus eſt connexus primi modi:

> Si maximæ cauſſæ egent præſidio iuris, impudens eſt orator, qui ad eas audet ſine iuris ſcientia accedere:
>
> Sed primum verum eſt:
>
> Verum itaque eſt & poſtremum.

Aſſumptio illuſtratur inductione decem exemplorum. primum eſt de re teſtamentaria vocata in iudicium, vnde miles quidam ſuperior diſceſſit, vt ait Valer. Maxim. & Paulus ſic de ea re cenſet, Conſultus an videatur exhæredatus, quem pater putauit deceſſiſſe, reſpondi filios & filias nominatim exhæredatos proponi, de errore autem eius patris, qui interceſſiſſe proponitur, apud iudicem agi oportere. Filiusfamiliâs miles ſimiliter vt paganus nominatim à patre aut hæres ſcribi, aut exhæredari debet. 29 Hæc tria verba TESTAMENTO EXHAERES FACTVS in nonnullis exemplaribus non ſunt: videnturque expungenda eſſe, quia cum ſequenti ſententia pugnant, quæ eſt, Quem pater teſtamento neque hæredem, neque exhæredem ſcripſiſſet nominatim. 30 Secundum exemplum eſt de iure gentilitatis, & ſtirpis, quum quidam ex familia Claudiorum iniuſta ſeruitute oppreſſus, deinde manumiſſus, hæredem filium moriens reliquiſſet, & filius deinde inteſtato deceſſiſſet, lege duodecim tabularum familia pecuniaque eius agnatorum gentiliumque erat. Claudij itaque hanc hæreditatem iure gentilitatis petebant, quòd pater illius & re & nomine Claudius eſſet: Marcelli verò iure ſtirpis, quòd pater ille ſeruiendo deſiiſſet eſſe ingenuus, & gentilis Claudiorum: nam gentilis amplius nõ eſt is, cuius maiorum quiſquam ſeruitutem ſeruierit: ſtirps autem & cognatio ſeruitute, aut capitis diminutione non tollitur. 31 Tertium exemplum de iure applicationis, cùm peregrinus apud patronum quendam Romæ mortuus eſſet, patronus centumuirali iudicio defendit hæreditatem illius ad ſe pertinere, & vicit. 32 Quartum exemplum de reſcindenda venditione, aut præſtando damno, cùm venditor in mancipio vitium reticuerit: nam legibus duodecim tabularum dici debet: idem exemplum planius narratur à Cicerone lib.3. Offic. 33 Hic Sergius Auræta, vel, vt alij volunt, Orata, dictus eſt à piſcibus auratis, quos vnicè dilexit, vt ait Macrobius: vel quòd duobus annulis aureis prægrandibus vteretur, vt ait Feſtus. 34 Quintum exemplum de ædium luminibus, quæ M. Bucculeius venditor in mancipio vti tum eſſent, ita L. Fuſio emptori recepit. qua de re ita ſcribit Pomponius, Si ſeruitus impoſita fuerit, Lumina quæ nunc ſunt, ita vt ſint, de futuris luminibus nihil caueri videtur: quod ſi ita ſit cautum, Ne luminibus officiatur, quia ambigua eſt ſcriptura, vtrúmne his luminibus officiatur, quæ nunc ſunt, an etiam his, quæ poſtea quoque fuerint, humanius eſt verbo generali omne lumen ſignificari, ſiue quod in præſenti, ſiue quod poſt tempus conuentionis contigerit: futuro quoque ædificio, quod nondũ eſt, vel imponi, vel acquiri ſeruitus poteſt. 35 Sextum exemplum eſt de iure hæreditatis, & ſtatus cauſſæ ex teſtamento naſcitur: Si poſthumus moriatur, antequam in tutelam ſuam venerit, Marcus Curius hæres meus eſto: quum nullus Poſthumus natus eſſet, M. Coponius iure agnationis, hæreditatem petiit aduerſus M. Curium: Coponium Scæuola, Curium Craſſus defendit. Ille verbis teſtamenti, hic voluntate & mente teſtantis nitebatur: hoc exemplum Cicero propter nobilitatem cauſſæ, & oratorum, qui cauſſam egerint, tribus alijs locis commemorat, pro Cecinna, in Bruto, & lib.2. de Orat. 36 Septimum exemplum de iure poſtliminij, vtrum C. Mancinus poſtliminio redierit, quem paterpatratus ex ſenatuſconſulto Numantinis hoſtibus dedidiſſet, neque tamen hunc illi recepiſſent. de quo Cicero ad hunc modum ſcribit, Quid? quem paterpatratus dedidit, aut ſuus pater populúſue vendidit, quo is iure amittit ciuitatem? vt religione ſoluatur ciuitas, ciuis Romanus traditur: qui cùm eſt acceptus, eorum eſt, quibus eſt deditus: ſi non accipiunt, vt Mancinum Numantini,

Cap.7. lib.7.

Cap.8. lib.3.

Pro Cecinna.

tinl,retinet integram cauſſam & ius ciuitatis. Modeſtinus, An,inquit,qui hoſti- *Lib.49.dige*
bus deditus,reuerſus,nec à nobis receptus eſt,ciuis Romanus ſit,inter Brutum & *ſtorum.*
Scæuolam variè tractatum eſt, & conſequens eſt, vt ciuitatem non adipiſcatur.

37 Octauum exemplum de iure poſtliminij, & ciuitatis: de quo Proclus iu- *Lib. eod.*
reconſultus ita iudicat: Non dubito quin fœderati & liberi externi non ſint,neq;
inter nos atque eos poſtliminio opus eſt, cùm etiam illi apud nos, & libertatem
ſuam, & dominium rerum ſuarum æquè atque apud ſe retineant, & eadem no-
bis apud eos contingant. hinc intelligimus fœderatum hominem, cùm Romæ
ſeruiſſet, ſi manumiſſus, tandem domum receptus eſſet, deſiiſſe Romanum ci-
uem eſſe: quia duarum ciuitatum nemo ciuis eſſe poteſt: neque tamen domum
poſtliminio rediiſſe,quia inter fœderatos poſtliminium nullum eſt,ſed inter ho
ſtes. 38 Nonum exemplum de iure libertatis,Sitne libertus domini volunta-
te cenſus antè conditum luſtrum plenè liber? Luſtrum autem Romæ non niſi
quinto quoque anno fiebat à Cenſoribus,vbi capita ciuium cenſebantur,& diui
tum facultates nominatim referebantur in tabulis,pauperum verò nomina tan-
tùm. 39 Decimum exemplum de iure diuortij,An nullo nuntio remiſſo prio
ri vxori,diuortium,contractis nouis nuptiis fieri poſſit? &, An ſecunda mulier di
cenda ſit vxor,an concubina? & filius ex ea natus, legitimus ſit, an nothus? nul-
lum diuortium (ait Paulus) ratum eſt, niſi ſeptem ciuibus Romanis puberibus *Lib.digeſt.*
adhibitis,præter libertum eius,qui diuortium faciet. In repudiis autem & renun *14.*
tiationibus cóprobata ſunt hæc verba, RES TVAS TIBI HABETO. Itē hæc, *Lib. eod.*
TVAS RES TIBI AGITO. 40 Complexio eſt connexi ſyllogiſmi ad im-
pudentiæ reprehenſionem, vbi impudens orator per ὑποτύπωσιν depingitur.

41 Tranſitus ab impudentia ad inertiam, quam Craſſus in oratoribus caſti-
gat tribus præcipuis argumentis: quòd ſcientia iuris facilis ſit, quòd iucunda,
quòd plena dignitatis. primum de facilitate argumentum concluditur hoc ſyl-
logiſmo:

> Si eſſet difficilis iuris cognitio, tamen propter vtilitatem eſſet perdi-
> ſcenda:
> Sed facilis eſt:
> Quanto igitur magis perdiſcenda?

Aſſumptio probatur teſtimonio Scæuolæ. 42 Craſſus duas cauſſas adfert,
quare iuris ſcientia difficilis videatur, & quia veteres Pontifices hanc artem cæ-
labant,& quia indigeſtam & confuſam iureconſulti poſtea tradiderunt: de prio-
re cauſſa Cicero,Poſſet,inquit,agi lege,nécne,pauci ſciebant quondam: faſtos e- *Pro Mure-*
nim vulgò non habebant: erant in magna potentia,qui conſulebantur: à quibus *na.*
etiam dies tanquam à Chaldæis petebantur. 43 Gneus Flauius (authore Li- *Lib.9.deca-*
uio) Gnei filius, ſcriba, patre libertino, humili fortuna ortus, cæterum callidus *de 1.*
vir & facundus. Aedilis curulis fuit: contumacia aduerſus contemnentes humi-
militatem ſuam nobiles certauit: ciuile ius repoſitum in penetralibus Pontifi-
cum euulgauit,faſtoſque circa forum in albo propoſuit: vt quando lege agi poſ-
ſet,ſciretur. Pomponius etiam de eodem ſcribit his verbis: Eodem penè tempo- *Lib.digeſt.1.*
re tria hæc iura nata ſunt,leges duodecim tabularum: ex his fluere cœpit ius ciui
le,ex iiſdem legis actiones compoſitæ ſunt: Omnium tamen harum & interpre-
tandi ſcientia, & actiones apud collegium Pontificum erant: ex quibus conſti-
tuebatur, quis quoque anno præeſſet priuatus: & populus propè centum annis
hac conſuetudine vſus eſt. Poſtea quum Appius Clodius propoſuiſſet,& ad for-
mam redegiſſet has actiones, Gn.Flauius ſcriba eius, libertini filius, ſubreptum
librum populo tradidit: & adeò gratum fuit id munus populo, vt Tribunus ple-
bis fieret,& Senator,& Aedilis curulis. Hinc liber,qui actiones continet,appella-
tur Ius ciuile Flauianum, ſicut illud, Ius ciuile Papyrianum: nam nec Gn.Fla-
uius de ſuo quicquam adiecit libro. Item Cicero, Inuentus eſt quidam ſcriba *Pro Mure-*
Gn.Flauius,qui cornicum oculos confixerit,& ſingulis diebus ediſcendos faſtos *na.*

populo popoſuerit, & ab ipſis cautis iureconſultis eorum ſapientiam compilarit.

44 Craſſus veriſſimè ait, vnam quandam eſſe ſcientiam, per quam omnes artes fiunt: Dialectica enim omnes artes genuit, & in lucem edidit: per hanc itaq; ius ciuile in artem redigi poſſe demonſtrat hoc modo:

> Omnes res diſſolutæ, & indigeſtæ, dialecticæ methodi ſcientia in aliquam artem poſſunt includi:
>
> Ius ciuile eſt diſſolutum atque confuſum:
>
> Quare ius ciuile in artem quoque redigi poteſt..

Propoſitio illuſtratur inductione ſimilium exemplorum, de quibus artes factæ & compoſitæ ſunt, Muſica, Geometria, Aſtrologia, Grammatica, & Rhetorica. hic locus ſumptus eſt ex Philebo Platonis, vbi Socrates non ſolùm vnicè commendat, ſed etiam exponit dialecticam artem faciendarum reliquarum artium: cùm rei propoſitæ ideam primùm requirimus, deinde pauca & finitima genera proponimus: tum à generalibus principiis doctrinam ad ſpeciales partes, non tamen infinitas, via & ordine deducimus: idq; Socrates declarat duobus exemplis Muſicæ & Grammaticæ. 45 Cicero videtur in perſona Craſſi ſeipſum indicare, qui conſtituerat in libris de Legibus tradere artem & doctrinam iuris ciuilis: ſcripſerat etiam libellum quendam de iure ciuili in artem redigendo, quẽ citat Gellius cap.22.lib.1. 46 Probat ſcientiam iuris ciuilis, quamuis in artem digeſta non ſit, tamen facilè percipi poſſe, ab exemplo Aculeonis, & ab adiunctis rerum, quæ in hac ſcientia traduntur: quòd materies in iure tota ſit popularis, & paucis libris comprehenſa. *Lib.2. de Oratore.* Caius Aculeo habuit in matrimonio materteram Ciceronis, quem Craſſus ex omnibus dilexit plurimum. 47 Secundum principale argumentum contra inertiam ſumitur ab adiuncta iuri ciuili delectatione, quæ declaratur ex quinque cauſſis efficientibus, quarum prima eſt antiquitatis cognitio, quæ in legum libris comprehenſa, miram adfert delectationem: exempla de priſcis ceremoniis Pontificum & duodecim tabulis, atque etiam verbis antiquarum legum reperies apud Cic.lib.2. & 3.de Legib. 48 Secunda cauſſa delectationis eſt ſcientia politica, quæ cernitur magna ex parte in legibus duodecim tabularum: quia leges aliæ erant de bello, aliæ de pace, aliæ de ſociis, aliæ de vectigalibus, aliæ de iure ciuium generatim deſcripto, quæ explicabant ſtatum & diſciplinam ciuitatis. 49 Tertia cauſſa delectationis eſt philoſophia moralis, quæ dicitur eſſe poſita in libris legúm, quia primi legum latores, vitæ & morum magiſtri fuerunt: & leges nihil aliud ſunt, niſi præcepta benè & ſanctè viuendi, quæ iubent iuſta & honeſta, prohibentq; contraria: quarum cùm aliæ certis præmiis ciues excitẽt ad omnia genera virtutum: aliæ propoſitis ſuppliciis reuocent eoſdem ab omnibus & ſingulis generibus vitiorum, videntur ob eam cauſſam præcepta generalia philoſophiæ moralis de virtutibus & vitiis omnia complecti.

50. Vetus illa Solonis ſententia fuit, Rempub. duabus rebus contineri, præmio & pœna, vt ait Cicero in Epiſtolis ad Brutum. 51 Hic obiter irridet philoſophos, qui de moribus magis altercabantur, quàm philoſophabantur. 52. Auget propoſitam comparationem de legibus & philoſophia morali. 53 Quarta cauſſa eſt, amor & charitas patriæ. Diligimus patriã: igitur mores patrię, qui continentur legum libris, magna cum voluptate legimus & percipimus: hic locus illuſtratur exemplo Vlyſſis, aucto collatione minorum. Vlyſſes maluit reuerti in Ithacam patriam ſterilem, quàm apud Calypſo nympham immortalis eſſe. quo igitur amore patriam noſtram, reginam imperii totius orbis terrarũ complecti debemus? Calypſo apud Homerum Vlyſſi promittit immortalitatem, ſi manere apud eam velit:

Lib.5. Odyſ.

> Ἐνθάδε κ' αὖθι μένων σὺν ἐμοὶ, τόδε δῶμα φυλάσσοις,
> Ἀθάνατός τ' εἴης, ἱμειρόμενός περ ἰδέσθαι
> Σὴν ἄλοχον, τῆς αἰὲν ἐέλδεαι ἤματα πάντα.

Id eſt,

Si mecum maneas tectum ſeruabimus ambo:
Immortalis eris, quantumuis tecta videre
Patria, & vxorem, cupidus, quam cernere flagras.

Sed Vlyſſes amorem patriæ præponit immortalitati:

Ἀλλὰ καὶ ὡς ἐθέλω, καὶ ἐέλδομαι ἤματα πάντα *Ibidem paulò poſt.*
Οἴκαδέ τ' ἐλθέμεναι, καὶ νόστιμον ἦμαρ ἰδέσθαι.

Id eſt,

Sed volo ſic, cunctis inuiſere & opto diebus
Noſtros, optatum patriæ reditumq; videre.

Telemachus apud Homerum deſcribit Neſtori Ithacam inſulam ſterilem & montoſam:

Ἐν δ' Ἰθάκῃ οὐδ' ἂρ δρόμοι εὐρέες, οὔτε τι λείμων, *Lib. 4. Odyſ.*
Αἰγίβοτος, καὶ μᾶλλον ἐπήρατος ἱπποβότοιο·
Οὐ γάρ τις νήσων ἱππήλατος, οὐδ' εὐλείμων,
Αἵ θ' ἁλὶ κεκλίαται, Ἰθάκη δέ τε περὶ πάντων.

Id eſt,

Aſt Ithacæ nec lata via eſt, nec peruia curru,
Et minus aptus equis, quam capris fundus alendis,
Inſula vix vlla eſt ſpacioſa, & fertilis herbis
Cincta mari, aſt alias Ithace ſupereminet omnes.

54 Quinta cauſa delectationis eſt ſumma prudentia, quæ cernitur in Romanis legibus: eaque augetur collatione cum legumlatoribus Græcis, vbi maiorem prudentiam in conſtituendis legibus tribuit ſuis Cicero, quàm Græcis: ſicut etiam facit Tuſcul. 1. Rempub. noſtri maiores certè melioribus temperauerunt, & inſtitutis, & legibus. Cæterùm Lycurgus Lacedæmoniis leges tulit, Draco & Solon Athenienſibus, quarum permultæ poſtea Romam tranſlatæ, & in duodecim tabulis perſcriptæ ſunt. 55 Craſſus ad caſtigandam oratorum ſegnitiem, docuit ſcientiam iuris primùm perfacilem eſſe, deinde periucundam. tertium principale argumentum ſequitur de iuris dignitate apud Romanos, quæ illuſtratur à diſſimilibus. In Græcia iureconſulti ſunt homines viles & abiecti: Romæ verò ampliſſimi & clariſſimi habentur: quod poſtremum probatur exemplo Sexti Aelij, qui verſiculo Quinti Ennij celebratus eſt,

Egregiè cordatus homo Catus Æliu' Sextus.

& multorum aliorum iureconſultorum, qui Romæ ſummam dignitatem obtinuerũt: ex quo genere fuiſſe accepimus M. Catonem, P. Mutium, Brutum, P. Rutilum Ruffum, Q. Tuberonem, Sext. Pompeium, &c. 56 Secundum argumentum de dignitate iuris per collationem minorum exponitur: Iuris ſcientia non ſolùm valet ad vſum forenſem, ſed etiam ad decus ſenectutis. Cic. lib. 1. de Legibus, dicit ſe non recuſare, quò minus in ſenectute more patrio in ſoliò ſedens de iure reſpondeat: hic locus declaratur ſimilitudine Apollinis apud Ennium loquentis, Vt Apollo dicit ſe eum eſſe, à quo omnes conſilium experant: ſic iureconſultus ſenex eſt tanquam publicus Apollo ciuitatis: & exemplo Q. Mutij Scæuolæ ſenis, quem quotidie ſui ciues de iure conſulunt. 57 Verſus ſunt Iambici trimetri, ex Ennij tragœdia: Fabius cap. 2. lib. 9. vocat hanc figurã παρῳδίαν, quum verſus alicuius poetæ in aliquam ſimilem ſententiam vſurpamus, vel ad aliam perſonam accommodamus. 58 Craſſus tranſitum facit à priuato iure ad publicum, quod pertinet ad ſtatum Reipubl. & in ſacris ſacerdotibus, magi-

ſtratibusque conſiſtit, cui etiam adiungit hiſtoriæ ſcientiam, & cognitionem oratori neceſſariam eſſe: argumentum eſt à ſimilibus,

Vt priuatis cauſſis priuatum ius:
Sic publicis publicum, & hiſtoria inſeruit.

59 Expoſitis eloquentiæ cauſſis natura, doctrina, & exercitatione, concluditur ad extremum definitio perfecti oratoris, quem antea eloquentem nominauit Antonius: eaq; exornatur à diſſimilibus: Non definitur à nobis neſcio quis cauſſidicus, ſed excellens orator, omnibus naturæ dotibus exornatus, omnibus artium præſidiis inſtructus, qui poſſit in ciuilibus cauſſis regnare, & ea omnia quę velit, maieſtate orationis ciuibus ſuis imperare: quæ informatio de actore ciuilium cauſſarum perfecto, & abſoluto vera quidem eſt: huic enim nota eſſe debent omnia, quæ Craſſus expoſuit antea: ſed diſciplina in quinque partibus inuentionis, diſpoſitionis, elocutionis, memoriæ, & actionis hanc abſolutam perſonam non inſtituit, cùm de tam multis artibus, quæ dicuntur oratori neceſſariæ, Dialectica tantùm & Rhetorica tradantur, & quidem confuſiſſimè tradantur, vt in reliquis duobus libris explicandis probare inſtituimus: de oratore autem à cæteris artificibus diſtincto falſa eſt definitio: non enim elocutionis & pronuntiationis facultate hæc tam multa continentur, quæ Craſſus in oratore definiendo comprehendit. 60 Caduceum ſceptrum eſt Mercurij, & virga complicatis inter ſe anguibus intorta, quam caduceatores legati pacis olim præferebant, vt tuti & incolumes in hoſtium caſtris eſſent. Orator autem (vt ait Craſſus) non tam caduceo, quàm nomine oratoris incolumis verſabitur in contẽtionibus ciuium, id eſt, non tã authoritate perſonæ, q̃ orationis tectus & munitus erit. 61 Exornatio eſt proximæ definitionis de oratore, quòd is non tam magnificè à Rhetoribus informetur: hi enim vulgarem oratorem & cauſidicum duntaxat inſtituunt: Cicero autem in his dialogis perfectum. 62 Scæuola ad extremum retinet perſonæ ſuæ dignitatem, & grauitatem in cohortandis adoleſcentibus. Argumentum eſt ſimile ſumptum ex apopthegmate Socratis.

[1] Nobis verò, inquit Sulpitius, iſta ſunt pergrata, perq; iucunda: ſed pauca etiam requirimus, in primiſq; ea quæ valde breuiter à te Craſſe de ipſa arte percurſa ſunt, quum illa te & non contemnere, & didiciſſe confiterere: ea ſi paulo latius dixeris, expleris omnem expectationem diuturni deſiderij noſtri: nam nunc quibus ſtudendum rebus eſſet, accepimus, quod ipſum tamen eſt magnum: ſed vias earum rerum rationemq; cupimus cognoſcere. Quid ſi, inquit Craſſus, quoniam ego quo facilius vos apud me tenerem, veſtræ potius obſecutus ſum voluntati, quàm aut conſuetudini, aut naturæ meæ, petimus ab Antonio, vt ea quæ continet, neq; adhuc protulit, ex quibus vnum libellum ſibi excidiſſe iamdudum queſtus eſt, explicet nobis, & illa dicendi [2] myſteria enuntiet? Ut videtur, inquit Sulpitius: nam Antonio dicente,

cente, etiam quid tu intelligas, ſentiemus. Peto igitur, inquit Craſſus, à te, quoniam id nobis Antoni hominibus[3] *id ætatis oneris ab horum adoleſcentium ſtudijs imponitur, vt exponas quid ijs de rebus, quas à te quæri vides, ſentias.*[4] *Deprehenſum equidem me, inquit Antonius, planè video atq; ſentio, non ſolùm quòd ea requiruntur à me, quorum ſum ignarus atq; inſolens, ſed quia quod in cauſſis valde fugere ſoleo, ne tibi Craſſe ſuccedam, id me nunc iſti vitare non ſinunt. Uerùm hoc ingrediar ad ea quæ vultis, audacius, quòd idem mihi ſpero vſu eſſe venturum in hac diſputatione, quod in dicendo ſolet, vt nulla expectetur ornata oratio. Neque enim ſum de arte dicturus, quam nunquam didici, ſed de mea conſuetudine: Ipſáq; illa, quæ in commentarium meum retuli, ſunt eiuſmodi, non aliqua mihi doctrina tradita, ſed in rerum vſu cauſſiśq; tractata: quæ ſi vobis hominibus eruditiſſimis non probabuntur, veſtram iniquitatem accuſatote, qui ex me ea quæſieritis, quæ ego neſcire: meam facilitatem laudatote, quum vobis non meo iudicio, ſed veſtro ſtudio inductus non grauatè reſpondero. Tum Craſſus, Perge modò, inquit, Antoni. nullum eſt enim periculum ne quid tu eloquare, niſi ita prudenter, vt neminem noſtrum pœniteat ad hunc te ſermonem impuliſſe.*[5] *Ego verò, inquit, pergam, & id faciam quod in principio fieri in omnibus diſputationibus oportere cenſeo, vt quid illud ſit, de quo diſputetur, explanetur: ne vagari & errare cogatur oratio, ſi ij qui inter ſe diſſenſerint, non idem eſſe illud de quo agitur, intelligent. Nam ſi fortè quæreretur, quæ eſſet ars imperatoris, conſtituendum putarem principio, quis eſſet imperator: qui quum eſſet conſtitutus adminiſtrator belli gerendi, tum adiungeremus de exercitu, de caſtris, de agminibus,*

de ſignorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de inſidijs faciendis atq; vitandis, de reliquis rebus quæ eſſent propria belli adminiſtrandi: quarum qui eſſent animo & ſcientia compotes, eos eſſe imperatores dicerem: [6] *vtererq́; exemplis Africanorum, & Maximorum: Epaminondam atq; Annibalem, atq; eius generis homines nominarem. Sin autem quæreremus quis eſſet is, qui ad Rempubl. moderandam, vſum & ſcientiam & ſtudium ſuum contuliſſet, definirem hoc modo, qui quibus rebus vtilitas Reipubl. pararetur augereturq́;, teneret, ijsq́; vteretur, hunc Reipubl. rectorem, & conſilij publici authorem eſſe habendum: prædicaremq́;* [7] *Pub. Lentulum principem illum, & Tiberium Cracchum patrem, & Q. Metellum, & Publ. Africanum, & C. Lælium, & innumerabiles alios cùm ex noſtra ciuitate, tum ex cæteris. Sin autem quæreretur quiſnam iuriſconſultus verè nominaretur, eum dicerem, qui legum & conſuetudinis eius, qua priuati in ciuitate vterentur, & ad reſpondendum, & ad agendum, & ad cauendum, peritus eſſet: &* [8] *ex eo genere S. Aelium, M. Manilium, Publ. Mutium nominarem. Atq;, vt iam ad leuiora artium ſtudia veniam, ſi Muſicus, ſi Grammaticus, ſi Poeta quæratur, poſſim ſimiliter explicare quid eorum quiſq; profiteatur, & quo non amplius ab quoq; ſit poſtulandum. Philoſophi deniq; ipſius, qui de ſua vi ac ſapientia vnus omnia penè profitetur, eſt tamen quædam deſcriptio, vt is qui ſtudeat omnium rerum diuinarum atq; humanarum vim, naturam, cauſſaſq́; noſſe, & omnem bene viuendi rationem tenere & perſequi, nomine hoc appelletur.* [9] *Oratorem autem, quoniam de eo quærimus, equidem non facio eundem quem Craſſus, qui mihi viſus eſt omnem omnium*

rerum

rerũ atq; artium ſcientiam comprehendere vno oratoris offi cio ac nomine: atq; eũ puto eſſe, qui & verbis ad audiẽdum iucundis, & ſententijs ad probandum accommodatis vti poſſit in cauſſis forenſibus atq; communibus: Hunc ego appello oratorem: eumq; eſſe præterea inſtructum voce & actione, & lepôre quodam volo.

1 Scientia iuris in exercitatione Rhetorica pluribus verbis laudata eſt, quòd oratori, id eſt, forenſi aduocato & homini politico ſit apprimè neceſſaria: deinceps præcepta Rhetoricæ artis ab adoleſcentibus requiruntur, vt quò minus per ætatem ingenio valent, eò maius ſubſidium ab arte, quæ eſt regula prudentiæ, ſibi comparent: ſed Craſſus reijcit in Antonium hanc prouinciam docendæ artis: cauſſæ recuſationis in Craſſo ſunt inſolentia huius diſputationis, & pudor, de quibus antea dictum eſt: cauſſa verò cur Antonius id facere debeat, eſt cognitio Rhetoricæ artis: itaque Craſſus in adoleſcentium gratiam ſuaſor & rogator interponitur. 2 Metaphora eſt à Myſtis ſacerdotibus Cereris & Proſerpinæ, quia vt hi ſua ſacra occultabant, ſic quidam Rhetores eloquentiæ præcepta occultatenebant. 3 In hoc genere loquendi (Homines id ætatis) antiptoſis eſt elegans & vſitata, vt apud Plautum:

Neq; enim puduit id ætatis ſycophantias ſtruere.

Et apud Ciceronem, Credo Platonem vix putauiſſe ſatis conſonum, ſi hominem id ætatis tam longo ſermone diutius retinuiſſet. 4 Exordium Antonij duplicem habet modeſtiæ ſignificationem, vnam in Socratica diſſimulatione Rhetoricæ artis, alteram in metu & pudore liberali: quia veretur Antonius poſt Craſſum dicere: quem tamen pudorem ſtatim corrigit, eleuando proximi ſermonis expectationem, quòd neque ornatè dicturus ſit, neq; de arte vlla, ſed de his duntaxat rebus, quas obſeruauit. quæ omnia aptè & decorè finguntur in perſona Antonij, qui nec valdè Latinè loquutus eſt, vt ait Cicero: & fuit artis diſſimulator, vt idem Cicero teſtatus eſt. 5 Antonius nihil de Rhetorica arte, de qua tamen rogatus erat, hoc primo dialogo reſpondet, ſed diſſimulanter & *εἰρωνικῶς* oratorem Craſſi refellit: nam libro 2. perinde ſentiet de oratore, atque Craſſus primo hoc dialogo: ſic enim Craſſus lib. 2. Nox te, inquit, Antoni expoliuit, oratoremq; reddidit: nam heſterno ſermone vnius cuiuſdam operis remigem aliquem aut baiulum nobis oratorem deſcripſeras, inopem quendam humanitatis, atq; inurbanum. Tum Antonius, Heri enim, inquit, hoc mihi propoſueram, vt ſi te refellíſſem, hoc à te diſcipulos abducerem. Nunc Catulo & Cæſare audiente videor non tam debere pugnare tecum, quàm quid ipſe ſentiam, dicere. Videtur autem Rhetoricæ artis explicatio in alios dialogos fuiſſe reiecta, propter Scæuolam, quem decorum non erat de his rebus audire: Antonius igitur inſtituendæ ad Academicorum morem contradictionis gratia primã legem dialecticæ methodi vſurpat, quæ iubet rem, de qua agitur, initio definire: eamque declarat ſeptem exemplis, Imperatorum, Rectorum Reipub. Iureconſultorum, Muſicorũ, Grammaticorum, Poetarum & Philoſophorum. Eandem legem Cic. lib. 2. de Finib. ex Phædro Platonis repetit: Omnis, inquit, in quærendo quæ via quadam & ratione habetur oratio, perſcribere primùm debet, vt quibuſdam in formulis agatur ea res, vt inter quos diſſeratur, côueniat quid ſit id de quo diſſeratur: hoc poſitum in Phædro à Platone vidit Epicurus, ſenſitque in omni diſputatione id fieri oportere. Et lib. 1. Offic. Omnia quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet à definitione proficiſci, vt intelligatur quid ſit id, de quo diſputatur. 6 Ex cla-

Ad Attic.

In Bruto.

Lib. 2. de Oratore.

ris imperatoribus, exempli gratia, nominantur Africani: Maior, qui ſecundo bel
lo Punico Annibalem vicit, & Africam tributariam populo Romano fecit: Mi-
nor, qui tertio bello Punico Carthaginem deleuit: Q. Fabius Maximus, qui ſe-
cundo bello Punico Annibalem in Italia cunctando fregit: Epaminondas The-
banus, qui ſtrenuè & fortiter aduerſus Lacedæmonios pugnauit: de quo incer-
Lib.6. tum fuit (vt ait Iuſtinus) vir melior, an dux eſſet: nam imperium non ſibi, ſed pa
triæ quæſiuit: Annibal Carthaginenſis, filius Amilcaris, qui octodecim annos
cum Romanis de imperio dimicauit, eosque multis cladibus affecit. 7 P. Len
tulus Princeps Reipub. nefarios C. Gracchi conatus refutauit: T. Gracchus Pa-
ter Libertinos in vrbanas tribus tranſtulit: Q. Metellus Macedonicus pater filio-
rum quatuor conſularium, eloquens imprimis habitus eſt: & orationem habuit
contra T. Gracchum filium labefactantem ſtatum Reipub. P. Scipio Africanus
& C. Lælius non ſolùm eloquentes, ſed optimates egregij fuerunt. Tales igitur
Romani (ſicut alij plerique) in exemplum bonorum Reipub. Principum addu-
Lib.1.digeſt. ci poſſunt. 8 De claris iureconſultis ſcripſit Pomponius: nec præterit eos, qui
ab Antonio commemorantur: Sext. Aelius, inquit, & frater eius P. Aelius, & P. At
tilius maximam ſcientiam in profitendo habuerunt, & duo Aelij etiam Conſu-
les fuerunt: Attilius autem primus à populo ſapiens appellatus eſt: Sext. Aelium
etiam Ennius laudauit, & extat illius liber, qui inſcribitur Tripertita, qui veluti
cunabula iuris continet. Tripertita autem dicitur, quoniam lege duodecim tabu
larum præpoſita iungitur interpretatio, deinde ſubtexitur legis actio. Eiuſdem
eſſe tres alij libri referuntur, quos tamen quidam negant eius eſſe: hos ſectatus
eſt ad aliquid M. Cato princeps Porciæ familiæ, cuius & libri extant: ſed plurimi
libri eius, ex quibus cæteri oriuntur: poſt hos fuerunt Pub. Mutius, & Brutus, &
& Manilius, qui fundauerunt ius ciuile. ex his Pub. Mutius decem libellos reli-
quit, Brutus ſeptem, Manilius tres: extant & volumina inſcripta Manilij monu-
menta. illi duo Conſulares fuerunt, Brutus Prætorius, Mutius etiam Pontifex
maximus. 9 Definitur orator ab Antonio talis, qualis eſt in procemio ex ſen-
tentia Quinti fratris, & in dialogo ex ſententia Scæuolæ, & Menedemi definitus,
& ab Antonio diſertus antea nominatus, id eſt (vt loquimur) aduocatus forenſis,
& vir politicus, mediocris prudentiæ & facultatis ad agendum cauſſas ciuiles.
hoc igitur inter Craſſum & Antonium intereſt, quòd ille oratorem omnibus ar-
tibus inſtruit: hic detractis multis artibus, Dialecticam in inuentione, diſpoſi-
tione, & memoria: & Rhetoricam, in elocutione, & actione, oratori ſuo tantùm
relinquit: Vterq; autem nomine oratoris abutitur, ad ſignificandum hominem
politicum actorem ciuilium cauſſarum.

' *Craſſus verò mihi noſter viſus eſt oratoris facultatem non illius artis terminis, ſed ingenij ſui finibus, immenſis pe-nè, deſcribere. nam & ciuitatum regendarum oratori gu bernacula ſententia ſua tradidit: in quo per mihi mirum viſum eſt, Scæuola, te hoc illi concedere, cùm ſæpiſſimè tibi ſenatus breuiter impoliteq; dicenti maximis ſit de rebus aſ-ſenſus. M. verò Scaurus, quem non longè ruri apud ſe eſſe audio, vir regendæ Reipub. ſcientiſſimus, ſi audierit hanc au thoritatem grauitatis & conſilij ſui vindicari à te Craſſe, quòd*

quòd eam oratoris propriam eſſe dicas, iam credo huc veniat, & hanc loquacitatem noſtram vultu ipſo aſpectúque conterreat: qui quanquam eſt in dicendo minimè contemnendus, prudentia tamen rerum magnarum magis, quàm dicendi arte nititur. [2] *Neq; verò ſi quis vtrumque poteſt, aut ille conſilij publici author, ac ſenator bonus, ob eā ipſam cauſſam orator eſt: aut hic diſertus, aut eloquens, ſi eſt idem in procuratione ciuitatis egregius, aliquam ſcientiam dicendi copia eſt conſecutus. Multum inter ſe diſtant iſtæ facultates, longéq; ſunt diuerſæ atq; ſeiunctæ.* [3] *neq; eadem ratione ac via M. Cato, P. Africanus, Q. Metellus, C. Lælius, qui omnes eloquentes fuerunt, orationem ſuam, & Reipublicæ dignitatem exornabant. Neq; enim eſt interdictum aut à rerum natura, aut à lege aliqua, atq; more, vt ſingulis hominibus, ne amplius quàm ſingulas artes noſſe liceat. Quare non etſi eloquentiſſimus Athenis Pericles, idémq; in ea ciuitate plurimos annos princeps conſilij publici fuit, idcircò eiuſdem hominis atq; artis vtraq; facultas exiſtimanda eſt: nec ſi P. Craſſus idem fuit eloquens, & iuriſperitus, ob eam cauſſam ineſt in facultate dicēdi, iuris ciuilis ſcientia. Nam ſi quiſque vt in aliqua arte & facultate excellens, aliam quoq; artem aſſumpſerit, is perficiet, vt quod præterea ſciet, id eius in quo excellet, pars quædam eſſe videatur, licet iſta ratione dicamus, pila, bene, & duodecim ſcrupis ludere, proprium eſſe iuris ciuilis,* [4] *quoniam vtrumq; eorum P. Mutius optimè fecerit: eadémq; ratione dicātur & quos φυσικὺς Græci nominăt, ijdem Poetæ,* [5] *quoniam Empedocles Phyſicus egregium poema fecerit. At hoc ne philoſophi quidem ipſi, qui omnia ſicut ſua propria eſſe, atq; à ſe poſſideri volunt, dicere audent, Geometriam aut Muſicam philoſophi*

eſſe, [6] *quia Platonem omnes in illis artibus præſtantiſſimum fuiſſe fateantur.* [7] *Ac ſi iam placet omneis artes oratori ſubiungere, tolerabilius eſt ſic potius dicere, vt quoniam dicendi facultas nō debeat eſſe* [8] *ieiuna atq; nuda, ſed aſperſa atq; diſtincta multarum rerum iucunda quadam varietate, ſit boni oratoris, multa auribus accepiſſe, multa vidiſſe, multa animo & cogitatione, multa etiam legendo percurriſſe, neq; ea vt ſua poſſediſſe, ſed vt aliena libaſſe: Fateor enim callidum quendam hunc, & nulla in re tyronem ac rudem, nec peregrinum atq; hoſpitem in agendo eſſe debere.* [9] *Neq; verò iſtis tragœdiis tuis, quibus vti philoſophi maximè ſolent, Craſſe, perturbor, quòd ita dixiſti, neminem poſſe eorum menteis qui audirent, aut inflammare dicendo, aut inflammatas reſtinguere, cùm eo maximè vis oratoris magnitudoq; cernatur, niſi qui rerum omnium naturam, mores hominum atq; rationes penitùs perſpexerit, in quo philoſophia ſit oratori neceſſariò percipienda: quo in ſtudio hominum quoque ingenioſiſſimorum otioſiſſimorumq; totas ætates videmus eſſe contritas: quorum ego copiam magnitudinemq; cognitionis atq; artis non modo non contemno, ſed etiam vehementer admiror. Nobis tamen, qui in hoc populo foroq; verſamur, ſatis eſt ea de moribus hominum & ſcire, & dicere, quæ non abhorrent ab hominum moribus.* [10] *Quis enim vnquam orator magnus & grauis, cùm iratum aduerſario iudicem facere vellet, hæſitauit ob eam cauſſam, quòd neſciret quid eſſet iracundia, feruórne mentis, an cupiditas puniendi doloris? Quis quum cæteros animorum motus aut iudicibus, aut populo dicendo miſcere atq; agitare vellet, ea dixit quæ à philoſophis dici ſolent?* [11] *qui partim omnino motus negant in animis vllos eſſe debere: quiq; eos in*

iudicum

iudicum mentibus concitent, ſcelus eos nefarium facere: partim qui tolerabiliores volunt eſſe, & ad veritatẽ vitæ propius accedere, per mediocres, ac potius leues motus debere eſſe dicunt. [11] *Orator autem omnia hæc quæ putantur in communi vitæ conſuetudine mala ac moleſta & fugienda, multò maiora & acerbiora verbis facit: itemq; ea quæ vulgò expetenda atq; optabilia videntur, dicendo amplificat, atq; ornat: neq; vult ita ſapiens inter ſtultos videri, vti qui audiant, aut illum ineptum, aut græculum putẽt, aut etiam ſi valde probent ingenium, oratoris ſapientiam admirẽtur, ſe eſſe ſtultos moleſtè ferant: ſed ita peragrat per animos hominum, ita ſenſus menteſq; pertractat, vt non deſideret philoſophorum deſcriptiones, neq; exquirat oratione ſummum illud bonum in animóne ſit, an in corpore: virtute, an voluptate definiatur: an hæc inter ſe iungi copulariq; poſſint, an verò, vt quibuſdam viſum, nihil certum ſciri, nihil planè cognoſci & percipi poſſit. quarum rerum fateor magnam multiplicemq; eſſe diſciplinam, & multas, copioſas, variaſq; rationes. Sed aliud quiddam, longè aliud, Craſſe, quærimus. Acuto homine nobis opus eſt, & natura vſúq; callido: qui ſagaciter perueſtiget quid ſui ciues, iiq; homines quibus aliquid dicendo perſuadere velit, cogitent, ſentiant, opinentur, expectent. Teneat oportet venas cuiuſq; generis, ætatis, ordinis: & eorum apud quos aliquid aget, aut erit acturus, menteſ ſenſuſq; deguſtet: philoſophorum autem libros reſeruet ſibi ad huiuſcemodi Tuſculani requiẽ atq; otium: ne, ſi quando ei dicendum erit de iuſtitia & fide, mutuetur* [13] *à Platone, qui cùm hæc exprimenda verbis arbitraretur, nouam quandam finxit in libris ciuitatem. Vſq; eò illa quæ dicenda de iuſtitia putabat, à vitæ conſuetudine, & à ciuitatum*

moribus abhorrebant. [14] *Quòd ſi ea probarentur in populis atq; in ciuitatibus, quis tibi Craſſe conceſsiſſet, clariſsimo viro, & ampliſsimo principi ciuitatis, vt illa diceres in maxima concione tuorum ciuium, quæ dixiſti? Eripite nos ex miſerijs, eripite nos ex faucibus eorum, quorum crudelitas noſtro ſanguine nō poteſt expleri: nolite ſinere nos cuiquam ſeruire, niſi vobis vniuerſis, quibus & poſſumus, & debemus.* [15] *Omitto miſerias, in quibus (vt illi aiunt) vir fortis eſſe non poteſt: omitto fauces, ex quibus te eripi vis, ne iudicio iniquo exorbeatur ſanguis tuus: quod ſapienti negāt accidere poſſe. Seruire verò non modò te, ſed vniuerſum ſenatum, cuius tum cauſſam agebas, auſus es dicere:* [16] *Poteſtne virtus, Craſſe, ſeruire iſtis authoribus, quorum tu præcepta oratoris facultate complecteris? quæ & ſemper & ſola libera eſt,* [17] *quæq; etiamſi corpora capta ſint armis, aut conſtricta vinculis, tamen ſuum ius, atq; omnium rerum impunitam libertatem tenere debeat.* [18] *Quæ verò addidiſti, non modò ſenatum ſeruire poſſe populo, ſed etiam debere: quis hoc philoſophus tam mollis, tam languidus, tam eneruatus, tam omnia ad voluptatem corporis doloremq; referens, probare poſſet, ſenatum ſeruire populo, cui populus ipſe moderandi & regendi ſui poteſtatem quaſi quaſdam habenas tradidiſſet?* [19] *Itaq; hæc cùm abs te diuinitùs ego dicta arbitrarer, Publ. Rutilius Rufus, homo doctus, & philoſophiæ deditus, non tantùm parùm commodè, ſed etiam turpiter & flagitioſè dicta eſſe dicebat.* [20] *Idem Q. Sergium Galbam, quem hominem probè noſſe & commeminiſſe ſe aiebat, pergrauiter reprehendere ſolebat, quòd is L. Scribonio quæſtionem in eum ferente, populi miſericordiam concitaſſet, cùm M. Cato Galbæ grauis atq; acer inimicus aſperè a-*

pud

pud populum Romanum, & vehemẽter eſſet locutus: quam orationem ipſe in Originibus ſuis expoſuit. Reprehendebat igitur Galbam Rutilius, quòd is C. Sulpitij Galli propinqui ſui Qu. pupillum filium ipſe penè in humeros ſuos extuliſſet, qui patris clariſsimi recordatione & memoria fletum populo moueret, & duos filios ſuos paruos tutelæ populi commendaſſet, ac ſe, [21] *tanquam in procinctu teſtamentum faceret ſine libra atq; tabulis, populum Romanum tutorem inſtituere dixiſſet illorum orbitati. Itaq; cùm & inuidia & odio populi tum Galba premeretur, his quaſi eum tragœdijs liberatum ferebat: quod item apud Catonem ſcriptum eſſe video, niſi pueris & lachrymis vſus eſſet, pœnas eum daturum fuiſſe. Hæc Rutilius valde vituperabat, & huic humilitati dicebat vel exilium fuiſſe, vel mortẽ anteponendam.* [22] *Neq; verò hoc ſolùm dixit, ſed ipſe & ſenſit, & fecit. Nam cùm eſſet ille vir exemplum, vt ſcitis, innocentiæ, cumq; illo nemo neq; integrior eſſet in ciuitate, neq; ſanctior, non modò ſupplex iudicibus eſſe noluit, ſed ne ornatius quidem aut liberius cauſſam dici ſuam, quàm ſimplex ratio veritatis ferebat. Paulum huic Cottæ tribuit partium diſertiſsimo adoleſcenti ſororis ſuæ filio. dixit item cauſſam illam quadam ex parte Q. Mutius more ſuo, nullo apparatu, purè & dilucidè. Quòd ſi tu tunc Craſſe dixiſſes, qui ſubſidium oratori ex illis diſputationibus, quibus philoſophi vtuntur, ad dicendi copiam petẽdum eſſe paulò antè dicebas, & ſi tibi pro P. Rutilio nõ philoſophorum more, ſed tuo licuiſſet dicere: quamuis ſcelerati illi fuiſſent, ſicuti fuerunt peſtiferi ciues, ſupplicióq; digni, tamen omnem eorum importunitatem ex intimis mentibus euelliſſet vis orationis tuæ: nunc talis vir amiſſus eſt, dum cauſſa ita dicitur, vt ſi in illa commentitia Pla-*

tonis ciuitate res ageretur. Nemo ingemuit, nemo inclamauit patronorum, nihil cuiquam doluit, nemo eſt queſtus, nemo Rempublicam implorauit, nemo ſupplicauit. Quid multa? pedem nemo in illo iudicio ſupploſit: credo, ne Stoicis renuntiaretur. [23] *Imitatus eſt homo Romanus & Conſularis veterem illum Socratem, qui cùm omnium ſapientiſsimus eſſet, ſanctiſsimeq́ vixiſſet, ita in iudicio capitis pro ſe ipſe dixit, vt non ſupplex aut reus, ſed vt magiſter aut dominus videretur eſſe iudicum.* [24] *quinetiam cùm ei ſcriptam orationem diſertiſsimus orator Lyſias attuliſſet, quam, ſi ei videretur, ediſceret, vt ea pro ſe in iudicio vteretur: non inuitus legit, & commodè ſcriptam eſſe dixit: ſed, inquit, vt ſi mihi* [25] *calceos Sicyonios attuliſſes, non vterer, quamuis eſſent habiles & apti ad pedem, quia non eſſent viriles: ſic illam orationem diſertam ſibi & oratoriam videri, fortem & virilem non videri.* [26] *Ergo ille quoq́ ſic damnatus eſt, neque ſolùm primis ſententijs, quibus tantùm ſtatuebant iudices, damnarēt, an abſoluerent: ſed etiam illis quas iterum legibus ferre debebant. Erat enim Athenis reo damnato, ſi fraus capitalis non eſſet, quaſi pœnæ æſtimatio: & ſententia cùm iudicibus daretur, interrogabatur reus, quam quaſi æſtimationem commeruiſſe ſe maximè confiteretur: quod cùm interrogatus Socrates eſſet,* [27] *reſpondit ſeſe meruiſſe, vt ampliſsimis honoribus & præmijs decoraretur, & vt ei victus quotidianus in* [28] *Prytaneo publicè præberetur: qui honos apud Græcos maximus haberetur. Cuius reſponſo ſic iudices exarſerunt, vt capitis hominem innocentiſsimum condemnarent: qui quidem ſi abſolutus eſſet (quod me hercule, etiamſi nihil ad nos pertinet, tamen propter eius ingenij magnitudinem vellem) quonam modo iſtos philoſophos*

ferre

ferre poſſemus, qui nunc, cùm ille damnatus eſt, nullam aliam ob culpam, niſi propter dicendi inſcitiam, tamen à ſe oportere dicunt peti præcepta dicendi? Quibuſcum ego non pugno, vtrum ſit melius, aut verius: tantùm dico, & aliud illud eſſe, atq; hoc: & hoc ſine illo ſummum eſſe poſſe.

1 Antonius incipit diſputare contra oratorem Craſſi. Summa diſputationis vniuerſæ eſt definitionem oratoris à Craſſo traditam peccare vitio redundantię, quòd oratoris facultate, neque ſcientia politica, neque philoſophia, neque ius ciuile, neque hiſtoria proprie contineatur, quas tamen artes Craſſus oratori ſuo ſubiecerat. Atque vt tota Antonij oratio facilius intelligatur, ſex ſunt contradictionis capita contra Craſſum. primum, (quòd ſcientia politica non ſit oratoris propria) illuſtratur duobus exemplis repugnantibus: Scæuola & Scaurus habēt ſcientiam politicam, nec tamen oratores ſunt: ergo ſcientia politica non eſt oratoris propria. Cicero in Bruto non ita iudicat, vt Antonius, Scæuolam fuiſſe impolitum, & in dicendo rudem, ſed contrà, ſcribit eius elegantiam ſatis ex his orationibus, quas reliquit, eſſe cognitam: non ergo abſolute dicatur impolitus Scæuola, ſed comparatione Craſſi, & aliorum excellentium oratorum, qui melius & ornatius dicerent. M. Aemylius Scaurus plus prudentiæ habuit, quàm eloquentiæ. In Scauri oratione ſapientis hominis & recti grauitas, & naturalis quædam inerat authoritas, non vt cauſſam, ſed teſtimonium dicere putares, cùm pro reo diceret: hoc dicendi genus ad patrocinia mediocriter aptum videbatur, ad ſenatoriam verò ſententiam, cuius erat ille princeps, vel maximè: ſignificabat enim non prudentiam ſolùm, ſed (quod maximè rem continebat) fidem. 2 Occupat Antonius hoc argumentum: Poteſt idem eſſe orator & ſenator bonus: ergo ſcientia politica eſt oratoris propria. cui reſpondet à diſſimilibus: quia licèt multæ & variæ artes in eodem homine poſſint eſſe, ſingulæ tamen ſua propria natura & ratione conſtāt, & inter ſe diſtinguuntur. Qui locus declaratur exemplis Catonis, Africani, Metelli, Lælij, qui alia ratione eloquentes, alia boni ſenatores fuerunt.

Cic. in Brut.

3 Exempla item alia ſunt ad diſtinguendam eloquētiam ab aliis artibus, quæ quidem aptiſſimè & veriſſimè conueniunt: artes enim etſi vſu perſæpe coniunguntur, præceptis tamen ſuis & facultatibus diſtinguendæ ſunt. Itaque non ſi Pericles optimus ſenator & orator fuit, idcircò politica & rhetorica vna & eadem ars eſt: aut politica rhetoricæ pars exiſtimanda eſt: idemque dicere libebit de cæteris artibus, quæ in vno & eodem homine cernuntur. Pericles orator grandis ab Ariſtophane poeta fulgurare, tonare, totā Græciam permiſcere dictus eſt: idémque quadraginta annos (vt quidam ſcribunt) Athenas adminiſtrauit. 4 Fabius quoque ſcribit, P. Mutium Scæuolam duodecim ſcrupis bene luſiſſe: qui ludus exponitur ab Ouidio,

Eſt genus in totidem tenui ratione redactum
Spicula, quot menſes lubricus annus habet.
Parua tabella capit ternos vtrinq; lapillos:
In qua viciſſe eſt, continuaſſe ſuos.

Et à Martiale,

Hæc mihi biſſeno numeratur teſſera puncto:
Calculus hic gemino diſcolor hoſte petit.

Nec tamen conſequens eſt, vt, quia Scæuola pila & duodecim ſcrupis bene luſit, vterque ludus ſit pars iuris prudentiæ, ſed ita potius dicendum eſt in Scæuola

tres diuerſas artes fuiſſe: vnam pilæ, alteram ſcruporum, tertiam iuris ciuilis.
5 Empedocles Agrigentinus ex Sicilia, philoſophus idem & poëta fuit, ſcientiamque Pythagoreorum de natura & rebus occultis carmine cecinit. de quo eſt illud elogium Lucretij,

Quorum Agrigentinus cumprimis Empedocles eſt,
Inſula quem Triquetris terrarum geſſit in oris,
Rebus opima bonis, multa munita virum vi.
Nil tamen hoc habuiſſe viro præclarius in ſe,
Nec ſanctum magis, & mirum, carumq́; videtur.
Carmina quinetiam diuini pectoris eius
Vociferantur, & exponunt præclara reperta:
Vt vix humana videatur ſtirpe creatus.

Non tamen quia Empedocles poëta, & phyſicus fuit, idcircò poëſis & phyſica vna & eadem res eſt: nam ille alia atq; alia ratione poëta, phyſicusque fuit. 6 Plato philoſophiam de moribus à Socrate, mathematicam diſciplinam à Theodoro & Euclide, Pythagoræisque philoſophis, Archyta, Tarentino, Euryto, & Philolao didicit: quæ artes quamuis in vno & eodem Platone magnæ & illuſtres fuerint, eædem tamen non ſunt, ſed ratione & præceptis ſeparatæ & diſtinctæ. 7 Hæc diſtinctio veriſſima eſt: quia ſinguli in ſuis ſtudiis artifices multa ex aliis artibus noſſe debent ad vſum ſuæ artis perfectè tractandum, quæ tamē non ſunt eorum arti ſubiecta: itaque vt orator multiplicem artium ſcientiam teneat, nō protinus eam vt ſuam poſſidebit, ſed vt alienam aſſumet ad ornatum & tractationem eloquentiæ forenſis. 8 In hac oratione delectant animum illuſtres verborū metaphoræ ſumptæ ex his rebus, quarum cogitatio nobis facilè occurrit, vt ſunt ieiuna, nuda, aſperſa, diſtincta, auribus accipere, legendo percurrere, ſuum poſſidere, alienum libare, tyro in aliqua re & rudis, peregrinus & hoſpes in agendo.

9 Secundum contradictionis caput contra philoſophiam, quam Craſſus tribuit oratori, declaratur à diſſimilibus. Philoſophi omnem ætatem ſuam in ſtudiis conſumunt: oratori ſatis eſt hanc ſcientiam deguſtaſſe. 10 Proxima diſſimilitudo declaratur exemplis, quibus intelligitur affectus diſſimiliter ab oratore & philoſopho tractari: quia ille tantùm conſiderat, quemadmodum mouere vel placare poſſit auditorem: hic verò affectuum ſcientiam definitè & diſtinctè & ſubtiliter explicat. 11 Stoici dicunt omnem affectum eſſe vitioſum, eoq; prorſus carere ſapientem: itaque ſcelus eſſe, ſi quis dicendo iudicem commoueat, & aliquo affectu perturbet. Peripatetici verò quoſdam affectus vitioſos faciũt, metum languidum, iram excandeſcentem, effrenatam libidinem: quoſdam moderatos, circa quos virtutes quædam verſantur, vt fortitudo, manſuetudo, temperantia: ſed nomine tantùm inter ſe pugnant: quia Stoici nomine affectus vitioſum duntaxat & irrationalem, Peripatetici verò etiam moderatum & laudabilem affectum comprehendi & intelligi volunt. Lege Ciceronem in Tuſculanis quæſtionibus. 12 Antonius commemoratur in diſtinctione oratoris & philoſophi, eumque locum illuſtrat à diſſimilibus: Orator tractabit res populares, non autem perſequetur recōditas & abſtruſas philoſophorum quæſtiones de moribus.

13 Plato decem libris *πολιτειῶν, ἢ περὶ δικαίου*, commentitiam ciuitatem deſcripſit, & inſtituit, non qualem in hominum cœtu illam agnouiſſet, ſed quam animo & cogitatione optimam & excellentiſſimam ſibi finxiſſet, idq́ue teſtatur ad finem libri noni, *μανθάνω, ἔφη, ἐν ᾗ νῦν διήλθομεν οἰκίζοντες, πόλει, λέγεις τῇ ἐν λόγοις κειμένῃ· ἐπεὶ γῆς γε οὐδαμοῦ εἶναι αὐτὴν οἶμαι, ἀλλ' ἦν δ' ἐγὼ ἐν οὐρανῷ ἴσως παράδειγμα ἀνάκειται τῷ βουλομένῳ ὁρᾶν, καὶ ὁρῶντι ἑαυτὸν κατοικίζειν. διαφέρει δ' οὐδὲν εἴ τέ που ἐστὶν, ἢ που ἔσται, τὰ γὰρ ταύτης μόνης ἂν πράξειεν, ἄλ-*

λης

λης δ' οὐδαμῶς· εἰκός γ' ἔφη. Intelligo,inquit,in ea ciuitate, quam nunc autho-
res explicauimus, dicis, quæ quidem in verbis ſita eſt, in terris autem hanc nuſ-
quam eſſe arbitror, ſed in cœlo, inquam. fortaſſe exemplum extat ei,qui intueri
velit,& quum intuitus fuerit ſe ipſum inſtruere: nihil autem refert,ſit vſpiam,an
futura ſit: quæ enim huius ſunt,vir ille fecerit: quæ verò alterius, nequaquam:
veriſimile eſt inquit. 14 Exemplum eſt ex oratione Craſſi ſumptum, qua in-
uectus eſt in equeſtrem ordinem,iudiciorum poteſtate nequiter abutẽtem, quo
quidem exemplo probat Antonius alter forenſem oratorem,alter philoſophum
loqui & ſentire. Itaque hanc orationem Craſſi partibus ſingulis confutat ex opi
nione Stoicorum philoſophorum . hic locus etiam citatur Paradoxo quinto . &
Stoicè refutatur. 15 Primus locus cõfutatur ab authoritate & teſtimonio Stoi
corum, qui negãt ſapientem miſerum vnq̃ eſſe,quia ſemper ſit beatus. 16 Se-
cundus locus orationis refutatur ab aduerſis. Virtus ſemper & ſola libera eſt:non
igitur ſeruire poteſt. 17 Cicero lib.3.de Finib.Rectè etiam inuictus, cuius e-
tiam ſi corpus conſtringatꝰ, animo tamen iniici vincula nulla poſſunt. 18 Ter
tius locus orationis refutatur à contrariis relatis, Senatus imperat populo Ro-
mano, non igitur ſeruit. 19 Adiungit Antonius teſtimonium P.Rutilij Ruffi
ad damnandam Craſſi orationem ex opinione philoſophorum. Hic Rutilius
fuit doctus vir,& Græcis literis eruditus,Panætij auditor,propè perfectus in Stoi
cis, vt ait Cicero in Bruto. 20 Alterum exemplum eſt de Sergio Galba, qui
contra fidem interpoſitam,interfectis nouem millibus Luſitanorum,multiſque
aliis direptis,delatus à L.Scribonio Tribuno plebis,& accuſatus à Catone, quum
odio populi premeretur.& iam damnandus videretur, multis lachrymis & fleti-
bus ſe iudicio eripuit. de quo Cicero in Bruto, & Fabius cap.6.lib.2. 21 Simi-
litudo à militibus,qui impendente grauiore prælio,tribus aut pluribus commili
tonum audientibus hæredem aliquem ſine tabulis & ſine libra nominabãt:idq́;
teſtamentũ in procinctu,id eſt,apparatu bellico factum eſſe dicebatur. 22 Ter
tium exemplum eſt de Rutiliana cauſſa ſuperioribus diſſimile: P.Rutilius Ruf-
fus inuiſus equeſtri ordini, quia legatus C.Marij Aſiam à publicanorum iniu-
riis & rapinis defenderat,falſo crimine repetundarum accuſatus,damnatus ab e-
quitibus,& in exilium miſſus eſt,quum ille ſimpliciter cauſſam ſuam egiſſet.nul
lis interpoſitis affectibus ad commouendam miſericordiam iudicum. hic igitur
philoſophus aliter dixit in foro,atque oratores dicere ſolent. Et quum eſſent eo
tempore eloquentiſſimi viri L.Craſſus,& M.Antonius Conſulares, eorum adhi
bere neutrum voluit: dixit ipſe pro ſeſe: & pauca C.Cotta, quòd ſororis erat fi-
lius,& is quidem tamen vt orator,quanquam erat admodum adoleſcens: ſed Q.
Mutius enucleatè ille quidem, & politè, vt ſolebat, neque tamen ea vi atque co-
pia, quã genus illud iudicij & magnitudo cauſſæ poſtulabat, vt ait Cicero in Bru
to. 23 Quartum exemplum Socratis eſt philoſophi, qui à tribus calumniato-
ribus Anyto,Lycone,& Melito, falſo impietatis crimine accuſatus eſt: accuſatio-
nis capita hæc erãt,vt ait Laertius,Socrates iura à maioribus inſtituta violat:deos
antiquos eſſe negat: noua dæmonia inducit: iuuẽtutem corrumpit: pœna illi
mors eſto. Vbi Socrates ipſe noluit oratorum more pro ſe cauſſam dicere, ſed ita
egit,non vt veniam deprecaretur à iudicibus, ſed vt præmia & honores ampliſſi-
mos in ciuitate peteret. 24 Fuit Lyſias ipſe in cauſſis quidem forenſibus non *Cic. in Brut.*
verſatus, ſed egregiè ſubtilis ſcriptor atque elegans, & quem iam propè audeas *Diog. lib. 2.*
oratorem perfectum dicere. Cùm ille Socrati recitaret orationem,quam pro eo
ſcripſiſſet: Bona (inquit Socrates) oratio tua eſt,ô Lyſia,neque tamen mihi con-
uenit: erat enim hæc iudiciorum conſuetudini vicinior, quàm vt philoſopho
conuenire videretur. Quærenti Lyſiæ,cur,ſi bona eſſet,ei quoque apta non eſſet
oratio? Nónne, inquit, veſtes & calcei ſpecioſi eſſe poſſunt, neque tamen mihi
conuenire? Socrates igitur inhoneſtam ſibi credidit orationem,quam illi Lyſias *Fab. lib. 12.*
reo conſcripſerat, & tum maximè ſcribere litigatoribus, quæ illi pro ſe dicerent,

erat moris, atque ita iuri quo non licebat pro altero dicere, fraus adhibebatur.
25 Sicyon vrbs non procul à Corynthio, vbi molles & muliebres calcei olim fiebant. Lucilius,

Et pedibus læua Sicyonia demit honeſta.

26 Damnatus eſt Socrates, quia contempſit forenſem & oratorium dicendi morem, & damnatus primùm eſt ducentis octoginta vna ſententiis, vt ait Laertius: Tractantibus autem inter ſe iudicibus, qua pœna dignus eſſet, dixit ſe ſoluturum viginti quinque drachmas: ſed his tumultuantibus, exiſtimo, inquit, propter eas res, quas geſſi, me in Prytaneo publicè ali debere: tum adiectis aliis octoginta ſententiis damnatus, & in vincula coniectus, paucis pòſt diebus mortiferum venenum bibit. 27 Verba Socratis ſunt apud Platonem in Apologia, οὐκ ἔσθ' ὅτι μᾶλλον, ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, πρέπει οὕτως ὡς τὸν τοιοῦτον ἄνδρα ἐν πρυτανείῳ σιτεῖσθαι πολύ γε μᾶλλον, ἢ εἴ τις ὑμῶν ἵππῳ, ἢ ξυνωρίδι, ἢ ζεύγει νενίκηκεν ὀλυμπιάσιν, ὁ μὲν γὰρ ὑμᾶς ποιεῖ εὐδαίμονας δοκεῖν εἶναι· ἐγὼ δ' εἶναι· καὶ ὁ μὲν τροφῆς οὐδὲν δεῖται, ἐγὼ δὲ δέομαι. εἰ οὖν δεῖ με κατὰ τὸ δίκαιον τῆς ἀξίας τιμᾶσθαι, τούτου τιμῶμαι τῆς ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως. id eſt Nónne multò magis conuenit eum virum in Prytaneo nutrire, quàm eum, qui aut equo, aut bigis, aut iugo in Olympico certamine vicit? is enim facit, vt vos fœlices eſſe videamini: ego verò vt ſitis: alimentis hic non eget, ego egeo: itaque ſi mihi pro merito præmium tribuatis, equidem merui, vt mihi victus in Prytaneo detur. 28 Prytaneum, locus erat Athenis, quem Phauorinus ita deſcribit, πρυτανεῖον τὸ κοινὸν ταμεῖον, καὶ οἶκος παρὰ τοῖς ἀθηναίοις, ὅθεν αἱ κοιναὶ διαρτίσεις, καὶ σιτήσεις ἐδίδοντο. Prytaneum communiter promptuárium, & domuſcula apud Athenienſes, vnde communes liberalitates & annonæ dabantur. Et Suidas his verbis, πρυτανεῖον παρὰ τοῖς ἀθηναίοις οἶκος δημόσιος, ἔνθα ἐσιτοῦντο δημοσίᾳ οἱ τοιαύτης τιμῆς παρ' αὐτοῖς τυχόντες· περισπούδαστον δ' ἦν τῆς τοιαύτης δωρεᾶς τυχεῖν· ἐπὶ γὰρ μεγάλοις κατορθώμασι τὴν τοιαύτην ἀπεδίδοντο χάριν· ἢ πυρὸς ταμεῖον, ἔνθα ἦν πῦρ ἄσβεστον καὶ ηὔχοντο. id eſt, Prytaneum apud Athenienſes, domuncula publica, vbi alebantur publicè, qui huiuſmodi honorem apud ipſos conſecuti fuiſſent: in ſummis autem votis erat huiuſmodi donum conſequi: propter enim magna officia tale beneficium reddebant: aut ignis promptuarium, vbi ſeruabatur ignis, qui nunquam extinguebatur, & precabantur.

[1] *Nam quòd ius ciuile, Craſſe, tam vehementer amplexus es, video quid egeris: & tum quum dicebas, videbam. Primùm Scæuolæ te dediſti, quem omnes amare meritiſſimò pro eius eximia ſuauitate debemus:* [2] *cuius autem cùm indotatam eſſe atque incomitatam, & incomptam videres, verborum eam dote locupletaſti & ornaſti. Deinde quòd in ea tu plus operæ laborisq́ conſumpſeras, cùm eius ſtudij tibi & hortator & magiſter eſſet domi, veritus es, niſi iſtam artem oratione exaggeraſſes, ne operam perdidiſſes. Sed ego ne*

cum iſta quidem arte pugno: ſit ſanè tanta, quantam tu illam eſſe vis. Etenim ſine controuerſia & magna eſt, & latè patet, & ad multos pertinet, & ſummo in honore ſemper fuit, & clariſſimi ciues ei ſtudio & ſemper præfuerunt, & etiam hodie præſunt. Sed vide, Craſſe, ne dum nouo & alieno ornatu velis ornare iuris ciuilis ſcientiam, ſuo quoq; eam conceſſo & tradito ſpolies atq; denudes. [3] *Nam ſi ita diceres, qui iuriſconſultus eſſet, eſſe eum oratorem: itemq; qui eſſet orator, iuris ciuilis eundem eſſe conſultum: præclaras duas arteis conſtitueres, atq; inter ſe pares, & eiuſdem ſocias dignitatis: nunc verò iuriſconſultum ſine hac eloquentia, de qua quærimus, fateris eſſe poſſe, fuiſſeq; plurimos: oratorem negas, niſi illam ſcientiam aſſumpſerit eſſe poſſe:* [4] *Ita & tibi iuriſconſultus ipſe per ſe nihil niſi leguleius quidam, cautus & acutus, præco actionum, cautor formularum, auceps ſyllabarum. Sed quia ſæpe vtitur orator ſubſidio iuris in cauſsis, idcircò iſtam iuris ſcientiam eloquẽtiæ tanquam ancillulam pediſſequamq; adiunxiſti.* [5] *Quòd verò impudentiam admiratus es eorum patronorum, qui aut cùm parua neſcirent, magna profiterentur: aut ea quæ maxima eſſent in iure ciuili, tractare auderent in cauſsis, cùm ea neſcirent, nunquamq; didiciſſent: vtriuſq; rei facilis eſt & prompta defenſio. Nam neq; illud eſt mirandum, qui quibus verbis* [6] *coemptio fiat, neſciat, eundem eius mulieris, quæ coemptionem fecerit, cauſſam poſſe defendere. Nec ſi parui nauigij & magni eadem eſt in gubernando ſcientia, idcircò qui quibus verbis herciſceri oporteat, neſciat, idem* [7] *herciſcundæ familiæ cauſſam agere non poſſit.* [8] *Nam quòd maximas centumuirales cauſſas in iure poſitas protuliſti, quæ tandem earũ cauſſa fuit, quæ ab homine eloquẽti iuris impe*

rito non ornatiſſimè potuerit dici? quibus quidem in cauſſis omnibus, ſicut in ipſa M. Curij, quæ abs te nuper eſt dicta, & in C. Hoſtilij Mancini controuerſia, atq; in eo puero qui ex altera natus erat vxore non remiſſo nuntio ſuperiori, fuit inter peritiſſimos homines ſumma de iure diſſenſio. Quæro igitur quid adiuuerit oratorem in his cauſſis iuris ſcientia: cùm hic iuriſconſultus ſuperior fuerit diſceſſurus, qui eſſet non ſuo artificio, ſed alieno, hoc eſt, non iuris ſcientia, ſed eloquentia ſuſtentatus. Equidem hoc ſæpe audiui, cùm ædilitatem Publ. Craſſus peteret, eumq; maior natu etiam conſularis Sergius Galba aſſectaretur, quòd Craſſi filiam Caio filio ſuo deſpondiſſet, acceſſiſſe ad Craſſum conſulendi cauſſa quendam ruſticanum: qui cùm Craſſum ſeduxiſſet, atq; ad eum retuliſſet, reſponſumq; ab eo verum magis, quàm ad ſuam rem accommodatum abſtuliſſet, vt eum triſtem Galba vidit, nomine appellauit, quæſiuitq; qua de re ad Craſſum retuliſſet: ex quo vt audiuit, commotumq; vt vidit hominẽ, Suſpenſo, inquit, animo & occupato Craſſum tibi reſpondiſſe video. deinde ipſum Craſſum manu prehendit, &, Heus tu, inquit, quid tibi in mentem venit ita reſpondere? Tum ille fidenter, homo peritiſſimus, confirmare ita ſe rem habere vt reſpondiſſet, nec dubium eſſe poſſe. Galba autem alludens variè & copioſè multas ſimilitudines afferre, multaq; pro æquitate contra ius dicere: atq; illum, quum diſſerendo par eſſe non poſſet (quanquam fuit Craſſus in numero diſertorum, ſed par Galbæ nullo modo) ad authores confugiſſe, & id quod ipſe diceret, & in P. Mutij fratris ſui libris, & in Sex. Aelij commentarijs ſcriptum protuliſſe, ac tamen conceſſiſſe Galbæ diſputationem ſibi probabilem & propè veram videri. [7] Attamen quæ cauſ-

ſæ ſunt

ſæ ſunt eiuſmodi, vt de earum iure dubium eſſe non poßit, omnino in iudicium vocari non ſolent. Num quis eo teſtamento quod paterfamiliâs antè fecit, quàm ei filius natus eſt, hæreditatem petit? Nemo: quia conſtat agnoſcendo rumpi teſtamentum. Ergo in hoc genere iuris iudicia nulla ſunt. Licèt igitur impunè oratori omnem hanc partem iuris in controuerſiis ignorare: quæ pars ſine dubio multò maxima eſt. In eo autem iure quo de ambigitur inter peritißimos, non eſt difficile oratori eius partis quancunque defendat, authorem aliquem inuenire, à quo cùm 10 *amentatas haſtas acceperit, ipſe eas oratoris lacertis viribusq́ue torquebit.* 11 *Niſi verò (bona venia huius optimi viri dixerim Scæuola) tu libellis aut præceptis ſoceri tui cauſſam M. Curij defendiſti. Nónne arripuiſti patrocinium æquitatis, & defenſionem teſtamentorum, ac voluntatis mortuorum? Ac mea quidem ſententia (frequens enim te audiui, atque affui) multò maiorem partem ſententiarum ſale tuo & lepôre & politißimis facetijs pellexiſti, cùm & illud nimium acumen illuderes, & admirarere ingenium Scæuolæ, qui excogitaſſet naſci prius oportere, quàm emori: cumq́ue multa colligeres & ex legibus, & ex ſenatuſconſultis, & ex vita ac ſermone communi, non modò acutè, ſed etiam ridiculè ac facetè: vbi ſi verba non rem ſequeremur, confici nihil poſſet. Itaq́ue hilaritatis plenum iudicium ac lætitiæ fuit: in quo quid tibi iuris ciuilis exercitatio profuerit, non intelligo: dicendi vis egregia, ſumma feſtiuitate & venuſtate coniuncta, profuit. Ipſe ille Mutius paterni iuris defenſor, & quaſi patrimonij propugnator ſui, quid in illa cauſſa cùm contra te diceret, attulit, quod de iure ciuili depromptum videretur? quam legem recitauit? quid patefecit dicendo quod fuiſſet imperi-*

*tis occultius? nempe eius omnis oratio verſata eſt in eo, vt ſcri-
ptum plurimùm valere oportere defenderet. At hoc in ge-
nere pueri apud magiſtros exercentur omnes, quum in eiuſ-
modi cauſsis aliàs ſcriptum, aliàs æquitatem defendere do-
centur.* [12] *Et, credo, in illa militis cauſſa ſi tu aut hæredem
aut militem defendiſſes, ad Hoſtilianas te actiones, non ad
tuam vim & oratoriam facultatem contuliſſes. Tu verò
vel ſi teſtamentum defenderes, ſic ageres, vt omne omnium
teſtamentorum ius in eo iudicio poſitũ videretur: vel ſi cauſ-
ſam ageres militis, patrem eius, vt ſoles, dicendo à mortuis
excitaſſes, ſtatuiſſes ante oculos, cõplexus eſſet filium, flensq́
eum Centumuiris commendaſſet: lapides me hercule omnes
flere ac lamentari coegiſſes: vt totum illud,* [13] *Uti lingua
nuncupaſsit, non in duodecim tabulis, quas tu omnibus bi-
bliothecis anteponis, ſed in magico carmine ſcriptum vide-
retur.* [14] *Nam quòd inertiam accuſas adoleſcentium, qui
iſtam artem primùm facillimam non ediſcant, hæc quàm
ſit facilis, illi viderint, qui eius artis arrogantia, quaſi diffi-cil-
lima ſit, ita ſubnixi ambulant: deinde etiam tu ipſe videris,
qui eam artẽ facilem eſſe dicis, quam concedis adhuc artem
omnino non eſſe, ſed aliquando ſi quis aliam artem didice-
rit, vt hanc artem efficere poſsit, tum eſſe illam artem futu-
ram: deinde quòd ſit plena delectationis, in qua tibi remit-
tunt omnes iſtam voluptatẽ, & ea ſe carere patiuntur:* [15] *nec
quiſquam eſt eorum, qui, ſi iam ſit ediſcendum ſibi aliquid,
non Teucrũ Pacuuij malit, quàm Manilianus venalium
vendendorum leges ediſcere.* [16] *Tu autem quòd amore pa-
triæ cenſes nos noſtrorum maiorum inuẽta noſſe debere, non
vides veteres leges aut ipſas ſua vetuſtate conſenuiſſe, aut no-
uis legibus eſſe ſublatas?* [17] *Quòd verò viros bonos iure ciuili
fieri*

fieri putas, quia legibus & præmia propoſita ſint virtutibus,& ſupplicia vitijs: equidem putabam virtutem hominibus(ſi modò tradi ratione poßit) inſtituendo & perſuadendo, non minus & vi ac metu tradi: nam ipſum quidem illud etiam ſine cognitione iuris,quàm ſit bellum cauere malum,ſcire poſſumus. [19] De me autem ipſo,cui vni tu concedis vt ſine vlla iuris ſcientia tamē cauſsis ſatisfacere poßim, tibi hoc Craſſe reſpondeo, neq; me vnquam ius ciuile didiciſſe,neq; tamen in ijs cauſsis,quas in iure poſſem defendere,vnquam iſtam ſcientiam deſideraſſe. Aliud eſt enim eſſe artificem cuiuſdam generis atq; artis,aliud in communi vita & vulgari hominum conſuetudine non hebetem, nec rudem. Cui noſtrum non licet fundos obire, aut res ruſticas vel fructus cauſſa,vel delectationis inuiſere? tamen nemo tam ſine oculis, tam ſine mente viuit, vt quid ſit ſementis ac meßis, quid arborum putatio ac vitium, quo tempore anni, aut quo modo ea fiant,omnino neſciat. Num igitur ſi cui fundus inſpiciendus, aut ſi mandandum aliquid procuratori de agricultura,aut imperandum villico ſit, [20] Magonis Carthaginenſis ſunt libri perdiſcendi? an hac communi intelligentia contenti eſſe poſſumus? Cur ergo non ijdem in iure ciuili, præſertim quum in cauſsis,& in negotijs,& in foro conteramur,ſatis inſtructi eſſe poßimus ad hoc duntaxat, ne in noſtra patria peregrini atque aduenæ eſſe videamur? [21] Ac ſi iam ſit cauſſa aliqua ad nos delata obſcurior, difficile, credo,ſit cum hoc Scæuola communicare: quanquam ipſi omnia,quorum negotium eſt,conſulta ad nos & exquiſita deferunt. [22] An verò ſi de re ipſa,ſi de finibus,cū in rem præſentem nō venimus, ſi de tabulis & præſcriptionibus controuerſia eſt:contortas res & ſæpe difficiles neceſſariò perdiſcimus:

miniſtros habent in cauſsis iuriſperitos, quum ipſi ſint peritiſsimi, & qui, vt abs te paulò antè dictum eſt, pragmatici vocantur. In quo noſtri omnino melius multò, quòd clariſsimorum hominum authoritate leges & iura tecta eſſe voluerunt. Sed tamen non fugiſſet hoc Græcos homines, ſi ita neceſſe eſſe arbitrati eſſent, oratorem ipſum erudire in iure ciuili, non ei pragmaticum adiutorem dare. [26] *Nam quod dicis ſenectutem à ſolitudine vindicari iuris ciuilis ſcientia, fortaſſe etiam pecuniæ magnitudine.* [27] *Sed nos non quid nobis vtile, verùm quid oratori neceſſarium ſit, quærimus: quanquam (quoniam multa ad oratoris ſimilitudinem ab vno artifice ſumimus) ſolet idem Roſcius dicere, ſe, quo plus ſibi ætatis accederet, eo tardioreis tibicinis modos, & cantus remiſsiores eſſe facturum. Quòd ſi ille adſtrictus certa quadam numerorum moderatione & pedum, tamen aliquid ad requiem ſenectutis excogitat, quanto facilius nos non laxare modos, ſed totos mutare poſſumus?* [28] *Neq; enim hoc te Craſſe fallit, quàm multa ſint, & quàm varia genera dicendi, & quòd haud ſciam an tu primus oſtenderis, qui iam diu multò dicis remiſsius & lenius quàm ſolebas: neq; minus hæc tamen tua grauiſsimi ſermonis lenitas, quàm illa ſumma vis & contentio probatur: multiq; oratores fuerunt, vt illum Scipionem audiuimus, & Lælium, qui omnia ſermone conficerent paulò interiore: nunquam, vt Sergius Galba, lateribus aut clamore contenderent. Quòd ſi iam hoc facere non poteris, aut noles, vereris ne tua domus, talis & viri, & ciuis, ſi à litigioſis hominibus non colatur, à cæteris deſeratur?* [29] *Equidem tantum abſum ab iſta ſententia, vt non modo non arbitrer ſubſidium ſenectutis in eorum qui conſultum veniant, multitudine eſſe ponendum, ſed* [30] *tan*

rus iuris, de iure ipſe melius cuidam ruſtico reſpondit, quàm P. Craſſus iuris peritiſſimus: de quo ante dictum eſt. Dilemma eſt ita concluſum,

Si certum ius eſt, de eo nulla poteſt eſſe lis: ſi verò dubium, cùm orator iureconſultum conſuluerit, cauſſam poterit optimè dicere:
Sed ius aut certum eſt, aut dubium:
Ergo de iure aut nulla eſt lis, aut cùm orator didicerit, melius de eo dicet, quàm iureconſultus.

10 Allegoria eſt à iaculatoribus, qui haſtas amento, id eſt, loro vinciunt, & religant, vt firmata manu vehementius eas torqueant: qua ſimilitudine firmiſſimæ probationes in cauſſis haſtæ amentatæ dicuntur. Cic. in Bruto, Vt haſtæ velitibus amentatæ traduntur, ſic oratori argumenta. 11 Antonius illuſtrat ſecundam partẽ dilemmatis diſſoluẽdis quibuſdam exemplis à Craſſo prius citatis: reſpondet igitur ad ſextũ exemplum de cauſſa Curiana, & iure hæreditatis: vbi Craſſus non iuris, ſed eloquentiæ ſubſidio, & viribus Curium defendit, & exinde concludit, maximas cauſſas ſine ſcientia iuris ab oratore tractari poſſe. 12 Ironia eſt ad eleuandum primum exemplum prolatum à Craſſo de cauſſa militis, de cuius morte, cũ falſus rumor allatus eſſet, & pater alium quendam ſcripſiſſet hæredem, miles Romam reuerſus, de bonis paternis egit in iudicio. 13 Verſiculus erat in XII. tabulis, (Vti lingua nuncupaſſit, ita ius eſto) id eſt, quod quis ore pronuntiauerit, ratum eſto: Craſſus igitur ſi militẽ defenderet, diceret ſeruiendo ſuæ cauſſæ hunc verſum nõ eſſe XII. tabularum, ſed potius magicum & præſtigioſum, quia ſi verba legis huius ſequamur, interdum in errorem deducemur, vt exempli gratia, apparet in teſtamento patrisfamiliâs, qui alium, quàm filium ſuum militem ſcripſerat, & nuncuparat hæredẽ: non enim oportuit iudices verba teſtamenti ſequi, ſed æquitatẽ cauſſæ. 14 Antonius ſtrictim & curſim diſſoluit quædam latius dicta à Craſſo de inertia cauſſidicorum, qui ius ciuile non diſcunt: ac primũ negat eam ſcientiam eſſe facilem, duobus argumentis, & quòd ita iureconſulti iudicẽt, & quòd hæc ſcientia nondum in artem redacta ſit, ſed adhuc confuſa & perturbata.

15 Secundum principale argumentum Craſſi item confutatur ab exemplo maiorum, Homines libentius ediſcunt Teucrum tragœdiam Pacuuij, quàm libros Manilij de iure: non eſt igitur iucunda iuris ſcientia. M. Pacuuius ſcripſit Tragœdiam de Teucro Telamonio, qui Aiace fratre ad Troiam interempto, & patrem & patriam fugiens, exilium ſibi in Cypro delegit. M. Manilius iureconſultus perſcripſerat leges & formulas rerum venalium vendendarum: quibus caueba, ne damnum acciperet venditor, aut emptor: qualis eſt illa apud Varronem de bubus, Eos *Lib. 2.*
cùm emimus domitos, ſtipulamur: ſic, illoſce boues ſanos eſſe, noxiſq; præſtari, Spondeſne? Paulò verboſius hæc, qui Manilij actiones ſequuntur. Ibidem, Emptio equina ſimilis ferè, & boum, & aſinorum, quòd in eiſdem rebus dominium in emptione mutatur, vt in Manilij legibus ſunt perſcripta. 16 Reſpondet argumento de antiquis legibus, quòd hæ ferè in vſu nullæ ſint, & idcircò earum cognitio non admodum vtilis ſit. 17 Negat metu legum bonos ciues fieri, quia virtus amore tradatur hominibus: ſed hoc leue & captioſum eſt: vt enim viri boni præmio adducuntur ad virtutẽ: ſic etiam improbi pœna reuocantur à vitiis. 18 Socrates in Menone negat virtutem doctrina comparari, quia nulli ſint præceptores tradendæ virtutis, & ad extremum concludit eam nobis diuinitùs tradi.

19 Antonius reſpondet de ſeipſo per conceſſionem, quòd ius ciuile non didicerit: probatque illud non eſſe oratori neceſſariò perdiſcendum: argumẽtum eſt à ſimili. Vt ruſticas res ſine arte & libris vſu quodam communi notas habemus, ita in legibus & iure ciuili communi quadam prudentia & intelligẽtia contenti eſſe debemus: ſed ad hanc ſimilitudinem poſſit quis ita reſpondere, Si ad naturam & communem vſum doctrina quædam acceſſerit, virtutem & ſcientiam multò præſtantiorem & perfectiorem exiſtere. 20 Mago Carthaginenſis Punica lingua compoſuit viginti octo libros de Re ruſtica, qui ex Sena-

tuſconſulto in Latinum ſermonem conuerſi ſunt, vt Columella ait: hunc Magonem in Georg. Virgilius eſt imitatus, vt ait Seruius. *Lib.1.* 21 Si de iure (inquit Antonius) dubium eſt, vel orator iuriſperitum conſulit, vel litigator rem planè conſultam defert ad oratorem. 22 Argumentum eſt à collatione maiorum cum minoribus. Orator cauſſas difficiles & multis circunſtantiis implicatas, quum opus erit, ad tempus cognoſcet? 23 Prolepſis hæc ſoluitur à diſſimili: licèt ius ciuile proſit oratori, non eſt tamen in eo oratori magnopere elaborandum: qui locus illuſtratur à maiori ad minus: Orator Græcorum more vocem & geſtum non exercebit, quamuis vtraque res ſit ei valde neceſſaria, quanto igitur leuiore ſtudio ad cognitionem iuris deſcendet? in prima parte comparationis declamatur multum ſtudium Græcorum circa vocis & geſtus exercitationem & conformationem. 24 Pæan & Nomion hymni ſunt in honorem Apollinis olim celebrati & cantati, & ex ipſius dei cognominibus ſic appellati: nam Apollo à Græcis cognominatus eſt Pæan, vel ἀπὸ τοῦ παύειν τὰς ἀνίας, id eſt, à ſedandis moleſtiis: vel ἀπὸ τοῦ παίειν, id eſt, à feriendo, quòd radiis feriat. Et Arcades Apollinem νομίοντα *Lib.3. de Natura deoru.* appellant, quòd ab eo ſe ferunt leges accepiſſe: vt ait Cicero. In quibuſdam exemplaribus legimus Munionem corrupta voce, pro Nomionem. 25 Diſſimilitudo vocis & geſtus à iure ciuili approbatur, ab exemplis diſſimilibus: Græci oratores conſulunt iuriſperitos, doctos quidem, ſed infimos homines, & penè miniſtros ſuos, Romæ verò iureconſulti clariſſimi & præſtantiſſimi ſunt, & habentur.

29 Antonius refellit argumentum Craſſi de celebritate iureconſulti in ſenectute, ab aliis cauſſis: quòd pecunia & eloquentia poſſunt etiam efficere, vt domus ſenis celebris & frequentata ſit: in quo Antonius cum Craſſo leuiſſimè pugnat: præſertim quum hæ tres cauſſæ vnius & eiuſdem effectus eſſe poſſint.

27 Probat oratorem, quantumuis ſenex ſit, cauſſas agere poſſe, licèt paulò remiſſius. Argumentum eſt à collatione minoris. Roſcius quum in ſenectute ageret fabulam, vel canticum ſaltaret, iubebat tibicinem non incitatos, vt antea, ſed tardiores modos efficere: quanto igitur facilius orator in cauſſis agendis aliquid in ſenectute relaxabit? Libro 1. de Legib. Atticus ſimiliter diſputat, atque hic Antonius: nam quum Cicero dixiſſet, ſe non recuſare, quominus is patrio more ſedens in ſolio, conſulentibus reſponderet, ſenectutisque non inertis grato & honeſto munere fungeretur: Atqui vereor (inquit Atticus, ne iſtam cauſſam nemo noſcat, tibiq; ſemper dicendum ſit, ſed eò magis, quòd tute ipſe mutaſti, & aliud genus dicendi inſtituiſti: vt quemadmodum Roſcius familiaris tuus in ſenectute numeros in cantu cecinerat, ipſasque tardiores fecerat tibias, ſic tu à contentionibus, quibus ſummis vti ſolebas, quotidie relaxes aliquid, vt iam oratio tua non multum à philoſophorum tenuitate abſit, quod ſuſtinere vel quum ſumma ſenectus poſſe videatur, nullam tibi à cauſſis video dari vacationem. 28 Illuſtratio ſecundæ partis collationis, ab exemplis oratorum, vt Scipionis & Lælij, qui ſine vehementi contentione vocis cauſſas agebant. 29 Antonius refellit argumentum Craſſi ex contrariis, Subſidium ſenectutis eſt ſolitudo, non igitur clientum frequentia. 30 Similitudo à nautis, qui vt ex longa nauigatione in portum veniunt plenum quietis, ita ſenex in longa vita in tranquillam & otioſam ſolitudinem confugere debet.

[1] *Reliqua verò, etiamſi adiuuant, hiſtoriam dico, & prudentiam iuris publici, & antiquitatis iter, & exemplorum copiam, ſi quando opus erit, à viro optimo, & iſtis rebus inſtructiſſimo familiari meo Longo mutuabor.* [2] *Neq; repugnabo quo minus (id quod modo hortatus es) omnia legant,*

omnia

omnia audiant, in omni recto ſtudio atq; humanitate verſentur. Sed me hercule, non ita multum ſpatij mihi videtur, ſi modo ea facere & perſequi volent, quæ à te Craſſe præcepta ſunt, qui mihi propè etiam nimis duras leges imponere viſus es huic ætati, ſed tamen ad id quod cupiunt adipiſcendum propè neceſſarias. Nam & ſubita ad propoſitas cauſſas exercitationes, & accuratæ, & meditatæ commentationes, ac ſtylus ille tuus, quem tu verè dixiſti perfectorem dicendi eſſe ac magiſtrũ, multi ſudoris eſt: & illa orationis ſuæ cum ſcriptis alienis comparatio, & de alieno ſcripto ſubita vel laudandi, vel vituperandi, vel comprobandi, vel refellendi cauſſa diſputatio, non mediocris contentionis eſt vel ad memoriam, vel ad imitãdum. [3] *Illud verò fuit horribile, quod me hercule vereor, ne maiorem vim ad deterrendum habuerit, quàm ad cohortandum. Voluiſti enim in ſuo genere vnumquemq; noſtrûm quaſi quendam eſſe Roſcium, dixiſtiq; nõ tam ea quæ recta eſſent, probari, quàm quæ praua ſunt, faſtidijs adhæreſcere: quod ego non tam faſtidioſè in nobis, quàm in hiſtrionibus ſpectari puto. Itaq; nos* [4] *raucos ſæpe attentiſſimè audiri video: tenet enim res ipſa atq; cauſſa: at Aeſopum, ſi paulum irraucuerit, explodi. A quibus enim nihil præter voluptatem aurium quæritur, in ijs offenditur ſimul atq; imminuitur aliquid de voluptate. In eloquentia autem multa ſunt, quæ teneant: quæ ſi omnia ſumma non ſunt, & pleraq; tamen magna ſunt, neceſſe eſt ea ipſa quæ ſunt, mirabilia videri.* [5] *Ergo vt ad primum illud reuertar, ſi orator nobis is, qui, vt Craſſus deſcripſit, accommodatè ad perſuadendum poſſit dicere. Is autẽ concludatur in ea quæ ſunt in vſu ciuitatum vulgari ac forenſi: remotiſq; cæteris, quamuis ea ſint ampla atq; præclara, in hoc vno opere, vt*

ita dicam, dies & noctes vrgeatur: imiteturq́ illum cui ſine dubio ſumma vis dicendi conceditur, [6] Athenienſem Demoſthenem, in quo tantum ſtudium fuiſſe, tantusq́ labor dicitur, vt primùm impedimẽta naturæ diligentia induſtriáque ſuperaret: quumq́ ita balbus eſſet, vt eius ipſius artis cui ſtuderet, primam literam nõ poſſet dicere, perfecit meditando, vt nemo planius eo locutus putaretur. Deinde quum ſpiritus eius eſſet anguſtior, tantùm continenda anima in dicendo eſt aſſecutus, vt vna continuatione verborũ (id quod eius ſcripta declarant) binæ ei contentiones vocis & remiſſiones continerẽtur: quinetiam (vt memoriæ proditum eſt) coniectis in nos calculis, ſumma voce verſus multos vno ſpiritu pronuntiare conſueſcebat, neq; id conſiſtens in loco, ſed inambulans, atq; aſcenſu ingrediens arduo. Hiſce ego cohortationibus, Craſſe, ad ſtudium & ad laborem incitandos iuuenes vehementer aſſentior: [7] cætera quæ collegiſti ex varijs & diuerſis ſtudijs & artibus, tametſi ipſe es omnia conſecutus, tamen ab oratoris proprio officio atq; munere ſeiuncta eſſe arbitror. [8] Hæc quum Antonius dixiſſet, ſanè dubitare viſus eſt Sulpitius, & Cotta, vtrius oratio propius ad veritatem videretur accedere. Tum Craſſus, [9] Operarium nobis quendam Antoni oratorem facis, atq; haud ſcio an aliter ſentias, & vtare tua illa mirifica ad repellendum conſuetudine, qua tibi nemo vnquam præſtitit: cuius quidem ipſius facultatis exercitatio, oratorum propria eſt: ſed iam in philoſophorum conſuetudine verſatur, maximeq́ eorum qui de omni re propoſita in vtramque partem ſolent copioſiſsimè dicere. Verùm ego non ſolùm arbitrabar, his præſertim audientibus, à me informari oportere qualis eſſe poſſet is qui habitaret in ſubſellijs, neq; quicquam amplius afferret,

ret, quàm quòd cauſſarum neceſſitas poſtularet: ſed maius quiddam videbam, quum cenſebam oratorem, præſertim in noſtra Republica, nullius ornamenti expertem eſſe oportere. [10] *Tu autem quoniam exiguis quibuſdam finibus totum oratoris munus circumdediſti, hoc facilius nobis expones ea, quæ abs te de officijs præceptisq́; oratoris quæſita ſunt: ſed, opinor, ſecundum hunc diem. ſatis enim multa à nobis hodie dicta ſunt.* [11] *Nunc & Scæuola, quoniam in Tuſculanum ire conſtituit, paulum requieſcet, dum ſe calor frangat: & nos ipſi, quoniam id temporis eſt, valetudini demus operam. Placuit ſic omnibus. Tum Scæuola, Sanè, inquit, vellem non conſtituiſſe in Tuſculanum me hodie venturum eſſe Lælio: libenter audirem Antonium. Et quum exurgeret, ſimul arridens, Neq; enim, inquit, tam mihi moleſtus fuit, quòd ius noſtrum ciuile peruellit, quàm iucundus, quòd ſe id neſcire confeſſus eſt.*

1 Quartum contradictionis caput eſt de hiſtoria, & antiquitatis ſcientia, quam quidem non negat Antonius oratori prodeſſe, ſed quum opus erit, ab hiſtoricis poſſe peti dicit. 2 Quintum caput de varia & multiplici exercitationis ratione, vt lectionis, ſcriptionis, auditionis, diſputationis, declamationis, leuiter reprehenditur, quòd adoleſcentes in his ſtudiis diutius immorari non poſſint. 3 Sextum & vltimum de perfectione oratoris illuſtrata fuerant à Craſſo ſimilitudine Roſcij hiſtrionis, quam Antonius nunc euertit per diſſimilitudinem: Antonius orator raucus in foro toleratur: Aeſopus hiſtrio ſi raucus eſſet, in ſcena non toleraretur. 4 Cicero in Bruto de Antonio ſic ait, Vox permanens erat in Antonio, verùm ſubrauca natura, ſed hoc vitium huic vni in bonum conuertebat: habebat enim flexibile quiddam in quæſtionibus, aptumque cùm ad fidem faciendam, tum ad miſericordiam commouendam. 5 Hactenus Antonius reprehendit definitionem oratoris à Craſſo deſcripti, velut multis rebus alienis ſuperuacuam: & redundantem ſcientia politica, philoſophia, iuriſprudentia, & hiſtoria: tandem concludit definitionem mediocris oratoris, quam initio diſputationis ſuæ conſtituerat, & exemplo Demoſthenis illuſtrat, quò vehementius adoleſcentes ad eloquentiæ ſtudium incitet. Illud autem quod in Craſſi & Antonij diſputatione monuimus, ad extremum etiam nobis repetendum eſt, oratoris nomine definiri in hoc dialogo actorem ciuilium cauſſarum, qui multis rebus & artibus ad agendum ſit inſtructus, non autem vnius artis hominem, qui præceptis, & ratione, & propria quadam facultate diſtinctus ſit à cæteris ſingularibus diſciplinis. 6 Plutarchus deſcribit Demoſthenem, quum propter hæſitantiam linguæ & anguſtias ſpiritus in Pyræum ſeceſſiſſet, à Thraſio Eunomo ſene ad Remp. reuocatum fuiſſe: rurſusq́; quum à populo irrideretur, hortatu Satyri hiſtrionis in pronuntiandis verſibus Euripidis & Sophoclis, ita

ſe exercuiſſe, vt non prior Demoſthenes,ſed alter videretur : eundemq́ue ædificaſſe Phalericum,locum quendam ſubterraneum,in quem quotidie deſcendens geſtum & motum corporis fingeret, vocemq́ue exerceret : nonnunquam etiam duos aut tres menſes domi incluſum declamitaſſe abraſa parte capitis,vt ſibi domo exeundi facultatem præriperet. 7 Hæc diſtinctio rhetoricæ artis à cæteris artibus veriſſima eſt, quia aliud eſt in aliqua arte aliquem aliarum rerum vſum eſſe neceſſarium,aliud artis ipſius eſſe proprium. Atque hoc argumento non tantùm Antonius Craſſum, ſed quiuis ipſum Antonium refellere poſſit,qui nomine vnius artis rhetoricæ dialecticam inuentionis & diſpoſitionis artem confuderit. 8 Finis eſt dialogi, vbi ex audientiũ aſſenſione diſputatio excellentium oratorũ commendatur. 9 Cicero per Craſſum indicat Antonium εἰρωνικῶς locutum eſſe,vel potius Academicorum more, qui de rebus propoſitis in vtramque partem diſputant,quæ Antonij εἰρώνεια ſecundo oratorio dialogo magis intelligitur, vbi Antonius ſententiam Craſſi de oratore diſputat. 10 Tranſitus ſignificatur ad τεχνολογίαν,id eſt,rhetoricæ artis explicationem. Antonius enim ab adoleſcentibus rogatus fuerat, non vt Craſſum refelleret, ſed vt de præceptis Rhetoricis diceret: itaque Antoniani muneris partes renouantur à Craſſo,vt interea ſe præparet Antonius ad proximi diei diſputationem de præceptis artis Rhetoricæ. 11 Cicero lib.4.ad Atticum rationem reddit cur Scæuolæ diſceſſum abſoluto primo dialogo finxerit: Feci (inquit) idẽ quod in Politia deus ille noſter Plato, cùm in Piræum Socrates veniſſet ad Cephalum locupletem & feſtiuum ſenem, quoad primus ille ſermo haberetur, adeſt in diſputando ſenex: deinde cùm ipſe quoque commodiſſimè locutus eſſet, ad rem diuinam dicit ſe velle diſcedere,neque poſtea reuertitur: credo Platonem vix putaſſe ſatis conſonum fore,ſi hominem id ætatis in tam longo ſermone diutius retinuiſſet: multò ego ſatius hoc mihi cauendum putaui in Scæuola,qui erat & ætate & valetudine ea, qua tu eſſe meminiſti, & his honoribus, vt vix ſatis decorũ videretur,eum plures dies eſſe in Craſſi Tuſculano: & erat primi diei ſermo non alienus à Scæuolæ ſtudiis: reliqui libri τεχνολογίαν habent,vt ſcis: huic ioculatoriæ diſputationi ſenem illum,vt noras,intereſſe ſanè nolui.

In M.T.Ciceronis librum primum de Oratore Audomari Talæi explicationum Finis.

M. Tullij Ciceronis

DE ORATORE LIBER Secundus,

AVDOMARI TALAEI EX-plicationibus illuſtratus.

AD

CAROLVM LOTHARINGVM Cardinalem illuſtriſsimum.

Superiore Dialogo (Carole Lotharinge Cardinalis) magna eloquentia tractatus & ornatus eſt politicus orator, ſeu actor ciuilium cauſſarum, perfectus & eloquens, à Craſſo, mediocris & diſertus ab Antonio: eſt enim Ciceronis oratio verborum vel proprietate, vel modificatione, vel conformatione planè ſingularis: nec tamen tam accuratè logicis definiendi legibus diſtinctus & definitus eſt. Reliquis duobus libris oratoria & forenſis τεχνολογία deſcribitur, quam Antonius & Craſſus ſic partiuntur inter ſe, vt ille de inuentione, diſpoſitione & memoria, hic de elocutione & actione dicturus ſit. Quæ partitio non ſolùm dialecticam, cuius tres primæ partes propriæ ſunt, à Rhetorica diſtinguit, cui propriè ſubiiciuntur elocutio & actio, ſed etiam decorè & aptè vtriq; perſonæ ſuum munus attribuit, vt Antonius tres dialecticas virtutes exponat, quia in eo plus fuit prudentiæ: Craſſus duas rhetoricas virtutes, quia plus habuit eloquentiæ. Atque, vt ratio ſecundi dialogi conſtet, Cicero primùm cauſſam ſcriptionis præfatur, deinde exponit congreſſus hominũ, qui in hoc Dialogo loquuntur: tum verò M. Antonius princeps huius ſermonis, exordio ab eloquentiæ laudibus magnificè ſumpto, de materia oratoris, de natura, & de prima inſtitutione dicere incipit. Materiam oratoris, quæ artem & præcepta requirit, in duobus generibus cauſſarum conſtituit, lite & deliberatione. Naturam oratoris excellentiſsimam quærit, quæ optimos quoſq; & excellentiſsimos oratores, primùm in ſchola ſibi ad imitandum proponat: deinde cùm ſe ſatis diu multumq; in dicendo & ſcribendo exercuerit, in forum veniat, & cauſſam à ſe delatam penitùs cognoſcat, atq; mediterur. Cùm igitur forenſibus cauſsis agendis atque tractandis tres artes prudentiæ maximè inſeruiant, inuentio,

diſpoſitio,& memoria, ob id eloquentiæ forenſis & popularis partes efficiuntur,& à Cicerone deinceps explicantur: & quod ad decorum doctrinæ attinet,dantur Antonio partes docendæ inuentionis,quia peracutus homo fuit, & valde ſubtilis ad inueniendum quid quaque de re dici poſſet. Cicero in Bruto, Omnia(inquit)in mentem veniebant Antonio. Cumq; tripertita ſit in rhetorum ſcholis inuētio, vna ad docendum,altera ad mouendum, tertia ad delectandum, de duabus quidem primis diſſerit Antonius, quia in vtraque plurimùm valuerit: tertiam verò, quæ eſt in iocis & facetiis,non attingit: quia ad iocandum minus habilis,& aptus fuerit,& in Iul.Cæſarem reiicit hominem illis temporibus facetiſsimum. Cic.in Bruto,Feſtiuitate(ait) & facetiis C.Iulius Lucij frater, & ſuperioribus ſuis & æqualibus omnibus præſtitit, oratorque fuit minimè ille quidem vehemens, ſed nemo vnquam vrbanitate, nemo lepôre, nemo ſuauitate conditior: ſunt eius aliquot orationes ex quibus ſicut ex eiuſdem tragœdiis, lenitas eius ſine neruis perſpici poteſt. Finito ſermone de iocis, M.Antonius diſpoſitionis artem in generibus cauſſarum docendam ſuſcipit, nec indecorè: fuit enim prudens & eximius in agendis cauſsis collocator rerum & argumētorum. Cic.in Bruto,Omnia ſua quæq; loco vbi plurimùm proficere & valere poſſent,vt ab Imperatore,equites, pedites leuis armaturæ: ſic ab illo in maximè opportunis partibus orationis collocabantur: Poſtremò tradit Antonius artem quoque memoriæ,quia memoriam excellentem habuerit. Cic.in Bruto, Erat ſumma memoria, nulla meditationis ſuſpicio, imparatus ſemper aggredi ad dicendum videbatur,ſed ita ſemper erat paratus, vt iudices illo dicente viderentur non ſatis parati ad cauendum fuiſſe. Quamobrem in his tribus ingenij & prudentiæ diſciplinis tradendis & explicandis, ita ratio perſonarum habita eſt, vt Marcus Antonius fidei & motus,Caius Iulius facetiarum locos aptè & conuenienter exponat:idemque Marcus Antonius de arte diſpoſitionis & memoriæ diſputet. Quæ cùm leges,Cardinalis illuſtriſsime,in his nobiliſsimis & doctiſsimis viris lætaberis, ea te recognoſcere, quæ natura imprimis & ingenio authore: deinde etiam magna doctrinæ diligentia & exercitatione conſecutus es: Dicerem enim quantum ſit acumen ingenij tui, non ſolùm in conſilio, ſed etiam gratia: imò etiam cùm res poſtulat, vehementia, quantum in ordine iudicium,quanta infinitarum rerum memoria, niſi te virtutis tuæ tacita meditatione, quàm publica prædicatione frui malle certò ſcirem. Quare ſecundi Dialogi ſecundas etiam explicationes noſtras quæſo accipe, vel potius in tuo nomine harum rerum cupidis & ſtudioſis communicari permitte ac patere.

M.T.Ci-

M. Tullij Ciceronis

DE ORATORE LIBER Secundus.

MAgna nobis pueris, Quinte frater, ſi memoria tenes, opinio fuit, L. Craſſum non plus attigiſſe doctrinæ, quàm quantum prima illa puerili inſtitutione potuiſſet: Marcum autem Antonium omnino omnis eruditionis expertem atq; ignarum fuiſſe: erantq; multi, qui quanquam ita ſe rem habere non arbitrarentur, tamen quò facilius nos incenſos ſtudio dicendi, à doctrina deterrerent, libenter id quod dixi, de illis oratoribus prædicarent: vt ſi homines non inerudit i ſummã eſſent prudentiam atq; incredibilem eloquentiam conſecuti, inanis omnis noſter eſſe labor, & ſtultum in nobis erudiendis patris noſtri optimi ac prudentiſſimi viri ſtudium videretur. [2] Quos tum, vt pueri, refutare domeſticis teſtibus, patre, & C. Aculeone propinquo noſtro, & L. Cicerone patruo ſolebamus, quòd de Craſſo pater, & Aculeo, quócum erat noſtra matertera, quem Craſſus dilexit ex omnibus plurimùm, & patruus, qui cum Antonio in Ciliciam profectus vnà deceſſerat, multa nobis de eius ſtudio doctrinaq; ſæpe narrauit: [3] cumq; nos cũ conſobrinis noſtris Aculeonis filijs & ea diſceremus, quæ Craſſo placerent, & ab ijs doctoribus, quibus ille vteretur, erudiremur, etiam illud ſæpe intelleximus (quum eſſemus eiuſmodi, quod vel pueri ſentire poteramus) illum & Græcè ſic loqui, nullam vt noſſe aliam linguam videre-

tur: & doctoribus noſtris ea ponere in percunctando, eaq́ ipſum omni in ſermone tractare, vt nihil eſſe ei nouum, nihil inauditum videretur. [4] De Antonio verò quanquam ſæpe ex humaniſsimo homine patruo noſtro acceperamus, quemadmodum ille vel Athenis, vel Rhodi ſe doctiſsimorum hominum ſermonibus dedidiſſet: tamen ipſe adoleſcentulus, quãtum illius ineuntis ætatis mea patiebatur pudor, multa ex eo ſæpe quæſiui. Non erit profectò tibi, quod ſcribo, hoc nouum (nam iam tum ex me audiebas) mihi illum ex multis variisq́ ſermonibus, nullius rei, quæ quidem eſſet in iis artibus, de quibus aliquid exiſtimare poſſem, rudem aut ignarum eſſe viſum. [5] Sed fuit hoc in vtroq; eorum, vt Craſſus non tam exiſtimari vellet non didiciſſe, quàm illa deſpicere, & noſtrorum hominum in omni genere prudentiam Græcis anteferre: Antonius autem probabiliorem hoc populo orationem fore cenſebat ſuam, ſi omnino didiciſſe nunquam putaretur: atq; ita ſe vterq; grauiorem fore, ſi alter contemnere, alter ne noſſe quidem Græcos videretur. Quorum conſilium quale fuerit, nihil ſanè ad hoc tempus: [6] illud autem eſt huius inſtitutæ ſcriptionis, ac temporis, neminem eloquentia non modò ſine dicendi doctrina, ſed ne ſine omni quidem ſapientia florere vnquam & præſtare potuiſſe: Etenim cæteræ ferè artes ſe ipſæ per ſe tuentur ſingulæ: bene dicere autem, quod eſt ſcienter & peritè & ornatè dicere, non habet definitam aliquam regionem, cuius terminis ſepta teneatur. Omnia quæcunq; in hominum diſceptationum cadere poſſunt, bene ſunt ei dicenda, qui hoc ſe poſſe profitetur: aut eloquentiæ nomẽ relinquendum eſt. [7] Quare equidem & in noſtra ciuitate, & in ipſa Græcia, quæ ſemper hæc ſumma duxit, multos & ingeniis & magna [illegible]e

de ui-

de dicendi, ſine ſumma rerum omnium ſcientia fuiſſe fateor: talem verò exiſtere eloquentiam, qualis fuerit in Craſſo & Antonio, non cognitis rebus omnibus quæ ad tantam prudentiam pertinerent, tantamq́ dicendi copiam, quanta in illis fuit, non potuiſſe confirmo. [6] *Quo etiam feci libentius, vt eum ſermonem, quem illi quondam inter ſe de his rebus habuiſſent, mandarem literis: vel vt illa opinio, quæ ſemper fuiſſet, tolleretur, alterum non doctiſſimum, alterum planè indoctum fuiſſe: vel vt ea quæ exiſtimarem à ſummis oratoribus de eloquentia diuinitùs eſſe dicta, cuſtodirem literis, ſi vllo modo aſſequi complectiq́ potuiſſem: vel me hercule etiam vt laudem eorum iam propè ſeneſcentem, quantum ego poſſem, ab obliuione hominum, atq́ à ſilentio vindicarem.* [7] *Nam ſi ex ſcriptis cognoſci ipſi ſuis potuiſſent, minus hoc fortaſſe mihi eſſe putaſſem laborandum: ſed quum alter nō multum, quod quidem extaret, & id ipſum adoleſcens, alter nihil admodum ſcripti reliquiſſet: deberi hoc à me tantis hominum ingenijs putaui, vt quum etiam nunc viuam illorum memoriam teneremus, hanc immortalem redderem, ſi poſſem.* [10] *Quòd hoc etiam ſpe aggredior maiore ad probandum, quia non de Sergij Galbæ, aut C. Carbonis eloquentia ſcribo aliquid, in quo liceat mihi fingere ſi quid velim, nullius memoria iam refellente: ſed edo hæc ijs cognoſcenda, qui eos ipſos, de quibus loquor, ſæpe audierunt: vt duos ſummos viros, ijs qui neutrum illorum viderint, eorum quibus ambo illi oratores cogniti ſint, viuorum & præſentium memoria teſte commendemus.* [11] *Nec verò te, chariſſime frater atq́ optime, Rhetoricis nunc quibuſdam libris, quos tu agreſtes putas, inſequor vt erudiam: (quid enim tua poteſt oratione aut ſubtilius, aut ornatius*

eſſe?) ſed quoniam ſiue iudicio, vt ſoles dicere: ſiue, [12] *vt ille pater eloquentiæ de ſe Iſocrates ſcripſit ipſe, pudore à dicendo & timiditate ingenua quadam refugiſti: ſiue, vt ipſe iocari ſoles, vnum putaſti ſatis eſſe non modò in vna familia Rhetorem, ſed penè in tota ciuitate: non tamen arbitror tibi hos libros in eo fore genere, quod meritò propter eorum, qui de dicẽdi ratione diſputarunt, ieiunitatẽ bonarum artium, poßit illudi.* [13] *Nihil enim mihi quidem videtur in Craßi & Antonij ſermone eſſe præteritum, quod quiſquam ſummis ingenijs, acerrimis ſtudijs, optima doctrina, maximo vſu cognoſci ac percipi potuiſſe arbitraretur. quod tu facillimè poteris iudicare, qui prudentiam rationemq́ dicẽdi per te ipſum, vſum autem per nos percipere voluiſti. Sed quò citius hoc quod ſuſcepimus, non mediocre munus conficere poßimus, omiſſa noſtra adhortatione, ad eorum quos propoſuimus, ſermonem diſputationemq́ veniamus.*

1 Tria ſunt futuræ diſputationis diſtincta procemia: Primum ſcribitur ad laudem Craſſi & Antonij: Secundum ad apparatum dialogi: Tertium eſt M. Antonij aggredientis ad dicendum de eloquentiæ doctrina. In illo primo Cicero occurrit opinioni hominum de Craſſo & Antonio vulgò habitis indoctis: & prolepſin ad hunc modum concludit:

> Si Craſſus & Antonius ſine artium ſcientia ſummi oratores fuerunt, non eſt ad eloquentiam conſequendam neceſſaria artium cognitio.
>
> Sed Craſſus & Antonius ſine artium ſcientia ſummi oratores fuerunt:
>
> Non igitur neceſſaria eſt ad eloquentiam conſequendam artium cognitio.

Aſſumptio præcedit, & publico hominum teſtimonio confirmatur. 2 Eleuat publicam opinionem de Craſſo & Antonio domeſticis authoritatibus eorum, qui illis familiares fuerunt: Cicero pater, & C. Aculeo de Craſſi, & L. Cicero patruus de Antonij eruditione & doctrina multa nobis narrarunt: Errant igitur, qui illos putãt indoctos & imperitos fuiſſe. 3 Altera de Craſſi eruditione probatio ſumitur ex eius ipſius factis: Craſſus optimè Græcè loquebatur, & cum doctoribus artium præclarè diſſerebat: itaque non parum doctus & eruditus erat Craſſus. 4 Adiungit ad L. Ciceronis patrui teſtimonium ſuam ipſius ſententiam: Antonius mihi viſus eſt ex multis eius ſermonibus nihil neſcire: Non igitur fuit rudis & expers bonarum literarum, ſicut vulgò exiſtimabatur. 5 Craſſus & Antonius materiam huius falſę de ſe opinionis præbuerunt: Craſſus videri volebat Græcorum ſcholas & artes negligere, Antonius neſcire. Craſſus libro primo de Oratore, Quod mihi nunc vos, inquit, tanquam alicui Græculo otio-

ſo &

ſo & loquaci, & fortaſſe docto & erudito quæſtiunculam, de qua meo arbitratu loquar, ponitis? quando enim me iſta curaſſe, aut cogitaſſe arbitramini, non ſemper irriſiſſe potius iſtorum hominum impudentiam, qui quum in ſchola aſſediſſent, ex magna hominum frequentia dicere iuberent, ſi quis quid quæreret? Antonius hoc libro 2. Verum (inquit) ex me audies Catule: ſemper ego exiſtimaui iucundiorem & probabiliorem huic populo oratorem fore, qui primùm quàm minimam artificij alicuius, deinde qui nullam Græcarum rerũ ſignificationem daret. 6 Probat in Craſſo & Antonio ſummã fuiſſe liberalium artium doctrinam, quia ſumma fuit in his eloquentia. Syllogiſmus ſimplex eſt primi generis:

Omnis excellens orator multis & magnis artibus eſt inſtructus:
Craſſus & Antonius ſummi fuerunt oratores:
Vterque igitur ſapiens, & magnis artibus inſtructus fuit.

Propoſitio illuſtratur diſſimilitudine eloquentiæ, & reliquarum artium. Cæteræ artes ſeipſæ tuentur ſingulæ, vt Grammaticus artis ſuæ facultate rectè ſcribere & loqui poteſt: Orator verò Rhetoricæ artis facultate non eſt contentus, ſed aliis artibus indiget: quæ Ciceronis opinio de politico homine minus abſurda fuerit, ſed tamen inepta: quia quamuis tali homini non rhetorica ſolùm, ſed omnes artes eſſent neceſſariæ, tamen tam ineptè vir politicus compararetur cæterarum artium hominibus, quàm ſi animal velut ſpecies aliqua cum homine, leone, equo, cæteriſque ſpecialibus animalium formis compararetur: talis enim orator, quem Cicero fingit, non eſt vnius artis homo, ſed omnium artium. Verùm ſi (vt ſæpe iam dixi) omnes artes, vt debent, præceptis diſtinguãtur, & facultatibus, eloquentia tam ſuis finibus elocutionis & pronuntiationis contenta erit, quàm cæteræ artes ſuis partibus, ex quibus conſtant, & abſoluuntur ſingulæ. 7 Aſſumptio & complexio ſimul ſunt, & declarantur argumento ſimilitudinis: Italia & Græcia multos homines diſertos ſine ſumma rerum ſcientia habuit, ac perfectos, quales Craſſus & Antonius fuerunt, ſine ſumma rerum ſcientia non habuit. 8 Deſcendit ad commemorandas cauſſas huius inſtitutæ ſcriptionis, quarum duæ primæ licèt fingantur, aptè tamen, & ad dignitatem dialogi decorè finguntur: neq; enim fuit tanta in Craſſo & Antonio doctrina, quanta tribuitur: neque talis vnquam de Oratore ab illis ſermo eſt habitus, & tamen ad fictionis gratiam & dignitatem multum intereſt, vt tales fuiſſe dicantur. Tertia verò cauſſa magnam habet ſignificationem cuiuſdam pietatis erga Craſſum & Antonium, & huic dialogo maximè conuenit: multò enim ſapientius & modeſtius facit, dum alienis perſonis laudem ſuam, & ſibi propriè debitam tribuit, quàm ſi horum dialogorum doctrinam & elegantiam ſibi arrogaret. 9 Confirmatio proximæ tertiæ rationis, & ſyllogiſmus connexus hoc modo,

Si Craſſus & Antonius multa ſcripſiſſent, de his omnibus non eſſet mihi ſcribendum:
Sed non multa ſcripſerunt, quæ quidem extent:
Quare de ingeniis eorum mihi ſcribendum putaui.

Antonius libellum de Oratore adoleſcentulus immaturo & iudicio & ſtylo ſcripſit: Craſſus orationem vnam pro Licinia virgine: alteram de colonia Narbonenſi, tertiam pro lege Seruilia, quartam pro Cæpione. Lege Ciceronem in Bruto. 10 Poſtremum argumentum ſuſcepti operis tractatur à diſſimilibus: Non ſcribo de ignotis hominibus, & à noſtra memoria procul remotis: vt de eloquentia L. Sergij Galbæ, qui fuit grandis, & penè tragicus orator: aut C. Carbonis, qui fuit orator canorus, & volubilis, & ſatis acer, atque idem vehemens, & valde dulcis, & perfacetus, & in multis iudiciis cauſiſque cognitus, vt ſcriptum eſt in Bruto: ſed ſcribo de hominibus doctiſſimis & eloquentiſſimis, quos ætas noſtra nouit, & celebrauit. 11 Extenuat nuncupationem operis: primum extenuationis argumentum eſt ex remotione finis: Non ſcribo, vt te erudiam. Secundum ex diſſimilibus: Quamuis eloquentiæ forenſis ſtudium contemplens,

non tamen hunc ſermonem, quem inſtituo, propter eos qui hic loquuntur, aſpernabere. Q. Cicero in otio poeſim, in negotio militiam ſecutus eſt, cauſſarum ciuilium actor & patronus eſſe noluit, cuius rei tres cauſſæ commemorantur per diſiunctionem, vel iudicium, vel metus, vel oratorũ in vrbe frequentia. 12 Iſocrates pater eloquentiæ, qui in Græcia plurimos genuit oratores, primuſque inſtituit mollioribus verbis & numeris explere ſententias, multa quidem in otio ludicræ exercitationis gratia ſcripſit, ſed forum & cauſſas nunquam attigit, vt de ſe ipſo teſtis eſt in oratione de permutatione facultatum: Cauſſas eiuſce rei duas ipſe reddit in Panathenaico: infirmitatem vocis & timiditatem naturæ. τὴν δὲ φύσιν εἰδὼς πρὸς μὲν τὰς πράξεις ἀῤῥωστοτέραν, καὶ μαλακωτέραν οὖσαν τοῦ δέοντος, πρὸς δὲ τοὺς λόγους οὐδὲ λείαν, οὐδὲ παντάπασι χρησίμην, οὕτω γὰρ ἐνδεὴς ἀμφοτέρων ἐγενόμην τῶν μεγίστην δύναμιν ἐχόντων παρ᾽ ὑμῖν, φωνῆς ἱκανῆς, καὶ τόλμης, ὡς οὐκ οἶδ᾽ εἴ τις ἄλλος τῶν πολιτῶν. id eſt, Naturam quidem ad actiones vidi imbecilliorem & molliorem, quàm ſit opus, ad dicendum etiam neque facilem, neque vbiuis commodam: tam enim his duabus rebus, quæ apud vos maximum pondus habent, indigeo idonea voce & audacia, quàm haud ſcio, an quiſquam alius ciuium. 13 Hæc futuri ſermonis laus ad Ciceronis ingenium, & ſtudium, & doctrinam, & vſum referẽda eſt: ſed decorè in alienis perſonis velatur: vt enim de ſeipſo prædicare deforme eſt, ſic veras & proprias laudes perſonis alienis aſcribere, ingenuum eſt & prædicabile, & laudandum.

[1] Poſtero igitur die quàm illa erant acta, hora ferè ſecunda, quum etiam tum in lecto Craſſus eſſet, & apud eum Sulpitius ſederet, Antonius autem inambularet cum Cotta in porticu, repentè eò Q. Catulus ſenex cum C. Iulio fratre venit. quod vbi audiuit, commotus Craſſus ſurrexit: omneſque admirati, maiorem aliquam eſſe cauſſam eorum aduentus ſuſpicati ſunt. Qui quum inter ſe, vt ipſorum vſus ferebat, amiciſſimè conſalutaſſent, Quid vos tandem Craſſus? nunquidnam, inquit, noui? Nihil ſanè, inquit Catulus. etenim vides eſſe ludos: ſed vel tu nos ineptos licèt, inquit, vel moleſtos putes: quum ad me in Tuſculanum, inquit, heri veſperi veniſſet Cæſar de Tuſculano ſuo, dixit mihi à ſe Scæuolam hinc euntem eſſe conuentum, ex quo mira quadam ſe audiſſe dicebat: te, [2] quem ego toties omni ratione tentans ad diſputandum elicere non potuiſſem, permulta de eloquẽtia cum Antonio diſſeruiſſe, & tanquam in ſchola propè ad Græcorum conſuetudinem diſputaſſe. [3] Itaque frater exorauit meipſum non quidem à ſtudio audiendi nimis abhorrentem,

tem,ſed me hercle verentem tamen ne moleſti vobis interue niremus,vt huc ſecum venirem. Etenim Scæuolam ita dicere aiebat, bonam partem ſermonis in hunc diem eſſe dilatam. Hoc ſi tu cupidius factum exiſtimas,Cæſari attribues: ſi familiarius,vtriq; noſtrûm. Nos quidem,niſi fortè moleſti interuenimus,veniſſe delectat. [4] *Tum Craſſus, Equidem quæcunque cauſſa vos huc attuliſſet,lætarer,quum apud me viderem homines mihi chariſſimos & amiciſſimos: ſed tamen verè dicã,quæuis mallem fuiſſet,quàm iſta quam dicis. Ego enim (vt quemadmodũ ſentio, loquar) nunquam mihi minus quàm heſterno die placui: magis adeò id facilitate, quàm alia vlla culpa mea contigit: qui dum obſequor adoleſcentibus,me ſenem eſſe ſum oblitus: feciq;, id quod ne adoleſcens quidem feceram, vt iјs de rebus quæ doctrina aliqua contineretur, diſputarem. Sed hoc tamen cecidit mihi peropportunè,quòd tranſactis iam meis partibus,ad Antonium audiendum veniſtis.* [5] *Tum Cæſar, Equidem, inquit, Craſſe,ita ſum cupidus te in illa longiore ac perpetua diſputatione audiendi, vt ſi id mihi minus contingat,vel hoc ſim quotidiano tuo ſermone contentus. Itaq; experiar equidem illud,vt ne Sulpitius familiaris meus,aut Cotta plus quàm ego apud te valere videantur: & te exorabo profectò, vt mihi quoque & Catulo tuæ ſuauitatis aliquid impertias: Sin tibi id minus libebit,non te vrgebo: neq; committam,vt dum vereare ne tu ſis ineptus, me eſſe iudices.* [6] *Tum ille, Ego me hercule, inquit, Cæſar, ex omnibus Latinis verbis, huius verbi vim vel maximam ſemper putaui. Quem enim nos ineptum vocamus,is mihi videtur ab hoc nomẽ habere ductum,quòd non ſit aptus. idq; in ſermonis noſtri conſuetudine perlatè patet.* [7] *Nam qui aut tempus quid poſtu-*

let, non videt, aut plura loquitur, aut ſe oſtentat, aut eorum quibuſcum eſt, vel dignitatis, vel commodirationem non habet, aut deniq; in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus eſt, is ineptus eſſe dicitur. Hoc vitio cumulata eſt eruditiſsima illa Græcorum natio. Itaque quòd vim huius mali Græci non vident, ne nomen quidem ei vitio impoſuerunt. Vt enim quæras omnia quomodo Græci ineptum appellent, non reperies. Omnium autem ineptiarum, quæ ſunt innumerabiles, haud ſcio an vlla ſit maior, quàm illorum, qui ſolent quocunq; in loco, quoſcunque inter homines viſum eſt, de rebus aut difficillimis, aut non neceſſarijs argutiſsimè diſputare. Hoc nos ab iſtis adoleſcentibus facere inuiti & recuſantes heri coacti ſumus. [8] Tum Catulus, Ne Græci quidem, inquit, Craſſe, qui in ciuitatibus ſuis clari & magni fuerunt, ſicuti tu es, noſq; omnes in noſtra Republica volumus eſſe, horum Græcorum, qui ſe inculcant auribus noſtris, ſimiles fuerunt, nec tamen in otio ſermones huiuſmodi, diſputationesq; fugiebant. [9] Ac ſi tibi videntur, qui temporis, qui loci, qui hominum rationem non habent, inepti, ſicut debent videri: num tandem aut locus hic non idoneus videtur, in quo porticus hæc ipſa vbi inambulamus, & palæſtra, & tot locis ſeſsiones, Gymnaſiorum & Græcarum diſputationum memoriam quodammodo commouent? aut importunum tempus, in tanto otio, quod & rarò datur, & nunc peroptatò nobis datum eſt? aut homines ab hoc genere diſputationis alieni, qui omnes ij ſumus, vt ſine his ſtudijs nullam vitam eſſe ducamus? [10] Omnia iſta, inquit Craſſus, ego alio modo interpretor, qui primùm palæſtram, & ſedes, & porticus etiam ipſos Catule Græcos exercitationis & delectationis cauſſa, non diſputationis, inueniſſe arbitror.

arbitror. nam & ſeculis multis antè Gymnaſia inuēta ſunt, quàm in his philoſophi garrire cœperunt: & hoc ipſo tempore, cùm omnia Gymnaſia philoſophi teneant, tamē eorū auditores " diſcum audire quàm philoſophum malunt: qui ſimul vt increpuit, in media oratione de maximis rebus & grauiſſimis diſputantē philoſophum omnes vnctionis cauſſa relinquunt: ita leuiſſimam delectationē, grauiſſimæ, vt ipſi ferunt, vtilitati anteponūt. " Otium autem quod dicis eſſe, aſſentior: verùm otij fructus eſt non contentio animi, ſed relaxatio. Sæpe ex ſocero meo audiui, cùm is diceret ſocerū ſuum Lælium ſemper ferè cum Scipione ſolitum ruſticari, eosq; incredibiliter repueraſcere eſſe ſolitos, cùm rus ex vrbe tanquam è vinculis euolauiſſent. Non audeo dicere de talibus viris, ſed tamē ita ſolet narrare Scæuola, conchas eos & vmbilicos ad Caietam & ad Lucrinum legere conſueſſe, & ad omnem animi remiſſionē ludumq; deſcendere. " Sic enim ſe res habet, vt quemadmodum volucres videmus procreationis atq; vtilitatis ſuæ cauſſa fingere & conſtruere nidos, eaſdem autem, cùm aliquid effecerint, leuandi laboris ſui cauſſa paſſim ac liberè ſolutas opere volitare: ſic noſtri animi forenſibus negotijs atq; vrbano opere defeſſi, geſtiunt, ac volitare cupiunt vacui cura atq; labore. " Itaq; illud quod ego in cauſſa Curiana Scæuolæ dixi, non dixi ſecus ac ſentiebam. Nam ſi, inquam, Scæuola, nullum erit teſtamentum rectè factum, niſi quod tu ſcripſeris: omnes ad te ciues cum tabulis veniemus, omnium teſtamēta tu ſcribes vnus. Quid igitur, inquam, quando ages negotium publicum? quando amicorum? quando tuum? quando denique nihil ages? Tum illud addidi, Mihi enim liber eſſe nō videtur, qui non aliquando nihil agit. in qua permaneo Catule ſententia:

meq́; quum huc veni, hoc ipſum nihil agere, & planè ceſſare, delectat. [15] *Nam quod addidiſti tertium, vos eos eſſe, qui vitam inſuauem ſine his ſtudijs putaretis, id me non modò non hortatur ad diſputandum, ſed etiam deterret. Nam vt C. Lucilius homo doctus & perurbanus dicere ſolebat, ea quæ ſcriberet, neq; ab indoctiſſimis, neq; ab doctiſſimis legi velle: quòd alteri nihil intelligeret, alteri plus fortaſſe quàm ipſe de ſe: quo etiã ſcripſit, Perſium nõ curo legere (hic enim fuit, vt noramus, omnium ferè noſtrorum hominum doctiſſimus)* [16] *Lælium Decimum volo (quem cognouimus virum bonum, & nõ illiteratum, ſed nihil ad Perſium)* [17] *ſic ego, ſi iam mihi diſputandum ſit de his noſtris ſtudijs, nolim equidem apud ruſticos, ſed multò minus apud vos. Malo enim non intelligi orationẽ meam, quàm reprehẽdi.* [18] *Tum Cæſar, Equidem, inquit, Catule, iam mihi videor nauaſſe operam, quòd huc venerim. Nam hæc ipſa recuſatio diſputationis, diſputatio quædam fuit, mihi quidem periucunda. Sed cur impedimus Antonium, cuius audio eſſe partes, vt de tota eloquẽtia diſſerat, quemq́; iam dudum Cotta & Sulpitius expectant? Ego verò, inquit Craſſus, neq; Antonium verbum facere patiar, & ipſe obmuteſcam, niſi prius à vobis impetraro. Quídnam? inquit Catulus. Ut hìc ſitis hodie. Tum cùm ille dubitaret, quòd ad fratrem promiſerat, Ego, inquit Iulius, pro vtroq; reſpondeo, ſic faciemus: atq; iſta quidem conditione, vel vt verbum nullum faceres, me teneres. Hic Catulus arriſit, & ſimul, Præciſa, inquit, mihi quidem dubitatio eſt, quoniam neq; domi imperaram, & hic, apud quem erat futurus, ſine mea ſententia tam facile promiſit.*

1 Tranſitus eſt à primo exordio ad ſecundũ, & à ſuperiore dialogo ad captandam occaſionem ſecundi, vbi primùm ex circunſtantiis adhibitis loci & temporis deſcribitur congreſſus eorum, qui huic dialogo intererunt: & quia ſuperiore

die

die Catulus & Cæſar non adfuerunt diſputationi,quorum tamē alter ſenior ætate profuturus ſit ad moderandum ſermonem, alter facetus & vrbanus ad diſputandum de iocis & facetiis, ne videantur temerè irruiſſe in hunc dialogum, fingitur occaſio & ratio aduentus vtriuſque. Catulus igitur interpoſita excuſatione duplicem cauſſam adfert ſui aduentus, & quòd feriæ eſſent celebrandis Romanis ludis, & quòd hortatu Iulij huc veniſſet ea mente & ſpe, vt reliquum ſermonem de eloquentia ex Craſſo audiret. Eſt autem obſeruandum in hoc toto genere ſermonis mirificum perſonarum decorum exprimi, dum Catulus & Iulius ex Craſſo ſermonem aliquem elicere conantur, & Craſſus retinendæ ſenilis grauitatis gratia munus hoc totum diſputationis in Antonium reiicit. 2 Sic Sulpitius libro primo de Craſſo ait, Ego qui ab ineunte ætate incenſus eſſem ſtudio vtriuſq; veſtrûm, Craſſi verò etiam amore, quum ab eo nuſquam diſcederem, verbum ex eo nunquam elicere potui de vi & ratione dicendi, quum per me ipſum egiſſem, & per Druſum ſæpe tentaſſem. 3 Hæc finguntur ad ſignificandam excellentiam futuri ſermonis, ad quem audiendum principes accurrunt: hoc enim oratoris boni ſignum eſt, vt ait Cicero. 4 Craſſus eleuat ſuperioris ſermonis ſibi tributam laudem, & ſeipſum penè leuitatis accuſat: in quo grauitas *In Bruto.* Craſſi retinetur: hinc illa ſunt Craſſi in heſterno ſermone & ſuperiore dialogo: Dicam equidem (ait) quoniam inſtitui, petamque à vobis, ne has meas ineptias efferatis. Item, Nam quid ineptius, quàm de dicendo dicere? præſertim quum ipſum dicere nunquam ſit non ineptum, niſi quum eſt neceſſarium. Item, Ego verò (inquit Craſſus) ſatis mirari nequeo, etiam te hæc, Scæuola, deſiderare, quæ neque ego teneo, vti ij, qui tenent, neque ſunt huius generis, vt ſi optimè tenerem, digna eſſent iſta ſapientia, & tuis auribus. 5 Cæſar duobus argumentis inuitat Craſſum, & quòd eius oratione plurimùm delectetur, & quòd heſterno die Craſſus à Sulpitio & Cotta ſimili in re ſit exoratus. 6 Craſſus occaſione proximi verbi (ineptus) ſibi oblata, diſputat ſe heſterno die fuiſſe ineptum. Syllogiſmus talis eſt:

> Qui in aliquo genere inconcinnus, aut multus eſt, is ineptus eſſe dicitur:
> Quod heſterno die & ſermone Craſſo contigit, vt ait:
> Itaque Craſſus heri fuit ineptus.

Ad propoſitionē ſyllogiſmi etymologia nominis adhibetur, & definitio, & exemplum Græcorum. 7 Ineptus definitur ex variis circunſtantiis, vt ſi quis non habita ratione temporis, importunum quid agat, aut loquatur: non enim idem ſermo, aut eadem actio omni tempore conuenit: aut plura loquatur, quàm par ſit, vt garrulus quiduis inaniter effutiens: aut ſeſe oſtentet, vt Terentianus ille Thraſo, atque etiam ipſe Cicero dicitur immodicus fuiſſe iactator rerum ſuarum: aut rationem perſonarum non habeat adoleſcentis, ſenis, priuati, magiſtratus, in quibus variè decorum ſeruandum eſt, vt Rhetores præcipiunt: aut deniq; in aliquo genere aut inconcinnus ſit, aut multus: in omnibus enim rebus videndum eſt quatenus: etſi enim ſuus cuique modus eſt, tamen magis offendit nimium, quàm parum, vt ait Cicero. Ex his igitur circunſtantiis intelligimus, quid *In Orat.* ſit ineptus. Lege Fab. Quintil. lib. 10. 8 Catulus inſtat Craſſo duobus argumentis: primum eſt à comparatione parium: Græci rerum publicarum moderatores tales ſermones aſpernati non ſunt: Neque igitur, ô Craſſe, aſpernari debes. 9 Secundum argumentum eſt à definitione inepti: & ſyllogiſmus ſimplex primi generis:

> Qui loci, temporis, & hominum rationem non habet, is eſt ineptus:
> At in hac fugienda diſputatione nec loci, nec temporis, nec hominum rationem haberes:
> In hac igitur fugienda diſputatione ineptus eſſes.

Aſſumptio declaratur ex adiunctis loci, temporis & perſonarum. 10 Craſſus

re dicendi ſentiam. Hic poſtea quàm arriſerunt, [2] *Res mihi videtur eſſe,inquit, facultate præclara,arte mediocris. Ars enim earum rerum eſt,quæ ſciuntur: Oratoris autem omnis actio opinionibus,non ſcientia continetur. Nam & apud eos dicimus qui neſciunt,& ea dicimus,quæ neſcimus ipſi.* [3] *Itaq; & illi aliâs aliud iiſdem de rebus & ſentiunt,& iudicant: & nos contrarias ſæpe cauſſas dicimus, non modò vt Craſſus contra me dicat aliquãdo,aut ego cõtra Craſſum, cùm alterutri neceſſe ſit falſum dicere: ſed etiam vt vterq; noſtrûm eadem de re aliâs aliud defendat,cùm plus vno verum eſſe non poſſit.* [4] *Ut igitur in eiuſmodi re quæ mendacio nixa ſit, quæ ad ſcientiam non ſæpe perueniat,quæ opiniones hominum,& ſæpe errores aucupetur, ita dicam, ſi cauſſam putatis eſſe cur audiatis.* [5] *Nos verò & valde quidem, Catulus inquit,putamus,atq; eò magis,quòd nulla mihi oſtentatione videris eſſe vſurus. exorſus es enim non glorioſè, magis vt tu putas,à veritate,quàm à neſcio qua dignitate.* [6] *Ut igitur de ipſo genere ſum confeſſus,inquit Antonius,artem eſſe non maximam: ſic illud affirmo,præcepta poſſe quædam dari peracuta ad pertractãdos animos hominum,& ad excipiendas eorum voluntates. Huius rei ſcientiam ſi quis volet magnam quandam artem eſſe dicere,non repugnabo. Etenim cùm pleriq; temerè ac nulla ratione cauſſas in foro dicant, nonnulli autem propter exercitationem aut propter conſuetudinem aliquã callidius id faciant, non eſt dubium quin ſi quis animaduerterit quid ſit,quare alij melius quàm alij dicant,id poſſit notare. Ergo id qui toto in genere fecerit,is ſi non planè artem,at quaſi artem quandam inuenerit.* [7] *Atq; vtinam vt mihi illa videre videor in foro atq; in cauſſis, ita nunc quemadmodũ ea reperirentur,*

poſſim vobis exponere. Sed de me videro: [8] nunc hoc propono, quod mihi perſuaſi, quamuis ars non ſit, tamen nihil eſſe perfecto oratore præclarius. Nam vt vſum docēdi omittam, qui in omni pacata & libera ciuitate dominatur, tanta oblectatio eſt in ipſa facultate dicendi, vt nihil hominum aut auribus, aut mentibus iucundius percipi poſſit. Qui enim cantus moderata orationis pronuntiatione dulcior inueniri poteſt? Quod carmen artificioſa verborum concluſione aptius? Qui actor in imitanda, quàm orator in ſuſcipienda veritate iucundior? [9] Quid autem ſubtilius, quàm acutæ crebræq; ſententiæ? Quid admirabilius, quàm res ſplendore illuſtrata verborum? quid plenius, quàm omni rerum genere cumulata oratio? [10] Neq; enim vlla non propria oratoris eſt res, quæ quidem ornatè dici grauiterq; debeat. [11] Huius eſt in dando conſilio de maximis rebus cum dignitate explicata ſententia: eiuſdem & languentis populi incitatio, & effrænati moderatio. Eadem facultate fraus hominum ad perniciem, & integritas ad ſalutem vocatur. Quis cohortari ad virtutem ardentius, quis à vitijs acrius reuocare, quis vituperare improbos aſperius, quis laudare bonos ornatius, quis cupiditatem vehementius frangere accuſando poteſt? quis mœrorem leuare mitius conſolando? [12] Hiſtoria verò, teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis, qua voce alia, niſi oratoris, immortalitati commēdatur? Nam ſi qua eſt ars alia, quæ verborum aut faciendorum, aut deligendorum ſcientiam profiteatur, aut ſi quiſquam dicitur, niſi orator, formare orationē, eámque variare & diſtinguere quaſi quibuſdam verborum ſententiarumq; inſignibus, aut ſi via vlla niſi ab hac vna arte traditur, aut argumentorum, aut ſententiarum, aut deniq;

deſcri-

deſcriptionis atque ordinis, fateamur aut hoc quod hæc ars profiteatur alienũ eſſe, aut cũ aliqua alia arte eſſe commune. [13] Sed ſi in hac vna eſt ea ratio atq; doctrina, nõ ſi qui aliarũ artiũ bene locuti ſunt, eo minus id eſt vnius proprium: ſed vt orator de ijs rebus quæ cæterarũ artium ſunt, ſi modo eas cognorit (vt heri Craſſus dicebat) optimè poteſt dicere: ſic cæterarum artium homines ornatius illa ſua dicunt, ſi quid ab hac arte didicerunt. [14] Neq; enim ſi de ruſticis rebus agricola quiſpiam, aut etiam, id quod multi, medicus de morbis, aut de pingendo pictor aliquis diſertè dixerit, aut ſcripſerit, idcircò illius artis putanda ſit eloquentia: in qua vis magna eſt in hominum ingenijs, eo multi etiam ſine doctrina aliquid omnium generũ atq; artium conſequuntur: ſed quod cuiuſq; ſit proprium, etſi ex eo iudicari poteſt, cùm videris quid quæq; doceant, [15] tamen hoc certius nihil eſſe poteſt, quàm quòd omnes artes aliæ ſine eloquentia ſuum munus præſtare poſſunt: orator ſine ea nomen ſuum obtinere non poteſt: vt cæteri, ſi diſerti ſint, aliquid ab hoc habeant: hic niſi domeſticis ſe inſtruxerit copijs, aliunde dicendi copiam petere non poſſit. [16] Tum Catulus, Etſi, inquit, Antoni, minimè impediendus eſt interpellatione iſte curſus orationis tuæ, patiere tamen, mihiq; ignoſces. Non enim poſſum quin exclamem, [17] vt ait ille in Trinummo: ita mihi vim oratoris cùm exprimere ſubtiliter viſus es, tum laudare copioſiſſimè. quod quidem eloquentem vel optimè facere oportet, vt eloquentiam laudet. debet enim ad eam laudandam, ipſam illam adhibere, quam laudat. Sed perge porrò: tibi enim aſſentior, veſtrum eſſe hoc totum diſertè dicere: idq; ſi quis in alia arte faciat, eum aſſumpto aliunde vti bono, non proprio, nec ſuo. Et Craſſus, Nox te, inquit, nobis Antoni

expoliuit, hominémque reddidit. nam heſterno ſermone v-nius cuiuſdam operis, vt ait Cæcilius, remigem aliquem aut baiulum nobis oratorem deſcripſeras, inopem quendam humanitatis, atque inurbanum. Tum Antonius, Heri enim, inquit, hoc mihi propoſueram, vt ſi te refelliſſem, hos à te diſcipulos abducerem: nunc Catulo audiente, & Cæſare videor debere non tam pugnare tecum, quàm quid ipſe ſentiam, dicere.

1 Tertium exordiũ eſt Marci Antonij incipientis εἰρωνικῶς ſeipſum ad Græci cuiuſdam Rhetoris morem & conſuetudinem audacter oſtentare: vnde poſtea cognita eius εἰρώνεια, riſus conſequitur. 2 Sulpitius & Cotta heſterno ſermone Antonium rogarant, vt diceret de arte, quid ſentiret: & Craſſus in peroratione eius dialogi ſimiliter eum eadem de re commonefecerat: Tu autem (ait) quoniam exiguis quibuſdam finibus totum oratoris munus circumdediſti, hoc facilius nobis ea expones, quæ abs te de officiis præceptiſque oratoris quæſita ſunt ſed opinor, ſecundum hunc diem: ſatis enim multa à nobis hodie dicta ſunt. Antonius igitur de arte diſputare incipit, ac primùm quæſtionem in Græcorum ſcholis decantatam ponit, ſitne illa ars Rhetorica? hæc enim ſæpe apud Græcos agitabatur, cuius contentio in controuerſia nominis tota poſita eſt, quòd artis nomen duobus modis intelligatur, aliàs de arte perfecta, in qua res certiſſimæ & veriſſimæ traduntur: aliàs de arte vulgari & mediocri, in qua res opinabiles longo vſu obſeruatæ probabilibus præceptis explicantur: ſyllogiſmus Antonij concludit rhetoricam non eſſe de genere artium prioris generis:

Ars eſt earum rerum, quæ ſciuntur:
Rhetorica non eſt earum rerum, quæ ſciuntur: quia & auditor quid dicatur, & orator quid dicat, neſcit:
Rhetorica igitur non eſt ars.

Propoſitio ſyllogiſmi definitionem habet abſolutæ & veræ artis propriam, non cuiuſlibet artis communem, vt primo libro declaratum eſt: aſſumptio autem captioſo argumento probatur: id enim poteſt vel in geometria accidere, vt qui geometria vtitur, in eundem errorem labatur: aliudq́ue omnino eſt ſcire leges artis, aliud eas in re aliqua exercere & tractare: poteſt artis vniuerſalis ſcientia eſſe certiſſima, & vſus tamen aliquando eſſe nõ certus: poteſt aliquis certiſſimam ſcientiam tenere vſum tamen non perinde certum tenere. Nec verò prætereundum illud eſt, ſi rhetorica veris & legitimis præceptis, vt definitionibus & diuiſionibus conſtaret, hanc fore certam artem, & ex earum artium genere, quæ ſcientiam pariunt: nec tam Marcum Antonium probare incerta eſſe præcepta rhetoricæ artis, quàm eas res plerunque eſſe incertas, quæ ab oratore dicuntur: quod argumentum captioſum eſt, & alienum à probatione aſſumptionis. 3 Quum tanta ſit contradictionis vis, vt ne deo quidem conceſſum ſit, vtramque partem ſimul veram efficere, oratores verò & actores cauſſarum ciuilium ſic inter ſe de ſumma totius cauſſæ certent, vt quod vnus ait, alter protinus neget idem ipſum, vt ſi quid ab altero dicatur eſſe, factum, vel improbè factum, vel ita appellandum, ab altero protinus negetur vel factum, vel improbè factum, vel ita appellandùm,

dùm,

dum, fieri non poteſt, quin de duobus cauſſidicis tanta contradictione inter ſe diſſidentibus alter mentiatur, & falſum dicat, præſertim quum in contradictione plus vno verum eſſe nunquã poſſit. 4 Concluſio eſt proximi ſyllogiſmi, rhetoricam non eſſe talem artem, qualis ars definita eſt, & tranſitus ad ſecundam ſignificationem artis, quæ conſtat ex probabilibus obſeruationibus rectè diſpoſitis, & in aliquam artis ſpeciem formamque deſcriptis, qua quidem conſideratione fatetur Antonius aliquam artem eloquentiæ reperiri poſſe. 5 Hæc interlocutio Catuli non incommodè adhibetur, ad excitandum vehementius Antonium. 6 Antonius adhibita diſtinctione, rhetoricam ſegregat ab artibus maximis & abſolutis, & includit in genere artium mediocrium, & quamobrem poſſit aliqua ars eſſe eloquentiæ, declarat Ariſtotelis argumento ſumpto ex primo libro ad Theodecten: quòd oratorum alij temerè, alij via quadam & ratione dicant in foro & cauſſis ciuilibus: verba Ariſtotelis ipſius ſunt, Πάντες γὰρ μέχρι τινὸς καὶ ἐξετάζειν, καὶ ὑπέχειν λόγον, καὶ ἀπολογεῖσθαι, καὶ κατηγορεῖν ἐγχειροῦσι: τῶν μὲν οὖν πολλῶν οἱ μὲν εἰκῆ ταῦτα δρῶσιν, οἱ δὲ καὶ διὰ τὴν συνήθειαν, ἀπὸ ἕξεως. ἐπεὶ δ' ἀμφότερα ἐνδέχεται, δῆλον ὅτι εἴη ἂν ταῦτα καὶ ὁδοποιεῖν: δι' ὃ γὰρ ἐπιτυγχάνουσιν οἵ τε διὰ συνήθειαν καὶ οἱ ἀπὸ ταὐτομάτου τὴν αἰτίαν θεωρεῖν ἐνδέχεται: τὸ δὲ τοιοῦτον πάντες ἂν ὁμολογήσαιεν τέχνης ἔργον εἶναι). Id eſt, omnes enim quadamtenus & interrogare, & rationẽ reddere, & defendere, & accuſare conantur: ac de multis alij quidem hæc temerè faciunt, alij verò conſuetudine ex habitu: quum autem vtrumque accidat, perſpicuum eſt & hæc ad certam viam rationemque reuocari poſſe: etenim cauſſam perſpicere licet, propter quam conſequuntur, quod volunt, & qui conſuetudine, & qui caſu aliquo, & temerè dicunt: id autẽ ipſum artis opus eſſe omnes confiteant. 7 Hæc dicuntur ab Antonio ad laudem huius diſputationis, in qua Cicero plus ex vſu videri vult attuliſſe, quàm ex Græcis magiſtris accepiſſe. 8 Antonius excurrit in encomium eloquentiæ, ſicut primo loco Craſſus fecit, & videtur idipſum nunc fieri propter nouos auditores, Catulum & Cæſarem, tum quòd in more poſitum ſit, vt homines eam artem laudibus maximis efferant, quam profiteri volunt: primum caput laudis eſt de voluptate, quæ eſt in partibus eloquentiæ pronuntiatione, elocutione, inuentione, & copia rerum plurimarum, de quibus laudibus hæ rhetoricæ & oratoris propriæ ſunt, quę ex elocutione & pronuntiatione ſumuntur, reliquæ ſunt alienæ, & ad facultates aliarum artium pertinent: atque hic error alienæ laudis manauit ex vitioſa definitione oratoris, quem quum Cicero paſſim alienis artibus tanquam ſuis ornet, conſentaneum etiam fuit, vt in prædicanda virtute oratoris, multa quoque quæ oratoria non eſſent, attribueret. 9 Acumen in ſententiis non eſt laus eloquentiæ, ſed dialecticæ potius, & aliarum artium: neque ſequitur, ſi eadem oratio acuta ſit, & ornata, vt vna & eadem facultate acumen & ornatus contineatur: eſt enim oratio opus multarum artium & virtutum, quæ ſi emendata eſt, idipſum grammaticæ, ſi diſerta, dialecticæ, ſi bonis & grauibus ſententiis referta, ei diſciplinæ, vnde huiuſmodi ſententiæ depromuntur, ſi tropis & figuris ornata, eloquentiæ acceptum ferre debet. 10 Res omnis non ſecus rhetoricæ attribuitur, ac grammaticæ, vel dialecticæ, quæ tres artes ſunt omnium rerum atque artium explicandarum communes: vt communibus dialecticæ legibus res omnes acutè inueniantur, & prudenter legitimeque diſponantur: communibus legibus rhetoricæ eadem magnificentius & ornatius dicantur: nõ eſt autem res omnis ſic eloquentiæ propria, vt in rhetoricis præceptis poſſit, aut debeat vlla rerum doctrina tradi: quod cùm Græci rhetores, atque exinde Latini non animaduertiſſent, falſam eloquentiæ ſpeciem ſibi finxerunt, & rhetoricam commentationem ex variarum artium confuſione vitioſiſſimam atque inertiſſimam compoſuerunt: rhetoricam

artem à cæteris artibus diſtinguere non pôtuerunt: quæ perturbatio plurimùm & cognoſcendis & exercendis artibus obfuit. 11 Secundum caput laudis eſt de generibus cauſſarum ciuilium, in quibus excellit oratoris dignitas & induſtria: neque tamen cauſſæ ciuiles vnica eloquentiæ virtute, ſed multarum artium facultatibus tractantur & explicantur, neque orator ille Ciceronis eloquentiam tantùm nouit, ſed multarum præterea rerum vſum & ſcientiam habet. 12 Tertium caput laudis petitur ex hiſtoria, quæ facultate oratoris exornatur: idque declaratur ex tribus eloquentiæ partibus, elocutione, inuentione, & diſpoſitione: verùm duæ poſtremæ partes ad dialecticam pertinent: itaque propoſitio connexa ſyllogiſmi vera quidem eſt, ſed aſſumptio falſa, quia artes inuentionis & diſpoſitionis ab eloquentiæ artibus alienæ ſunt: & quemadmodum ratione, ſic præceptis diſtingui debent, quod Cicero quodammodo vidit & agnouit, & tamen neſcio quo modo ad Græcorum hominum, qui hanc artium confuſionem nobis inuoluerunt, authoritatem adhæreſcere, quàm iudicio & arbitrio rhetoricam artem propriis finibus & præceptis concludere & explicare maluit. 13 Hoc de ornatu ſolo in tropis & figuris verè ab Antonio dicitur: nam quòd aliarũ artium homines ornatè dicunt, hoc ipſum rhetoricæ, non ſuarum artium facultate faciunt, ſicuti quòd pura oratione loquuntur, grammaticæ; quòd diſſerunt, dialecticæ: quòd numerant, Arithmeticæ: quòd metiuntur, Geometriæ: & quamuis vſus artium ferè coniunctus ſit, virtus tamen earum, vnde manat vſus, præceptis & ratione diſtinguenda eſt. 14 Eloquentia diſtinguitur ab aliis artibus diſſimilitudine parum explicata: Artes ſine eloquentia munus ſuum præſtare poſſunt: orator ſine eloquentia nomen ſuum obtinere non poteſt: id eſt, ſine omnium artium ἐγκυκλοπαιδείᾳ: nam Cicero eloquentiæ nomine artes omnes & diſciplinas comprehẽdit. 15 Altera diſſimilitudo proximam interpretat, & πρότασιν veram quidem habet: ornatè ſiquidem dicere proprium eſt oratoris, ſed ἀνταπόδοσιν falſam: ſi enim præter rhetoricam facultatem elocutionis & actionis nihil habeas, nihil admodum dicere poteris: neque tamen fatendum eſt, cæteras res eſſe domeſticas, & proprias oratoris copias, ſicut Cicero arbitratur, ſed multas potius artium diuerſarum facultates cumulatas in vno homine: nec verò magis dicendum eſt, res cæterarum artium domeſticas & proprias eſſe oratoris, quàm res oratorias reliquarum artium, quæ ornatè dicũtur, domeſticam & propriam ſupellectilem eſſe: ſed nobis diligenter conſiderandum eſt, quid quæque artes ſuo iure ſibi vendicent; & vnicuiq; ſuum munus attribuendum, ne artium rationes & proprietates temerè & inconſideratè confundamus. 16 Dialogiſmus Antonij duabus interlocutionibus interrumpitur, vna Catuli ad augendam admirationem primę laudis, vbi Cicero ſignificat eloquentiam ab eloquenti viro fuiſſe laudatam: altera Craſſi detegentis εἰρώνειαν Antonij, qui ſuperiore dialogo oratorem, artium doctrina & eruditione & ſcientia ſpoliauerat, eiq; tantùm reliquerat mediocrem prudentiam & exercitationem in agendis cauſſis ciuilibus: quam heſternam Antonij diſputationem Cicero ſignificare vult Academicam fuiſſe: in hoc autem dialogo Antonij doctrinã & ſententiam eſſe ſeriam.

17 Staſimus ſeruus apud Plautum in Trinummo interpellat Lyſitelem adoleſcentem, petentem à Lesbonico ſororem eius ſibi dari in matrimonium ſine dote. Verba Staſimi ſunt,

Non enim poſſum quin exclamem,
Euge, euge Lyſiteles, palmam habes.

18 Statius Cecilius fuit comicus poëta doctiſſimus, quem Volcatius nõ tantùm Terentio & Plauto, ſed etiam cæteris aliis comicis anteponit, ex cuius comœdia Cicero verba quædam citat, quæ vim habent ſimilitudinis: ſunt enim metaphoræ, quæ latenter comparant oratorem forenſem & indoctum viliſſimis operariis, vni tantùm operæ addictis, quales ſunt remiges & baiuli.

1 *Sequi-*

[1] *Sequitur igitur, quoniam nobis eſt hic de quo loquimur, in foro atque in oculis ciuium conſtituendus, vt videamus quid ei negotij demus, cuiq; eum muneri velimus eſſe præpoſitum. Nam Craſſus heri, cùm vos Catule & Cæſar non adeſſetis, poſuit breuiter in artis diſtributione idem quod Græci pleriq; poſuerunt: neq; ſanè quid ipſe ſentiret, ſed quid ab illis diceretur, oſtendit: duo prima genera quæſtionum eſſe in quibus eloquentia verſaretur: vnum infinitum, alterum certum. Infinitum mihi videtur id dicere, in quo aliquid generatim quæreretur, hoc modo, expetendáne eſſet eloquentia, expetendíne honores. Certum autē, in quo quid in perſonis, & in conſtituta re & definita quæreretur, cuiuſmodi ſunt quæ in foro atq; in ciuium cauſſis diſceptationibusq; verſantur. Ea mihi videtur aut in lite ordinanda, aut in cōſilio dando eſſe poſita.* [2] *nam illud tertium, quod & à Craſſo tactum eſt, &, vt audio, ille ipſe Ariſtoteles, qui hæc maximè illuſtrauit, adiunxit, etiam ſi opus eſt, tamen minus eſt neceſſarium. Quidnam? inquit Catulus. an laudationes? id enim video poni genus tertium. Ita inquit Antonius: & in eo quidem genere ſcio & me, & omnes qui affuerunt, delectatos eſſe vehementer, cùm abs te eſt Popilia mater veſtra laudata: cui primùm mulieri hunc honorem in noſtra ciuitate tributum puto. Sed non omnia quæcunq; loquimur, mihi videntur ad artem & ad præcepta eſſe reuocanda.* [3] *Ex ijs enim fontibus, vnde omnia ornatè dicendi præcepta ſumuntur, licebit enim laudationem ornare, neq; illa elementa deſiderare, quæ vt nemo tradat, quis eſt qui neſciat quæ ſint in homine laudanda?* [4] *Poſitis enim ijs rebus, quas Craſſus in illius orationis ſuæ quam contra collegam Cenſor habuit, principio dixit, quæ natura*

aut fortuna darentur hominibus,in ijs rebus ſe vinci,poſſe animo æquo pati: quæ ipſi ſibi homines parare poſſent,in ijs rebus ſe pati non poſſe vinci: qui laudabit quempiam,intelliget exponenda ſibi eſſe fortunæ bona. [5] *Ea ſunt generis, pecuniæ,propinquorum,amicorum,opum,valetudinis,formæ,virium,ingenij, cæterarumq́ rerum quæ ſunt aut corporis,aut extraneæ: ſi habuerit,bene his vſum: ſi non habuerit,ſapienter caruiſſe: ſi amiſerit,moderatè tuliſſe. Deinde quid ſapienter is quem laudet,quid liberaliter, quid fortiter, quid iuſtè, quid magnificè, quid piè, quid gratè, quid humaniter,quid deniq; cum aliqua virtute aut fecerit,aut tulerit: hæc,& quæ ſint eius generis,facilè videbit qui volet laudare quempiam: & qui vituperare, contraria.* [6] *Cur igitur dubitas, inquit Catulus, facere hoc tertium genus, quoniam ineſt in ratione rerum? Non enim ſi eſt facilius,eò de numero quoq; eſt excerpẽdum. Quia nolo,inquit,omnia quæ cadunt aliquando in oratorem,quamuis exigua ſint, ea ſic tractare, quaſi nihil poßit dici ſine præceptis ſuis. Nã & teſtimonium ſæpe dicendum eſt,ac nonnunquam etiam accuratius, vt mihi neceſſe fuit in Sext.Titium ſeditioſum ciuem & turbulentum. Explicaui in eo teſtimonio dicendo omnia conſilia conſulatus mei, quibus illi Tribuno pleb. pro Republ.reſtitiſſem: quæq́ ab eo contra Rempubl.facta arbitrarer,expoſui.diu retẽtus ſum,multa audiui,multa reſpondi. Num igitur placet,cùm de eloquentia præcipias,aliquid etiam de teſtimonijs dicendis quaſi in arte tradere? Nihil ſanè,inquit Catulus,neceſſe eſt.* [7] *Quid ſi (quod ſæpe ſummis viris accidit) mandata ſint exponenda,aut in ſenatu ab imperatore,aut ad imperatorẽ,aut ad regem, aut ad populum aliquem à ſenatu? num quia genere orationis in huiuſmodi*

cauſsis

cauſſis accuratiore eſt vtendum, idcirco pars etiam hæc cauſſarum numeranda videtur, aut proprijs præceptis inſtruenda? Minimè verò, inquit Catulus. Non enim deerit homini diſerto in eiuſmodi rebus facultas ex cæteris rebus & cauſſis comparata. [8] Ergo item, inquit, illa quæ ſæpe diſertè agenda ſunt, & quæ paulo antè cùm eloquẽtiam laudarem, dixi oratoris eſſe, neq; habent ſuum locum vllum in diuiſione partium, neq; certum præceptorum genus, & agenda ſunt non minus diſertè, quàm quæ in lite dicuntur, obiurgatio, cohortatio, conſolatio: quorum nihil eſt quod non ſumma dicendi ornamenta deſideret: ſed ex artificio res iſtæ præcepta non quærunt. Planè, inquit Catulus, aſſentior. [9] Age verò, inquit Antonius, qualis oratoris, & quanti hominis in dicendo, putas eſſe hiſtoriam ſcribere? Si vt Græci ſcripſerunt, ſummi, inquit Catulus: ſi vt noſtri, nihil opus eſt oratore: ſatis eſt non eſſe mendacem. [10] Atqui ne noſtros contemnas, inquit Antonius, Græci ipſi ſic initio ſcriptitarunt, vt noſter Cato, vt Pictor, vt Piſo. Erat enim hiſtoria nihil aliud niſi annalium confectio: cuius rei, memoriæq; publicæ retinendæ cauſſa, ab initio rerum Romanarum vſq; ad P. Mutium Pontificem Max. res omnes ſingulorum annorum [11] mandabat literis Pontifex Max. [12] efferebatq; in album, & proponebat tabulam domi, poteſtas vt eſſet populo cognoſcendi, ij qui etiã nunc Annales maximi nominãtur. Hanc ſimilitudinem ſcribendi multi ſecuti ſunt, qui ſine vllis ornamentis monimẽta ſolùm temporum, hominum, locorum, geſtarumq; rerum reliquerunt. Itaque qualis apud Græcos Pherecydes, Hellanicus, Acuſilas fuit, alijq; permulti, talis noſter Cato, & Pictor, & Piſo: qui neque tenent quibus rebus ornetur oratio (modo enim huc iſta ſunt importata) &

dum intelligatur quid dicant, vnam dicendi laudem, putant eſſe breuitatem. [13] Paululum ſe erexit, & addidit hiſtoriæ maiorem ſonum vocis, vir optimus Craſsi familiaris Antipater: cæteri non exornatores rerum, ſed tantummodo narratores fuerũt. Eſt, inquit Catulus, vt dicis: [14] ſed iſte ipſe Cœlius neq; diſtinxit hiſtoriam varietate locorum, neq; verborum collocatione, & tractu orationis leni & æquabili perpoliuit illud opus: ſed vt homo neq; doctus, neq; maximè aptus ad dicendum, ſicut potuit dolauit: vicit tamen, vt dicis, ſuperiores. [15] Minimè mirum, inquit Antonius, ſi iſta res adhuc noſtra lingua illuſtrata non eſt. Nemo enim ſtudet eloquentiæ noſtrorum hominum, niſi vt in cauſsis atq; in foro eluceat: apud Græcos autem eloquentiſsimi homines remoti à cauſsis forenſibus, cùm ad cæteras res illuſtreis, tum ad ſcribendam hiſtoriã maximè ſe applicauerũt. [16] Namque & Herodotum illum, qui princeps genus hoc ornauit, in cauſsis nihilomnino verſatum eſſe accepimus: atqui tanta eſt eloquentia, vt me quidẽ (quantũ ego Græcè ſcripta intelligere poſsum) magnopere delectet. [17] & poſt illum Thucydides omnes dicendi artificio mea ſententia facilè vicit: qui ita creber eſt rerum frequentia, vt verborum propè numerum, ſententiarum numero conſequatur: ita porrò verbis aptus & preſſus, vt neſcias vtrum res oratione, an verba ſententijs illuſtrentur. [18] Atqui ne hunc quidem, quanquam eſt in Repub. verſatus, ex numero accepimus eorum qui cauſſas dictitarunt: & hos libros tum ſcripſiſſe dicitur, cùm à Republica remotus, atq; (id quod optimo cuiq; Athenis accidere ſolitum eſt) in exilium pulſus eſſet. [19] Hunc conſecutus eſt Syracuſius Philiſtus, qui cùm Dionyſii tyranni familiariſsimus eſſet, otium ſuum conſumpſit in hiſtoria ſcribenda,

maxi-

maximeq́ Thucydidem eſt (ſicut mihi videtur) imitatus. Poſtea verò [20] *quaſi ex clariſſima Rhetoris officina duo præſtantes ingenio* [21] *Theopompus & Ephorus ab Iſocrate magiſtro impulſi ſe ad hiſtoriam contulerunt: cauſſas omnino nunquam attigerũt.* [22] *Deniq; etiam à philoſophia profectus princeps Xenophon Socraticus ille,* [23] *poſt ab Ariſtotele Calliſthenes comes Alexandri ſcripſit hiſtoriam: & hic quidem Rhetorico penè more, ille autem ſuperior leniore quodam ſono eſt vſus, & qui illum impetum orationis non habeat: vehemens fortaſſe minus, ſed aliquanto tamen eſt, vt mihi quidem videtur, dulcior.* [24] *Minimus natu horum omnium Timæus: quantum autem iudicare poſſum, longè eruditiſſimus, & rerum copia, & ſententiarum varietate abundantiſſimus, & ipſa compoſitione verborum non impolitus, magnam eloquentiam ad ſcribendum attulit, ſed nullum vſum forenſem.*

1 Abſoluto procemio eloquentiæ ſequitur prima diſputatio de materia oratoris, quam Antonius conſtituit in generibus ciuilium cauſſarum, & quidem inconſtanter: nam ſi omnis ornatus orationis eſt oratoris proprius, & omnis res ornatè dici poteſt, quid minus conſequens, aut conſentaneum eſt rationi, quàm oratorem, id eſt, ornatæ dictionis authorem in materia tantùm ciuilium cauſſarum verſari, & non potius in omni genere rerum & ciuilium, & à ciuilibus cauſſis remotarum? præſertim quum omnis exornator orationis proprio & debito nomine orator appelletur, nec quicquam interſit an poeta, an philoſophus, an hiſtoricus, an mathematicus, an alius artis aut conditionis homo ſit, qui ornatè ſcribat, aut loquatur. Itaque nòn debuit Antonius repetere ex ſuperiore libro partitionem quæſtionum in duo genera, vt ab oratore theſim ſepararet, eique duntaxat ciuilem quandam hypotheſim relinqueret: nam & ipſe poſtea diſputabit theſim ad oratorem etiam forenſem & politicum pertinere, & Craſſus lib. 3. de vtroque genere quæſtionis præcipiet: nec verò tantùm argumentorum, ſed etiam troporum & figurarum loci, id eſt, præcepta elocutionis & actionis omnibus omnino quæſtionibus explicandis conueniunt: ſed hoc doctrinæ vitium Græcis authoribus imputandum eſt, qui & rhetorum diſciplinam cum dialectica confundunt, & ad ſolas diſceptationes ciuilium cauſſarum referunt: hæc enim duo ſunt capita rhetoricæ κακοτεχνίας. 2 Antonius reiicit non ab oratoris quidem tractatione, ſed à rhetoricæ artis inſtitutione demonſtratiuum genus, quaſi ex aliorum generum præceptis facilè deducatur, & intelligatur: neque aſſentitur Ariſtoteli, qui primo libro ad Theodecten ciuiles controuerſias in tria genera diuidit, συμβουλευτικόν, δικανικόν, ἐπιδεικτικόν, & vnumquodque genus propriis & ſeparatis præceptis inſtruit. 3 Hæc ratio veriſſima eſt, nec ſolùm laudationes, ſed

neſites quidem aut deliberationes iſtis forenſibus & litigioſis artibus indigent,
ſed communibus dialecticæ & rhetoricæ præceptis tractari poſſunt. Itaque vt de
genere demonſtratiuo, ſic de iudiciali & deliberatiuo ſigillatim & minutatim
præcipere nec vtile nec neceſſe fuit: ſed quemadmodum cæteræ quæſtiones, ſic
hæ controuerſiæ & cauſſæ ciuiles communibus artium communium dialecticæ,
rhetoricæ, grammaticæ præceptis inſtrui & explicari debuerant. quod ſi Ariſtote-
les, Theophraſtus, & reliqui doctores eloquentiæ dialectico iudicio perpendiſ-
ſent, nunquam profectò operam ſuam tantam in deſcribendis rerum forenſium
præceptis perdidiſſent. 4 Perſtringit breuiter per apophaſim locos & elemen-
ta demonſtratiui generis, vt laudes perſonarum ſumantur ex tribus bonorum
generibus, fortunæ, corporis & animi, itemq; vituperationes ex contrariis malis:
vbi repetit exemplum, quod inſtar præcepti cuiuſdã potuit eſſe, ex oratione Craſ-
In Bruto. ſi in Cneum Domitium collegam ſuum in cenſura: de qua Cicero, Illa (inquit)
cenſoria contra Cn. Domitium collegam non eſt oratio, ſed quaſi capita rerum,
& orationis commentarium paulò plenius: nulla eſt enim altercatio clamoribus
vnquam habita maioribus: & verò fuit in hoc & popularis dictio & excellens.

5 Laudantur homines à bonis fortunæ, corporis, & animi: laudatur enim ge-
nus, vt clarorum virorum, & illuſtrium principum, & pecunia ad liberalitatẽ col-
lata, vt Pompeij & Scauri: & propinquitates, amicitiæ, opes, vt Scipionum, Metel-
lorum, & Marcellorum: & bona valetudo, vt Pollionis, qui ad ſummam vſque ſe-
nectutem ſanus vixit, & incolumis: & robur, vt Achilles: & ingenium, vt Vlyſſis.
Atque hæc omnia eatenus laudantur, quoad ſunt cum virtute iuncta, vt ſi quis
honeſtè vtatur, vt fecerunt Scipiones, Maximi: aut ſi ſapienter careat, vt Dioge-
nes Cynicus: aut ſi amiſerit, & moderatè ferat, vt Bias philoſophus: nam bona for-
tunæ & corporis cum vitiis copulata non laudi, ſed opprobrio dantur: vt ſi quis
maiorum virtutibus non reſpondeat, ſi pecunia, ſi propinquitatibus, ſi opibus, ſi
valetudine, ſi viribus ad ſcelus, ad turpitudinem, ad perniciem ſuam, vel alterius
abutatur. In animo virtutes laudantur, ſapientia, vt Lycurgi & Solonis in con-
dendis legibus: liberalitas, vt populi Romani, qui Aſiam bello victam Attalo re-
gi dedit dono: fortitudo, vt Marci Catonis: magnificentia, vt Marci Scauri in Ae-
dilitio munere: pietas, vt Metelli in patrem: grata voluntas, vt Attali, qui popu-
lum Romanum hæredem inſtituit: humanitatis, vt M. Marcelli, qui victis Syra-
cuſanis nihil ademit: atque vt hæc bonorum genera laudantur, ſic mala vitupe-
rantur contraria: quæ & ſimilia præcepta, ſi à rhetoricis artibus remoueris, nul-
lam iniuriam feceris oratori, quia non eſt rhetoricæ facultatis proprium, aut de-
bitum munus præcipere quæ laudanda, aut vituperanda ſunt, ſed eius philoſo-
phiæ, quæ de vita eſt, & moribus. 6 Prolepſis eſt contra proximam rationem
de genere demonſtratiuo, quam ſoluit Antonius eodem modo, quo antea, exi-
ſtimans non omnia quæ ornatè dici poſſunt, propriis & ſingularibus præceptis
includi oportere, idque probat inductione variarum rerum, quæ aliquando ca-
dunt in oratorem, nec tamen locum in rhetoricis præceptis vllum habent: pri-
mus tamẽ locus inductionis de genere teſtimoniorum fallax eſt, præſertim cùm
Ariſtoteles primo libro ad Theodecten, & Cicero ipſe in Partitionibus pro teſti-
bus, & contra teſtes multa præcepta deſcripſerint. 7 Secundus locus indu-
ctionis eſt de exponenda legatione, de qua nihil à rhetoribus præcipitur, quia
mandatorũ expoſitio vt ornatè tractetur, communibus rhetoricæ præceptis con-
tenta eſt. 8 Tertius locus ſequitur de obiurgatione, cohortatione, & conſola-
tione, quas ſpecies Fabius lib. 3. putat in ſuperiora tria genera recidere, nec inue-
niri ex his vllam, in qua non laudare aut vituperare, ſuadere aut diſſuadere, inten-
dere quid, aut depellere debeamus: quare præcepta quæ de generibus poſita
ſunt, ad ſubiectas ſpecies accommodari facilè poterunt. 9 Quartus locus pro-
ſequitur hiſtoriam, quæ quidem ſcribitur ornatè, neque tamen propriis vllis in
arte rhetoricæ præceptis inſtruitur, ſed ratio poliendæ & exornandæ hiſtoriæ ex
commu-

communibus hiſtoriæ decretis & inſtitutis ſumitur. 10 Antonius ad excuſan-
dam paucitatem Latinorum, qui ornatè ſcripſerunt hiſtoriam, digreditur in hi-
ſtoricos Latinos & Græcos, reipſa paulò altius repetita: argumentum primum
eſt ſimilitudinis: Quemadmodum veteres Latini, ſic Græci hiſtorias incultè &
inornatè componebant: πρότασις declaratur exemplo Catonis, qui origines re-
rum Italicarum, & Q. Fabij Pictoris, qui breues annales ſui temporis, & C. Piſo-
nis Cenſorij, qui commentarios de rebus Romanis edidit: ἀπόδοσις exemplo
Pherecide, qui de Lero patria ſua, de Iphigenia, de Dionyſij celebritatibus ſcri-
pſit, vt ait Suidas, Hellicani Mitylenæi, qui fuit idem poeta & hiſtoricus, non in-
doctus quidem, ſed in ſcribendo rudis: & Acuſilai Argiui, qui genealogias ſcri-
pſit in tabulis æneis, quas fama eſt patrem eius, cùm aream domus foderet, inue-
niſſe. 11 Pontifex Max. Rom. olim res geſtas literis mandabat: ſic apud Perſas
Magis: apud Iudæos Sacerdotibus ſummæ authoritatis: apud Aegyptios item
Vatibus eadem cura & prouincia demandata fuit, quò ſanctior eſſet hiſtoriæ veri
tas & fides. 12 Album vocat Antonius id quod Græci λεύκωμα, id eſt tabulam
albo colore inductam, in qua ſcribebatur aliquid, vt à Prætore edicta vel nomina
iudicum: à Pontifice Max. Annales rerum publicè geſtarum, vel ſacrorum, vel ce-
remoniarum ritus. Efferre igitur in album, eſt referre in tabulam, eamq; propo-
nere, vt ſit legendi & cognoſcendi poteſtas. 13 Pergit ex ordine ad Cælium
Antipatrum, quem cum ſuperioribus diſſimiliter comparat, quòd illi tantùm nu-
dè & ſimpliciter res geſtas narrarint, hic paulò ornatius ſcripſerit. Cic. lib. 1. de Le-
gibus, Poſt Annales (inquit) Pontificum Max. quibus nihil poteſt eſſe iucũdius,
ſi aut ad Fabium, aut eum (qui tibi ſemper in ore eſt) Catonem, aut ad Piſonem,
aut ad Fannium, aut ad Venonium venias, quanquam ex his alius alio plus ha-
buit virium, tamen quid tam exile, quàm iſti omnes? Fannij autem ætate coniun-
ctus Antipater, paulò inflauit vehementius, habuitq; vires agreſtes ille quidem,
atque horridas ſine nitore, & palæſtra, ſed tamen admonere reliquos potuit, vt
accuratius ſcriberent. 14 Antipater nec aptè diſpoſuit in hiſtoria varias rerum
deſcriptiones, quæ retinere ſolent animum lectoris, neque molli verborum ſtru-
ctura & tractu orationis læui & tractabili perpoliuit opus ſuum de bello Punico,
quod ad C. Lælium ſcripſit: allegoria eſt à polionibus, qui trahendo ſcalpro ma-
teriam ſibi propoſitam æquant & perpoliunt. Cicero in Oratore perfecto, Huic
generi, inquit, hiſtoria finitima eſt, in qua & narratur ornatè, & regio ſæpe aut
pugna deſcribitur, interponuntur etiam conciones & hortationes, ſed in his tra-
cta quædam & fluens expetitur, non hæc contorta & acris oratio. 15 Anto-
nius excuſat inornatam ſcriptionem Latinæ hiſtoriæ diſſimili comparatione Ro-
manorum & Græcorum. Romani forenſem eloquentiam ſecuti ſunt, Græci ve-
rò plerique otio delectati ad ornandam hiſtoriam ſe totos applicauerunt: ἀνταπ-
όδοσις illuſtratur decem Græcorum hominum exemplis, Herodoti, Thucydidis,
Philiſti, Theopompi, Ephori, Xenophontis, Calliſthenis, & Timæi, qui in hoc ſcri-
bendi genere diſerti & ornati fuerunt. 16 Herodotus Halicarnaſſeus ſcripſit
hiſtoriam nouem libris, quos nouem Muſarum nominibus inſcripſit, exorſus à
Cyro rege Perſarum, & Candaule Lydorum: & quamuis fabulas innumerabiles
memoriæ prodiderit, nihilominus tamen à Cic. lib. 1. de Legib. hiſtoriæ pater no-
minatur, quia primus Græcorum hiſtoriam verbis & figuris exornauit, ſine vllis
ſalebris, quaſi ſedatus amnis fluens, vt ait Cicero: dulcis, effuſus, candidus, ſermo- *In Orat.*
nibus & voluptate præſtans, vt ait Fabius. 17 Thucydides Athenienſis compo- *Lib.* 10.
ſuit hiſtoriam Peloponneſiaci belli, quod Athenienſes aduerſus Lacedæmonios
geſſerunt: ita ſententioſus, vt quot apud eum verba ſunt, totidem penè ſententiæ
eſſe videantur, denſus item & breuis, & ſemper inſtans (vt ait Fabius) & quaſi *Lib.* 10.
bellum canens, vt ait Cicero: dicitur etiam verbis aptus, quia rem quamque a- *In Orat.*
ptè & propriè declarat: & preſſus, quia nihil in eo redundans inueniri poteſt:

cuius ſtylum adeò probaſſe dicitur Demoſthenes, vt librum eius octies deſcripſerit, totumque ferè edidicerit, vt ait Dionyſius Halicarn. 18 Thucydides verſatus eſt in Republ. ſumma cum authoritate, ſed bello Peloponneſiaco proditionis crimine ſuſpectus, quaſi eius tarditate & negligentia Bracidas in Thracia quaſdam vrbes Athenienſium cepiſſet, Oſtraciſmo, id eſt, exilio decennali damnatus in Aegina hiſtoriam ſuam compoſuit: Oſtraciſmus autem vel optimo cuique accidere ſolebat Athenis, & repertus erat nō tam ad caſtigandum morum improbitatem, quàm ad moderandam principum potentiam, ne cæteris ciuibus vel dignitate vel opibus ſuperiores ſenſim tyrannidem aliquam in Repub. occuparent. 19 Cicero lib. 2. ad Q. fratrem, Siculus (inquit) ille capitalis, creber, acutus, breuis, penè puſillus Thucydides, ſed vtros eius habueris libros (duo enim ſunt corpora) an vtroſque, neſcio: magis me de Dionyſio delectat: ipſe enim eſt veterator maximus, & perfamiliaris Philiſto. Fabius lib. 10. Philiſtus quoq; meretur, qui turbæ quamuis bonorum poſt hos authorum eximatur, imitator Thucydidis, & vt multò infirmior, ita aliquatenus lucidior. 20 Similitudo eſt ab opificum tabernis: nam vt in his opera, ſic in ſcholis ingenia hominum formantur, & expoliuntur. Simile eſt illud in Bruto, Extitit iam lenibus illis, quos diximus, Iſocrates, cuius domus cuncta Græciæ quaſi ludus patuit, & officina dicendi. 21 Theopompus Chius rhetor, filius Damaſiſtrati floruit Olympiade 93. quo etiam tempore viguit Edhorus eius condiſcipulus, & Iſocratis auditor: Scripſit Theopompus epitomen hiſtoriarum Herodoti libris duobus, & Philippica libris 72. & Græcas hiſtorias libris 11. quæ continent de bello Peloponneſiaco ea, quæ à Thucydide relicta fuerant. Suidas. 22 Xenophon Grylli filius, Athenienſis philoſophus Socraticus primus, vt ait Suidas, ſcripſit vitas philoſophorū, & ἀπομνημονεύματα: fuit autem condiſcipulus Platonis, & floruit 98. Olympiade, pluresq; libros cōpoſuit, quàm 40. ex quibus hi ſunt, περὶ τῆς τοῦ Κύρου παιδείας octo, περὶ τῆς τοῦ Κύρου ἀναβάσεως ſeptem, De rebus Græcorum ſeptem, συμπόσιον, & alia permulta. 23 Calliſthenes ab Ariſtotele præceptore & conſobrino datus eſt Alexandro Magno comes, vt eum ſequeretur, & res Alexandri memoriæ proderet: is præterea etiam compoſuit hiſtoriam philoſophorum (vt ait Diogenes) & Troicum bellum, vt ait Cic. in Epiſt. famil. 24 Timæus hiſtoricus ſcripſit de Syria, & eius ciuitatibus, & regibus tres libros, vt ait Suidas, & expoſuit bellum Pyrrhi (vt ait Cicero) cui Cicero magnam laudem doctrinæ, & vbertatis, & eloquentiæ tribuit: Suidas & Plutarchus prudentiæ, & modeſtiæ, & veritatis laudem ei ſimul detrahunt.

[1] *Hæc cùm ille dixiſſet, quid eſt, inquit Catule Cæſar? vbi ſunt qui Antonium negant Græce ſcire? quot hiſtoricos nominauit? quàm ſcienter, quàm propriè de vnoquoque dixit? Id me hercule, inquit Catulus, admirans, illud iam mirari deſino, quod multò magis antè mirabar, hunc cùm hæc neſciret, in dicendo poſſe tantùm.* [2] *Atqui Catule, inquit Antonius, non ego vtilitatem aliquam ad dicendum aucupans, horum libros & nonnullos alios, ſed delectationis cauſſa; cùm eſt otium, legere ſoleo. Quid ergo eſt? fatebor aliquid*

quid tamen, vt cùm in ſole ambulem, etiamſi aliam ob cauſſam ambulem, fieri natura tamen vt colorer: ſic cùm iſtos libros ad Miſenum (nam Romæ vix licet) ſtudioſius legerim, [3] ſentio orationem meam illorũ cantu quaſi colorari. [4] Sed ne latius hoc vobis patere videatur, hæc duntaxat in Græcis intelligo, quæ ipſi qui ſcripſerunt, voluerunt à vulgo intelligi. In philoſophos veſtros ſi quando incidi, deceptus indicibus librorum, quòd ſunt ferè inſcripti de rebus notis & illuſtribus, de virtute, de iuſtitia, de honeſtate, de voluptate, verbum prorſus nullum intelligo: ita ſunt anguſtis & conciſis diſputationibus illigati. Poetas omnino quaſi aliena quadam lingua loquutos nõ conor attingere. Cum his me (vt dixi) oblecto, qui res geſtas, aut qui orationes ſcripſerunt ſuas, aut qui ita loquuntur, vt videantur voluiſſe eſſe nobis, qui non ſumus eruditiſſimi, familiares. [5] Sed illuc redeo, Videtiſne quantum munus ſit oratoris hiſtoria? Haud ſcio an flumine orationis & varietate maximum: neq; tamen eam reperio vſquam ſeparatim inſtructam Rhetorum præceptis: ſita ſunt enim ante oculos. Nam quis neſcit primam eſſe hiſtoriæ legem, ne quid falſi dicere audeat: deinde ne quid veri non audeat, ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis? Hæc ſcilicet fundamenta nota ſunt omnibus. Ipſa autem exædificatio poſita eſt in rebus & verbis. Rerum ratio ordinem temporum deſiderat, regionum deſcriptionem: vult etiam, quoniam in rebus magnis memoriáq; dignis conſilia primùm, deinde acta, poſtea euentus expectantur, & de conſilijs ſignificari quid ſcriptor probet, & in rebus geſtis declarari non ſolùm quid actum, aut dictum ſit, ſed etiam quo modo: & cùm de euentu dicatur, vt cauſſæ explicentur omnes, vel caſus, vel ſapientiæ, vel temeritatis:

hominumq́ ipſorum non ſolùm res geſtæ, ſed etiam qui fama ac nomine excellant, de cuiuſq́ vita atq́ natura. Verborum autem ratio, & genus orationis fuſum atq́ tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens, ſine hac iudiciali aſperitate, & ſine ſententiarum forenſium aculeis proſequendum eſt. Harum tot tantarumq́ rerum videtíſne nulla eſſe præcepta quæ in artibus Rhetorum reperiantur? [6] In eodem ſilentio multa alia oratorum officia iacuerunt, cohortationes, conſolationes, præcepta, admonita, quæ tractanda ſunt omnia diſertiſſimè: ſed locum ſuum in illis artibus, quæ traditæ ſunt, habent nullum. [7] Atq́ in hoc genere illa quoq́ eſt infinita ſylua, quòd oratori plerique (vt etiam Craſſus oſtendit) duo genera ad dicendum dederunt, vnum de certa definitáque cauſſa, quales ſunt, quæ in litibus, quæ in deliberationibus verſantur: addat ſi quis volet, etiam laudationes. Alterum, quod appellant omnes ferè ſcriptores, explicat nemo, infinitam generis ſine tempore & ſine perſona quæſtionem. hoc quid, & quantum ſit, quum dicunt, intelligere mihi non videntur. Si enim eſt oratoris quæcunque res infinitè poſita ſit, de ea poſſe dicere: dicendum erit ei, quanta ſit Solis magnitudo, quæ forma terræ. de mathematicis, de muſicis rebus non poterit quin dicat, hoc onere ſuſcepto, recuſare. Denique ei qui profitetur eſſe ſuum, non ſolùm de ijs controuerſiis, quæ temporibus & perſonis notatæ ſunt, hoc eſt, de omnibus forenſibus, ſed etiam de generum infinitis quæſtionibus dicere, nullum poteſt eſſe genus orationis quod ſit exceptum. [8] Sed ſi illam quoque partem quæſtionum oratori volumus adiungere, vagam & liberam, & latè patentem, vt de rebus bonis & malis, expetendis aut fugiendis, honeſtis aut turpibus, vtilibus aut inutilibus,

bus, de virtute, de iuſtitia, de continentia, de prudentia, de magnitudine animi, de liberalitate, de pietate, de amicitia, de fide, de officio, de cæteris virtutibus, contrarijsq; vitijs dicendum oratori putemus: itemq; de Repub. de imperio, de re militari, de diſciplina ciuitatis, de hominum moribus: aſſumamus eam quoq; partem, ſed ita, vt ſit circunſcripta modicis regionibus. Equidem omnia quæ pertinent ad vſum ciuium, morem hominum, quæ verſantur in conſuetudine vitæ, in ratione Reipubl. in hac ſocietate ciuili, in ſenſu hominum communi, in natura, in moribus, comprehendenda eſſe oratori puto: ſi minus vt ſeparatim de his rebus philoſophorum more reſpondeat, at certè vt in cauſſa prudēter poſſit intexere. 9 *Hiſce autem ipſis de rebus vt ita loquatur, vt ij qui iura, qui leges, qui ciuitates conſtituerunt, locuti ſunt, ſimpliciter & ſplendide, ſine vlla ſerie diſputationum, & ſine ieiuna concertatione verborū.* 10 *Hoc loco, ne qua ſit admiratio, ſi tot tantarumq; rerum nulla à me præcepta ponentur, ſic ſtatuo, vt in cæteris artibus cùm tradita ſunt cuiuſq; artis difficillima, reliqua, quia aut faciliora, aut ſimilia ſint, tradi non neceſſe eſſe: vt in pictura, qui hominis ſpeciem pingere perdidicerit, poſſe eum cuiuſuis vel formæ, vel ætatis, etiam ſi non didicerit, pingere: neq; eſſe periculum, qui leonem aut taurum pingat egregiè, ne idem in multis alijs quadrupedibus facere non poſſit: neque eſt omnino ars vlla, in qua omnia, quæ illa arte effici poſſunt, à doctore tradantur: ſed qui primarum & certarum rerum genera ipſa didicerunt, reliqua per ſe non incommode perſequuntur: ſimiliter arbitror in hac ſiue ratione, ſiue exercitatione dicendi, qui illam vim adeptus ſit, vt eorū mentes, qui aut de Rep. aut de ipſius rebus, aut de ijs contra quos, aut pro quibus di-*

eat, cum aliqua ſtatuendi poteſtate audiant, ad ſuum arbitrium mouere poßit, hunc de toto illo genere reliquarum orationum non plus quæſiturũ eſſe quid dicat, quàm Polycletum illum cùm Herculem illum fingebat, quemadmodum pellem aut Hydram fingeret, etiamſi hæc nunquam ſeparatim facere didiciſſet. " Tum Catulus, Præclarè mihi videris, Antoni, poſuiſſe ante oculos quid diſcere oporteret eum, qui orator eſſet futurus: quid, etiamſi non didiciſſet, ex eo, quod didiciſſet, aſſumeret: deduxiſti enim totum hominem in duo ſolùm genera cauſſarum, cætera innumerabilia exercitationi & ſimilitudini reliquiſti: ſed videto, ne in iſtis duobus generibus Hydra tibi ſit & pellis, Hercules autem & alia opera maiora ne in illis rebus, quas prætermittis, relinquantur. Non enim mihi minus operis videtur, de vniuerſis generibus rerum, quàm de ſingulorum cauſſis, ac multò etiam maius de natura deorum, quàm de hominum litibus dicere. " Non eſt ita, inquit Antonius. dicam enim tibi Catule, non tam doctus, quàm (id quod eſt maius) expertus. Omnium cæterarum rerum oratio, mihi crede, ludus eſt homini non hebeti, neq; inexercitato, neq; communium literarum & politioris humanitatis experti: in cauſſarum contentionibus magnum eſt quoddam opus, atq; haud ſcio an de humanis operibus longè maximum: in quibus vis oratoris plerunq; ab imperitis exitu & victoria iudicatur: vbi adeſt armatus aduerſarius, qui ſit & feriendus, & repellendus: vbi ſæpe is qui rei dominus futurus eſt, alienus atq; iratus, aut etiam amicus aduerſario, & inimicus tibi eſt: cùm aut docendus is eſt, aut dedocendus: aut reprimendus, aut incitandus, aut omni ratione ad tempus, ad cauſſam, oratione moderandus: in quo ſæpe beneuolentia ad odium, odium autem

tem ad beneuolentiam deducendum eſt: [13] *qui tanquam machinatione aliqua tum ad ſeueritatem, tum ad remiſſionem animi, tum ad triſtitiam, tum ad lætitiam eſt contorquendum. Omnium ſententiarum grauitate, omnium verborum ponderibus eſt vtendum. Accedat oportet actio varia, vehemens, plena animi, plena ſpiritus, plena doloris, plena veritatis. In his operibus ſi quis illam artem comprehenderit,* [14] *vt tanquam Phidias Mineruæ ſignum efficere poſſit, non ſane quemadmodum in clypeo idem ille artifex minora illa opera facere diſcat, laborabit.*

1 Παρέκβασις de hiſtoria & hiſtoricis ſcriptoribus concluditur interlocutione Cæſaris & Catuli, quorum præcipuæ ſunt partes in dialogo, vt & admirentur quæ prius dicta ſunt, & incitent ad id quod ſequitur, Antonium. 2 Antonius præcipuum hiſtoriæ fructum ſibi ſtatuit, delectationem, cui tamen comes additur vtilitas ad diſceptationem rerum ciuilium, quia ſæpe orator ex hiſtoriis exempla ſumit: hunc igitur ſecundum fructum declarat eorum ſimilitudine, qui in Sole deambulantes, colorantur. 3 Hæc metaphorica ſimilitudo parum apta eſt: licèt enim ſit hiſtoria proxima poëtis, & quodammodo carmen ſolutum, tamen ineptè dixeris rem quampiam cantu quaſi colorari, præſertim quum cantus & color inter ſe non cohæreant. 4 Antonius modeſtiæ retinendæ gratia fatetur ſe tantùm leuiter Græcas literas attigiſſe, idque ipſum declarat à diſſimilibus: Philoſophos (inquit) non intelligo, poëtas non lego propter eorum obſcuritatem: at hiſtoricos & oratores qui populariter & facilè ſcripſerunt, interdum legere ſoleo: Philoſophos Antonius non intelligit, & ex omnibus præcipuè Stoicos, quia breuibus & minutis vtuntur conſectariis, & ea diſputant, quæ non probantur in vulgus: & poëtas Græcos non attingit, quia vix vtuntur ſimplici & communi lingua, ſed permiſcet penè omnes, communem, Atticam, Aeolicam, Doricam & Ionicam, vnde obſcuri fiunt. 5 Redit ad propoſitam diſputationem, & vtitur hoc ſyllogiſmo:

> Hiſtoria requirit eloquentiæ lumen:
> Hiſtoria nullum habet præceptum in arte Rhetorica proprium:
> Ergo non quicquid requirit eloquentiam, proprium habet in arte rhetorica præceptum.

Ad illuſtrandam aſſumptionem docet hiſtoriæ tractandæ modum ex perſona ſcribentis, vt ne ſit mendax, ne diſſimulator & occultator veritatis, ne vllam det ſignificationem gratiæ, vel odij in ſcribendo: quas leges dici vix poteſt, quantum Græci neglexerint, Herodotus pater mendaciornm, & Thucydides, qui plus Athenienſibus fauere videtur, quàm Lacedæmoniis, & cæteri, in quibus libera veritas, & omni affectu vacua non fuit: deinde exponit artificium dialecticum & rhetoricum, & dialecticum quidem, vt in narrando gradus temporum ſeruentur, ac primùm conſilia rei gerendæ exponantur, deinue res geſtæ, poſtremò euentus & exitus rerum geſtarum: rhetoricum autem, vt ſtylus hiſtoriæ ſit lenis & æquabilis. 6 Repetit tertium locum inductionis, vbi videtur eſſe μνημονικὸν ἁμάρτημα. 7 Quintus locus ducitur ab authoritate eorum, qui materiam o-

ratoris omnem quæſtionem poſuerunt, & finitam & infinitam: vbi tamen Antonius videtur excludere ab oratore infinitam quæſtionem, ſed argumento minus conſentaneo: quia rhetorica illa quam Antonius putat quinque partibus contineri, inuentione, diſpoſitione, elocutione, memoria & actione, ſi rectè deſcripta eſſet, inſtrumentum eſſet de omnibus rebus rectè diſſerendi & dicendi: & ornatus orationis, qui oratoris proprius eſt, vt Craſſus primo libro dixit, & Antonius ſecundo confirmauit, tam aptè & legitimè ad res cœleſtes & mathematicas & muſicas accommodari debet, & poteſt, quàm ad quæſtiones ciuiles & forenſes. 8 Correctio eſt proximæ diſputationis: nam Antonius theſim reiecerat ab oratore, quam nunc eidem concedit, ſed certis finibus circumſcriptam rerum moralium & politicarum: ſic Craſſus libro primo, Sed (ait) ſi me audierit, quoniam philoſophia eſt in tres partes diſtributa, in naturæ obſcuritatem, in diſputandi ſubtilitatem, in vitam & mores, duo illa relinquamus, atque largiamur inertiæ noſtræ: tertium verò quod ſemper oratoris fuit, niſi tenebimus, nihil oratori, in quo magnus eſſe poſſit, relinquemus. 9 Diſſimilitudo eſt tractandæ theſeos inter oratorem & philoſophum, vt ille ſplendidè, & populariter, & ornatè, hic verò obſcurè, & conciſè, & ſubtiliter de moribus & Repub. loquatur: quo loco videtur Antonius notare Stoicos philoſophos ieiunos & exiles, qui communes locos de moribus tractant abhorrentes ab vſu publico & forenſi. 10 Concludit totam diſputationem de genere demonſtratiuo rhetoricis præceptis non ornando, & ad extremum ſimilitudine illuſtrat: Quemadmodum in cæteris artibus, ſic in rhetorica de difficillimis quibuſq; rebus præcepta tantùm ponenda ſunt: protaſis declaratur exemplo pictorum: apodoſis exemplo Polycleti ſtatuarij eximij, qui diligentia & decore ſupra cæteros fuit, vt ait Fabius lib. 12. comparatio autem eſt ex paribus: Orator qui didicerit cauſſas ciuiles agere, tam facilè de cæteris rebus diſputabit, quàm facilè Polycletus, poſtquam finxit Herculem, addidit ei exuuium Leonis & Hydram: Hercules enim pro veſte pellem Leonis geſtabat, occiſo & ſpoliato Leone Nemæo. Huic etiam pictores & ſtatuarij apponunt Hydram beſtiam multorum capitum jn memoriam illius Hydræ, quam interfecit. 11 Catulus facit breuem epilogum Antonianæ diſputationis de oratoris materia, quam artem requirat, & quam nō requirat: & adhibet quandam ſpeciem contradictionis, non tam pugnandi cauſſa, quàm vt ex Antonio ſemper aliquid eliciat: eludit igitur comparationem illam de Hercule Polycleti. Argumentum duplex eſt: primum à paribus, quòd multæ theſes non tam difficilem habeant tractationem, quàm hypotheſes: alterum à minoribus, quòd difficilius ſit de diis, q̃ de hominum controuerſiis dicere. 12 Antonius reſpondet ad argumentum Catuli per diſſimilitudinem: Cæterarum (inquit) rerum facilis eſt tractatio, at ciuilium cauſſarū dictio eſt omnium difficillima. ἀνταπόδοσις amplificatur ex multis circunſtantiis oratoris, aduerſarij & auditoris, quæ augēt difficultatem forenſis & popularis eloquentię: & allegoria penè perpetua eſt ex continuatis metaphoris, vbi Antonius reliquas dictiones exercitationi ludicræ, & forenſem dictionem militari pugnæ comparat. 13 Similitudo declarat apertius allegoriam prpximam, & ſumitur à iaculatoribus arietum & baliſtarum ad quatiendos vrbis muros: ſic orator in acie forenſi vehementius pugnabit, & auditoris animum velut machinam aliquam, in quem volet affectum contorquebit, ſeueritatis aut remiſſionis, triſtitiæ, aut lætitiæ, ſicut conditio & natura præſentis cauſſæ poſtulabit. 14 Phidias (vt ait Plin.) præter Iouem Olympium, quē nemo æmulatur, fecit & ex ebore Mineruam Athenis, quæ eſt in Parthenone aſtans. Idem Plin. lib. 34. ſcribit Mineruam Phidiæ fuiſſe 26. cubitorum, in cuius ſcuto cælauerat Amazonum prælium intumeſcēte ambitu parmæ, eiuſdem concaua parte deorum & gigantum dimicationem: Phidias item, vt ait Cic. Tuſc. 1. in clypeo Mineruæ ſpeciem ſui ſimilem incluſit, cùm inſcribere non liceret: eam ſi quis diſſoluiſſet, vniuerſam collocationis ſpeciem ſuſtuliſſet. Cic. in Oratore.

[1] Tum Catulus, Quò iſta maiora ac mirabiliora feciſti, eò me maior expectatio tenet, quibúſnam rationibus, quibúſue præceptis ea tanta vis comparetur, non quò mea quidem iam interſit (neq; enim ætas id mea deſiderat, & aliud quoddam genus dicendi nos ſecuti ſumus, qui nunquam ſententias de manibus iudicum vi quadam orationis extorſimus, ac potius placatis eorum animis, tantum quantum ipſi patiebantur, accepimus) ſed tamẽ iſta tua, nullum ad vſum meum, tantùm cognoſcendi ſtudio adductus requiro. [2] Nec mihi opus eſt Græco aliquo doctore, qui mihi peruulgata præcepta decantet, quum ipſe nunquam forum, nunquam vllum iudiciũ aſpexerit: vt Peripateticus ille dicitur Phormio, quum Hannibal Carthagine expulſus, Epheſum ad Antiochum veniſſet exul, proque eo, quòd eius nomen erat magna apud omnes gloria, inuitatus eſſet ab hoſpitibus ſuis, vt eum quem dixi, ſi vellet, audiret: cumq; is ſe non nolle dixiſſet, locutus eſſe dicitur homo copioſus aliquot horas de imperatoris officio, & de omni re militari: tum quum cæteri qui illum audierant, vehementer eſſent delectati, quærebant ab Hannibale quídnam ille ipſe de illo philoſopho iudicaret. hic Pœnus, non optimè Græcè, ſed tamen liberè reſpondiſſe fertur, multos ſe deliros ſenes ſæpe vidiſſe: ſed qui magis quàm Phormio deliraret, vidiſſe neminem. Neque mehercule iniuria. Quid enim aut arrogantius, aut loquacius fieri potuit, quàm Hannibali, qui tot annos de imperio cum populo Romano omnium gentium victore certaſſet, Græcum hominem, qui nunquam hoſtem, nunquam caſtra vidiſſet, nunquam denique minimam partem vllius publici muneris attigiſſet, præcepta de re militari dare? [3] Hoc mihi facere omnes iſti qui de arte dicendi præcipiunt, viden

tur. Quod enim ipſi experti non ſunt, id docent cæteros: ſed hoc minus fortaſſe errant, quòd non te vt Hannibalem, ſed pueros aut adoleſcentulos docere conantur. [4] *Erras Catule, inquit Antonius. Nam egomet in multos iam Phormiones incidi. Quis enim eſt iſtorum Græcorum, qui quenquam noſtrûm quicquam intelligere arbitretur? Ac mihi quidem non ita moleſti ſunt: facile omnes perpetior & perfero. Nam aut aliquid afferunt quod mihi non diſpliceat, aut efficiunt, vt me non didiciſſe minus pœniteat. Dimitto autem eos non tam contumelioſe, quàm philoſophum illum Hannibal: & eo fortaſſe plus habeo etiam negotij.* [5] *Sed tamen eſt eorum doctrina (quantum ego iudicare poſſum) perridicula. Diuidunt enim totam rem in duas partes, in cauſſa controuerſiam, & in quæſtionis. Cauſſam appellant rem poſitam in diſceptatione rerum & controuerſia: quæſtionem autem, rem poſitam in infinita dubitatione. De cauſſa præcepta dant: de altera parte dicendi, mirum ſilentium.* [8] *Deniq; quinque faciunt quaſi membra eloquentiæ, inuenire quid dicas, inuenta diſponere, deinde ornare verbis, poſt memoriæ mandare, tum ad extremum agere ac pronũtiare: rem ſanè non reconditam. Quis enim hoc non ſua ſponte viderit, neminem poſſe aptè dicere, niſi & quid diceret, & quibus verbis, & quo ordine diceret, haberet, & ea meminiſſet? Atq; hæc ego non reprehendo, ſed ante oculos poſita eſſe dico, vt eas item quatuor, quinque, ſexúe partes, vel etiam ſeptem (quoniam aliter ab alijs digeruntur) in quas eſt ab his omnis oratio diſtributa. Iubent enim exordiri ita, vt eum qui audiat, beneuolum nobis faciamus, & docilem, & attentum. Deinde rem narrare ita, vt veriſimilis narratio ſit, vt aperta, vt breuis. Pòſt autem diuidere cauſſam, aut proponere:*

nere: noſtra confirmare argumentis ac rationibus, deinde contraria refutare. Tum autem alij concluſionem orationis, & quaſi perorationem collocant: alij iubent, antequam peroretur, ornandi aut agendi cauſſa digredi, deinde concludere, ac perorare. [7] Ne hæc quidem reprehendo: ſunt enim concinnè diſtributa, ſed tamen (id quod neceſſe fuit hominibus expertibus veritatis) non peritè. Quæ enim præcepta principiorum & narrationum eſſe voluerunt, ea in totis orationibus ſunt conſeruanda. Nam ego mihi beneuolum iudicem facilius facere poſſum, quum ſum in curſu orationis, quàm quum omnia ſunt inaudita: docilem autem, non quum polliceor me demonſtraturum, ſed tum quum doceo & explano. Attentum verò, crebrò tota actione excitandis mentibus iudicum, non prima denuntiatione efficere poſſumus. Iam verò narrationem quòd iubent veriſimilem eſſe, & apertam, & breuem, rectè nos admonent. Quòd hæc narrationis magis putant eſſe propria, quàm totius orationis, valde mihi videntur errare: [8] omninoq; in hoc omnis eſt error, quòd exiſtimant artificium eſſe hoc quoddam non diſſimile cæterorum, cuiuſmodi de ipſo iure ciuili heſterno die Craſſus componi poſſe dicebat, vt genera rerum primùm exponerentur, in quo vitium eſt ſi genus vllum prætermittatur: deinde ſingulorum generum partes, in quo & deeſſe aliquam partem, & ſuperare, mendoſum eſt: tum verborum omnium definitiones, in quibus neq; abeſſe quicquam decet, neq; redundare. Sed hoc ſi in iure ciuili, ſi etiam in paruis aut mediocribus rebus doctores aſſequi poſſunt, non idem ſentio tanta hac in re, tamq; immenſa poſſe fieri. [9] Sin autem qui arbitrantur, deducendi ſunt ad eos qui hæc docent: omnia iam explicata & perpolita aſſequentur. Sunt enim

innumerabiles de his rebus libri, neq; abditi, neque obſcuri. Sed videant quid velint, ad ludendúmne, an ad pugnandum arma ſint ſumpturi. [10] *Aliud enim pugna & acies, aliud ludus campuſq; noſter deſiderat: attamen ars ipſa ludicra armorum, & gladiatori & militi prodeſt aliquid, ſed animus acer, & præſens, & acutus idem atq; verſutus inuictos viros efficit, non difficilius arte coniuncta.*

1 Tranſitus eſt à propoſita oratoris materia, quæ artē deſiderat, ad artis ipſius explicationem, vbi Catulus magna facilitate & attentione expectat, vt Antonius de doctrina forenſium quæſtionum diſputet: primus attentionis locus illuſtratur ex diſſimili fine: Non requiro (inquit Catulus) iſta præcepta ad aliquem vſum meum, ſed tantùm ad fructum ſcientiæ & cognitionis: αἰτίας probatur dupliciter: primùm quòd ſenilis ætas Catuli genus eloquentiæ non planum, & erectum, & audax, & vehemens requirit, ſed preſſum potius & mite: & limatum: deinde quòd Catulus lene & ſuaue dicendi genus, non graue & patheticum ſecutus eſt: nam in eo ſumma non vitæ ſolùm atque naturæ, ſed orationis etiam fuit comitas. Cicero in Bruto. 2 Secundus locus deprimit artes Græcorum, qui de ratione forenſis eloquentiæ præcipiunt: quum tamen forum nunquam attigerint: Atque hæc tota Græcorum extenuatio eò ſpectat, vt melius aliquid & excellentius expectetur ab Antonio, id eſt, Cicerone, qui magnum vſum & experientiam in cauſſis ciuilibus adeptus eſt: Illa igitur Græcorum inexperta loquacitas irridetur exemplo ſimili, quòd ita preſſius concludi poteſt: Vt Hannibal irriſit Phormionem Peripateticum, quum in bello nunquam eſſet verſatus, tamen de re militari apud eum verba facientem: ſic irridendi ſunt Græci rhetores, qui nunquam forum & Rempublicam attigerint, tamen doctrinam & artem forenſium cauſſarum tradere & profiteri audeāt: αἰτίας exornatur facto Phormionis, & apophthegmate Hannibalis in ipſum Phormionem. 3 Redditio ſimilitudinis ſequitur, cum leui quadam correctione: quaſi Græci Rhetores hoc minus inepti ſint, quòd non doceant doctos homines & expertos, ſed pueros indoctos, & adhuc rudes ciuilium cauſſarum. 4 Antonius reſpondet ad proximam correctionem, & leuiter illudit Græcorum ineptias, qui præcepta ſua doctiſſimorum hominum auribus inculcant de quæſtione vi oratoris, & oratione: vbi animaduertendum hæc ipſa rectè dici ad ſeruandum decorum in perſona Antonij, qui fuit irriſor & diſſimulator artis rhetoricæ, atque ita extenuationem magis eſſe, quàm ſeriam reprehenſionem. 5 Non reprehendit Antonius partitionem quæſtionis in ὑπόθεσιν & θέσιν, ſed poſterioris generis prætermiſſam explicationem: Verumtamen θέσις tam facilè exornatur generalibus præceptis quinque partium rhetoricæ, quàm ipſa ὑπόθεσις: ſed Antonius indicat nulla ſingularia & propria præcepta de ſingulis generibus quæſtionis infinitæ à rhetoribus tradi, quemadmodum de generibus ciuilium cauſſarum traditur: quod quidem neceſſe non fuit. quinetiam in hoc magnus rhetorum fuit error, quòd tam minutas & ſingulares ciuilium cauſſarum præceptiunculas inſtituerunt, quia omnis quæſtio cuiuſcunque generis & modi ſit, generalibus dialecticæ inuentionis & diſpoſitionis legibus inſtrui poteſt. & dialecticam rerum forenſium doctrinam facere tam ridiculum eſt, quàm ſi quis velit earum rerum grammaticam forenſem componere. 6 Eleuat ſecundo loco quinque artes eloquentiæ,

quia

quia perfaciles ſint: reprehendere autem verius poterat confuſionem rhetoricæ & dialecticæ in his quinque partibus exaggeratam: argumentum verò de conſtituendis quinque partibus rhetoricæ, fallax eſt, & antiquos fefellit, exiſtimantes cauſſam, ſine qua res non eſt, protinus eſſe partem rei, cuius cauſſa eſſet: quod ſi verum eſſet, non tantùm quinque partes, ſed multò plures eſſent forenſis eloquentiæ, quam nobis depingunt: eſt enim hiſtoria ad benè dicendum neceſſaria, vt Craſſus heſterno ſermone diſputauit, & philoſophia moralis, & ſcientia iuris ciuilis, & reliquæ artes. 7 Neque item reprehenditur ab Antonio diuiſio orationis, ſed duarum primarum partium officia tanquam parum aptè diſtincta notantur: neque enim beneuolentia, docilitas & attentio propriæ ſunt virtutes exordiorum, ſed communes reliquarum partium orationis: ſed tamen eas rhetores attribuunt exordiis, quia hîc præcipuè ſunt neceſſariæ, per quas in animum iudicis, vt procedere vltrà poſſimus, admittimur. Fabius cap. 1. lib. 4. Neque item probabilitas, perſpicuitas, & breuitas propriæ ſunt narrationis, quia etiam in cæteris partibus orationis conſeruantur. 8 Diſputat Antonius per ironicam extenuationem, nullum fieri poſſe perfectum artificium eloquentię, repetitque ex ſuperiore Craſſi dialogo dialecticam legem faciendæ artis, itemque duas leges dialecticæ inuentionis, vnam de diuidendo, alteram de definiendo: argumentum præterea eſt ex diſſimilibus: ius ciuile, & multæ aliæ res poſſunt in artem redigi: eloquentia tota propter immenſitatem ſuæ materiæ non poteſt: ſed hoc poſterius falſum eſt, quia rei communis & latè patentis poſſunt eſſe communia, & latè patentia præcepta. 9 Antonius ſtatuit, ſi ſit aliqua dicendi ars, eam non eſſe difficilem, nec ſolam eloquẽtiæ ſufficere. 10 Allegoria eſt ab armis ſumpta, vbi ex pugna & acie forenſes oratorum contentiones, ex ludo & campo ludicræ declamationes intelliguntur.

Epilogus de materia oratoris.

Hactenus dictum eſt de materia oratoris, quæ videlicet artem & doctrinam requireret, & quæ non: Antonius enim exiſtimat lites & deliberationes, quia difficiliores ſunt, oratoriis & forenſibus præceptis egere: laudationes verò, quia ex illarum fontibus facilè ſumuntur, non item: in quo diſſentit ab Ariſtotele, ſentitque rhetoricas leges de his tantùm rebus ponendas eſſe, quæ maioris operis ſint, & difficultatis: qua occaſione etiam robur eleuat tritas & communes Græcorum artes de diuiſione quæſtionis in infinitam & finitam, de partibus orationis, & partium ſingularum propriis officiis & muneribus: At rhetorica propriè, verè, diſtinctè definita, nec lites, nec deliberationes, nec vllam omnino ſpecialem materiam ſibi proponet, quam præceptis ſuis inſtruat, ſed generatim de ornatu orationis & eius generibus differet, ſicut grammatica communes leges tradit de puro & emendato genere ſermonis, & ad omnem orationem tam non ciuilem, quàm ciuilem pertinet. Nec verò Antonij ratio probari poteſt, vt rhetorica tantùm de litibus & deliberationibus præcipiat, quia vſus earum multò difficilior ſit, quàm cæterarum rerum: hoc enim argumento ſpecialis grammatica de oratione forenſi, ſpecialis dialectica de ratione litigandi & deliberandi deſcribitur: quod quidem fuerit ineptiſſimum. ſunt enim artes generales. Itaque nec vera, nec apta rhetoricæ doctrinæ materies eſt, quam ſibi præponit Antonius. At oratorem politicum (inquies) inſtituit, & ad hunc ſolum ſuam τεχνολογίαν dirigit: intelligo (inquam) & idipſum eſt quod non probo. Quamobrem? quia Dialectica, Grammatica, & Rhetorica artes ſunt omnium rerum interpretes & internuntiæ, quibus rectè conſtitutis, & generatim deſcriptis vtimur ad omnium artium & rerum quoque artibus non comprehenſarum intelligentiam & explicationem. Quæro igitur abs te, cur generali rhetorica non contentus, rhetoricam forenſem & politicam facias, grammaticam verò politicam & forenſem non facias? nam paribus in cauſſis paria iura valent.

² *Quare ego tibi oratorem ſic iam inſtituam, ſi potero, vt quid efficere poßit, antè perſpiciam. Sit enim mihi tinctus literis, audierit aliquid, legerit, iſta ipſa præcepta acceperit, tentabo quid deceat, quid voce, quid viribus, quid ſpiritu, quid lingua efficere poßit. Si intelligam poſſe ad ſummos peruenire, non ſolùm hortabor vt elaboret: ſed etiam, ſi vir quoque mihi bonus videbitur, obſecrabo. Tantùm ego in excellente oratore & eodem viro bono pono eſſe ornamenti vniuerſæ ciuitati. Sin videbitur, quum omnia fecerit, tamen ad mediocres oratores eſſe venturus, permittam ipſi quid velit: moleſtus magnoperè non ero. Sin planè abhorrebit, & erit abſurdus: vt ſe contineat, aut ad aliud ſtudium transferat, admonebo. Nam neque is qui optimè poteſt, deſerendus vllo modo eſt à cohortatione noſtra: neque is qui aliquid poteſt, deterrendus: quòd alterum diuinitatis mihi cuiuſdam videtur: alterum, vel non facere quod non optimè poßis, vel facere quod non peßimè facias, humanitatis: tertium verò illud, clamare contrà quàm deceat, & quàm poßit, hominis eſt (vt tu Catule de quodam declamatore dixiſti) ſtultitiæ ſuæ quamplurimos teſtes domeſtico præconio colligentis. De hoc igitur qui erit talis, vt cohortandus adiuuandusque ſit, ita loquamur,* ² *vt ei tradamus ea duntaxat, quæ nos vſus docuit: vt nobis ducibus veniat eò, quò ſine duce ipſi peruenimus: quoniam meliora docere non poſſumus.* ² *Atque vt à familiari noſtro exordiar, hunc ego Catule Sulpitium primùm in cauſſa paruula adoleſcentulum audiui, voce, & forma, & motu corporis, & reliquis rebus aptum ad hoc munus, de quo quærimus: oratione autem celeri & concitata, quod erat ingenij: & verbis efferueſcentibus, & paulo nimium redundantibus, quod erat ætatis, non ſum aſpernatus.*

[4] *Volo enim ſe efferat in adoleſcente fœcunditas. Nam facilius, ſicut in vitibus, reuocantur ea quæ ſeſe nimium profuderunt, quàm, ſi nihil valet materies, noua ſarmenta cultura excitantur. Ita volo eſſe in adoleſcente vnde aliquid amputem. Non enim poteſt in eo eſſe ſuccus diuturnus, quod nimis celeriter eſt maturitatem aſſecutus.* [5] *Vidi ſtatim indolem, neq; dimiſi tempus: & eum ſum cohortatus, vt forum ſibi ludum putaret eſſe ad dicendum: magiſtrum autem, quem vellet, eligeret: me quidem ſi audiret, Luc. Craſſum. quod iſte arripuit, & ita ſeſe facturum confirmauit: atq; etiam addidit, gratiæ ſcilicet cauſſa, me quoq; ſibi magiſtrum futurum. Vix annus interceſſerat ab hoc ſermone cohortationis meæ,* [6] *quum iſte accuſauit C. Norbanum, defendente me. Non eſt credibile quid intereſſe mihi ſit viſum inter eum qui tum erat, & qui anno ante fuerat. Omnino in illud genus eum Craßi magnificum, atq; præclarum natura ipſa ducebat: ſed ea non ſatis proficere potuiſſet, niſi eodem ſtudio atq; imitatione incidiſſet, atq; ita dicere conſueßet, vt tota mente Craſſum, atq; omni animo intueretur.* [7] *Ergo hoc ſit primum in præceptis meis, vt demonſtremus quem imitetur, atq; ita, vt quæ maximè excellent in eo quem imitabitur, ea diligentißimè perſequatur: tum accedat exercitatio, qua illum quem antè delegerit, imitando effingat, atque ita exprimat, non vt multos imitatores ſæpe cognoui, qui aut ea quæ facilia ſunt, aut etiam illa quæ inſignia, ac penè vitioſa, conſectantur imitando.* [8] *Nihil eſt facilius, quàm amictum imitari alicuius, aut ſtatum, aut motum. Si verò etiam vitioſi aliquid eſt, id ſumere, & in eo vitioſum eſſe, non magnum eſt: vt ille qui nunc etiam amiſſa voce furit in Republ. Fuſius, neruos in dicendo C. Fimbriæ,*

quos tamen habuit ille, non aſſequitur: oris prauitatem, & verborum latitudinem imitatur: ſed tamen ille nec deligere ſciuit cuius potiſsimùm ſimilis eſſet: & in eo ipſo quem delegerat, imitari etiam vitia voluit. [9] *Qui autem ita faciet, vt oportet, primùm vigilet neceſſe eſt in deligendo: deinde quem probauit, in eo quæ maximè excellent, ea diligentiſsimè proſequatur. Quid enim cauſſæ cenſetis eſſe cur ætates extulerint ſingulæ ſingula propè genera dicendi? Quod non tam facile in noſtris oratoribus poſſumus iudicare, quia ſcripta, ex quibus iudicium fieri poſſet, non multa ſanè reliquerunt: quàm in Græcis, ex quorum ſcriptis, cuiuſq; ætatis quæ dicendi ratio voluntasq; fuerit, intelligi poteſt.* [10] *Antiquiſsimi ferè ſunt, quorum quidem ſcripta conſtent, Pericles atq; Alcibiades, & eadem ætate Thucydides: ſubtiles, acuti, breues, ſententijs magis quàm verbis abundantes. Non potuiſſet accidere vt vnum eſſet omnium genus, niſi aliquem ſibi proponerent ad imitandum.* [11] *Conſecuti ſunt hos Critias, Theramenes, Lyſias. multa Lyſiæ ſcripta ſunt, nonnulla Critiæ: de Theramene audiuimus. omnes etiam tum retinebant illum Periclis ſuccum, ſed erant paulo vberiore filo.* [12] *Ecce tibi exortus eſt Iſocrates, magiſter iſtorum omnium: cuius è ludo tanquam ex equo Troiano innumeri principes exierunt: ſed eorum partim in pompa, partim in acie illuſtres eſſe voluerunt. Itaq; & illi, Theopompus, Ephorus, Philiſtus, Naucrater, multiq; alij naturis differunt, voluntate autem ſimiles inter ſeſe: & magiſtri, & ij qui ſe ad cauſſas contulerunt, vt Demoſthenes, Hyperides, Lycurgus, Aeſchines, Dinarchus, alijq; complures, etſi inter ſeſe pares non fuerunt, tamen ſunt omnes in eodem veritatis imitandæ genere verſati: quorum quamdiu manſit imitatio, tamdiu*

diu genus illud dicendi ſtudiúmque vixit. [13] *Poſtea quàm extinctis his, omnis eorum memoria ſenſim obſcurata eſt, & euanuit, alia quædam dicendi molliora ac remiſſiora genera viguerunt. Inde Dimochares, quem aiunt ſororis filium fuiſſe Demoſthenis: tum Phalereus ille Demetrius omnium iſtorum, mea ſententia, politiſſimus, aliíq; eorum ſimiles extiterunt:* [14] *quæ ſi volemus vſq; ad hoc tempus perſequi, intelligemus, vt hodie Alabandenſem illum Meneclem, & eius fratrem Hieroclem, quos ego audiui, tota imitetur Aſia, ſic ſemper fuiſſe aliquem, cuius ſe ſimiles pleriq; eſſe vellent.* [15] *Hanc igitur ſimilitudinem qui imitationē aſſequi volet, tum exercitationibus crebris atque magnis, tum ſcribendo maximè perſequatur. Quod ſi hic noſter Sulpitius faceret, multò eius oratio eſſet preſſior, in qua nunc interdum, vt in herbis ruſtici ſolent dicere, in ſumma vbertate ineſt luxuries quædam, quæ ſtylo depaſcenda eſt.* [16] *Hic Sulpitius, Me quidem, inquit, rectè mones, idq; mihi gratum eſt: ſed ne te quidem Antoni multum ſcriptitaſſe arbitror.* [17] *Tum ille, Quaſi verò, inquit, non ea præcipiam alijs, quæ mihi ipſi deſunt:* [18] *ſed tamen ne tabulas quidem conficere exiſtimor. Verùm & in hoc, ex re familiari mea: & in illo, ex eo quod dico, quantulum id cumq; eſt, quid faciam, iudicari poteſt.* [19] *Atq; eſſe tamen multos videmus, qui neminem imitētur, & ſuapte natura, quod velint, ſine cuiuſquam ſimilitudine conſequantur: quod & in vobis animaduerti rectè poteſt, Cæſar & Cotta, quorum alter inuſitatum quidem noſtris oratoribus leporem quendam & ſalem, alter acutiſſimū & ſubtiliſſimum dicendi genus eſt conſecutus. Neq; verò veſter æqualis Curio, patre, mea ſententia, vel eloquentiſſimo temporibus illis, quenquam mihi ma*

gnopere videtur imitari, qui tamen verborum grauitate, & elegantia, & copia, ſuam quandam expreſsit quaſi formam figuramq́ dicendi: quod ego maximè potui iudicare in ea cauſſa, quam ille contra me apud Centumuiros pro fratribus Coſsis dixit: in qua illi nihil defuit, quod non modò copioſus, ſed etiam ſapiens orator habere deberet.

1 Quoniam fundamentum eloquentiæ poſitum eſt in natura, reliqua exædificatio in arte & exercitatione, Antonius ad informandum oratorem ſuum, de natura primùm diſputat, quam triplicem diſtinguit, excellentem, mediocrem, & abſurdam: & excellentem ſibi tantùm proponit, quam arte & præceptis exornet: artes enim ſolent exquirere & explicare quod eſt in propoſito genere optimum & excellentiſſimum. 2 Animaduerte hoc loco Antonium, id eſt, Ciceronem frequenter admonere ſe de ſuo vſu præcipere magis, quàm de præcorum artibus, quaſi maius & excellentius ſit quod experti, quàm quod docti loquimur. 3 Excellens oratoris natura declaratur exemplo Sulpitij, in quo erant omnes excellentes & eximiæ dotes naturalis eloquentiæ. Idem exemplum Craſſus adhibuit libro primo, quum de natura oratoris diceret: Ego (inquit) neminem nec motu corporis, nec ipſo habitu, atq; forma aptiorem, nec voce pleniorem, aut ſuauiorem mihi videor audiſſe. Idem in Bruto, Fuit Sulpitius vel maximè omnium grandis, & (vt ita dicam) tragicus orator: vox cùm magna, tum ſuauis & ſplendida: geſtus & motus corporis ita venuſtus, vt tamen ad forum, non ad ſcenam inſtitutus videretur: ex eius ore verba magno impetu atque æſtu erumpebant, non ſecus ac feruentes aquæ ebulliunt & exiliunt. Sic Cicero de ſuo iuuenili ardore ſcribit: Quantis clamoribus illa diximus de ſupplicio parricidarum, quæ nequaquam ſatis deferbuiſſe pòſt aliquantò ſentire cœpimus. Fuit etiam Sulpitius verbis paulò nimium redundantibus. Metaphora ſumpta eſt ab aquis, quæ præ nimia copia ſuo alueo capi non poſſunt: & ſic Cicero loquitur de ſeipſo in Bruto, Apollonius Molo dedit operam, ſi modò id conſequi potuit, vt nimis redundantes nos, & ſuperfluentes iuuenili quadam impunitate & licentia reprimeret, & quaſi extra ripas diffluentes coërceret. 4 Requirit Antonius in adoleſcente fœcunda omnium rhetoricarum virtutum ſemina, & vtitur ſimilitudine ſumpta à ſurculis vitium: hunc locum Fabius citat cap. 4. libro 2. Materiam eſſe primùm volo vel abundantiorem, atque vltrà quàm oporteat, fuſam: Multùm inde decoquent anni, multùm ratio limabit, aliquid velut vſu ipſo deteretur: ſit modò, vnde excidi poſſit, & quod exculpi: erit autem ſi non ab initio tenuem nimium laminam duxerimus, & quam celatura altior rumpat: quod me de his ætatibus ſentire minus mirabitur, qui apud Ciceronem legerit, Volo enim ſe efferat in adoleſcente fœcunditas. 5 Tranſit Antonius ab egregia indole ad præcepta imitationis. conſequens enim eſt, vt quum adoleſcens optimè facere poſſit, optimos & excellentiſſimos quoſque ſibi proponat, quos imitetur. 6 Pub. Sulpitius adoleſcens accuſauit maieſtatis C. Norbanum, quòd Tribunum pleb. Q. Seruilium Cœpionem victum à Cymbris, & caſtris exutum turbulentiſſimis concionibus ita vexauiſſet, vt ei imperium abrogatum, bonaque eius publicata eſſent. 7 Imitatio, pars eſt exercitationis oratoriæ, de qua præcipit Antonius: & duas ſummas imitationis regulas eloquentiæ diſcipulo proponit: vnam, vt excellentem oratorem in foro ad imitandum deligat: alteram, vt eius præcipuas virtutes imitetur: quem locum Fabius his verbis explicat, cap. 2. lib. 10. Quapropter exactiſſimo iudicio circa hanc partem ſtudiorum examinanda ſunt

da ſunt omnia, primùm quos imitemur: nam ſunt plurimi, qui ſimilitudinem peſſimi cuiuſq; & corruptiſſimi concupierint: deinde ex ipſis, quos elegerimus, quid ſit,ad quod efficiendum nos comparemus: nam in magnis quoque authoribus incidunt aliqua vitioſa,& à doctis etiam inter ipſos mutuò reprehenſa: atque vtinam tam bona imitantes dicerent melius, q̃ mala peius dicunt. 8 Amictus, motus, & ſtatus ſunt res in oratore facile imitabiles: exemplum autem de Q.Fuſio pertinet ad imitationem vitiorum: nam Q.Fuſius virtutes C.Fimbriæ non eſt imitatus, vt vehementiam orationis (fuit enim Fimbria orator toto genere paulò feruidior atque commotior, vt ſcriptum eſt in Ciceronis Bruto) ſed duo vitia conſectari maluit,oris prauitatem,vt deformiter in dicendo os contorqueret,& verborum latitudinẽ, vt vaſtè & ruſticè verba pronunciaret. 9 Repetit Antonius duas præcipuas imitationis regulas, & variis Græcorum oratorum exemplis illuſtrat per gradus ætatum deductis, à Pericle vſq; ad ipſam Antonij ætatem: quæ inductio eò ſpectat,vt intelligamus ſingulis ætatibus commutata fuiſſe penè genera dicendi, quia commutata fuit imitatio: nec vnum atque idem genus dicendi ad imitandum oratoribus propoſitum fuit. 10 Oratores primæ ætatis nominantur,Pericles Xantippi filius,in cuius labris muſas ſeſſitaſſe ſcribit Eupolis, cuius ſcripta quædam ferebantur tempore Ciceronis, vt ipſe ait:& Alcibiades, in quo ſumma fuit vis dicendi, vt ſcribit Plutarchus ex Demoſthenis & Theophraſti teſtimonio: & Thucydides, de quo antea dictum eſt. hi grandes erant verbis, crebri ſententiis,compreſſione rerum breues, & ob eam cauſſam interdum ſubobſcuri. Cicero in Bruto. 11 Oratores ſecundæ ætatis ſunt, Critias vnus ex triginta tyrannis Athenienſium: Theramenes vir iuſtus à tyrannis veneno ſublatus: Lyſias ipſe quidem in cauſſis forenſibus non verſatus, ſed ſubtilis,atq; egregiè elegans. Cicero in Bruto.Hi paulò erant vberiore filo,quàm ſuperiores,id eſt,pleniore ſtylo & genere dicendi. Metaphora ſumpta eſt à textoribus. 12 Oratores tertiæ ætatis nominãtur Iſocrates,& diſcipuli ex eius ſchola,tanquam ex equo Troiano profecti: habuit enim (vt ait Plutarchus) centum ferè nobiles & præſtantes diſcipulos,è quibus quidam hìc recenſentur:& ex aliis hiſtoricis,vt Theopompus Chius,Ephorus Cumanus,Philiſtus Mileſius,& Naucrates: alij in Repub.verſati,Demoſthenes,non edoctus quidem in ſchola Iſocratis,quia mille drachmas non habebat,vt ait Plutarchus,ſed tamen ſummus admirator & imitator Iſocratis, vt ait Philoſtratus. Vt igitur ex equo Troiano, quem Epæus Græcis fabricatus eſt,multi Græciæ principes,ſic ex Iſocratis ſchola multi nobiles ſtudio doctrinæ & eloquentiæ exierunt. Hyperides dulcis imprimis & acutus, Lycurgus Licophronis filius, Aeſchines æmulus Demoſthenis, Dynarchus,quem Polypercon variis affectum ſuppliciis iugulauit. Hæc tertia ætas fœcundiſſima fuit, aureo quaſi partu excellentium, & propè perfectorũ oratorum.

13 Oratores quartæ ætatis, ſunt Demochares,nepos Demoſthenis ex ſorore, &Demetrius Phalereus qui primus,vt ait Cicero,inflexit orationem,& eam mollem reddidit,& ſuauis,ſicuti fuit,videri maluit, quã grauis. 14 Oratores quintæ ætatis fuerunt Aſiani,Menecles,& eius frater Hierocles,de quibus Cicero,Genera Aſiaticæ dictionis duo ſunt,vnum ſententioſum & argutum,ſententiis non tam grauibus & ſeueris, quàm concinnis & venuſtis, qualis in hiſtoria Timæus, in dicendo autem pueris nobis Hierocles Alabandæus, magis etiam Menecles eius frater fuit: quorum vtriuſque orationes ſunt imprimis, vt in Aſiatico genere, laudabiles. 15 Totum caput imitationis oratoriæ concluditur, cuius duæ ſunt principes partes,ſcriptio & dictio, ad quas Sulpitius excitatur, vt ſtylus eius quaſi luxurians amputetur & reprimatur: elegans eſt ſimilitudo à ſegetibus nimium lætis,& ſeſe profundentibus,quæ dente pecoris detondentur & depaſcuntur,vt ait Virgil.lib.1.Georg.

In Bruto.

Ibidem.

Quid? quòd,ne grauidis procumbat culmus ariſtis,
Luxuriem ſegetum tenera depaſcit in herba?

Et Plinius, Luxuries (inquit) ſegetum caſtigatur dente pecoris, in herba duntaxat, & depaſtæ quidem vel ſæpius nullam in ſpica iniuriam ſentiunt. Ita iuuenilis vbertas, & luxuries orationis ſtylo & aſſiduitate ſcribendi quaſi abſumitur & reprimitur. 16 Sulpitius contradicit Antonio de ſcriptionis exercitatione, & exemplo illius vtitur. 17 Antonius ſcripſit libellum de oratore: in quotidianis autem ſcriptionibus & meditationibus non multum ſe exercere putabatur. Cicero pro Cluentio, Hominem ingenioſum M. Antonium aiunt ſolitum eſſe dicere, idcircò ſe nullam vnquam orationem ſcripſiſſe, vt ſi quid aliquãdo, quod non opus eſſet, abs ſe eſſet dictum, poſſet negare ſe dixiſſe. 18 Antonius Sulpitij argumentum ironicôs concedit, atque etiam confirmat minorum collatione. Ne tabulas quidem domeſticas conficere exiſtimor, quid mirum, ſi nec orationes ſcribere? Tabulæ, ſunt libri, in quibus res domeſticæ continentur, vt rationes accepti & expenſi. Cicero in 3. actione in Verrem, Audiuimus aliquem tabulas nunquam confeciſſe, quæ eſt hominum opinio de Antonio falſa. nam fecit diligentiſſimè. 19 Tria exempla de Cæſare, Cotta, Curione, probant eloquentiam ſine imitatione quandam poſſe comparari. C. Cæſar ſale & facetiis vicit omnes: C. Cotta inueniebat acutè, dicebat purè & ſolutè: C. Curio ſplendidioribus verbis vtebatur, & Latinè non peſſimè loquebatur vſu aliquo domeſtico: nam literarum admodum nihil ſciebat, vt ait Cicero in Bruto. Eos igitur Antonius exiſtimat per ſeipſos, nullis ad imitandum propoſitis exemplis, in numerum aliquem oratorum perueniſſe.

[1] *Verùm vt aliquãdo ad cauſſas deducamus illum quem cõſtituimus, & eas quidem, in quibus pluſculum negotij eſt, iudiciorum, atq; litium, (riſerit aliquis fortaſſe hoc præceptum: eſt enim non tam acutum, quàm neceſſarium, magiſq; monitoris non fatui, quàm eruditi magiſtri) hoc ei primùm præcipiemus, quaſcunq; cauſſas erit acturus, vt eas diligenter penituſq; cognoſcat.* [2] *Hoc in ludo non præcipitur: faciles enim cauſſæ ad pueros deferuntur. Lex peregrinum vetat in murum aſcendere. aſcendit, hoſtes repulit. accuſatur. nihil eſt negotij huiuſmodi cauſſam cognoſcere. Rectè igitur nihil de cauſſa diſcenda præcipiunt. Hæc eſt enim in ludo cauſſarum ferè formula.* [3] *At verò in foro, tabulæ, teſtimonia, pacta, conuenta, ſtipulationes, cognationes, affinitates, decreta, reſponſa, vita deniq; eorum qui in cauſſa verſantur, tota cognoſcenda eſt: quarum rerum negligentia plerasq; cauſſas, & maximè priuatas (ſunt enim multò ſæpe obſcuriores) videmus amitti. Ita nonnulli dum operam ſuam multi æſtimari volunt, vt toto foro volitare, & à cauſſa ad*

ſa ad cauſſam ire videantur, cauſſas dicunt incognitas: in quo eſt illa quidem magna offenſio vel negligentiæ [4] ſuſceptis rebus, vel perfidiæ receptis: ſed etiam illa maior opinione mea, quòd nemo poteſt de ea re quam non nouit, non turpiſſimè dicere. Ita dum inertiæ vituperationem, quæ maior eſt, contemnunt, aſſequuntur etiam illam, quam magis ipſi fugiunt, tarditatis. [5] Equidem ſoleo dare operam, vt de ſua quiſque re me ipſe doceat, & vt ne quis alius adſit, quò liberius loquatur: & agere aduerſarij cauſſam, vt ille agat ſuã: & quicquid de ſua re cogitarit, in medium proferat. Itaque quum ille diſceſſit, tres perſonas vnus ſuſtineo ſumma animi æquitate, meam, aduerſarij, iudicis. qui locus eſt talis, vt plus habeat adiumenti, quàm incommodi, hunc iudico eſſe diſcendum. Vbi plus mali, quàm boni reperio, id totũ abiudico atq; reijcio: ita aſſequor, vt alio tempore cogitem quid dicam, & alio dicam. Quæ duo pleriq; ingenio freti ſimul faciunt: ſed certè ijdem illi melius aliquantò dicerẽt, ſi aliud ſumendum ſibi tempus ad cogitandum, aliud ad dicẽdum putarent. [6] Cùm rem penitus, cauſamq; cognoui, ſtatim occurrit animo quæ ſit cauſſa ambigui. Nihil eſt enim quod inter homines ambigatur, ſiue ex crimine cauſſa cõſtet, vt facinoris: ſiue ex controuerſia, vt hæreditatis: ſiue ex deliberatione, vt belli: ſiue ex perſona, vt laudis: ſiue ex diſputatione, vt de ratione viuendi: in quo non aut quid factum ſit, aut fiat, futurúmue ſit, quæratur, aut quale ſit, aut quid vocetur. Ac noſtræ ferè cauſſæ, quæ quidem ſunt criminum, plerũq; inficiatione defenduntur. Nam & de pecunijs repetundis, quæ maxima ſunt, neganda ferè ſunt omnia: & de ambitu rarò illud datur, vt poſſis liberalitatẽ ac benignitatẽ ab ambitu atq; largitione ſeiungere. de ſicarijs, de veneficijs, de pe-

culatu inficiari neceſſe eſt. [7] Id eſt igitur genus primum cauſſarum in iudicijs, ex controuerſia facti: in deliberationibus plerunq; ex futuri, rarò etiam ex inſtantis, aut facti. [8] Sæpe autẽ res nũ ſit, nécne, ſed qualis ſit, quæritur: vt cùm L. Opimij cauſſam defendebat apud populum audiente me C. Carbo Conſul, nihil de C. Gracchi nece negabat, ſed id iure pro ſalute patriæ factum eſſe dicebat: vt eidem Carboni Tribuno pleb. alia tum mente Rempub. capeſſenti, Publ. Africanus de Tiberio Graccho interroganti reſponderat iure cæſum videri. [9] Iure autem omnia defenduntur, quæ ſunt eius generis, vt aut oportuerit, aut licuerit, aut neceſſe fuerit, aut imprudentia, aut caſu facta eſſe videantur. [10] Iam quid vocetur quæritur, quum quo verbo quid appellandum ſit, contenditur: vt mihi ipſi cum hoc Sulpitio fuit in Norbani cauſſa ſumma contentio. Pleraque enim de ijs quæ ab iſto obijciebantur, quum confiterer, tamen ab illo maieſtatem imminutam negabam: ex quo verbo lege Apuleia tota illa cauſſa pendebat. [11] Atq; in hoc genere cauſſarum nonnulli præcipiunt, vt verbum illud quod cauſſam facit, lucidè, breuiter vterq; definiat. Quod mihi quidem perquàm puerile videri ſolet. Alia eſt enim, quum inter doctos homines de ijs ipſis rebus quæ verſantur in artibus, diſputatur, verborum definitio: vt quum quæritur quid ſit ars, quid ſit lex, quid ſit ciuitas. In quibus hoc præcipit ratio atq; doctrina, vt vis eius rei quam definias, ſic exprimatur, vt neq; abſit quicquam, neq; ſuperſit: [12] quod quidem in illa cauſſa neq; Sulpitius fecit, neq; ego facere conatus ſum. Nam quantum vterq; noſtrûm potuit, omni copia dicendi dilatauit, quid eſſet maieſtatem minuere. Etenim definitio primùm reprehenſo verbo vno, aut addito, aut dempto, ſæpe extor-

extorquetur è manibus: deinde genere ipſo doctrinam redo
let, exercitationemq́ penè puerilem: tum & in ſenſum &
in mentem iudicis intrare non poteſt. antè enim præterla-
bitur, quàm percepta eſt. [11] Sed in eo genere in quo quale
ſit quid, ambigitur, exiſtit etiam ex ſcripti interpretatione
ſæpe contentio: in quo nulla poteſt eſſe niſi ex ambiguo con-
trouerſia. Nam illud ipſum, cùm ſcriptum à ſententia diſ-
crepat, genus quoddam habet ambigui: quod tum explica-
tur, cùm ea verba quæ deſunt, ſuggeſta ſunt, quibus additis,
defenditur ſententiam ſcripti perſpicuam fuiſſe: & ex con-
trarijs ſcriptis ſi quid ambigitur, nō nouum genus naſcitur,
ſed ſuperioris generis cauſſa duplicatur: idq́ aut nunquam
dijudicari poterit, aut ita dijudicabitur, vt referendis præte
ritis verbis id ſcriptum quodcunq́ defendimus, ſuppleatur.
Ita fit, vt vnum genus in ijs cauſis, quæ propter ſcriptum am
biguntur, relinquatur, ſi eſt ſcriptum aliquid ambiguè.
[14] Ambiguorum autem complura genera ſunt, (quæ mihi
videntur melius ij noſſe, qui dialectici appellantur: ij autem
noſtri ignorare, qui non minus noſſe debeant) tum illud eſt
frequentiſſimum in omni conſuetudine vel ſermonis, vel ſcri
pti, cùm idcircò aliquid ambigitur, quòd aut verbum, aut
verba ſint prætermiſſa. [15] Iterum autem peccant, cùm ge-
nus hoc cauſſarum, quod in ſcripti interpretatione verſa-
tur, ab illis cauſis in quibus qualis quæq́ res ſit, diſceptatur,
ſeiungunt. Nuſquam enim tam quæritur quale ſit genus
ipſum rei, quàm in ſcripto: quod totum à facti controuerſia
ſeparatum eſt. [16] Ita tria ſunt omnino genera, quæ in diſce
ptationem & controuerſiam cadere poſſunt, quid fiat, fa-
ctum, futurúmue ſit, aut quale ſit, aut quomodo nominetur.
Nam illud quidem, quod quidam Græci adiungūt, rectène

factum ſit, totum in eo eſt quod quale ſit quærimus. Sed iam ad inſtitutum reuertar meum.

1 Tria ſunt ab Antonio hactenus diſputata, materies oratoris, natura, & imitatio: materies ipſa, quam τεχνολογία Antonij deinceps explicabit, poſita eſt in lite & deliberatione: natura complectitur excellentes dotes elocutionis & actionis: imitatio proponit ſibi optimos quoſque oratores, quos tum in ſcribendo, tum in loquendo ſequatur: atque hæc tria legitimam & forenſem exercitationem præcedunt: ſequitur forenſis inſtitutio, quæ docet qualem ſe præſtare debeat orator in cauſſis. Cauſſas igitur accipit primùm orator à litigatore, deinde agit. In ſuſcipiendis cauſſis hoc primùm decretum eſt, vt cauſſa ab oratore penitùs cognoſcatur. De quo Fab. Quintil. cap. 8. lib. 12. 2 Probatio primi decreti conſtat ex diſſimilibus. Declamator non præcipiet in ſchola pueris, vt cauſſam penitùs cognoſcant, quia declamationum controuerſiæ faciles ſunt: at forenſis magiſter idipſum oratorib. præcipiet, quia ignoratione cauſſæ ſæpe cauſſa amittitur. 3 Secunda pars diſſimilitudinis exornatur factis oratorum diſſimiliter inter ſe collatis: quod alij de rebus incognitis turpiter, alij de cognitis, planeq; perſpectis rectè dicant: in priore parte notatur triplex offenſio cauſſidicorum, cauſſas incognitas agentium, negligentia, perfidia, & tarditas: in poſteriore laudatur exemplum & factum Antonij diligentiſſimè omnia meditantis, quæ ad oblatam ſibi cauſſam pertinent: atque in perſona Antonij deſcribitur diligens & accurata ratio præmeditationis ex circunſtantiis perſonarum, & loci, & temporis, & cæterarum rerum, quæ in cauſſa verſantur, quæ monitio ſingularis & eximia eſt, quam vtinam actores ciuilium cauſſarum diligẽter hiſce temporibus obſeruarẽt. 4 Suſcipimus totum, recipimus partem (vt ait Aſconius in Cic. Diuinat.) vel quod magis huic loco congruit, ſuſcipimus rem, quam nulla interpoſita fidei obligatione, faciendam curamus: recipimus verò ſanctius in noſtram fidem, noſtrumque periculum. Cicero, Ego in hoc iudicio Siculorum cauſſam receptam populi Romani ſuſceptam eſſe arbitror. 5 Concludit primum præceptũ repetita ſumma proximæ diſſimilitudinis. 6 Secundum præceptum eſt, vt ſtatus cauſſæ, & genus ipſum quæſtionis, in quo cardo totius cauſſæ vertitur, ab oratore cognoſcatur: qua occaſione digreditur Antonius in partitionem ſtatuum ciuilium tribus generibus concluſam, an ſit aliquid, quale ſit, & quid ſit: ſed hæc tota deſcriptio eſt ab vſu artis penitùs aliena. nam ſi quæſtionum ciuilium partitio & diſtinctio facienda eſſet, idcircò fieret, quòd diuerſarum quæſtionum diuerſæ eſſent artes: nec vna & generalis tradi poſſet: at verò ita ſe res habet, vt omnes controuerſiæ ciuiles communibus rhetoricæ & forenſis artis legibus & præceptis inſtruantur: vna enim & communis eſt earum rerum inuentio, communis diſpoſitio, communis memoria, communis elocutio, communis actio. 7 Primus ſtatus declaratur exemplis, & diuiditur in tres ſpecies, an factum, an inſtãs, an futurum ſit, appellatur à Rhetoribus ſtatus coniecturalis, à coniectura, id eſt, directione rationis ad veritatẽ: & inficialis ab inficiatione facti. Lege Quintilianum lib. 3. & 7.

In Diuinat.

8 Secundus ſtatus item exemplis illuſtratur in cauſſis de nece Gracchorum: nam Carbo defendit C. Gracchum à Q. Opimio conſule iure cæſum fuiſſe, propter agrariarum legum ſeditiones: & Africanus in maxima concione ciuium dicere non dubitauit, Tib. Gracchum à Scipione Naſica iure ſibi cæſum videri, quo reſponſo populus indignatus eſt, vt ait Plutarchus. 9 Status iuris & qualitatis apud rhetores paſſim & vulgò bifariam diſtinguitur, vt alter dicatur abſolutus, cùm factum abſolutè & ſimpliciter iure & æquitate & honeſtate defendimus, & id fieri vel oportuiſſe, vel licuiſſe dicimus, vt ab Opimio Gracchum publicæ ſalutis gratia interfici, ab Oreſte Clytemneſtram matrem necari, vlciſcendi patris gratia: alter aſſumptiuus ſit, vt cùm facto culpa aliqua ſubeſſe videatur, id tamen i-

pſum

pſum aliqua iuris probabili ratione defendimus: ex quo genere eſt purgatio & deprecatio, cùm aut aliter fieri nó potuiſſe, aut imprudentia, aut caſu factum eſſe quippiam dicimus. Quære exempla apud Fab. lib. 7. 10 Tertius ſtatus, in quo quæritur de facti nomine, declaratur cauſſa C. Norbani, qui à Sulpitio poſtulatus erat reus imminutæ maieſtatis. nam lege Apuleia, ſi quis maieſtatem publicam minuiſſet, id capitale erat: Antonius autem negabat imminutam eſſe maieſtatem: itaque quæſtio fuit, quo nomine appellandum eſſet factum C. Norbani Trib. pleb. aduerſus Q. Seruilium Cæpionem. 11 Antonius reprehendit rhetoricum præceptum de ratione definiendi, vt ſit breuis definitio: argumẽtum eſt à diſſimilibus, q; alia ſit definitio doctrinæ in tradendis artibus, alia eloquentiæ in explicandis cauſſis ciuilibus. Fab. Quintil. hunc locum explicat cap. 3. lib. 7. Agenti verò quæ tanta eſt huius præciſæ comprehenſionis neceſſitas? an ſi non dixero, homo eſt animal rationale, mortale, non potero expoſitis tot corporis animique proprietatibus latius oratione ducta, vel à diis eum, vel à mutis diſcernere? Quid? quod nec vno modo definitur res eadem, ſed latiore varioque tractatu? vt facit Cicero, vt omnes oratores plerumque fecerunt. Rariſſima enim apud eos reperietur illa ex conſuetudine philoſophorum ducta ſeruitus: eſt enim certè ſeruitus ad certa ſe verba aſtringendi, idque faciendum in libris Ciceronis de oratore vetat M. Antonius: nam eſt etiam periculoſum, cùm, ſi vno in verbo ſit erratum, tota cauſſa cecidiſſe videatur, optimaque eſt media illa via, qua vtitur Cicero pro Cecinna, vt res proponatur, verba non periclitentur. Etenim recuperatores non ea ſola vis eſt, quæ ad corpus noſtrum vitamque peruenit, ſed etiam maior multò ea, quæ periculo mortis iniecto, formidine animum perterritum loco ſæpe & certo ſtatu dimouet: aut cùm finitionem præcedit probatio, vt in Philippicis Cicero Seruium Sulpitium occiſum ab Antonio colligit, & in clauſula demùm ita finit. Is ei profectò mortem attulit, qui cauſſa mortis fuit. non negauerim tamen hæc quoq;, vt expedit cauſſæ, eſſe facienda, & ſi quando firma comprehendi poterit, & breui complexu verborum finitio, eſſe tum id elegans, tum etiam fortiſſimũ, ſi modò erit illa inexpugnabilis. 12 Negat dialecticã legem, nequid in definitione prætermittatur, nequid redũdet, pertinere ad diſceptationes rerum forenſium: primum argumentum eſt ab exemplo ſuo, & Sulpitij in Norbani cauſſa: ſecundum, quòd talis definitio facilè euertatur, ſi verbum aliquod ſit falſum, vt ſi definiatur homo animal irrationale: aut ſi definitio parum plena ſit, vt ſi definiatur ſacrilegium, ſurripere aliquid ſacri: addendum enim eſt ex loco ſacro: aut ſi redundans, vt ſi definias hominem animal rationale, plenum intelligentiæ & memoriæ: duobus enim primis vocabulis perfecta erat definitio: tertium, quòd ratio breuiter definiendi perſpicuitatem & intelligentiam impediat earum rerum, quæ definiuntur: in definiendo autem non tam breuitatis ratio habenda ſit, quàm perſpicuitatis: nam duæ principes & primæ virtutes definitionis, ſunt perſpicuitas & proprietas: tertia breuitas eatenus in diſciplinis laudatur, vt facilius rerum definitiones memoriæ mandari poſſint: cui legi popularis ſermo interdum obſequitur, ſæpiſſimè etiam non obſequitur. 13 Status legales reuocantur ad quæſtionem qualitatis, vt conſtat inductione duorum generum, in quibus ambiguè ſcriptum, quod efficit controuerſiam, verſatur in qualitate iuris: atq; hìc admonet Antonius, vt ambiguè, id eſt, non ſatis explicatè ſcriptum, addendis quibuſdam verbis ſuppleatur, quia ſublata ambiguitate controuerſia tollitur. 14 Duo ſunt in hoc genere capita reprehenſionis aduerſus rhetoras, (nam hoc toto dialogo Cicero in perſona Antonij videri vult Ariſtarchus, & cenſor rhetorũ) vnum, quod ab iis ignorentur ambigui genera, quæ dialectici melius & tradunt & tenẽt, vt Ariſtoteles in Elenchis tres ambigui modos fecit & docuit. 15 Alterũ caput eſt, q; imperitè rhetores legales controuerſias à ſuperioribus generibus quæſtionũ diſtinxerint, cũ recidãt omnes in quæſtioné qualitatis: quo argumento Cic. ſeipſum damnare videtur, qui in aliis rhetoricis libris

eam diſceptationum diſtinctionem adhibuerit,& ſtatus legales à ſtatu qualitatis à ratione & præceptis ſeparauerit. 16 Concludit partitionem quæſtionum ciuilium tribus expoſitis generibus,perfectam & completam eſſe.

[1] *Cum igitur accepto cauſſæ genere, & cognito, rem tracta re cœpi, nihil prius conſtituo, quàm quid ſit illud quò mihi referenda ſit omnis illa oratio, quæ ſit propria quæſtionis & iudicij: deinde illa duo diligentiſſimè conſidero, quorum alterum commendationem habet noſtram, aut eorum quos defendimus: alterum eſt accommodatum ad eorum animos, apud quos dicimus, ad id quod volumus, commouendos. Ita ratio omnis dicendi tribus ad perſuadendum rebus eſt nixa; vt probemus vera eſſe ea quæ defendimus, vt conciliemus nobis eos qui audiunt, vt animos eorum ad quemcunque cauſſa poſtulabit motum, vocemus.* [2] *Ad probandum autem duplex eſt oratori ſubiecta materies: vna, rerum earum, quæ non excogitantur ab oratore, ſed in re propoſita ratione tractantur, vt tabulæ, teſtimonia, pacta, conuenta, quæſtiones, leges, ſenatuſconſulta, res iudicatæ, decreta, reſponſa, & reliqua, ſi quæ ſunt, quæ non ab oratore pariuntur, ſed ad oratorem à cauſſa atque à reis deferuntur. Altera eſt, quæ tota in diſputatione & argumentatione oratoris collocata eſt. Ita in ſuperiore genere de tractandis argumentis: in hoc autem, etiam de inueniendis cogitandum eſt.* [3] *Atque iſti quidem qui docent, cùm cauſſas in plura genera ſecuerunt, ſingulis generibus argumentorum copiam ſuggerunt. Quod etſi ad inſtituendos adoleſcentulos magis aptum eſt, vt ſimul ac poſita ſit cauſſa, habeant quò ſe referant, vnde ſtatim expedita poſſint argumenta depromere:* [4] *tamen & tardi ingenij eſt riuulos conſectari, fontes rerum non videre: etiam ætatis eſt, vſusque noſtri, à capite quod velimus arceſſere, & vnde omnia manant videre. Et primum genus illud earum rerum*

rum, quæ ad oratorem deferuntur, meditatum nobis in perpetuum ad omnẽ vſum ſimilium rerum eſſe debebit.[5] Nam & pro tabulis, & contra tabulas: & pro teſtibus, & contra teſtes: pro quæſtionibus, & contra quæſtiones: & item de cæteris rebus eiuſdem generis vel ſeparatim dicere ſolemus de genere vniuerſo, vel definitè de ſingulis temporibus, hominibus, cauſſis. Quos quidem locos (vobis hoc Cotta & Sulpiti dico) multa commentatione atq; meditatione paratos atq; expeditos habere debetis. Longum eſt enim nunc me explicare qua ratione aut confirmare, aut infirmare teſtes, tabulas, quæſtiones oporteat. Hæc ſunt omnia ingenij vel mediocris, exercitationis autem vel maximæ: artem quidem & præcepta duntaxat hactenus requirunt, vt certis dicendi luminibus ornetur.[6] Itemq; illa, quæ ſunt alterius generis, quæ tota ab oratore pariuntur, excogitationem non habent difficilem, explicationem magis illuſtrem perpolitamq; deſiderant. Itaq; cùm hæc duo nobis quærenda ſint in cauſſis, primùm quid, deinde quomodo dicamus alterum, quod totum arte tinctum videtur, tametſi artem requirit, tamen prudentiæ eſt penè mediocris, quid dicendum ſit, videre. Alterum eſt, in quo oratoris vis illa diuina virtuſq; cernitur, ea quæ dicenda ſunt, ornatè, copioſè, varièq; dicere.[7] Quare illam partem ſuperiorem, quoniam ſemel ita vobis placuit, non recuſabo quò minus perpoliam atque conficiam: quantum conſequar vos iudicabitis, quibus ex locis ad eas tres res quæ ad fidem faciendam ſolæ valent, ducatur oratio, vt & concilientur animi, & doceantur, & moueantur. Hæc ſunt enim tria numero: ea verò quemadmodum illuſtrentur, præſto eſt qui omnes docere poſſit, qui hoc primus in noſtros mores induxit, qui maximè auxit, qui ſolus effecit.[8] Nam

que ego Catule,(dicam enim non reuerens aſſentandi ſuſpicionem) neminem eſſe oratorem paulo illuſtriorem arbitror,neq; Græcum,neq; Latinum,quem ætas noſtra tulerit, quem non & ſemper & diligenter audierim. Itaq; ſi quid eſt in me (quod iam ſperare videor,quoniam quidem vos his ingenijs homines tantùm operæ mihi ad audiendum datis) ex eo eſt,quòd nihil quiſquam vnquam me audiente egit orator,quod nō in memoria mea penitùs inſederit. Atq; ego is qui ſum, quantuſq; ſum,adiudicandus omnibus auditis oratoribus,ſine vlla dubitatione ſic ſtatuo & iudico, neminem omnium tot & tanta quanta ſint in Craſſo,habuiſſe ornamenta dicēdi. Quamobrem ſi vos quoq; hoc idem exiſtimatis,non erit,vt opinor,iniqua partitio,ſi cùm ego hunc oratorem,quem nunc fingo,vt inſtitui, [9] *crearo, aluero,confirmaro,tradam eum Craſſo & veſtiendum,& ornandum.* [10] *Tum Craſſus,Tu verò,inquit,Antoni,perge vt inſtituiſti. Neq; enim boni eſt,neq; liberalis parentis,quem procrearit & eduxerit, eum non & veſtire, & ornare, præſertim cùm te locupletem eſſe negare non poſsis. Quod enim ornamentum, quæ vis, qui animus, quæ dignitas illi oratori defuit,qui in cauſſa perorandā nō dubitauit* [11] *excitare reum conſularem,& eius diloricare tunicam,& iudicibus cicatrices aduerſas ſenis imperatoris oſtendere? Qui idem hoc accuſante Sulpitio, cùm hominem ſeditioſum furioſumq; defenderet,non dubitauit ſeditiones ipſas ornare,ac demonſtrare grauiſsimis verbis multos ſæpe impetus populi non iniuſtos eſſe,quos præſtare nemo poſsit: multas etiam à Republ. ſeditiones ſæpe eſſe factas,* [12] *vt cùm reges eſſent exacti, vt cùm tribunitia poteſtas eſſet conſtituta: illam Norbani ſeditionem, ex luctu ciuium, & ex Cæpionis odio,* [13] *qui exercitum*

tum amiſerat, neq; reprimi potuiſſe, & iure eſſe conflatam. Potuit hic locus tam anceps, tam inauditus, tam lubricus, tam nouus, ſine quadam incredibili vi ac facultate dicendi tractari? Quid ego de Cn. Manlij, quid de Q. Regis commiſeratione dicam? quid de alijs innumerabilibus? in quibus hoc non maximè enituit, quod tibi omnes dant, acumen quoddam ſingulare: ſed hæc ipſa quæ nunc ad me delegare vis, ea ſemper in te eximia & præſtantia fuerunt. 14 *Tum Catulus, Ego verò, inquit, in vobis hoc maximè admirari ſoleo, quòd cùm inter vos in dicẽdo diſſimilimi ſitis, ita tamen vterq; veſtrum dicat, vt ei nihil neq; à natura denegatum, neq; à doctrina non delatum eſſe videatur. Quare Craſſe neq; tu tua ſuauitate nos priuabis, vt ſi quid ab Antonio aut prætermiſſum, aut relictum ſit, non explices: neque te Antoni, ſi quid non dixeris, exiſtimabimus non potuiſſe potius, quàm à Craſſo dici maluiſſe.*

1 Antonius tranſit à duobus præceptis de meditatione cauſſarum & diſtinctione ſtatuum ad doctrinam inuentionis, quæ ſuppeditat argumenta ad probandam aut refellendam cauſſam, cuius doctrinæ primam & generalem diſtributionem inueſtigat ex officiis oratoris: vt enim hæc numero tria ſunt, docere, mouere, delectare: ſic triplex eſt inuentio, vna fidei, altera motus, tertia delectationis. Sed in hoc doctrinæ veſtibulo duo præmonenda eſſe arbitror: vnum, artem inuentionis Rhetoricæ partem falsò aſcribi, & cum rhetoricis præceptis alieno loco temerè & confusè perturbari, quia dialecticæ artis pars ſit. Alterum vitioſo argumento partitionem inuentionis concludi: nam quamuis orator, id eſt, actor ciuilium cauſſarum debeat auditorem docere, mouere, delectare, nõ tamen inde poteſt effici, vt tria ſint quaſi membra inuentionis, quia duæ illæ laudes poſtremæ multarum artium communes ſunt, non rhetoricæ propriæ: nec ſolùm ex communibus eloquentiæ partibus, ſed etiam ex philoſophia morali, & aliis pleriſque diſciplinis communiter ſumuntur. 2 Accedit ad primam inuẽtionem fidei, id eſt, doctrinam argumentorum, quorum generalis diuiſio ex Ariſtotelis libris rhetoricis deprompta eſt in expertia artis & artificialia: ſic enim Ariſtoteles libro 1. ad Theodect. ſcribit: τῶν δὲ πιστέων αἱ μὲν ἄτεχνοί εἰσιν, αἱ δ᾽ ἔντεχνοι· ἄτεχνα δὲ λέγω, ὅσα μὴ δι᾽ ἡμῶν πεπόρισται, ἀλλὰ προϋπῆρχεν, οἷον μάρτυρες, βάσανοι, συγγραφαί· ἔντεχνα δὲ, ὅσα διὰ τῆς μεθόδου, καὶ δι᾽ ἡμῶν κατασκευασθῆναι δυνατόν. ὥστε δεῖ τούτων τοῖς μὲν χρήσασθαι, τὰ δὲ εὑρεῖν id eſt, Probationum aliæ ſunt expertes artis, aliæ artificiales: artis expertes dico, quæ à nobis non inueniuntur, ſed extrinſecùs aſſumuntur, vt teſtes, cruciatus, ſcripta, artificiales verò, quæ ratione & via à nobis excogitari poſſunt. Itaque ex his

aliæ tractandæ, aliæ inueniendæ ſunt. Sed (pace Ariſtotelis & Antonij dixerim) hæc duo genera non ſatis acutè diſtinguntur: argumenta ſiquidem prioris generis etiam ab oratore plerunque inueniuntur, non extrinſecùs aſſumuntur, vt leges, ſenatuſconſulta, res iudicatæ, decreta, reſponſa, teſtimonia philoſophorum & poëtarum, quæ imperitus litigator ſuppeditare non poſſit: & argumenta ſecundi generis interdum à litigatore ad oratorem deferuntur, vt cauſſæ, facta, circumſtantiæ rerum, & qualitates perſonarum. Itaq; vitioſa eſt vtraque definitio, quia falſa & impropria. Nec verò doctrina argumentorum ideò vocatur inuẽtio, quòd ſuppeditet per ſe argumẽta, ſed quòd modum quendam quærendi, & conſilium inueſtigandi præbeat, quòd tam in primo, quã in ſecundo genere valet. 3 Rhetores tot inuentiones faciunt, quot ſunt genera quæſtionum ciuilium: & ſingulis proprios locos accommodant, vt laudationibus tria genera bonorum, deliberationibus vtile, poſſibile, honeſtum, facile, iucundũ: iudiciis in coniectura, cauſſa, facta, ſigna, circunſtantias, teſtes, tabulas, &c. In definitione, locos definiendi: in qualitate, partes iuris & æquitatis. Quam turbam & multitudinẽ ſpecialium inuentionum Antonius partim excuſat, partim damnat, ſed neutrum rectè: nam quòd ait ſpeciales locos ad inſtituendos adoleſcentes magis aptos eſſe, id vt credam, adduci nullo modo poſſum: propoſita enim quauis quæſtione, ſi loci generales perluſtrentur, facilius & promptius vel pueris apparebit, quid quaque de re dici poſſit, quàm ex illis ſpecialibus ſingularum cauſſarum locis & præceptis: neque verò hi loci ſpeciales idcirco damnandi ſunt, quòd acutos, aut ingenioſos homines nihil adiuuent, vt putat Antonius: ſed quia generalis inuentio omnibus omnium generum quæſtionibus tractandis ſufficiat. 4 Allegoria fit ex continuatis metaphoris, vbi per riuulos intelligimus locos ſpeciales ex fontibus, id eſt generalibus locis diductos: & caput dicitur generalis argumentorum doctrina, vnde manant ſpecialia præcepta cauſſarum ciuilium. 5 Antonius non vitupe rat præcepta de probationibus externis, ſed eorum vſum & exercitationem magis laudat, quàm doctrinam ipſam: quia laus omnis oratoris in actione cauſſarum conſiſtit. Ariſtoteles lib. 1. ad Theod. deſcripſit locos pro teſtibus, contra teſtes: pro tabulis, contra tabulas: pro quæſtionibus, contra quæſtiones: cæteraque eiuſdem generis: idemque fecit Cicero in veteri Rhetorico, & in Partitionibus oratoriis. 6 Indicat facilem fuiſſe topicam doctrinam argumentorum inſitorum: rhetoricam verò tractationem & elocutionem eſſe difficilem: idq; ait Antonius, vt occaſionem aliquam captet diſtribuendo ſibi cum Craſſo muneris in hoc dialogo de Oratore. 7 Partitur cum Craſſo totam technologiam oratoriam ſic, vt ipſe de inuentione, diſpoſitione, & memoria dicturus ſit, Craſſus de elocutione & actione: quæ partitio ex decoro & qualitate perſonarum facta eſt: nam vt Antonius magis prudens, quàm eloquens fuit, ſic Craſſus plus eloquentiæ, quàm prudentiæ habuit: atque hæc diſtinctio diligenter animaduertenda eſt: videtur enim Cicero naturali quodam lumine contra magiſtrorum ſuorum artes & præcepta in hanc partitionem incidiſſe, & duas artes, Dialecticam & Rhetoricam perſonis & præceptis diſtinxiſſe: vt inuentio, diſpoſitio, & memoria, quę dialecticis propriè tribuuntur, ſeparatim ab Antonio tractentur: elocutio autem & actio, quæ rhetoricæ ſunt, Craſſo demandentur, quæ naturalis & vera harum duarum artium diſtinctio eſt. 8 Præmunitio ad confirmãdum teſtimonium iudicij, quod Antonius de Craſſi eloquentia acturus eſt: ne ſine cauſſa munus hoc de ornamẽtis eloquentiæ exponendis ad Craſſum deferri videatur. 9 Allegoria à liberis, qui procreantur, aluntur, confirmantur, & veſtiuntur, ſignificat tres partes primas, inuentionem, diſpoſitionem, & memoriam, quaſi ſubſtantiam rei, naturamque complecti, elocutionem & actionem velut ornamenta extrinſecùs accedere. 10 Craſſus ad ſeruandum decorum & ætatis & perſonæ, recuſat ſecundam partem propoſitæ diſputationis de ornamentis eloquentiæ: recuſationis duo ſunt argumenta. primum, quo proxima allegoria feſtiuè refellitur ſpe

cie

cie quadam repugnantium, quæ ſunt, aliquem procrςare, & non veſtire: alterum ab adiunctis Antonij, Tu es oratoria ſupellectile locuples, oratorē igitur veſtire & ornare potes. Hoc ſecundum argumentum de oratoriis diuitiis Antonij comprobatur quatuor cauſſis ab Antonio ornatiſſimè defenſis. Pro M. Aquilo, Caio Norbano, Cn. Manlio, & Q. Martio rege. 11 M. Aquilius Conſul bellum ſeruile concitatum confecit, cùm de pecunijs repetundis cauſſam diceret, ipſe rogare iudices noluit: M. Antonius qui pro eo cauſſam orabat, tunicam à pectore eius diſcidit, vt honeſtas cicatrices oſtenderet, quibus conſpectis, indubitanter abſolutus eſt: vt ait Florus: lege etiam Ciceronem actione 7. in Verrem, & Fab. lib. 2.

12 Populus Romanus, inſtigante Iunio Bruto, concitatus ad vindicandum Lucretiæ dedecus, Tarquinium regem cum liberis in exilium egit: idem poſtea cùm nexu fœneratorum premeretur, armatus in ſacrum montem ſeceſſit, nec prius pacari potuit, quàm plebeios in vrbe magiſtratus obtinuiſſet. hinc initium tribunitiæ poteſtatis. 13 A Cymbris C. Manlius & Q. Seruilius Cœpio proconſules victi prælio, caſtriſque binis exuti ſunt, octoginta millia militum occiſa, calonum & lixarum quadraginta millia. 14 Catulus ſenex non ſine cauſſa velut moderator ſermonis interponitur: non enim decet Craſſum ea ætate & grauitate virum non ſine magni cuiuſdam hominis auctoritate ad hunc penè puerilem & ioculatorium ſermonem induci. Argumentum Catuli Craſſo & Antonio commune eſt ex cauſſis efficientibus, hoc modo: Craſſus & Antonius natura & doctrina plurimùm valent & excellunt. Itaque nobis orandi ſunt, vt aliquid viciſſim ſuæ ſuauitatis impertiant.

Hic Craſſus, [1] *Quin tu, inquit, Antoni, omittis iſta quæ propoſuiſti, quæ nemo horum deſiderat, quibus ex locis ea quæ dicenda ſint in cauſſis, reperiantur. Quæ quanquam abs te nouo quodam modo, præclareq́ dicuntur, ſunt tamen & re faciliora, & præceptis peruagata. Illa deprome nobis, vnde afferas quæ ſæpiſſimè tractas, ſemperq́ diuinitùs. Depromam equidem, inquit Antonius: & quò faciliùs id à te exigā quod peto, nihil tibi à me poſtulanti recuſabo.* [2] *Meæ totius orationis, & iſtius ipſius in dicendo facultatis, quam modò Craſſus in cœlum verbis extulit, tres ſunt rationes, vt antè dixi: vna conciliandorum hominum, altera docendorum, tertia concitandorum. Harum trium partium prima lenitatem orationis, ſecunda acumen, tertia vim deſiderat. nam hoc neceſſe eſt, vt is qui nobis cauſſam adiudicaturus ſit, aut inclinatione voluntatis propendeat in nos, aut defenſionis argumentis adducatur, aut animi permotione cogatur.* [3] *Sed quoniam illa pars, in qua rerum ipſa-*

rum explicatio ac defenſio poſita eſt, videtur omnem huius generis quaſi doctrinam cõtinere: de ea primùm loquemur, & pauca dicemus. Pauca enim ſunt, quæ vſu iam tractata, & animo quaſi habere notata videamur. Ac tibi ſapienter monenti L. Craſſe libenter aſſentiemur, vt ſingularum cauſſarum defenſiones, quas ſolent magiſtri pueris tradere, relinquamus: aperiamus autem ea capita, vnde omnis ad omnem & cauſſam & orationem diſputatio ducitur. Neq; enim quoties verbũ aliquod eſt ſcribendum nobis, toties eius verbi literæ ſunt cõgitatione conquirendæ: nec quoties cauſſa dicenda eſt, toties ad eius cauſſæ ſepoſita argumenta reuolui nos oportet: ſed habere certos locos, qui vt literæ ad verbum ſcribendum, ſic illi ad cauſſam explicandam ſtatim occurrant. [4] *Sed hi loci ei demum oratori prodeſſe poſſunt, qui eſt verſatus in rebus, vel vſu, quem ætas deniq; affert: vel auditione & cogitatione, quæ ſtudio & diligẽtia præcurrit ætatem. Nam ſi tu mihi quamuis eruditum hominem adduxeris, quamuis acrem & acutum in cogitando, quamuis ad pronunciandum expeditum: ſi erit idem in conſuetudine ciuitatis, in exemplis, in inſtitutis, moribus ac voluntatibus ciuium ſuorum hoſpes, non multum ei loci proderunt illi, ex quibus argumẽta promuntur.* [5] *Subacto mihi ingenio opus eſt, vt agro non ſemel arato, ſed nouato & iterato, quò meliores fœtus poſsit & grandiores edere. Subactio autem eſt vſus, auditio, lectio, literæ.* [6] *Ac primùm naturã cauſſæ videat, quæ nunquam latet, factúmne ſit quæratur, an quale ſit, an quod nomen habeat: quo perſpecto, ſtatim occurrit naturali quadam prudentia, non his ſubductionibus, quas iſti docẽt, quid faciat cauſſam, id eſt, quo ſublato controuerſia ſtare non poſsit: deinde quid veniat in iudicium, quod iſti ſic iu-*

bent

bent quærere: Interfecit Opimius Gracchum. Quid facit cauſſam? Quòd Reipub. cauſſa, eum ex S.C. ad arma vocaſſet. Hoc tolle, cauſſa non erit. At idipſum negat contra leges licuiſſe Decius. Veniet igitur in iudicium, licuerítne ex S.C. ſeruandæ Reipub. cauſſa. Perſpicua ſunt hæc quidem, & in vulgari prudentia ſita: ſed illa quærenda, quæ ab accuſatore & defenſore argumenta ad id, quod in iudicium venit, ſpectantia debeant afferri. [7] Atq; hîc illud videndum eſt, in quo ſummus eſt error iſtorum magiſtrorum, ad quos liberos noſtros mittimus, non quò hoc quidem ad dicendum magnopere pertineat, ſed tamen vt videatis quàm ſit genus hoc eorum qui ſibi eruditi videntur, hebes atq; impolitum. Conſtituunt enim in partiendis orationum modis duo genera cauſſarum. Vnum appellant, in quo ſine perſonis atq; temporibus de vniuerſo genere quæratur: alterum, quod perſonis certis & temporibus definiatur: ignari omnes controuerſias ad vniuerſi generis vim & naturam referri. [8] Nam in ea ipſa cauſſa, de qua antè dixi, nihil pertinet ad oratoris locos Opimij perſona, nihil Decij: de ipſo enim vniuerſo genere infinita quæſtio eſt, num pœna videatur eſſe afficiendus, qui ciuem ex S.C. patriæ conſeruandæ cauſſa interemerit, cùm id per leges non liceret. Nulla denique eſt cauſſa, in qua id quod in iudicium venit, ex reorum perſonis, ac non generum ipſorũ vniuerſa diſputatione quæratur. [9] Quinetiam in ijs ipſis vbi de facto ambigitur, cœperítne contra leges pecunias P. Decius, argumenta & criminum & defenſionis reuocentur oportet ad genus, & ad naturam vniuerſam: quòd ſumptuoſus, de luxuria: quòd alieni appetens, de auaritia: quòd ſeditioſus, de turbulentis & malis ciuibus, quòd à multis arguitur, de genere teſtium: contráq; quæ pro

reo dicentur, omnia neceſſariò à tempore atq; homine ad communes rerum & generũ ſummas reuoluentur. [10] *Atque hæc forſitan homini non omnia quæ ſunt in natura rerum, celeriter animo comprehẽdenti, permulta videantur, quæ veniant in iudicium tum, cùm de facto quæratur: ſed tamen criminum eſt multitudo, non defenſionum aut locorum, infinita.* [11] *Quæ verò cùm de facto non ambigitur, quæruntur qualia ſint ea, ſi ex reis numeres, & innumerabilia ſunt, & obſcura: ſi ex rebus, valde & modica, & illuſtria. Nam ſi Mancini cauſſam in vno Mancino ponimus, quotieſcunq; is quem Paterpatratus dediderit, ſi is nõ ſit receptus non erit, toties cauſſa noua naſcetur. Sin illa controuerſia cauſſam facit; videatúrne ei quẽ Paterpatratus dediderit, ſi is non ſit receptus, poſtliminium eſſe: nihil ad artem dicendi, nec ad argumenta defenſionis, Mancini nomen pertinet:* [12] *ac ſi quid affert præterea hominis aut dignitas, aut indignitas, extra quæſtionem eſt: & ea tamen ipſa oratio ad vniuerſi generis diſputationem referatur neceſſe eſt.* [13] *Hæc ego non eo conſilio diſputo, vt homines eruditos redarguam: quanquam reprehendendi ſunt qui in genere definiendo iſtas cauſſas deſcribunt in perſonis & in temporibus poſitas eſſe. Nam etſi incurrũt tempora & perſonæ, tamen intelligendum eſt, non ex ijs, ſed ex genere quæſtionis pendere cauſſas. Sed nihil ad me: nullum enim nobis certamen cum iſtis eſſe debet: tantũ ſatis eſt intelligi, ne hoc quidem eos conſecutos, quod in tanto otio etiam ſine hac forenſi exercitatione efficere potuerunt, vt genera rerum diſcernerent, eáq; paulò ſubtilius explicarent. Verùm hoc (vt dixi) nihil ad me.* [14] *Illud ad me, ac multò etiam magis ad vos, Cotta noſter, & Sulpiti: quomodo nunc ſe iſtorum artes habent,*

bent,

*bent,pertimeſcenda eſt multitudo cauſſarum: eſt enim in-
finita. Si in perſonis ponitur,quot homines, tot cauſſæ: ſin
ad generum vniuerſas quæſtiones referuntur, ita modicæ
& paucæ ſunt,vt omnes eas diligentes & memores & ſobrij
oratores percurſas animo & propè decantatas habere de-
beant.* [15] *Niſi fortè exiſtimatis à M.Curio cauſſam didiciſ-
ſe L.Craſſum,& ea re multum attuliſſe,quamobrem Poſt-
humo non nato Curium tamen hæredem Coponij eſſe oporte-
ret. Nihil ad copiam argumentorum,neque ad cauſſæ vim
ac naturam,nomen Coponij ac Curij pertinuit: in genere
erat vniuerſo rei negotijq́, non in tempore ac nominibus, o-
mnis quæſtio, cùm ſcriptum ita ſit: Si mihi filius ita gigni-
tur,iſq́ prius moritur, & cætera: tum,vt mihi ille ſit hæres.
Si natus filius non ſit, videatúrne is qui filio mortuo inſtitu-
tus hæres ſit,hæres eſſe. Perpetui iuris & vniuerſi generis
quæſtio,nō hominum nomina,ſed rationem dicendi,& ar-
gumentorum fontes deſiderat.* [16] *In quo etiam iſti nos Iuriſ-
conſulti impediunt, à diſcendóq́ deterrent. Video enim in
Catonis & Bruti libris nominatim ferè referri quid alicui
de iure,viro aut mulieri reſponderint, credo vt putaremus,
in hominibus,non in re conſultationis aut dubitationis cauſ-
ſam aliquam fuiſſe: vt quòd homines eſſent innumerabiles
debilitati à iure cognoſcendo, voluntatem diſcendi ſimul
cum ſpe perdiſcendi abijceremus. Sed hæc Craſſus aliquando
nobis expediet, & exponet deſcripta generatim.* [17] *Eſt e-
nim, ne fortè neſcias, heri nobis ille hoc Catule pollicitus, ſe
ius ciuile,quod nunc diffuſum & diſſipatum eſt, in certa ge-
nera coacturum,& ad artē facile redacturum. Et* [18] *qui-
dem, inquit Catulus, haudquaquam id eſt difficile Craſſo,
qui & quod diſci potuit de iure, didicit: & quod ijs qui*

eum docuerunt, defuit, ipſe affert, vt quæ ſint in iure, vel acutè deſcribere, vel ornatè illuſtrare poſſit. Ergo iſta, inquit Antonius, tum à Craſſo diſcemus, [19] cùm ſe de turba, & à ſubſellijs in otium (vt cogitat) ſolitudinemq́; contulerit. Iam id quidem ſæpe, inquit Catulus, ex eo audiui, quum diceret ſibi certum eſſe à iudicijs cauſſisq́; diſcedere: ſed vt ipſi ſoleo dicere, non licebit. Neq; enim ipſe auxilium ſuum ſæpe à viris bonis fruſtra implorari patietur, neque id æquo animo feret ciuitas: quæ ſi voce L. Craſſi carebit, ornamento quodam ſeſe ſpoliatam putabit. Nam hercle, inquit Antonius, ſi hæc verè à Catulo dicta ſunt, tibi mecum in eodem eſt piſtrino Craſſe viuẽdum, [20] & iſtam oſcitantem & dormitantem ſapientiam, Scæuolarum & cæterorum beatorum otio cõcedamus. Arriſit hic Craſſus leuiter, &, [21] Pertexe modò, inquit, Antoni, quod exorſus es: me tamen iſta oſcitans ſapientia, ſimul atque ad eam confugero, in libertatem vindicabit. Huius [22] quidem loci, quem modò ſum exorſus, hic eſt finis, inquit Antonius, quoniam intelligitur non in hominum innumerabilibus perſonis, neq; in infinita temporum varietate, ſed in generum cauſſis atq; naturis omnia ſita eſſe quæ in dubium vocarentur: genera autem eſſe definita non ſolùm numero, ſed etiam paucitate: vt eam materiem orationis, quæ cuiuſque eſſet generis, ſtudioſi qui eſſent dicendi, omnibus locis deſcriptam, inſtructam, ornatámque comprehenderent, rebus dico & ſententijs. Ea vi ſua verba parient, quæ ſemper ſatis ornata mihi quidem videri ſolent, ſi eiuſmodi ſunt, vt ea res ipſa peperiſſe videatur.

1 Craſſus indicat aſſenſum ſuum, non tam apertè annuendo, quàm Antonium cohortando ad aggrediendam priorem partem muneris in proxima diſtributione propoſiti, vt exponat Antonius, quid orator dicturus ſit: quibus verbis

tres

tres partes prudentiæ ſignificantur, inuentio, diſpoſitio, & memoria: atque hìc
Cicero (ſicut ante fecit in perſona Craſſi & Antonij) videri vult non tritas & com
munes rhetorum artes dialogis oratoriis celebrare, ſed nouas potius & inauditas
ex vſu forenſi depromere, quem ex multis magniſque cauſſis ipſe conſecutus e-
rat: vt initio lib. 1. de ſeipſo teſtatur. 2 Partitio inuentionis in tria genera, fi-
dei, motus, & delectationis, iteratur, quam partitionem dicimus inelegantem &
ineruditam eſſe, quia motus & delectatio communiter ex omnibus eloquentiæ
partibus ſumuntur: nec ſolam inuentionem requirunt, nec aliis argumentorum
locis, quàm fidei tractantur. 3 Propoſitio eſt de prima inuẽtione fidei, in qua
promittit Antonius generalem argumentorum doctrinam, damnatis ſpeciali-
bus inuentionibus, quas rhetores accommodant ad ſingula genera cauſſarum:
atque illam generalem topicæ inuentionis doctrinam comprobat Grammatica
literarum ſimilitudine: quod argumentum non ſolùm veriſſimum eſt, ſed etiam
ad rem ipſam declarandam maximè idoneum: nam vtraque ars tota communis
eſt: vt igitur grammatica orthographia communes omnium dictionum ſcriben
darum, ſic dialectica inuentio communes omnium argumentorum inuenien-
dorum leges profeſſione ſua complecti debet. 4 Locos appellat ex Græco-
rum conſuetudine generalia præcepta de argumentis, cuiuſmodi ſunt defini-
tiones & diuiſiones ſummæ & primæ argumentorum, quas Græci τόπους dixe-
runt, & eam diſciplinam τοπικὴν, metaphora ſumpta à rebus abſconditis, quæ
notato & demonſtrato loco facilè inueniuntur, non quòd hæc ſcientia protinus
nobis argumentum, quod de re propoſita dici poſſit, adferat & ſuppeditet, ſed
quòd deſcripta rationum ſumma genera doceat, quæ nobis inueniendæ ſunt, at-
que idcircò hæc ars non tam pueris prodeſt rudibus & ignaris, quàm adultis ho-
minibus, qui magnam rerum ſcientiam & vſum tenẽt: ex hac arte pueri primùm
diſcunt quæ ſint argumentorum genera, & cùm aliquod argumentum occurrit
in bonis auctoribus legendis, intelligunt quale ſit, & ad quod genus referri de-
beat: deinde ab hac parte monentur, vt ad explicandam rem quampiam quærãt,
& inueniant argumenta ex omnibus locis: argumentorum autem copia & facul-
tate non donantur, ſed eam ex aliis artibus & diſciplinis ſumunt. vt ſi de virtute
diſſerendum ſit, philoſophia moralis tibi ſuppeditabit rationes & probationes,
topica verò diſciplina te docebit, cuius generis quæque ratio ſit, quam vim ad
docendum habeat. Doctis itaque & expertis hominibus tantò vtilior erit hæc
topica inuentio, quàm pueris, quantò vtilius eſt mentem, &c. vſu & magna re-
rum varietate refertam habere, quàm leges artis nudas, & vſu vacuas tantùm per-
cipere. 5 Alludit per allegoricam ſimilitudinem ad agros, qui vt fertilitatis au
gendæ gratia non ſolùm ſemel, ſed ſæpius arantur: ſic hominis ingenium ad pa-
riendam rerum prudentiam, & copiam, varia & multiplici exercitatione exco-
lendum eſt. 6 Digreditur Antonius in quæſtionem, & inculcat rurſus præ-
ceptum de percipiendo genere quæſtionis & ſtatu cauſſæ, quò referuntur om-
nia: nihil tamen admodum intereſt ad inuentionis vſum ſcire, quo genere quæ-
ſtio contineatur: quia vna eſt generalis omnium quæſtionum inuentio: rheto-
res autem genera quæſtionis idcircò diſtingunt, quòd non vnam & communem
doctrinam inuentionis eſſe arbitrantur, ſed imperitè ſingulis quæſtionibus ſuos
locos attribuunt in cauſſis ciuilibus. Conflictionum formula ferè talis eſt, vt pri
ma ſit actoris intentio, ſecunda depulſio à reo facta, depulſioniſque protinus
addita ratio, quam Græci αἴτιον vocant: tum ad labefactandam rationem ab a-
ctore oppoſitam argumentum, quod Græcè συνέχον, Latinè continẽs & firma-
mentum appellatur. Ex rationis autem & firmamenti conflictione exoritur
κρινόμενον, iudicatio & diſceptatio, in qua quid deueniat in iudicium, & de quo
diſceptetur, quæri ſolet. Lege Ciceronem in Partitionibus. 7 Alterum caput
digreſſionis eſt, vbi reprehendit Antonius rhetoras, non quòd vitioſè quæ-

ſtionem partiantur in duo genera, vnum infinitum, alterum finitum: ſed quòd non doceant in ſcholis & libris ſuis quæſtionem finitam, detractis circunſtantiis ad infinitam eſſe reuocandam, vt res ipſa generatim quæratur & diſceptetur, ex cuius conſideratione & diſputatione dependet omne iudicium finitæ quæſtionis, quod quidem iudex in omnibus litium diſceptationibus facit, nec prius (vt proximo exemplo vtar) iudicat ab Opimio ſeditioſum ciuem Gracchum, licèt indemnatum, ſibi iure cæſum videri, quàm iudicauerit omnē ſeditioſum ciuem Reipublicæ cauſſa licèt indemnatum, ex ſenatuſconſulto, à conſule iure interfici: quod cùm generatim probatur, quæſtio eſt infinita, cùm verò approbatum & iudicatum eſt, migrat in propoſitionem ſyllogiſmi, ex cuius abundanti lumine finita quæſtio probatur, & concluditur hoc modo,

Omnis ſeditioſus ciuis Reipub. gratia, licèt indemnatus, ex ſenatuſconſulto, iure cæditur à Conſule:

C. Gracchus fuit ſeditioſus ciuis:

Iure igitur C. Gracchus Reipubl. gratia, licèt indemnatus, ex ſenatuſconſulto cæditur à Conſule.

Atq; etiam orator cùm apud ſe de cauſſa iudicat, vtitur iſta reuocatione, ſed cùm in foro cauſſam agit & diſputat, non ſemper abit in communes locos, ſed multis argumentis ſpecialibus, ex perſona, aut tempore, aut loco, aut alia huiuſmodi circunſtantia natis, propoſitam quæſtionem tractat. 8 Antonius approbat reuocationem quæſtionis finitæ ad infinitam, exemplis per ſingula quæſtionum ciuilium genera, an ſit, quale ſit, & quid ſit: in quibus exemplis res ipſa nimis ſimpliciter & nudè dicitur. nam & Opimij & Decij cauſſæ, & facta, & reliqua argumenta quæri poſſunt, & quæſtiones finitæ ſpecialibus argumentis, ſine vlla generali diſputatione nonnunquam tractantur: nec conſequens eſt, ſi ad probandam ſpecialem quæſtionem generalis oratio adhibeatur, idcircò ſpeciales quæſtionis finitæ circunſtantias, nihil ad artis vſum pertinere. 9 Exemplum eſt de ſtatu coniecturali in cauſſa P. Decij, qui præuaricationis poſtulatus eſt, quòd accepta pecunia præuaricatus eſſet in accuſatione Opimij: quo in genere communes quidem loci ad illuſtrandum & probandum valent, vt ſi reus ſit ſumptuoſus, de luxuria: ſi auarus, de auaritia: ſi ſeditioſus, de ſeditione: communiter & in genere dicamus: ſed tamen ſine his etiam quæſtio facti demonſtrari & probari poteſt ex cauſſis, factis, circunſtantiiſque perſonæ. 10 Exempla de quæſtionibus facti poſſunt eſſe, ſed ars ipſa certis & finitis præceptis comprehenſa eſt, vt conſtat ex rhetoricis libris Ariſtotelis & Ciceronis. 11 Exemplum eſt de ſtatu nominis & definitionis ad theſim reuocando, quæ quidem reuocatio ad faciendum iudicium, & ad tollendam controuerſiam propriam, magnum habet momentum: ſed tamen intelligendum eſt argumenta etiam ex ſingulis circunſtantiis erui, ſicut modò dicebamus de ſtatu coniecturæ & facti: & Cicero in aliis rhetoricis libris oſtendit: quinetiam quæſtiones infinitæ ſpecialibus argumentis interdum diſputantur. Itaque licèt iudicium litis maximè pendeat ex vniuerſi generis cognitione & diſceptatione, litis tamen ipſius tractatio & explicatio cauſſis, effectis, circunſtantiis, diſſentaneis, ſimilibus, diſſimilibus, notatione, coniugatis, diuiſione, definitione, & teſtimoniis indiget: iiſque modò generatim, modò ſpeciatim, prout res ipſa poſtulat, explicatis, vt indicant orationes Demoſthenis & Ciceronis. 12 Digreſſiones quæ ſunt extra cauſſam de hominum laude aut vituperatione vtuntur interdum communibus locis: ſic enim Cicero ad laudandum Archiam tractauit communem interdum poëtarum, & in Piſonem communi loco vſus eſt, quòd omnes improbi ſint mente capti, vt demonſtraret Piſonem & Gabinium furioſos eſſe, & dementes, & veſanos, ſed tamen non eſt ſemper neceſſaria iſta reuocatio, nec à Cicerone facta ſemper fuit, quoties in hominum dignitatem aut indignitatem digreſſus eſt. 13 Prolepſis eſt ad declinandam ſuſpicionem affectatæ contentionis, & tamen continuatur rhetorum reprehenſio, qui

cauſſas

cauſſas certis circunſtantiis definiunt: ſed argumentum refutationis perleue eſt: nam quamuis ex diſputatione generali ſpecialis quæſtio diiudicetur, poteſt tamen citra generis diſputationem probari (vt antè dictum eſt) &, quod reprehendit Antonius, tam multas artes quæſtionũ tractandarum rectè & verè, meo quidem iudicio, reprehendit, quemadmodum aliàs docuimus planè & facilè: quòd verò damnat partitionem quæſtionum, quia hypotheſis ad theſim referatur, in hoc falli & decipi videtur: non enim impedit iſta relatio, quò minus duo genera quæſtionis & ratione & re diſtingui & ſeparari poſſint. 14 Hoc argumentum contradictionis nihil eſſe admodum arguit: ſit enim cauſſarum infinita multitudo, quid tum? ſingulis enim rebus, quæ ſunt infinitæ numero, certus & finitus generum numerus datur, quia omnes forenſes controuerſiæ rerum ſingularum tribus concluduntur generibus, an ſit, quid ſit, & quale ſit: atque etiam hic labitur Antonius: aliud enim eſt loqui de generibus quæſtionum, aliud de rebus his, quæ quæruntur: & quamuis ſpeciales quæſtiones interdum ad generales referantur, non ſequitur tamen non eſſe duo genera quæſtionis, vnum finitum, & alterum infinitum, itemque duobus iſtis generibus certas & paucas eſſe ſpecies ſubiectas: hæc enim reuocatio rationes duorum generum minimè confundit, aut impedit. 15 Approbat reuocationem finitæ quæſtionis ad infinitam exemplo Craſſi in cauſſa Curiana, vbi ex teſtamento patrisfamiliâs de iure hæreditatis generatim diſputatum fuit. 16 Antonius digreditur à rhetoribus ad ſimilem reprehenſionẽ iuriſperitorum: nam vt illi de ſingulis, non de vniuerſis cauſſis, & rerum generibus præcipiunt, ſic hi nominatim & ſpeciatim de iure cauent, cùm potius generales iuris & actionum leges & formulas præſcribere debeant: hæc tamen ſimilitudinis illatio parum cum antecedentibus cohæret, quia rhetores non ſcribunt nominatim de hac vel illa lite, ſicut M. Cato & Brutus in ſuis libris nominatim retulerunt, quid alicui de iure viro aut mulieri reſpondiſſent: Rhetorica enim forenſis forenſes controuerſias non ſigillatim (quod infinitum eſſet) ſed generatim deſcribit. 17 Heſternum Craſſi promiſſum de explicando iure ciuili repetitur: hoc enim Craſſus ſe facturum, ſi vita ſupereſſet, heri pollicitus fuerat, vel potius Cicero in perſona Craſſi: conſtituerat enim in libris de legibus deſcribere vniuerſam artem iuris ciuilis, & libellum quendam de iure in artem reuocando ſcripſerat, quem citat Gellius cap. 22. lib. 1. 18 Craſſo non deeſt (ait Catulus) facultas explicandi iuris ciuilis, quia iuriſperitus eſt, quia dialecticus, quia orator: hæ ſiquidem tres ſunt cauſſæ principes ad artificioſam & legitimam & ornatam iuris ciuilis deſcriptionem, quarum prima materiem præbet, ſecunda ordinem & diſpoſitionem rerum, tertia lumẽ & ornatum orationis.

19 Sic Craſſus heſterno ſermone ait: Si aut mihi facere licuerit, quod iamdiu cogito, aut alius quiſpiam, aut me impedito occuparit, aut mortuo effecerit, vt primum omne ius in genera digerat, quæ perpauca ſunt, deinde eorum generum quaſi quædam membra diſpertiat, tum propriam cuiuſque vim definitione declaret, perfectam iuris ciuilis artem habebitis magis magnam atq; vberem, quàm difficilem & obſcuram. 20 Iocus eſt in Iureconſultos, qui in ſenectute ſedentes in hexedris, oſcitantes & dormitantes (qui mos eſt ſenum) conſultoribus ſuis de iure reſpondent: atque hic Antonius oſcitantem & dormitantem ſapientiam dixit per metonymiam pro Iureconſultis oſcitantibus & dormitãtibus. 21 Antonius facit duplicem concluſionem: vnam digreſſionis de iure ciuili, alteram ſuperioris diſputationis, vbi duo capita repetuntur & concluduntur: vnum, vt ad iudicandum de quæſtione finita, prius infinitam cognoſcamus & diiudicemus: alterum vt generales inuentionis locos vnde manat omne argumentum, deſcriptos & meditatos habeamus. 22 Metaphora à textoribus, qui primò telam ordiuntur, & orſam deinde texunt & abſoluunt.

[1] *Ac ſi verum quæritis, quod mihi quidem videatur (ni*

hil enim aliud affirmare poſſum niſi ſententiam & opinionem meam) hoc inſtrumentum cauſſarum & generum vniuerſorum in forum deſerre debemus: neq; vt quæq; res delata ad nos erit, tum denique ſcrutari locos, ex quibus argumenta eruamus: quæ quidem omnibus qui ea mediocriter modo conſiderarint, ſtudio adhibito & vſu pertractata eſſe poſſunt: ſed tamen animus referendus eſt ad ea capita, & ad illos, quos ſæpe iam appellaui locos, ex quibus omnia ad omnem orationem inuenta dicuntur. Atq; hoc totum eſt ſiue artis, ſiue animaduerſionis, ſiue conſuetudinis, [2] noſſe regiones intra quas venire debeas, & perueſtiges quod quæras. Ubi eum locum omnem cogitatione ſepſeris, ſi modo vſum rerum percallueris, nihil te effugiet: atq; omne quod erit in re, occurret atq; incidet. [3] Et ſic cùm ad inueniendum in dicendo hæc tria ſint, acumen, deinde ratio, quam licet (ſi volumus, appellemus artem, tertium diligentia: non poſſum equidem non ingenio primas concedere, ſed tamẽ ipſum ingenium diligentia etiam ex tarditate incitat. Diligentia, inquam, cùm omnibus in rebus, tum in cauſsis defendendis plurimùm valet. Hæc præcipuè colenda eſt nobis, hæc ſemper adhibenda, hæc nihil eſt quod non aſſequatur. Cauſſa vt penitùs (quod initio dixi) nota ſit, diligentia eſt. Ut aduerſarium attentè audiamus, atq; vt eius non ſolùm ſententias, ſed etiam verba omnia excipiamus, vultus deniq; perſpiciamus omnes, qui ſenſus animi plerunque indicant, diligentia eſt. Id tamen diſsimulanter facere, ne ſibi ille aliquid proficere videatur, prudentia eſt. Deinde vt in ijs locis, quos proponam paulò pòſt, peruoluatur animus, vt ſe penitùs inſinuet in cauſſam, vt ſit cura & cogitatione intentus, diligentia eſt. Ut his rebus adhibeat tanquam lumen aliquod

memo-

memoriam, vt vocem, vt vires: hæc magna ſunt. [4] *Inter ingenium quidem & diligentiam perpaululum loci reliquum eſt arti. Ars demonſtrat tantùm vbi quæras, atq; vbi ſit illud quod ſtudeas inuenire. Reliqua quæ ſunt in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, aßiduitate, labore, complectar vno verbo, quo ſæpe iam vſi ſumus, diligentia: qua vna virtute omnes virtutes reliquæ continentur.* [5] *Nam orationis quidem copia videmus vt abundent philoſophi, qui (vt opinor, ſed tu hæc Catule melius) nulla dant præcepta dicendi, nec idcircò minus quæcunque res propoſita eſt, ſuſcipiunt, de qua copioſè & abundanter loquantur. Tum* [6] *Catulus, Eſt, inquit, vt dicis, Antoni, vt pleriq; philoſophi nulla tradant præcepta dicendi, & habeant paratum tamen quid de quaque re dicant. Sed Ariſtoteles, is quem maximè ego admiror, propoſuit quoſdam locos, ex quibus omnis argumentatio non modò ad philoſophorum diſputationem, ſed etiam ad hanc, qua in cauſſis vtimur, inueniretur:* [7] *à quo quidem homine iamdudum Antoni non aberrat oratio tua, ſiue tu ſimilitudine illius diuini ingenij in eadem incurris veſtigia, ſiue etiam illa ipſa legiſti atque didiciſti: quod quidem mihi magis veriſimile videtur. Plus enim te operæ Græcis dediſſe rebus video, quàm putâram.* [8] *Tum ille, Verum, inquit, ex me audies Catule. Semper ego exiſtimaui iucundiorem & probabiliorem huic populo oratorem fore, qui primùm quàm minimam artificij alicuius, deinde nullam Græcarum rerum ſignificationem daret. Atq; ego idem exiſtimaui pecudis eſſe, non hominis, quum tantas res Græci ſuſciperent, profiterentur, agerent, ſeſeq; & videndi res obſcurißimas, & bene viuendi, & copioſè dicendi rationem hominibus daturos pollicerentur, non admouere*

aurem: & ſi palàm audire eos non auderes, ne minueres apud tuos ciues authoritatem tuam; ſubauſcultando tamen excipere voces eorum, & procul, quid narrarent, attendere. Itaq; feci Catule, & iſtorum omnium ſummatim cauſſas & genera ipſa guſtaui. [9] *Valde hercule, inquit Catulus, timidè, tanquam ad aliquem libidinis ſcopulum, ſic tuam mentem ad philoſophiam appuliſti, quam hæc ciuitas aſpernata nunquam eſt. Nam & referta quondam Italia Pythagoreorum fuit, tum quum erat in hac gente magna illa Græcia: ex quo etiam quidam Numam Pompilium illum Regem noſtrum, fuiſſe Pythagoreorum ferunt, qui annis permultis antè fuit, quàm ipſe* [10] *Pythagoras: quo etiã maior vir habendus eſt, cùm illam ſapientiam conſtituendæ ciuitatis duobus propè ſeculis antè cognouit, quàm eam Græci natam eſſe ſenſerunt. Et certè non tulit vllos hæc ciuitas aut gloria clariores, aut authoritate grauiores, aut humanitate politiores, P. Africano, C. Lælio, L. Furio, qui ſecum eruditiſſimos homines ex Græcia palàm ſemper habuerunt.*
[11] *Atque ego ex iſtis ſæpe audiui, cùm dicerent, pergratum Athenienſes & ſibi feciſſe, & multis principibus ciuitatis, quòd cùm ad ſenatum legatos de ſuis maximis rebus mitterent, tres illius ætatis nobiliſſimos philoſophos miſiſſent, Carneadem, & Critolaum, & Diogenem. Itaq; eos dum Romæ eſſent, & à ſe, & ab alijs frequenter auditos: quos tu cùm haberes auctores Antoni, miror cur philoſophiæ, ſicut* [12] *Zetus ille Pacuuianus, propè bellum indixeris.* [13] *Minimè, inquit Antonius: ac ſic decreui philoſophari potiùs, vt Neoptolemus apud Ennium, paucis. nam omnino haud placet. Sed tamen hæc eſt mea ſententia, quam videbar expoſuiſſe. Ego iſta ſtudia nõ improbo, moderata modò ſint. Opinionem*

iſtorum

iſtorum ſtudiorum, & ſuſpicionem artificij apud eos qui res iudicet, oratori aduerſariam eſſe arbitror. Imminuit enim & oratoris authoritatem, & orationis fidem. [14] *Sed vt eò reuocetur, vnde huc declinauit oratio, ex tribus iſtis clariſsimis philoſophis, quos Romam veniſſe dixiſti, videſne Diogenem fuiſſe, qui diceret* [15] *artem ſe tradere benè diſſerendi, & vera ac falſa dijudicãdi, quam verbo Græco διαλεκτικὴν appellaret?* [16] *In hac arte, ſi modò eſt hæc ars, nullum eſt præceptum quomodo verũ inueniatur, ſed tantùm eſt quomodo iudicetur. Nam & omne quod eloquimur, fit vt id aut eſſe dicamus, aut non eſſe: &, ſi ſimpliciter dictum ſit, ſuſcipiunt dialectici vt iudicent, verúmne ſit, an falſum: &, ſi coniunctè ſit elatũ, & adiuncta ſint alia, iudicent, recténe adiuncta ſint, & veráne ſumma ſit vniuſcuiuſque rationis: & ad extremũ ipſi* [17] *ſe compungunt ſuis acuminibus,* [18] *& multa quærendo, reperiunt non modò ea, quæ iam non poſſint ipſi diſſoluere, ſed etiam quibus antè exorſa, vel potius detexta, propè retexantur. Hic nos igitur Stoicus iſte nihil adiuuat: quoniam quemadmodum inueniam quid dicam, non docet: atq; idem etiam impedit, quòd & multa reperit, quæ neget vllo modo poſſe diſſolui:* [19] *& genus ſermonis affert non liquidum, nõ fuſum ac profluens, ſed exile, aridum, conciſum, ac minutum: quod ſi quis probabit, ita probabit, vt oratori tamen aptum eſſe non fateatur. Hæc enim noſtra oratio multitudinis eſt auribus accommodanda, ad oblectandos animos, ad impellendos ad ea probanda, quæ non aurificis ſtatera, ſed quadam populari trutina examinantur. Quare iſtam artem totam dimittamus,* [20] *quæ in excogitandis argumentis muta nimium eſt, in iudicandis nimium loquax.* [21] *Critolaum iſtum, quem ſimul cum Dioge-*

ne veniſſe commemoras, puto plus huic ſtudio noſtro prodeſſe potuiſſe: erat enim ab iſto Ariſtotele, à cuius inuentis tibi ego videor non longè aberrare. [22] *Atq; inter hunc Ariſtotelem, cuius & illum legi* [23] *librum, in quo expoſuit dicendi artes omnium ſuperiorũ, & illos in quibus ipſe ſua quadam de eadem arte dixit, & hos germanos huius artis magiſtros, hoc mihi viſum eſt intereſſe, quòd ille eadem acie mentis, qua rerum omnium vim naturamq; viderat, hæc quoq; aſpexit, quæ ad dicendi artem, quam ille deſpiciebat, pertinebant: illi autem qui hoc ſolum colendum ducebant, laborarunt in hac vna ratione tractanda, non eadẽ prudentia qua ille, ſed vſu in hoc vno genere ſtudioq; maiore.* [24] *Carneadis verò vis incredibilis illa dicẽdi & varietas perquàm eſſet optanda nobis, qui nullam vnquam in illis ſuis diſputationibus rem defendit, quam non probarit: nullam oppugnauit, quam non euerterit: ſed hoc maius eſt quiddam, quàm ab ijs qui hæc tradunt, & docent, poſtulandum ſit.*

1 Antonius rurſus approbat generalem inuentionis artem, & arti coniunctam exercitationem, quæ ſententia veriſſima eſt, ſed tamen in doctrina diſpoſitionis ſpeciales cauſſarum ciuilium locos rhetorum more tradet, quaſi oblitus & immemor huius inſtituti ſui. 2 Allegoria à venatoribus, qui per veſtigia regiones, in quibus feræ latent, notas habent: ſic orator debet habere notos inuentionis locos, vnde requirat argumentum. 3 Facultas inueniendi tribus rebus conſtat, & perficitur, natura, doctrina, & exercitatione: quod commune eſt omnium virtutum, quæ ad humanitatem pertinent: & de tribus illis rebus exercitatio & exercitationis vtilitas magno & illuſtri præconio laudatur inductione earum rerum, quas in cauſſis agendis oratori parit induſtria & diligentia, quæ ſunt cognitio cauſſæ, intelligentia rerum, quæ ab aduerſario dicuntur, perluſtratio argumentorum, memoria, & dignitas actionis. 4 Cùm in oratore natura & diligentia plurimùm valent, perpaululum loci reliquum eſt arti, id eſt, ars non multum adiuuat, nec eſt in magno precio: tum enim natura & diligentia primas obtinent. Fabius libro ſecundo in conſummatis oratoribus plus tribuit arti, quàm naturæ: ſed artis nomine doctrinam & exercitationem comprehendit. 5 Confirmat diligentiæ laudem exemplo ſpeciali philoſophorum, qui ſine arte, adhibita exercitatione, optimè & ornatiſſimè dicunt: ergo ad res magnas diligentia per ſe multum valet. 6 Catulus videtur Antonio leuiter reſiſtere exemplo item ſpeciali: Ariſtoteles philoſophus & orator inuentionis locos propoſuit, quos Antonius ſequitur: ergo philoſophi etiam præcepta dicendi docuerunt: Ariſtoteles quos locos in topicis expoſuit ad philoſophorum diſputationem, eoſdem ferè adhibuit libro ſecundo ad Theodecten: & appellat communes locos ciuilium

cauſſarum : hi autem ſunt in rhetoricis, contrarium, ſimile, relatio, maiora, minora, paria, tempus, dicta retorta, definitio, ambiguum, partitio, inductio, iudicatum, partes, conſequens, proportio, diſſimile, fines, repugnans, cauſſæ, poſſibile melius, perperam facta, nomen: in quibus locis ſunt quædam vera & generalia nomina topicæ doctrinæ, ſed tamen generatim: neque dialecticè definiuntur, neque ad omnem omnium quæſtionum vſum accommodantur: quædam verò dialecticum nihil habent. 7 Hic locus indicat topicam Ciceronis doctrinam ex Ariſtotelis libris ſumptam eſſe: quod etiam Cicero teſtatur in epiſtola ad Lentulum: Scripſi Ariſtotelico more, quemadmodum quidem volui, tres libros in diſputatione & dialogo de Oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles: abhorrent enim à communibus præceptis, & omnem antiquorum & Ariſtotelicam & Iſocraticam dicendi rationem complectuntur. 8 Hoc initium eſt nouæ digreſſionis, vbi Antonius detegit conſilium ſuum, cur in vulgus diſſimulare ſoleat Græcarum artium ſcientiam: ſumma totius digreſſionis hæc eſt, Eloquentiam & philoſophiam, & cæteras artes in foro quidem diſſimulandas, ſed tamen oratori cognoſcendas eſſe, vel ſaltem deguſtandas.

9 Catulus iocatur in Antonium ex ſimilibus: vt nautæ ad ſcopulos Sirenum timidè accedunt, metuunt enim naufragium: ſic Antonius philoſophiam vix audet attingere: hunc igitur Craſſus vehementius hortatur ad philoſophiæ ſtudium, propoſitis domeſticis exemplis, & per gradus variorum temporum deductis: Multi in Italia philoſophiam coluerunt, vt Pythagorei, regnante Numa Pompilio, & exinde Romani, quo tempore Carneades, Diogenes & Critolaus legati Romam venerunt: horum igitur adductus exemplo philoſophiam colito. 10 Pythagoras Samius floruit in ea parte Italiæ, quæ magna Græcia dicta eſt, regnante Tarquinio Superbo, vt ait Cicero Tuſcul.1. Fuit alius Pythagoras Spartanus, qui temporibus Numæ (vt quidam aiunt) venit in Italiam, multáque Numam docuit, quæ ad religionem pertinebant. Lege Plutarchum in vita Numæ. 11 Carneades Academicus, Critolaus Peripateticus, & Diogenes Stoicus philoſophi legati Romam venerunt, vt Athenienſium ciuitatem quingentis talentis, quibus Oropiorum poſtulatione à Sicyoniis indicta cauſſa mulctata fuerat, liberarent: quo tempore magnus principum Romanorum concurſus ad eos audiendos quotidie fiebat, è quibus hic nominantur Publ. Africanus minor, C. Lælius, & L. Furius. Lege Plutarchum in Catone Cenſorio, & Aul. Gellium cap.14. lib.7. 12 Zethus, Iouis & Antiopes filius, apud Pacuuium diſputat cum Amphione fratre de Muſica, vt homo ab omnibus artibus alieniſſimus: atque hæc diſputatio in ſapientiæ rationem & virtutis vtilitatem conſumitur, vt ait Cicero lib.2. de Inuent. 13 Antonius probat in oratore moderatum philoſophiæ ſtudium requiri exemplo ſimili: Vt Neoptolemus apud Ennium ait philoſophandum eſſe imperatori, ſed paucis: ſic oratori faciendum eſt. Eadem ſententia diſputatur à Craſſo lib.3. de Orat. In cauſſis verò ciuilibus diſſimulandum eſſe eloquentiæ & philoſophiæ ſtudium putat Antonius, quia opinio doctrinæ apud iudices & populum oratoribus obeſt. 14 Antonius, ſumpta ex tribus philoſophis occaſione, diſputat quæ philoſophorum doctrina minus oratori conueniat, & quæ magis apta conueniensque ſit: ac primùm dialecticam Stoicorum ſummatim ita percurrit, vt neget eam ad oratoris vſum pertinere: quod etiam tertio libro de Oratore, & in libro de Claris oratoribus confirmatur: ars tamen dialectica eadem penè tradebatur à Stoicis & à reliquis philoſophis ſaltem ea quæ continet iudicandi leges, ſed exercitationis ratio diſſimilis erat: Stoici enim aridius & ieiunius diſputabant, reliqui copioſius & ornatius: non ergo dialecticam artem Stoicorum prorſus aſpernabitur orator: nam & Cicero ipſe hanc ex Diodoro Stoico didicit: ſed Stoicam ieiunè diſſerendi conſuetudinem fugiet. 15 Dialecticæ definitio redundans eſt, quia vocabulo diſſerendi reliqua ſequentia comprehenduntur: vitioſum autē eſt in definitione aliquid ſuperuacuū ponere, quo

detracto, nihilo minus maneat integra definitio. 16 Eludit dialecticam artem Stoicorum primùm vt mancam & imperfectam, quia nihil ab illis traditur de inuentione argumentorum: deinde in altera parte quæ docet iudicandi vias, ſuperuacuam & redundantem: nō enim ſolùm Stoici de enuntiatis & ſyllogiſmis præcipiunt, ſed etiam de quibuſdam vanis & ineptis enuntiatorū & ſyllogiſmorum fallaciis, cuiuſmodi ſunt ἀδιάλυτον, χωρείτης, ψευδόμενον, & alia multa, de quibus Laërt. in Zenonis & Chryſippi vita. 17 Metaphora eſt ab apibus, quæ ſe ſuis aculeis minutis & acutis cōpungunt: ſic Stoici in diſputādo & altercando breuibus & acutis argumentis, quibus ſeſe mutuo feriunt, vtuntur. 18 Chryſippus Stoicus ait quædam eſſe enunciata ἀδιάλυτα, id eſt, inexplicabilia, & quum in dialecticis præcipiatur omne enuntiatum verum eſſe, aut falſum, poſtulat exceptionem dari in eiuſmodi enuntiatis, ex quibus cùm ſyllogiſmus contexitur, vt exempli gratia,

Si te mentiri dicis, verumque dicis, mentiris te, verum dicis:
Sed mentiri te dicis, verumque dicis:
Ergo mentiri te, verum dicis.

Chryſippus metuens repugnantium confeſſionem, ſyllogiſmum retexit, vt propoſitionem, quam putat eſſe inſolubilem, tollat. Quam Chryſippæam artem de inſolubilibus, & de retexēdis ob eam cauſſam ſyllogiſmis, Cicero, vt hìc, ſic in Lucullo meritò deriſit. 19 Antonius non improbat omnino philoſophiam Stoicorum, ſed oratori parum prodeſſe probat ad eloquentiam forenſem & popularem: idque tribus argumentis, quòd artes inuentionis non doceat, quòd obſcura ſit, quòd ieiuna & arida. Syllogiſmus ex duobus poſtremis argumentis ita fit,

Philoſophia Stoicorum obſcura eſt & arida:
Eloquentia forenſis nihil amat obſcurum & aridum:
Eloquentia igitur forenſis Stoicorum philoſophiam non amat.

20 Ars dialectica Stoicorum in excogitandis argumentis nimium muta eſt: quia quomodo argumentum inueniatur, nihil omnino docet: in iudicandis nimium loquax, quia nimis multa de enuntiatis, ſyllogiſmis, & fallacibus argutiis præcipit: de his enim Chryſippus edidit 310. volumina, vt ait Laërtius. 21 Philoſophia Peripateticorum & Academicorum eſt vberior & ornatior, maioremq; habet cognitionis vſum cum oratore: quod Craſſus docet lib. 3. de Oratore.

22 Comparat Ariſtotelem philoſophum cum rhetoribus, qui ſolam rhetoricam tenent & profitentur, quòd ille maiorem prudentiam quàm vſum, hi maiorem vſum quàm prudentiam ad explicationem eius artis adhibuerunt.

23 Librum illum Ariſtotelis, de quo hic agitur, etiam Cic. laudat lib. 2. de Inuentione: Ac veteres quidem (ait) ſcriptores artis vſque ab principe illo atque inuentore Tyſia repetitos vnum in locum conduxit Ariſtoteles: & nominatim magna conquiſita cura perſpicuè conſcripſit, atque enodata diligenter expoſuit, ac tantùm inuentoribus ipſis ſuauitate & breuitate dicendi præſtitit, vt nemo illorum præcepta ex ipſorum libris cognoſcat, ſed omnes qui quod illi præcipiant, velint intelligere, ad hunc quaſi ad quendam multò commodiorem explicatorem reuertantur. 24 Cic. lib. 3. de Oratore, Si illam (inquit) præclaram & eximiam ſpeciem oratoris perfecti, & pulchritudinem adamaſtis, aut vobis hæc Carneadæa, aut illa Ariſtotelæa vis comprehendenda eſt: Carneades (vt ait Laërtius) tantùm valuit in philoſophia, tantamque dicendi vim eſt conſecutus, vt oratores quoque ad eum audiendum conuenirent: erat illi vox grandis & canora, acriterque inuehebatur, & in quæſtionibus vinci non poterat.

[1] *Ego autem ſi quem nunc planè rudem inſtitui ad dicendum velim, his potius tradam aſſiduis vno opere eandem*

dem

dem [2] incudem, diem noctemq; tundentibus, qui omnes tenuiſſimas particulas, [3] atq; omnia minima, manſa (vt aiũt nutrices infantibus pueris) in os inſerant. Sin ſit is qui & doctrina mihi liberaliter inſtitutus, & aliquo iam imbutus vſu, & ſatis acri ingenio eſſe videatur, illuc eum rapiam, [4] vbi non ſecluſa aliqua aquula teneatur, ſed vnde vniuerſum flumen erumpat, & illi ſedes & tanquam domicilia omnium argumentorum commonſtret, & ea breuiter illuſtret, verbisq; definiat. [5] Quid enim eſt in quo hæreat, qui viderit omne quod ſumatur in oratione aut ad probãdum, aut ad refellendum, aut ex ſua ſumi vi atq; natura, aut aſſumi foris? [6] Ex ſua vi, cùm aut res quæ ſit tota quæritur, aut pars eius, aut vocabulum quod habeat, aut quippiam rem illam quod attingat: [7] Extrinſecùs autem, cùm ea quæ ſunt foris, neq; inhærent in rei natura, colliguntur. [8] Si res tota quæritur, definitione vniuerſa vis explicanda eſt, ſic: Si maieſtas eſt amplitudo ac dignitas ciuitatis, is eam minuit, qui exercitum hoſtibus populi Romani tradidit, nõ qui eum qui id feciſſet, populi Romani poteſtati tradidit. [9] Sin pars, partitione, hoc modo: Aut Senatui parendum de ſalute Reipublicæ fuit, aut aliud conſilium inſtituendum, aut ſua ſponte faciendum: Aliud conſilium, ſuperbum: ſuum, arrogans: vtendum igitur fuit conſilio Senatus. Sin ex vocabulo, vt Carbo: Si Conſul eſt qui conſuluit patriæ, quid aliud fecit Opimius? [10] Sin ab eo quod rem attingat, plures ſunt argumentorum ſedes ac loci. Nam & coniuncta quærimus, & genera, & partes generibus ſubiectas, & ſimilitudines, & diſſimilitudines, & contraria, & conſequentia, & conſentanea, & quaſi præcurrentia, & repugnantia: & cauſſas rerum veſtigabimus, & ea quæ ex cauſſis orta ſunt: &

maiora, paria, minora quæremus. [11] Ex coniunctis ſic argumenta ducuntur: Si pietati ſumma tribuenda laus eſt, debitis moueri, cùm Q. Metellum tam piè lugere videatis. [12] Ex genere autem: Si magiſtratus in populi Romani poteſtate eſſe debent, quid Norbanum accuſas, cuius tribunatus voluntati paruit ciuitatis? [13] Ex parte autem ea quæ eſt ſubiecta generi: Si omnes qui Reipubl. conſulunt, chari nobis eſſe debent: certè in primis Imperatores, quorum conſilijs, virtute, periculis, retinemus & noſtram ſalutem, & imperij dignitatem. [14] Ex ſimilitudine autem: Si feræ partus ſuos diligunt, qua nos in liberos noſtros indulgentia eſſe debemus? At ex diſsimilitudine: Si Barbarorum eſt in diem viuere, noſtra conſilia ſempiternum tempus ſpectare debēt. [15] Atq; vtroq; in genere & ſimilitudinis & diſsimilitudinis exempla ſunt ex aliorum factis, aut dictis, aut euentis, & fictæ narrationes ſæpe ponendæ. [16] Iam ex contrario: Si Gracchus nefariè, præclare Opimius. [17] Ex conſequentibus: Si & ferro interfectus ille, & tu inimicus eius cum gladio cruento comprehenſus es in illo ipſo loco, & nemo præter te ibi viſus eſt, & cauſſa nemini, & tu ſemper audax, quid eſt quod de facinore dubitare poſsimus? [18] Ex cōſentaneis & præcurrentibus, & repugnantibus, vt olim Craſſus adoleſcens: Non ſi Opimium defendiſti Carbo, idcircò te iſti bonum ciuem putabunt: ſimulaſſe te, & aliud quid quæſiſſe perſpicuum eſt, quòd Tib. Gracchi mortem ſæpe in concionibus deploraſti, quòd P. Africani necis ſocius fuiſti, quòd eam legem in tribunatu tuliſti, quòd ſemper à bonis diſſenſiſti. [19] Ex cauſsis autem rerum ſic: Auaritiam ſi tollere vultis, mater eius eſt tollenda luxuries. [20] Ex ijs autem quæ ſunt orta de cauſsis: Si ærarij copijs & ad belli adiumenta, & ad ornamenta pa-

cis

cis vtimur: vectigalibus ſeruiamus. Maiora autem & minora,& paria comparabimus ſic: [21] *Ex maiore: Si bona exiſtimatio diuitijs præſtat, & pecunia tantopere expetitur: quantò gloria magis eſt expetenda?* [22] *Ex minore ſic,*

—Hic paruæ conſuetudinis
Cauſſa, huius mortem fert tam familiariter.
Quid ſi ipſe amaſſet? quid mihi hic faciet patri?

[23] *Ex pari ſic: Eſt eiuſdem & eripere contra Rempubl.& largiri pecunias.* [24] *Foris autem aſſumuntur ea quæ non ſua vi,ſed extranea ſubleuantur, vt hæc: Hoc verum eſt: dixit enim Q. Lutatius. Hoc falſum eſt: habita enim quæſtio eſt. Hoc ſequi neceſſe eſt: recito enim tabulas. de quo genere toto paulò antè dixi.* [25] *Hæc vt breuiſſimè dici potuerũt, ita à me dicta ſunt. Ut enim ſi aurum cui, quod eſſet multifariam defoſſum, commonſtrare vellem, ſatis eſſe deberet, ſi ſigna & notas oſtenderem locorum, quibus cognitis ille ipſe ſibi ipſe foderet, & id quod vellet, paruulo labore, nullo errore inueniret: ſic has ego argumentorum noui notas, quæ illa mihi quærenti demonſtrant vbi ſint: reliqua cura & cogitatione eruuntur.* [26] *Quod autem argumẽtorum genus cuiq; cauſſarum generi maximè conueniat, non eſt artis exquiſitæ præſcribere. ſed eſt mediocris ingenij iudicare. Neq; enim nunc id agimus, vt artem aliquam dicendi explicemus, ſed vt doctiſſimis hominibus vſus noſtri quaſi quædam monita tradamus.* [27] *His igitur locis in mente & cogitatione defixis, & in omni re ad dicendum poſita excitatis, nihil erit quod oratorem effugere poſſit, non modo in forenſibus diſceptationibus, ſed omnino in vllo genere dicendi. Si verò aſſequetur, vt talis videatur, qualem ſe videri velit, & animos eorum ita afficiat apud quos aget, vt eos quocunque ve-*

lit vel trahere, vel rapere poſsit, nihil profectò præterea ad dicendum requiret. [28] *Iam illud videmus nequaquam ſatis eſſe, reperire quid dicas, niſi id inuentum tractare poſsis. Tractatio autem varia eſſe debet, ne aut cognoſcat artem qui audiat, aut defatigetur, ſimilitudinis ſatietate. Proponi oportet quid afferas, & id quare ita ſit, oſtendere, & ex iiſdem illis locis interdum concludere, relinquere aliâs, alióq; tranſire: ſæpe non proponere: ac ratione ipſa afferẽda, quid proponendum fuerit, declarare: ſi cui quid ſimile dicas, prius vt ſimile confirmes, deinde quod agitur adiungas, puncta argumentorum plerunq; vt occulas, ne quis ea numerare poſsit: vt re diſtinguantur, verbis confuſa eſſe videantur.*

1 Antonij ſententia eſt, quam antea quoque expoſuit, inſtituendis pueris magis aptos eſſe ſpeciales quæſtionum ciuilium locos: viris autem, id eſt, doctis, & iam vſu confirmatis, generales & vniuerſos argumentorum fontes potius inſpiciendos eſſe: ac primùm illud declarat allegorica ſimilitudine ſumpta à nutricibus, quæ vt minutos & præmanſos cibos pueris in os ingerunt, ſic rudibus doctrinam conciſam, & minutam, & ſpecialem, quaſi hæc facilius percipiatur, tradendam eſſe putat, vbi fallitur Antonius: quia generalis argumentorum doctrina non tantummodo facillimè & enucleatiſſime poteſt à magiſtris edoceri, ſed etiam à pueris percipi & cognoſci, eaque tota facilius à pueris ad vſum differendi accommodabitur, quàm confuſa & moleſta ſpecialium inuentionum multitudo: longè enim facilius pueri pauca argumentorum genera percipient, & quum differendum de quæſtione erit, animo & cogitatione peragrabunt, quàm conciſas, & minutas, & multas, & perplexas artes de ſtatibus, de ſingulis generibus cauſſarum, deque ſingulis partibus orationis vel animo tenere, vel mente percurrere, & ad vſum orationis transferre poſſint. Itaque ſi mihi puer inſtituendus ſit, malim eum ad fontes vniuerſos argumentorum deducere, quàm ei riuulos illos minus vberes indicare. 2 Allegoria à fabris, ferrum ſub incude tundentibus, & elaborantibus, quibus ſimiles ſunt magiſtri, qui aſſiduè pueris aliquid inculcãt, vt rude ingeniũ & impolitũ aſſiduitate laboris quaſi ſub incude formetur, & expoliatur. 3 Prouerbium à nutricibus ſumptũ ſignificat rem quampiam enucleatè & minutim pueris tradere, quò facilius animo percipiatur, & quaſi digerat: vt enim pueris nutrices præmanſos cibos, ſic magiſtri rudibus facilé & explanatã, & quaſi multa in fruſta diuiſam ſcientiam doctrinæ porrigũt. 4 Comparat allegoricè ſpeciales artes inuentionum aquulis multis per riuulos deductis, & generalem doctrinam fonti, vnde magnum flumen aquarum exilit: quæ comparatio longè veriſsima eſt: ex communibus enim locis copia nobis argumentorum ad omnem diſputationem ſuppetit, & ſpeciales loci manant à generalibus, ſubiiciunturque vel cauſſis, vel effectis, vel ſubiectis, vel adiunctis, vel diſſentaneis, vel comparatis, vel notationi, vel coniugatis, vel diuiſioni, vel definitioni, vel teſtimoniis: itaque qui deſcribit in forenſibus cauſſis proprias quaſdam artes inuentionum, perinde facit, ac ſi non contentus communibus grammaticæ regulis grammaticam

maticam

maticam aliquam legalem & forenſem componeret. 5 Deſcribit generales locos inuentionis, id eſt, genera & differentias argumentorum, idque ſtrictim & breuiter: nam maximam topicæ doctrinæ partem omittit, & ſingula nomina definitionibus nuda tantùm exemplis explanat, & quidem plerunque vitioſis, neque dialecticas partitiones ſingulorum generum perſequitur, neq; eorum vſum (quod tamen longè maximum eſt) demonſtrat: argumentorum autem prima partitio in inſita & aſſumpta Ariſtotelica quidem eſt (ſicut antè diximus) & ex Ariſtotelis lib.1.ad Theod.ſumpta, ſed reliquæ diuiſiones, quæ ſequuntur, neutiquam ſunt Ariſtotelis. 6 Inſitum argumentum diuiditur in quatuor ſpecies, definitionem, diuiſionem, etymologiam, & argumentum affectum, quæ præpoſtero ordine proponi & explicari videntur, præſertim cùm definitionis doctrina reliquorum argumentorum doctrina poſterior eſſe debeat: nam cùm definitio ex reliquis argumẽtis conficiatur, cauſſis, factis, ſubiectis, adiunctis, diſſentaneis, comparatis: certe definiendi lex & norma, niſi prius cognitis & explicatis aliis argumentis, intelligi non poteſt: & quòd dialectica methodus iubet, vt à definitione ordiamur, idipſum contra nos non eſt, qui ſtatuimus aliud eſſe rem quampiam definire, aliud doctrinam res omnes definiendi tradere: hoc enim loco agimus de arte faciendarum definitionum, non de rerum definitionibus. 7 Antonius multò melius & verius nunc argumenta aſſumpta definit, quàm antè definierat: nam ſuperiorem definitionem falſam eſſe probauimus: aſſumpta igitur rectè dicuntur, quæ non hærent in natura rei, de qua agitur, id eſt, quæ nõ eruuntur ex altera parte quæſtionis antecedente, vel conſequente, ſed foris colliguntur ex aliqua authoritate diuina vel humana, ipſam quæſtionem affirmante, vel negante: vt ſi dicam, Socratem fuiſſe omnium ſapientiſſimum, quia ita Apollinis oraculum affirmauit: aut voluptatem non eſſe in bonis annumerandam, quia id ipſum Socrates negauit, neutrum argumentum ex partibus quæſtionis ſumitur, ſed ex authoritate extrinſecùs aſſumpta, in qua ineſt pondus teſtimonij, id eſt, affirmationis vel negationis authoritas. 8 In topicis & partitionibus tria ponuntur argumentorum genera ex toto, definitio, diuiſio, & etymologia: hìc verò ſola definitio adhibetur ad totum probandum: ſed quid ſibi velit Antonius, id eſt, Cicero, non ſatis apertè & dilucide conſtat: explicare enim & arguere totam quæſtionem, commune eſt omnium argumentorum, non proprium definitionis: neque verò definitio totam quæſtionis naturam comprehendit, ſed tantùm partis alterius in quæſtione poſitæ: vt ſi quæratur an Q. Seruilius Cœpio maieſtatem minuit, & definiatur maieſtas, ipſa definitio totam quidem quæſtionem explicabit: quæſtionem verò totam non definiet, ſed ſolùm maieſtatem, quæ eſt pars quæſtionis: cæterùm Antonius nullam definiendi legem & regulam deſcribit: non enim id agit, vt topicam artem præceptis ſuis inſtruat, ſed vt quaſi per tranſennam ſumma genera topicæ artis demonſtret: exemplum definitionis ſumitur ex illa oratione, quam pro Norbano dixit: atque ita concluſum eſt,

> Amplitudo & dignitas ciuitatis eſt maieſtas:
> Qui exercitum hoſtibus populi Romani tradidit, is minuit amplitunem & dignitatem:
> Ergo qui exercitum hoſtibus populi Romani tradidit, is minuit maieſtatem.

9 Exemplum de partitione non eſt idoneũ, quia argumentum ex partitione dicitur, cùm ex toto partem vnam vel plures, vel ex vna parte vel pluribus totum concludimus, quòd hìc non fit, ſed ex negatione duarum partium tertia quæ ſub eodem diuiſionis capite poſita eſt, affirmatè concluditur: quod argumenti genus eſt ex diſſentaneis, vel contrariis, vel repugnantibus: vt cùm ſic argumentaris, Omne animal vel hominem eſſe, vel beſtiam, atque equum hominem eſſe negas, vt beſtiam eſſe confirmes, ex negatione vnius contrarij concluditur alterius affirmatio. 10 Argumenta quæ rem attingunt, dicuntur eſſe affecta, id eſt, non pla

nè & integrè rem vllam in quæſtione poſitam comprehendentia,vt coniugatum, genus,ſpecies,ſimile,diſſimile,contrarium, adiunctum, cauſſa, effectum ſignificant,& declarant aliquid rei de qua agitur: totam verò ſubiectæ,vel attributæ rei vim & naturam plene & abſolutè non declarant:ea diuiduntur in tredecim ſpecies: quæ diuiſio non eſt in topicis & rhetoricis Ariſtotelis : & veriſimile eſt eam ex cuiuſdam Peripatetici libris deſumptam fuiſſe,qui hæc topicæ doctrinæ genera apud Ariſtotelem diſperſa & diſſipata vnum in locum coëgerat,& ratione quadam conſtrinxerat. 11 Coniuncta in topicis & partitionibus coniugata vocantur,quæ ab vno orta variè commutãtur,vt ſapiens,ſapientia,ſapienter:exemplum eſt de Q.Metello Pio,qui patrem precibus & lachrymis ab exilio reuocauit,

Pietas eſt laudanda:
Quintus ergo Metellus piè lugens patrem, laudandus eſt.

12 Exemplum de genere vſurpauit Antonius in cauſſa Norbani:

Omnis magiſtratus parere debet voluntati populi:
Tribunatus magiſtratus eſt:
Tribunatus igitur parêre debet voluntati populi.

Magiſtratus genus eſt,ex quo demonſtratur & concluditur ſpecies. 13 Exemplum de ſpecie non conuenit: nam cùm ita diſſerimus:Omnes ſtudioſi Reipub. ſunt amandi: ergo Imperator ſtudioſus Reipub.eſt amandus : non probatur genus ex ſpecie,ſed contrà,ſpecies ex genere : itaque aliud exemplum quærendum nobis eſt: vt,Iuſtitia eſt laudabilis,ergo virtus eſt laudabilis. 14 Tractatio huius argumenti non eſt à ſimili,ſed à minori ad maius. 15 Comparantur inter ſe ſimilia facta, vt Paulus Aemylius domuit Macedoniam, vt Scipio Africam: & diſſimilia, vt Brutus occidit liberos proditionem molientes : Manlius Torquatus virtutem filij morte mulctauit,& ſimilia dicta: vt,Ennio licuit vetera contemnenti dicere,

Verſibus quos olim Fauni vateſq; canebant:
Mihi de Antiquis eodem modo non licebit?

& diſſimilia dicta:vt,Plato dicebat voluptatẽ eſſe eſcam malorũ: Ariſtippus contrà,eſcam bonorũ. Item ſimiles euctus, vt Saturninus Trib.pleb.ſeditioſus miſerè periit,ſicut Tib.Gracchus:& diſſimiles,vt Obitus Tib.Gracchi patris fuit honeſtus,Tiberij filij turpis & ignominioſus. Itemque fictæ narrationes ſæpe ſunt ponendæ, vt Apologi, qui ad docendum populum multum valent, de quibus quære exempla apud Aeſopum. 16 Hic ſenſus eſt aliquis ex cauſſis cõtrariis: contraria autem verè non ſunt,quæ apertius tractantur hoc modo:

C.Gracchus contra Rempub.egit nefariè:
Ergo Opimius præclarè.

17 Conſequentia vſurpãtur pro his,quæ in topicis adiuncta,in partitionibus vocantur:quæ cum aliquo,nulla tamen neceſſitate,cohærent: vt,Gladius cruentus,tempus,locus,cauſſa, mores ſunt conſequentia & ſigna quædam patrati facinoris. 18 In tòpicis videntur hæc argumenta vocari conſequentia,antecedentia,& repugnantia,ex quibus tamen duo prima non ſunt argumentorum nomina,ſed ſyllogiſmorum, & ad ſecundam partem dialecticæ pertinent:repugnantia autem ſunt ex genere diſſentaneorum, quibus Craſſus eſt vſus contra Carbonem,quem probat ciuem bonum non eſſe: nam deplorare Tib.Gracchum mortuum,ſocium eſſe necis Africani,legem pro Tib.Graccho tuliſſe, à bonis ciuibus ſemper diſſenſiſſe, & bonum ciuem eſſe,repugnant. 19 Senſus argumenti eſt, Si tollatur luxuries,tolletur & auaritia: luxuries enim auaritiæ cauſſa eſt. Cicero,In vrbe luxuries creatur,ex luxuria exiſtat auaritia neceſſe eſt, ex auaritia erumpat audacia. Ouidius,

Quærere vt abſumant,abſumpta requirere certant:
Atque ipſæ vitijs ſunt alimenta vices.

20 Ve-

20 Vectigalibus eſt ſeruiendũ,quia ærarij copiæ ſunt vtiles: copiæ ærarij ſunt effecta vectigalium,quia proueniunt ex vectigalibus prouinciarum. 21 Exemplum de maiore non eſt idoneũ,quia duo minora ſunt,ex quibus tertium maius demonſtratur & concluditur:Bona fama & pecunia tantopere expetuntur,quantò magis gloria? 22 Simo in Andria Terentij ita ratiocinat̃ de Pamphilo,Pamphilus vehementer lugebat in funere Chryſidem mortuam parum ſibi in vita familiarem:quantò igitur vehementius ploraſſet,ſi illam amaſſet?aut quantò magis patris mortem lugebit? ex vno minore duo maiora concluditur. 23 Duo vitia inter ſe paria conferuntur,vnum repetundarum,alterũ ambitus. 24 Teſtimonium quia non hæret in aliqua parte quæſtionis,neq; ſuapte natura quicquam eſt huius vel illius partis,neq; cauſſa,neq; effectum, neq; ſubiectum, neq; adiunctum,neq; diſſentaneum,neq; vlla vel quantitate,vel qualitate comparatũ, neq; notatio,neq; coniugatum,neq; totum, neq; pars, idcircò aliena & extranea vi ſubleuatur,vt pondus habeat,id eſt externa authoritate,vel diuina,vel humana rem ipſam de qua agitur,negante vel affirmante,vt Socrates eſt omnium ſapientiſſimus,quia Apollo dixit,Socrates non eſt vir bonus,quia Anytus & Melitus dicunt. Verres Siciliã prædatus eſt:hoc enim tabulæ & teſtes confirmãt. 25 Concludit compendium topicæ artis,& quis ſit communis vſus locorum,demonſtrat comparatione aurifodinarũ,in qua tamẽ non omnia ſimilia dici poſſunt: locum enim auri notatum habueris,aurum iam inuentum eſt,ſed eruendum labore: omnes autẽ locos & artes argumentorum noueris, niſi fueris in exemplis,in conſuetudine vitæ,in bonarum artium ſtudiis diu multumq; verſatus,locos quidem habebis, ſed inanes & vacuos. 26 Cic.in topicis & partitionibus docuit vſum argumentorum ſingulis quæſtionum generibus accommodatum, quam accommodationis doctrinã docuimus in topicis inutilem & ſuperuacuã eſſe: quia propoſita qualibet quæſtione, ſi locos generales percurreris, facilè videbis quæ argumenta quæſtioni conueniant,& non conueniant.Itaq; nihil opus fuit nouam artem de vſu argumentorum gignere,præſertim cùm ipſa locorũ perluſtratio huic muneri negotioq; ſufficiat,longeq; ſit & facilior & vtilior,q̃ doctrina,quę à rhetoribus traditur de accommodandis locis argumentorũ ad hanc vel illam quæſtionem. 27 Topica doctrina generaliter admonet,vt in omni diſputatione cuiuſcunq; generis ſit, definitio,diuiſio,notatio,coniugatũ,genus,ſpecies,ſimile,diſſimile, adiunctum, contrarium, repugnans, cauſſæ, effecta,comparata,teſtimonia quærantur,& ad explicationem quæſtionis aut omnia, aut q̃ plurima ſumantur.

28 Argumentandi varietas commendatur à duplici fine, & ne ars appareat, cuius oſtentatio ſuſpecta eſt auditoribus,& vt faſtidium ſimilitudinis vitetur:Argumentationem duobus modis variari poſſe docet Antonius:Primus modus eſt directus ad fidem,cùm initio ponitur queſtio,deinde argumenta & rationes afferuntur, quibus explicatis concluditur, vt Anima eſt immortalis: nam quicquid ex ſeipſo mouetur, immortaſe eſt: Anima autem ex ſeipſa mouetur: Immortalis igitur eſt anima.Secundus eſt inflexus,& quodam modo obliquus,cùm quæſtio initio non ponitur, ſed incipimus confirmare ea quæ volumus, & multis argumentis illuſtrare,tandemq; ad id quod proponendum fuit,permotis animis iacimus ad extremũ:cuius generis exempla ſumi poſſunt ex orationibus Ciceronis.

[1] Hæc vt & properans, & apud doctos, & ſemidoctus ipſe percurro, vt aliquando ad illa maiora veniamus. Nihil eſt enim in dicendo, Catule, maius, quàm vt faueat oratori is, qui audiet, vtq; ipſe ſic moueatur, vt impetu quodam animi, & perturbatione magis quàm iudicio aut conſilio re-

gatur. Plura enim multò homines iudicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut ſpe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quàm veritate, aut præſcripto, aut iuris norma aliqua, aut iudicij formula, aut legibus. Quare, niſi quid vobis aliud placet, ad illa pergamus. Paulùm, inquit Catulus, etiam nunc deeſſe videtur ijs rebus, Antoni, quas expoſuiſti, quod ſit tibi antè explicandum, quàm illuc proficiſcare, quò te dicis intendere. Quídnam? inquit. Qui ordo tibi placet, inquit Catulus, & quæ diſpoſitio argumentorum, in qua tu mihi ſemper deus videri ſoles. [2] Vide quàm ſim in iſto genere, inquit Catule, deus. Non me hercle mihi niſi admonito veniſſet in mentem: vt poſſis exiſtimare me in ea, quibus nonnunquam aliquid efficere videor, vſu ſolere in dicendo vel caſu potius incurrere. Ac res quidem iſta, quam ego, quia non noram, ſic tanquam ignotum hominem præteribam, tantùm poteſt in dicẽdo, vt ad vincendum nulla plus poſſit. Sed tamen mihi videris ante tempus à me rationem ordinis & diſponẽdarum rerum requiſiſſe. Nam ſi ego omnem vim oratoris in argumentis, & in re ipſa per ſe comprobanda poſuiſſem, tempus eſſet iam de ordine argumentorum & de collocatione aliquid dicere. Sed cùm tria ſint à me propoſita, de vno dictum: cùm de duobus reliquis dixero, tum erit deniq; de diſponenda tota oratione quærendum. [3] Valet igitur multum ad vincendum, probari mores, inſtituta & facta, & vitam eorum qui agent cauſſas, & eorum pro quibus: & item improbari aduerſariorum: animoſq; eorum apud quos agitur, conciliari quàm maximè ad beneuolentiam cùm erga oratorem, tum erga illum pro quo dicet orator. Conciliantur autem animi dignitate hominis, rebus geſtis,

ſtis, exiſtimatione vitæ: quæ facilius ornari poſſunt, ſi modò ſunt: quàm fingi, ſi nulla ſunt. Sed hæc adiuuant in oratore, lenitas vocis, vultus, pudoris ſignificatio, verborum comitas: ſi quid perſequare acrius, vt inuitus & coactus facere videare. Facilitatis, liberalitatis, manſuetudinis, pietatis, grati animi, non appetentis, non auidi ſigna proferri perutile eſt: eaq́ omnia, quæ proborum, demiſſorum, non acrium, non pertinacium, non litigioſorum, non acerborum ſunt, valde beneuolentiam conciliant: abalienantq́ ab ijs in quibus hæc non ſunt. Itaq; eadem ſunt in aduerſarios excontrario conferenda. Sed genus hoc totum orationis in ijs cauſſis excellet, in quibus minus poteſt inflammari animus iudicis acri & vehementi quadam incitatione. Non enim ſemper fortis oratio quæritur, ſed ſæpè placida, ſummiſſa, lenis, quæ maximè commendat reos. [4] *Reos autem appello, non eos modò qui arguuntur, ſed omnes quorũ de re diſceptatur: ſic enim olim loquebantur. Horum igitur exprimere mores oratione, iuſtos, integros, religioſos, timidos, perferẽtes iniuriarum, mirum quiddam valet: & hoc vel in principijs, vel in re narranda, vel in peroranda tantam habet vim, ſi eſt ſuauiter & cum ſenſu tractatum, vt ſæpe plus quàm cauſſa valeat. Tantùm autem efficitur ſenſu quodam ac ratione dicendi, vt quaſi mores oratoris effingat oratio. Genere enim quodam ſentẽtiarum, & genere verborum, adhibita etiam actione leni, facilitateq́ ſignificandi, efficitur vt probi, vt bene morati, vt boni viri eſſe videantur.* [5] *Huic autem eſt illa diſpar adiuncta ratio orationis, quæ alio quodam genere mentes iudicum permouet, impellitq́, vt aut oderint, aut diligant, aut inuideant, aut ſaluum velint, aut metuant, aut ſperent, aut cupiant: aut abhorreant, aut lætentur, aut mœ-*

reant, aut miſereantur, aut punire velint, aut ad eos motus adducantur, ſi qui finitimi ſunt & propinqui his ac talibus animi perturbationibus. Atq; illud optandum eſt oratori, vt aliquam permotionem animorum ſua ſponte ipſi afferant ad cauſſam iudices, ad id quod vtilitas oratoris feret, accommodatam. Facilius eſt enim currentem (vt aiunt) incitare, quàm commouere languentem. Sin id aut non erit, aut erit obſcurius, ſicut medico diligenti prius quàm conetur ægro adhibere medicinam, non ſolùm morbus eius cui mederi volet, ſed etiam conſuetudo valentis, & natura corporis cognoſcenda eſt: ſic equidem cùm aggredior ancipitem cauſſam & grauem, ad animos iudicum pertractandos, omni mente in ea cogitatione curaq; verſor, vt odorer quàm ſagaciſsimè poſsim, quid ſentiant, quid exiſtiment, quid expectent, quid velint, quò deduci oratione facillimè poſſe videantur. Si ſe dant, &, vt antè dixi, ſua ſponte quò impellimus inclinant atq; propendent, accipio quod datur, & ad id vnde aliquis flatus oſtenditur, vela do. Sin eſt integer quietuſq; iudex, plus eſt operis: ſunt enim omnia dicendo excitanda, nihil adiuuante natura. Sed tantam vim habet illa quæ rectè à [6] bono Poeta dicta eſt flexanima, atq; omnium regina rerum oratio, vt non modò inclinantem erigere, aut ſtantem inclinare, ſed etiam aduerſantem & repugnãtem, vt Imperator bonus ac fortis capere poſsit. [7] Hæc ſunt illa quæ me ludens Craſſus modo flagitabat, quæ à me diuinitùs tractari ſolere diceret, & in cauſſa M. Aquilij Caijq; Norbani, nonnulliſq; alijs quaſi præclarè acta laudaret, quæ me hercule ego Craſſe, cùm à te tractantur in cauſſis, horrere ſoleo. tanta vis animi, tantus impetus, tantus dolor oculis, vultu, geſtu, [8] digito deniq; iſto tuo ſignificari ſolet: tantum

eſt

eſt flumen grauiſſimorum optimorumq; verborum: tam integræ ſententiæ, tam veræ, tam nouæ, tam ſine pigmentis, fucoq; puerili, vt mihi non ſolùm tu incẽdere iudicem, ſed ipſe ardere videaris. [9] Neq; fieri poteſt vt doleat is qui audit, vt oderit, vt inuideat, vt pertimeſcat aliquid, vt ad fletum miſericordiamq; deducatur, niſi omnes ij motus, quos orator adhibere volet iudici, in ipſo oratore impreſsi eſſe atq; inuſti videbuntur. Quòd ſi fictus aliquis dolor ſuſcipiendus eſſet, & ſi in eiuſmodi genere orationis nihil eſſet niſi falſum, atq; imitatione ſimulatum, maior ars aliqua forſitan eſſet requirenda. Nunc ego quid tibi Craſſe, quid cæteris accidat, neſcio: de me autem cauſſa nulla eſt cur apud homines prudentiſſimos atq; amiciſſimos mentiar. Non me hercule vnquam apud iudices aut dolorẽ, aut miſericordiam, aut inuidiam, aut odium excitare dicendo volui, quin ipſe in commouendis iudicibus, ijs ipſis ſenſibus, ad quos illos adducere vellem, permouerer. Neq; enim facile eſt perficere vt iraſcatur, cui tu velis, iudex, ſi tu ipſe id lentè ferre videare: neq; vt oderit eum quem tu velis, niſi te ipſum flagrãtem odio antè viderit: neq; ad miſericordiã adducetur, niſi ei tu ſigna doloris tui, verbis, ſententijs, voce, vultu, collachrymatione deniq; oſtenderis. Ut enim nulla materies tam facilis ad exardeſcendum eſt, quæ niſi admoto igni ignem concipere poſsit: ſic nulla mens eſt tam ad comprehendendam vim oratoris parata quæ poſsit incendi, niſi inflammatus ipſe ad eam & ardens acceſſeris. [10] Ac ne fortè hoc magnum ac mirabile eſſe videatur, hominem toties iraſci, toties dolere, toties omni animi motu cõcitari, præſertim in rebus alienis: magna vis eſt earum ſententiarum, atque eorum locorum quos agas, tractesq; dicendo, vt nihil opus ſit ſimulatione &

ſuuatijs. Ipſa enim natura orationis eius quæ ſuſcipitur ad aliorum animos permouēdos, oratorem ipſum magis etiam quàm quenquam eorum qui audiunt, permouet. Et ne hoc in cauſsis, in iudicijs, in amicorum periculis, in concurſu hominum, in ciuitate, in foro accidere miremur, cùm agitur non ſolùm ingenij noſtri exiſtimatio (nam id eſſet leuius: quanquam cùm profeſſus ſis, te id poſſe facere quod pauci, ne id quidem negligendum eſt) ſed alia ſunt maiora multò, fides, officium, diligentia: quibus rebus adducti, etiam cùm alieniſsimos defendimus, tamen eos alienos, ſi ipſi viri boni volumus haberi, exiſtimare non poſſumus. " Sed, vt dixi, ne hoc in nobis mirum eſſe videatur, quid poteſt eſſe tam fictum, quàm verſus, quàm ſcena, quàm fabula? tamē in hoc genere ſæpe ego vidi, cùm ex perſona mihi ardere oculi hominis hiſtrionis viderentur Spondalia illa dicentis,

Segregare àbs te auſus, aut ſine illo Salamina
ingredi?
Neque paternum aſpectum es veritus?

Nunquam illum aſpectum dicebat, quin mihi Telamon iratus furere luctu filij videretur: vt idem inflexa ad miſerabilem ſonum voce,

—Quem ætate exacta, indigem
Liberûm, laceraſt., orbaſti, extinxti: neque fratris necis,
Neque gnati eius parui, qui tibi in tutelam eſt traditus:

flens ac lugens dicere videbatur. " Quæ ſi ille hiſtrio quotidie cùm ageret, tamen rectè agere ſine dolore non poterat, quid Pacuuium putatis in ſcribendo leni animo ac remiſſo fuiſſe? Fieri nullo modo potuit. Sæpe enim audiui Poetam

bonum

bonum neminem (id quod à Democrito & Platone in ſcriptis relictum eſſe dicũt) ſine inflammatione animorum exiſtere poſſe, & ſine quodam afflatu quaſi furoris. [13] *Quare nolite exiſtimare meipſum, qui non Heroum veteres caſus fictoſq; luctus vellem imitari atq; adumbrare dicendo, neq; actor eſſem alienæ perſonæ, ſed author meæ, cùm mihi M. Aquilius in ciuitate retinẽdus eſſet, quæ in illa cauſſa perorandafecerim, ſine magno dolore feciſſe. Quem enim ego Conſulem fuiſſe, Imperatorem ornatum à Senatu, ouantem in Capitolium aſcendiſſe meminiſſem, hunc cùm afflictum, debilitatum, mœrentem, in ſummum diſcrimen adductum viderem, non prius ſum conatus miſericordiam alijs commouere, quàm miſericordia ſum ipſe captus. Senſi equidem tum magnopere moueri iudices, cùm excitaui mœſtum ac ſordidatum ſenem, & cùm iſta feci quæ tu Craſſe laudas, non arte, de qua quid loquar neſcio, ſed motu magno animi, ac dolore, vt diſcinderem tunicam, vt cicatrices oſtenderem, cùm C. Marius mœrorem orationis meæ præſens ac ſedens multum lachrymis ſuis adiuuaret: cumq; ego illum crebrò appellans, collegam ei ſuum commendarem, atq; ipſum aduocatum ad communem Imperatorum fortunam defendendam inuocarem. Non fuit hæc ſine meis lachrymis, non ſine dolore magno miſeratio, omniumque deorum & hominum, & ciuium, & ſociorum imploratio: quibus omnibus verbis quæ à me tum ſunt habita, ſi dolor abfuiſſet meus, non modò non miſerabilis, ſed etiam irridenda fuiſſet oratio mea. Quamobrem hoc vos doceo, Sulpiti, bonus ego videlicet atq; eruditus magiſter, vt in dicendo iraſci, vt dolere, vt flere poſſitis.* [14] *Quanquam te quidem quid hoc doceam, qui in accuſando ſodali & quæſtore meo tantum incẽdium*

non oratione ſolùm, ſed multò etiam magis vi & dolore & ardore animi concitaras, vt ego ad id reſtinguendum vix conarer accedere? Habueras enim tum omnia in cauſſa ſuperiora: vim, fugam, lapidationem, crudelitatem tribunitiam in Cæpionis graui miſerabiliq; caſu, in iudicium vocabas: deinde principem & Senatus & ciuitatis M. Aemilium lapide percuſſum eſſe conſtabat: vi pulſum ex templo L. Cottam, & T. Didium, cùm intercedere vellent rogationi, nemo poterat negare. Accedebat, vt hæc tu adoleſcens pro Republ. queri ſumma cum dignitate exiſtimarêre: ego homo cenſorius vix ſatis honeſte viderer ſeditioſum ciuem, & in hominis conſularis calamitate crudelem, poſſe defendere. Erant optimi ciues iudices, bonorum virorum plenum forum, vix vt mihi tenuis quædam venia daretur excuſationis, quòd tamen eum defenderem, qui mihi quæſtor fuiſſet. Hîc ego quid dicam? me artem aliquam adhibuiſſe?

15 *Quid fecerim, narrabo: ſi placuerit, vos meam defenſionem in aliquo artis loco reponetis. Omnium ſeditionum genera, vitia, pericula collegi: eamq; orationem ex omni Reipublicæ noſtræ temporum varietate repetiui, concluſiq; ita, vt dicerem, etſi omnes moleſtæ ſemper ſeditiones fuiſſent, iuſtas tamen fuiſſe nonnullas, & propè neceſſarias. Tum illa, quæ modo Craſſus commemorabat, egi, neq; reges ex hac ciuitate exigi, neq; Tribunos plebis creari, neq; plebiſcitis toties conſularem poteſtatem minui, neq; prouocationem patronam illam ciuitatis, ac vindicem libertatis populi Romani dari ſine nobilium diſſenſione potuiſſe: ac ſi illæ ſeditiones ſaluti huic ciuitati fuiſſent, non continuò ſi quis motus populi factus eſſet, id C. Norbano in nefario crimine, atque in fraude capitali eſſe ponendum. Quòd ſi vnquam po-*

pulo

pulo Romano conceſſum eſſet, vt iure concitatus videretur, id quod docebam ſæpe eſſe conceſſum, nullam illa cauſſam iuſtiorem fuiſſe. Tum omnem orationem traduxi & conuerti in increpandam Cæpionis fugam, in deplorandum interitum exercitus. Sic & eorum dolorem qui lugebant ſuos, oratione refricabam: & animos equitum Romanorum, apud quos tũ iudices cauſſa agebatur, ad Q. Cæpionis odium, à quo erant ipſi propter iudicia abalienati, renouabam atq; reuocabam. Quod vbi ſenſi me in poſſeſſione iudicij ac defenſionis meæ conſtitiſſe, quòd & populi beneuolentiam mihi conciliaram, cuius ius etiam cum ſeditionis coniunctione defenderam, & iudicum animos totos vel calamitate ciuitatis, vel luctu ac deſiderio propinquorum, vel odio proprio in Cæpionem, ad cauſſam noſtram conuerteram: tunc admiſcere huic generi orationis vehementi atq; atroci, genus illud alterum, de quo antè diſputaui, lenitatis & manſuetudinis, cœpi, me pro meo ſodali, qui mihi in liberûm loco more maiorum eſſe deberet, & pro mea omni fama propè fortuniſq; decernere: nihil mihi ad exiſtimationem turpius, nihil ad dolorem acerbius accidere poſſe, quàm ſi is qui ſæpe alieniſſimis à me, ſed meis tamen ciuibus, ſaluti exiſtimarer fuiſſe, ſodali meo auxilium ferre non potuiſſem. Petebam à iudicibus, vt illud ætati meæ, vt honoribus, vt rebus geſtis, ſi iuſto, ſi pio dolore me eſſe affectum viderent, concederent, præſertim ſi in alijs cauſſis intellexiſſent omnia me ſemper pro amicorum periculis, nihil vnquam pro me ipſo deprecatum. Sic in illa omni defenſione atq; cauſſa, quod eſſe in arte poſitum videbatur, vt de lege Apuleia dicerem, vt quid eſſet minuere maieſtatem, explicarem: perquàm breuiter perſtrinxi atq; attigi. His duabus partibus orationis, qua-

rum altera concitationem habet, altera commendationem, quæ minimè præceptis artium ſunt perpolitæ, omnis eſt à me illa cauſſa tractata: vt & acerrimus in Cæpionis inuidia renouãda, & in meis moribus erga meos neceſſarios declarandis manſuetiſſimus viderer: ita magis affectis animis iudicum quàm doctis, tua Sulpiti eſt à nobis tum accuſatio victa. [15] *Hic Sulpitius, Verè hercule, inquit, Antoni, iſta commemoras. nam ego nihil vnquam vidi quod tam è manibus elaberetur, quàm mihi tum eſt elapſa illa cauſſa. Cùm enim, quemadmodum dixiſti, tibi ego non iudicium, ſed incẽdium tradidiſſem: quod tuum principium, dij immortales, fuit? qui timor? quæ dubitatio? quanta hæſitatio, tractusq́ verborum? Vt illud initio, quod tibi vnũ ad ignoſcendum homines dabant, tenuiſti, te pro homine perneceſſario, quæſtore tuo dicere? quam tibi primùm muniſti ad te audiendum viam. Ecce autem cùm te nihil aliud profeciſſe arbitrarer, niſi vt homines tibi ciuem improbum defendenti, ignoſcendum propter neceſſitudinem arbitrarentur, ſerpere occultè cœpiſti, nihildum alijs ſuſpicantibus, me verò iam pertimeſcente, vt illam non Norbani ſeditionem, ſed illam populi Romani iracundiam, neque eam iniuſtam, ſed meritam ac debitam fuiſſe defenderes. Deinde, qui locus abs te prætermiſſus eſt in Cæpionem? Vt tu illa omnia odio, inuidia, miſericordia miſcuiſti! Neq; hæc ſolùm in defenſione, ſed etiam in Scauro, cæteriſq́ meis teſtibus, quorum teſtimonia non refellendo, ſed ad eundem impetum populi confugiendo refutaſti. Quæ cùm abs te modò commemorarentur, equidem nulla præcepta deſiderabam. Iſtam enim ipſam demonſtrationem defenſionum tuarum abs te ipſo commemoratam, doctrinam eſſe non mediocrem puto.* [17] *Atqui,*

ſi ita

ſi ita placet, inquit Antonius, trademus etiam quæ nos ſequi in dicendo, quæq́; maximè ſpectare ſolemus. Docuit enim iam nos longa vita, vſuſq́; rerum maximarum, vt quibus rebus animi hominum mouerentur, teneremus. Equidem primùm conſiderare ſoleo, poſtuletne cauſſa. [18] *Nam neq; paruis in rebus adhibendæ ſunt hæ dicendi faces, neque ita animatis hominibus, vt nihil ad eorum mentes oratione flectendas proficere poſſimus, ne aut irriſione, aut odio digni putemur, ſi aut tragœdias agamus in nugis, aut conuellere adoriamur ea quæ non poſſunt commoueri. Nam quoniam hæc ferè maximè ſunt in iudicum animis, aut quicunq; illi erunt, apud quos agemus, oratione mollienda, amor, odium, iracundia, inuidia, miſericordia, ſpes, lætitia, timor, moleſtia:* [19] *ſentimus amorem conciliari, ſi id velle videare, quod ſit vtile ipſis, apud quos agas, defendere: ſi aut pro bonis viris, aut certè pro ijs qui illis boni atq; vtiles ſint, laborare. Namq; hæc res amorem magis conciliat, illa virtutis defenſio charitatem: pluſq́; proficit, ſi proponitur ſpes vtilitatis futuræ, quàm præteriti beneficij commemoratio. Enitendum eſt vt oſtendas in ea re quam defendas, aut dignitatem ineſſe, aut vtilitatem: eumq́; cui concilies hunc amorem, ſignifices nihil ad vtilitatem ſuam retuliſſe, ac nihil omnino feciſſe cauſſa ſua. Inuidetur enim commodis hominũ ipſorum, ſtudijs autem eorum cæteris commodandi, fauetur. Videndumq́; hoc loco eſt, ne, quos ob benefacta diligi volemus, eorum laudem atq; gloriam, cui maximè inuideri ſolet, nimis efferre videamur.* [20] *Atq; iiſdem his ex locis & odium in alios ſtruere dicemus, & à nobis ac noſtris dimouere. Eademq́; hæc genera tractanda ſunt in iracundia vel excitanda, vel ſedanda. Nam ſi quod ipſis qui audiunt, pernicio-*

ſum aut inutile ſit, id factum augeas: odium creatur. ſin quod aut in bonos viros, aut in eos quos quiſq; minimè debuerit, aut in Rempubl. tum excitatur ſi non tam acerbum odium, tamen aut inuidiæ, aut odij non diſsimilis offenſio. [21] *Item timor incutitur aut ex ipſorum periculis, aut ex communibus. Interior eſt ille proprius, ſed hic quoq; communis ad eandem ſimilitudinem eſt perducendus. Par atq; vna ratio eſt ſpei, lætitiæ, moleſtiæ.* [22] *Sed haud ſciam an acerrimus longè ſit omnium motus inuidia: nec minus virium opus ſit in ea comprimenda, quàm in excitanda. Inuident autem homines maximè paribus, aut inferioribus, cùm ſe relictos ſentiunt, illos autem dolent euolaſſe. Sed etiam ſuperioribus inuidetur ſæpe vehementer, & eò magis, ſi intolerantius ſe iactant, & æquabilitatem communis iuris, præſtantia dignitatis aut fortunæ ſuæ tranſeunt. Quæ ſi inflammanda ſunt, maximè dicendum eſt non eſſe virtute parta, deinde etiam vitijs atq; peccatis. Tum ſi erunt honeſtiora atq; grauiora, tamen non eſſe tanti vlla merita, quanta inſolentia hominis, quantumq; faſtidium. Ad ſedandum autem, magno illa labore, magnis periculis eſſe parta, nec ad ſuum commodum, ſed ad aliorum eſſe collata: ſeſeq; ſi quam gloriam peperiſſe videatur, tametſi ea non ſit iniqua merces periculi, tamen ea non delectari, totamq; abijcere atq; deponere. Omninoq; perficiendum eſt (quoniam pleriq; ſunt inuidi, maximeq; eſt hoc commune vitium & peruagatum: inuidetur autem præſtanti florentiq; fortunæ) vt hæc opinio minuatur, & illa excellens opinione fortuna, cum laboribus & miſerijs permiſta eſſe videatur.* [23] *Iam miſericordia mouetur, ſi is qui audit, adduci poteſt, vt illa quæ de altero deplorentur, ad ſuas res reuocet, quas aut tulerit acerbas, aut timeat,*

meat, aut intuens alium, crebrò ad ſeipſum reuertatur. Ita quum ſinguli caſus humanarum miſeriarum grauiter accipiuntur, ſi dicuntur dolenter, tum afflicta & proſtrata virtus maximè luctuoſa eſt: & vt illa altera pars orationis, quæ probitatis commendatione boni viri debet ſpeciem tueri, lenis (vt ſæpe iam dixi) atq; ſummiſſa: ſic hæc quæ ſuſcipitur ab oratore ad commutandos animos, atq; omni ratione flectendos, intenta ac vehemens eſſe debet. [24] Sed eſt quædam in his duobus generibus, quorũ alterum lene, alterum vehemens eſſe volumus, difficilis ad diſtinguendum ſimilitudo. Nam ex illa lenitate qua conciliamur ijs qui audiunt, ad hanc vim acerrimam, qua eoſdem excitamus, influat oportet aliquid, & ex hac vi nonnunquam animi aliquid influendum eſt illi lenitati: neq; eſt vlla temperatior oratio, quàm illa in qua aſperitas contentionis, oratoris ipſius humanitate conditur: remiſſio autem lenitatis quadam grauitate & contentione firmatur. [25] In vtroq; autem genere dicendi, & illo in quo vis atque contentio quæritur, & hoc quod ad vitam & mores accommodatur: & principia tarda ſunt, & exitus tamen ſpiſſi & producti eſſe debent. [26] Nam neq; aſſiliendum ſtatim eſt ad illud genus orationis (abeſt enim totum à cauſſa) & homines prius ipſum illud quod proprium ſui iudicij eſt, audire deſiderant: nec cùm in eam rationẽ ingreſſus ſis, celeriter diſcedendum eſt. Non enim ſicut argumentum ſimul atq; poſitum eſt, arripitur, alterumq; & tertium poſcitur: ita miſericordiam, aut inuidiam, aut iracundiam, ſimul atq; intuleris, poſſis commouere. Argumentum enim ratio ipſa confirmat: quæ ſimul atq; emiſſa eſt, adhæreſcit. Illud autem genus orationis non cognitionem iudicis, ſed magis perturbationẽ requirit: quam

conſequi niſi multa & varia & copioſa oratione & ſimili contentione actionis nemo poteſt. Quare qui aut breuiter, aut ſummiſſe dicunt, docere iudicem poſſunt, commouere non poſſunt, in quo ſunt omnia. [3] *Iam illud perſpicuum eſt, omnium rerum in contrarias partes facultatem ex iiſdem ſuppeditari locis. Sed argumento reſiſtendum eſt, aut iis quæ comprobandi eius cauſſa ſumuntur, reprehẽdendis: aut demonſtrando id, quod concludere illi velint, non effici ex propoſitis, nec eſſe conſequens: aut ſi ita non refellas, afferendum eſt in contrariam partem, quod ſit aut grauius, aut æquè graue. Illa autem quæ aut conciliationis cauſſa leniter, aut permotionis vehementer aguntur, contrariis commotionibus inferenda ſunt, vt odio beneuolentia, miſericordia inuidia tollatur.*

1 Hactenus dictum eſt de inuentione fidei: ſequitur doctrina affectuum, in quibus commouendis aut ſedandis magna vis oratoris: id eſt, cauſſidici & politici hominis exiſtit, & hoc opus eſt oratoris, de omnibus eius operibus longè maximum maximeque colendum: omnis enim oratoris actio eſt accommodanda ad mores, nutus, & voluntates eorum qui audiunt, qui cùm affectum ducem potius, quàm rationem magiſtram ſequantur, afficiendi magis quàm docendi videntur: Catulus autem interloquitur, vt moneat diſpoſitionis doctrinam inuentioni argumentorum ſubiiciendam eſſe, non doctrinam affectuum: quæ admonitio aptè & decorè fingitur, partim ad relaxandam continuationem ſermonis & reficiendos audientium animos: partim ad laudandam Antonii dialecticam prudentiam proſequentis res eo loco & ordine, quo propoſitæ ſunt. 2 Antonius ſimulat obliuionis culpam, quaſi doctrina diſpoſitionis ex animo excidiſſet: quę εἰρώνεια decet imprimis Antonium hominem Socraticum & permodeſtum: is tamen admonet nondum eſſe opportunum, vt de diſpoſitione dicatur, quia de tribus inuentionis partibus duæ adhuc explicandæ reſtant, motus & iocus: vitioſum autem eſt in docendo non continenter, & deinceps ea tractare, quę in generali partitione propoſueris. 3 Affectus quid ſit non definitur, neque genera orationis, in quibus affectus regnat, proponuntur: ſed ſublatis duobus maximis luminibus, definitione & diuiſione, quædam ab Antonio de mouendis animis auditorum præſcribuntur. *In Orat. per fecto.* Duo ſunt (ait Cicero) quæ benè tractata ab oratore admirabilem eloquentiam faciunt, quorum alterum eſt quod Græci ἠθικὸν vocant, ad naturam, & ad mores, & ad omnem naturæ conſuetudinem accommodatum: alterum, quod iidem παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi & concitantur, in quo vno regnat oratio: illud ſuperius come, iucundum, ab beneuolentiam conciliandam paratum: hoc vehemens, incenſum, incitatũ, quo cauſſę eripiuntur: quod cùm rapidè fertur, ſuſtineri nullo pacto poteſt. de vtroque genere deinceps præcipit Antonius: ac primùm indicat locos lenium affectuum,

quibus

quibus conciliatur auditoris beneuolentia,& eos quidem locos indicat ex tribus partibus eloquentiæ,inuentione in blandis & amabilibus ſententiis vſurpandis, elocutione in ſtylo placido,& actione in lenitate vocis & geſtus: vnde conſtat mouendorum affectuum non eſſe vnicam artem, ſed idipſum variis artibus effici:& Antonium cùm inuentionem affectuum pollicetur, huic elocutionem & actionem miſcere,& eò veritate rerum deduci,quò conſilij ratione deduci non potuit, vt exiſtimaret facultatem affectuum mouendorum non eſſe propriè referendam ad locos rhetoricæ inuentionis,ſed opus eſſe multarum artium. 4 Reus definitur ex etymologia nominis, vt is ſit, cuius de re, id eſt, cauſſa diſceptatur:conſuetudo tamen obtinuit, vt reus tantùm vocetur is qui arguitur, non qui arguit.

5 Antonius docuit lenes ad conciliandam beneuolentiam affectus lenitate ſententiarum,elocutionis & actionis tractari: deinceps agit de grauioribus affectibus,quorum quidem naturam non explicat ſubtiliter & acute, ſicut Ariſtoteles lib.2.ad Theodect. hoc enim intereſt inter Ariſtotelem & Ciceronem, quòd ille affectuum vim & originem, & proprietatem, hic affectuum vſum magis docere voluit, & in his dialogis ſæpe in Craſſi & Antonij perſona profitetur, ſe non tam rerum doctorem, quàm ſui vſus admonitorem eſſe. Genera igitur grauiorum affectuum enumeratione quadam colligit, odium, amorem, inuidiam, beneuolentiam,metum,contemptum,reiectionem,lætitiam,mœrorem,miſericordiam,ſeueritatem : deinde ſubiicit primum præceptum ſuæ experientiæ & obſeruationis,vt primo loco videamus qualis ſit auditor, quem volumus vehemẽtius commouere: quia aut ſua ſponte incitatus eſt ad id quod volumus,aut incitatus non eſt:illic affectus augendus,hic etiam excitandus eſt. 6 Fabius hunc Poëtam non ignobilem tragicum appellat, quem alij Ennium, alij Pacuuium arbitrantur: ſed quiſquis fuit ille, ex Euripide tranſtulit hoc elogium orationis: ſic enim ait Hecuba,

Τὴ δῆτα θνητοὶ τ᾽ ἄλλα μὲν μαθήματα
Μοχθοῦμεν, ὡς χρὴ, πάντα καὶ μαθεύομεν;
Πειθὼ δὲ τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην
Οὐδὲν τὶ μᾶλλον ἐς τέλος σπουδάζομεν;
Μισθὸς διδόντες μανθάνειν, ἵν᾽ ᾖ ποτὲ
Πείθειν, ἅ τις βύλοιτο, τυγχάνειν θ᾽ ἅμα.

Id eſt,

Cur mortales in alijs quidem diſciplinis
Laboramus omnibus, vt decet, & inquirimus?
Suadelam autem reginam hominibus ſolam
Pluſquam aliud quicquam vſq; ad finem diſcimus?
Mercedem dantes ad diſcendum, vt aliquando liceat
Perſuadere, quæ quis velit, & conſequi ſimul.

7 Antonius modeſtiæ gratia reiicit à ſe in Craſſum laudem huius facultatis: eamque Craſſi ipſius exemplo declarat, qui in maioribus cauſſis agendis, & actione & elocutione & inuentione ad mouendos affectus potentiſſimus erat.

8 Fabius cap.2.lib.11, Cùm tres (ait) contracti pollice premuntur, tum digitus ille, quo vſum optimè Craſſum Cicero dicit, explicari ſolet: is in exprobrando & indicando, vnde ei nomen eſt, valet. 9 Subiungit exemplo præceptum generale de mouendis affectibus, vt orator ipſe imprimis moueatur. Fabius libro 7, Summa (inquit) circa mouendos affectus in hoc poſita eſt, vt moueantur ipſi. Horatius in arte poetica,

—Si vis me flere, dolendum eſt,

Primùm ipſi tibi, tum tua me infortunia lædent:

quod præceptum illuſtratur ex diſſimilibus:

Si fictus dolor ab oratore eſſet ſuſcipiendus, maior ars requireretur:
Sed non illud:
Neque hoc igitur.

aſſumptio declaratur exemplo Antonij ſoliti induere illum affectum, quem vult in animis iudicum imprimere, & argumento à diſſimilibus,

Vt nulla materies inflammatur, niſi ignem admoueas:
Sic auditor non mouetur, niſi ad inflammandum orator ardens & inflammatus acceſſerit.

10 Antonius occupat hanc obiectionem: difficile eſt in alienis cauſſis & caſibus tam valde & tam variè commoueri: quam diluit ex quatuor cauſſis, quibus orator adducitur vt affectum verum & naturalem induat, quæ ſunt exiſtimatio ingenij, de qua Craſſus lib.1. & Cicero in Diuinatione contra Cæcilium, fides, officium, diligentia. Cicero pro Cluentio, Semper equidem, ait, magno cum metu incipio dicere: quotieſcunque dico, toties mihi videor in iudicium venire, non ingenij ſolùm, ſed etiam virtutis atq; officij, ne aut id profiteri videar, quod non poſſim implere, quod eſt impudentiæ: aut id non efficere, quod poſſim, quod eſt aut perfidiæ, aut negligentiæ. 11 Comparatio eſt minorum cum maioribus: hiſtrio tantopere fictis in rebus commouetur, ergo in cauſſis veris orator multò magis commoueri debet: prior pars comparationis declaratur exemplo ex tragœdia Pacuuij ſumpto: & citantur quatuor verſus trochaici, tetrametri, catalectici, crebris onuſti ſpondæis, quibus Telamon rex Salaminis inſulæ Teucrum filium obiurgat ſine Aiace fratre à bello Troiano reuerſum. Fabius lib.6. Vidi: (inquit) ego ſæpe hiſtriones atq; comœdos, cùm ex aliquo grauiore actu perſonam depoſuiſſent, flentes adhuc egredi: quòd ſi in alienis ſcriptis ſola pronuntiatio ita falſis accedit affectibus, quid nos faciemus, qui illa cogitare debemus, vt moueri periclitantium vice poſſimus? 12 Ex antecedente quaſi minore maius quiddam concluditur, Hiſtrio in agendo commouetur, quantò magis in ſcribendo poëta? hoc poſtremum comprobatur teſtimonio Democriti & Platonis affirmantium poëtas diuino quodā ſpiritu afflari: hoc enim legitur apud Platonem lib.3. & 4. de Legib. & in Apologia Socratis, & imprimis in Ione, vnde hęc tranſcribenda duximus: οὕτω δὲ καὶ ἡ μοῦσα ἐνθουσιαζόντων ὁρμαθὸς ἐξαρτᾶται· πάντες γὰρ οἵτε τῶν ἐπῶν ποιηταὶ οἱ ἀγαθοὶ οὐκ ἐκ τέχνης, ἀλλ' ἔνθεοι ὄντες, καὶ κατεχόμενοι πάντα ταῦτα τὰ καλὰ λέγουσι ποιήματα· καὶ οἱ μελοποιοὶ οἱ ἀγαθοὶ ὡσαύτως· ὥσπερ οἱ κορυβαντιῶντες οὐκ ἔμφρονες ὄντες ὀρχοῦνται· οὕτω καὶ οἱ μελοποιοὶ οὐκ ἔμφρονες ὄντες τὰ καλὰ μέλη ταῦτα ποιοῦσιν, ἀλλ' ἐπειδὰν ἐμβῶσιν εἰς τὴν ἁρμονίαν καὶ εἰς τὸν ῥυθμόν, βακχεύουσι, καὶ κατεχόμενοι, ὥσπερ αἱ βάκχαι, ἀρύτονται ἐκ τῶν ποταμῶν μέλι καὶ γάλα κατεχόμεναι, ἔμφρονες δὲ οὖσαι· καὶ τῶν μελοποιῶν ἡ ψυχὴ τοῦτο ἐργάζεται, ὅπερ αὐτοὶ λέγουσι· λέγουσι γὰρ δήπου πρὸς ἡμᾶς οἱ ποιηταί, ὅτι ἀπὸ κρηνῶν μελιῤῥύτων, ἐκ μουσῶν κήπων τινῶν, καὶ ναπῶν δρεπόμενοι τὰ μέλη ἡμῖν φέρουσιν, ὥσπερ αἱ μέλιτται· καὶ αὐτοὶ οὕτω πετόμενοι· καὶ ἀληθῆ λέγουσι· κοῦφον γὰρ χρῆμα ποιητής ἐστιν, καὶ πτηνόν, καὶ ἱερόν, καὶ οὐ πρότερον οἷός τε ποιεῖν, πρὶν ἂν ἔνθεός τε γένηται, καὶ ἔκφρων, καὶ ὁ νοῦς μηκέτι ἐν αὐτῷ ᾖ. Id eſt, Ita & muſa ipſa diuino ſpiritu afflatos efficit: per eos autem afflatos, qui alios diuino ſpiritu corripiunt, ſeries adaptatur: omnes enim epici poëtæ boni non arte, ſed diuino afflatu capti omnia iſta præclara poëmata dicunt: & melici boni ſimiliter, quemadmodum Corymbantes non ſana mente ſaltant & tripudiant, ita melici poetæ non ſana mente hos præclaros cantus & inſignes efficiunt:

ciunt: ſed cùm incidunt in harmoniam & rhythmum, bacchantur ſpiritu correpti, veluti Bacchæ mulieres mel & lac hauriunt ex fluuiis, non autem cùm ſanæ mentis ſunt: & melicorum animus id efficit, quod ipſi dicunt: dicunt enim nobis poetæ ſe ex fontibus mellifluis, & ex muſarum viridariis, collibusque decerpentes carmina nobis afferre, quemadmodum apes: & ſeipſos apum more volitare: & vera quidem dicunt: eſt enim poëta res leuis, & volatilis, & ſacra: neq; prius poteſt carmẽ facere, quàm deo plenus ſit, & extra ſe poſitus, & à mente alienatus.

13 Principalis redditio primæ comparationis ſequitur, & illuſtratur facto Antonij in M. Aquilij cauſſa: quod quidem exempli vice cuiuſdam generalis præcepti traditur, vt quod Antonius nominatim ait ſe in cauſſa M. Aquilij feciſſe, id ipſum generatim iudicemus oratori ſimilibus in cauſſis eſſe faciendum: induit igitur Antonis φαντασίαν, id eſt, viſionem: & miſerabilem caſum M. Aquilij prius ſibi ipſi repræſentauit, quàm iudicibus repræſentare conatus fuerit: has φαντασίας qui bene conceperit, is erit (vt ait Fabius) in affectibus potentiſſimus. hunc *Lib. 6.* quidam dicunt εὐφαντασίωτον, qui ſibi res, voces, actus, ſecundum verum optimè fingit. 14 Alterum item exemplum Antonij vim quandam generalis doctrinæ habet, vt hic diſcamus quomodo oporteat in periculoſa difficiliq; cauſſa maximam inuidiam reo conflatam ſenſim & paulatim dicendo reſtinguere: Antonius igitur exponit ſummam defenſionis ſuæ pro C. Norbano, quemadmodum ſe inſinuauerit in ipſam cauſſam ab honeſta officij ſui excuſatione, quemadmodum diſputauerit de ſeditionibus ciuitatis, quemadmodum per digreſſionem deplorauerit interitum exercitus Romani, & Cœpionem in odium iudicum adduxerit, quemadmodum in peroratione C. Norbanum iudicibus conciliarit, & ad eos flectendos preces & lachrymas adhibuerit: quæ defenſionis commemoratio, vt ipſe admonet, in artis loco reponenda eſt, vt intelligamus quid in ſimili cauſſa ſequi nos oporteat. 15 Diſputatio Antonij breuiter ita concludit:

> Si quando populus Romanus iure concitatus fuit, imprimis iuſtam cauſſam ſeditionis aduerſus Cœpionem habuit:
> Sed populus Romanus ſæpiſſime iuſtiſſima de cauſſa concitatus fuit:
> Itaque multò iuſtiore de cauſſa in Cœpionem fuit concitatus.

Aſſumptio primo loco declaratur multis exemplis ſeditionum ciuilium, quæ Reipub. vtiles & ſalutares fuerunt, vt cùm Reges exacti, cùm Tribuni pleb. creati, cùm poteſtas à magiſtratibus ad populum prouocandi, populo data eſt: deinde propoſitio amplificatur inuidioſè ex factis Cœpionis ad creandum illi odium iudicum. 16 Sulpitius magna cum admiratione laudat prudentiam Antonij in defendendo Norbano, & totum eius artificium per ſingulas partes cauſſæ & orationis indicat: quæ demonſtratio inſtar generalis doctrinæ habetur: imitatus eſt Antonius Demoſthenem in illa oratione pro Cteſiphõte longè optima: nam exorſus eſt ſummiſſius, deinde vt ille de legibus, ſic hic de ſeditionibus preſſius diſputauit: poſt ſenſim & occultè ſerpens, vt vidit pacatiores iudices, in reliquo genere cõmiſerationis verſatus eſt multò liberius. 17 Quale eſſet ἠθικὸν καὶ παθητικὸν genus orationis, Antonius partim præceptis, partim exemplis expoſuit: deinceps pollicetur artem quandam obſeruationum ſuarum de mouendis aut placandis affectibus: quæ tamen neque dialectica, neque rhetorica eſt, ſed moralis: quia ex ethicis præceptis virtutum & vitiorum deducitur. 18 Duæ ſunt cautiones de non mouendis affectibus, vel cùm cauſſæ paruitas non requirit, vt cùm agitur de ſtillicidiis, de finibus regundis: vel cùm ita obſtinatus eſt auditor, vt à ſententia nullo poſſit affectu dimoueri, vt ſi velles Catoni ſuadere, vt Rempublicam Cæſari proderet. 19 Præcepta conciliandi amoris ſumuntur ex duabus principibus cauſſis amicitiæ, quæ ſunt, virtus & vtilitas: ferè enim hominem diligimus, aut quia bonus eſt, aut quia de nobis bene meritus, aut meriturus: ſic Cic. in oratione de prouinciis conſularibus conciliat amorẽ Senatus

Cæſari,ex eius benemeritis in patriam, & rebus in Gallia bene & feliciter geſtis. 20 Præcepta creandi vel augendi in aduerſarium odij duo item ſunt duobus ſuperioribus contraria,vitium & damnum: ferè enim odimus improbos, vel eos qui nobis,aut aliis,aut Reipub.pernicioſi & infeſti ſunt: ex quo genere ſunt Ciceronis orationes in Catilinā,Clodium,Piſonem,Gabinium,Antonium. Præcepta autem amoris valebunt ad reſtinguendam iracundiam,quando commendabimus iudicibus iratis hominem bonum, vel ipſis aut Reipub.vtilem: & præcepta creandi odij valebunt ad inflammandam iracundiam, cùm inuehemur in hominem malum & pernicioſum,cùm Reipub.tum iis,qui audiſit. 21 Duo ſunt præcepta de incutiendo metu,vnum ex propriis eorum qui audiunt,periculis,alterum ex communibus: vt pro lege Manilia,Sic etiam ſpes iniicitur ex aduenientibus bonis, vt in eadem oratione deliberatio de Pompeio mittendo ad bellum Mithrydaticum: & lætitia ex præſentibus commodis, vel priuatis, vel publicis,vt gratulatio ad Cæſarem de reſtituto Marcello: & moleſtia ex præſentibus malis vel propriis,vel communibus,vt oratio aliqua funebris. 22 Inuidia, eſt ægritudo ex alterius felicitate concepta: & motus animi longè omnium acerrimus, ſicut ait Horatius,

Inuidia Siculi non inuenêre tyranni
Maius tormentum.

Et quemadmodum inuidemus vel paribus,vel inferioribus, vel ſuperioribus, ita orationem ad excitandam vel ſedandam inuidiam in pares, aut ſuperiores, aut inferiores inſtruimus. duo præcepta inflammandæ inuidiæ ſumuntur ex duabus cauſſis, propter quas alteri quis inuidet, quæ ſunt dignitas virtutis & excellentia fortunæ, ſi commemoremus aut honorem, aut opes non eſſe virtute partas,aut eum qui ſibi eas honeſtè peperit,arroganter & ſuperbè,& faſtidioſè ſe gerere, partiſque rebus intemperanter abuti. Sic Cicero in Philippicis diſputat, M.Antonium non eſſe ferendum, quia maiorem dominatum affectet, quam libera ciuitas ferre poſſit, eoque adducit animos ciuium, vt M.Antonio tanquam ſuperbo tyranno inuideant: loci verò reſtinguendæ inuidiæ præcipui ſunt duo: vnus cùm ſignificamus præſtantiam dignitatis aut fortunæ,non ad noſtram, ſed ad publicam vtilitatem conferri: ſic Cicero ſignificat ſe eloquentiam expetiiſſe ad Reipub.dignitatem & ſalutem ciuium: alter cùm nos modeſtè extenuamus: cuius generis exempla ſunt in principiis orationum Ciceronis. 23 Duo ſunt præcepta commiſerationis: vnum,cùm deploramus eiuſmodi caſum, qualis acciderit,vel accidere poſſit iudicibus: alterum,cùm lugemus afflictam hominis virtutem: vt Cicero facit in oratione pro Rabirio Poſthumo. 24 Vtrumque orationis genus ἠθικὸν καὶ παθητικὸν nonnunquam in eadem oratione miſcetur. 25 Ingreſſus ad affectum tardus & lentus eſſe debet, vt ſenſim & paulatim oratio irrepat in ſenſum iudicis: ſic Demoſthenes in oratione pro Cteſiphonte loquitur ſummiſſius in principio,deinde de legibus diſputat preſſius: poſt ſenſim incedens,iudices vt vidit ardentes, in reliquis exultat audacius. 26 Vt longo tractu veniendum eſt ad patheticon orationis genus, ita in eo diutius commorandum eſt, & affectus elocutionis & actionis viribus eſt excitandus in his, qui audiunt: quod præceptum Antonius declarat diſſimili ratione docendi & mouendi: argumentum enim rem & cauſſam ſtatim docet, oratio vehemens non ſtatim iudicem commouet, ſed variam & copioſam elocutionē & contentionem actionis requirit. 27 Antonius breuiter præcipit de duplici refutatione, vna fidei, altera motus: & prioris quidem generis triplicem modum tradit: vnum, cùm antecedens argumentum refellitur:vt cùm Cælius arguitur veneficij,quòd Licinium adoleſcētem quendā ſubornauerit ad porrigendum Clodiæ venenum in balneis: Cicero huic argumento,vt falſo,reſiſtit: alterum,cùm negatur ex antecedentibus effici conſequens:vt in ſyllogiſmo fallaci & captioſo,qualem refellit Cot-

lit Cotta lib.3.de Nat.deor.contra Stoicos:tertium,cùm affertur aliquid,aut grauius,aut æquè graue: vt Cicero non negat Ligarium fuiſſe in armis contra Cæſarem, ſed æquè graue obiicit accuſatori Tuberoni, qui arma quoque in Cæſarem ſumpſiſſet. Affectus autem,id eſt,locus patheticus refutatur vno modo,nempe vt affectus iam in animis audientium impreſſus affectu contrario tollatur, vt odium beneuolentia,inuidia miſeratione: cõtraria enim contrariorum ſunt remedia: itaque Cicero Cæſaris iram in Ligarium beneuolentiæ locis mitigauit, & beneuolentiam populi Romani in Rullum locis inuidiç & odij depulit.

[1] Suauis autem eſt & vehementer ſæpe vtilis iocus, & facetiæ: quæ etiam ſi alia omnia tradi arte poſſunt, naturæ ſunt propria certè, neq; vllam artem deſiderant: in quibus tu longè alijs mea ſententia Cæſar excellis: quo magis mihi etiam teſtis eſſe potes, aut nullam eſſe artem ſalis: aut ſi qua eſt, eam nos tu potiſſimùm docebis. Ego verò, inquit Cæſar, omni de re facetius puto poſſe ab homine non inurbano, quàm de ipſis facetijs diſputari. Itaq; cùm quoſdam Græcos inſcriptos libros eſſe vidiſſem de ridiculis, nonullam in ſpem veneram poſſe me aliquid ex iſtis diſcere. Inueni autem ridicula & ſalſa multa Græcorum. Nam & Siculi in eo genere, & Rhodij, & Byzantij, & præter cæteros Attici excellunt: ſed qui eius rei rationem quandam conati ſunt, artemq; tradere, ſic inſulſi extiterunt, vt nihil aliud eorum, niſi ipſa inſulſitas rideatur. Quare mihi nullo videtur modo doctrina iſta res poſſe tradi. [2] Etenim cùm duo genera ſint facetiarum, alterum æquabiliter in omni ſermone fuſum, alterum peracutum & breue: illa à veteribus ſuperior, cauillatio: hæc altera, dicacitas nominata eſt. Leue nomen habet vtraq; res: quippe leue enim eſt totum hoc, riſum mouere. Verumtamen, vt dicis Antoni, multum in cauſſis perſæpe lepòre & facetijs profici vidi. Sed quum in illo genere perpetuæ feſtiuitatis ars non deſideretur (natura enim fingit homines, & creat imitatores & narratores facetos, & vultu adiuuante, & voce, & in ipſo genere ſermonis) tum

verò in hoc altero dicacitatis quid habet ars loci, quum ante illud facetum dictum emiſſum hærere debeat, quàm cogitari potuiſſe videatur? [5] Quid enim hic meus frater ab arte adiuuari potuit, quum à Philippo interrogatus quid latraret, furem ſe videre reſpondit? [7] Quid in oratione Craſſus vel apud Centumuiros contra Scæuolam, vel contra accuſatorem Brutum, cùm pro Cn. Planco diceret? Nam id quod tu mihi tribuis, Antoni, Craſſo eſt omnium ſententia concedendum. Non enim ferè quiſquã reperietur præter hunc in vtroq; genere lepôris excellens, & illo quod in perpetuitate ſermonis, & hoc quod in celeritate atq; dicto eſt. Nam hæc perpetua contra Scæuolam Curiana defenſio, tota redundauit hilaritate quadam & ioco: dicta illa breuia non habuit. Parcebat enim aduerſarij dignitati, in quo ipſo ſeruabat ſuam: quod eſt hominibus facetis & dicacibus difficillimũ, habere hominum rationem & temporum, & ea quæ occurrant, cùm ſalſiſſimè dici poſſint, tenere. Itaq; nonnulli ridiculi homines hoc ipſum non inſulsè interpretantur. Dicere enim aiunt Ennium, flammam à ſapiente facilius ore inardente opprimi, quàm bona dicta teneat. Hæc ſcilicet bona dicta, quæ ſalſa ſint. Nam ea, dicta appellantur proprio iam nomine. [8] Sed vt in Scæuolam continuit ea Craſſus, atq; illo altero genere, in quo nulli aculei contumeliarum inerant, cauſſam illam diſputationemq; eluſit: ſic in Brutum, quem oderat, & quem dignum contumelia iudicabat, vtroq; genere pugnauit. Quàm multa de balneis, quas nuper ille vendiderat: quàm multa de patrimonio dixit? Atq; illa breuia, quum ille diceret ſe ſine cauſſa ſudare. Minimè mirum, inquit: [6] modo enim exiſti de balneis. Innumerabilia huiuſcemodi fuerunt: ſed non minus illa iucunda perpetua: [7] cùm

enim

enim Brutus duos lectores excitaſſet, & alteri de colonia Narbonenſi Craſſi orationem legendam dediſſet, alteri de lege Seruilia, & cùm contraria inter ſeſe de Repub. capita contuliſſet, noſter hic facetiſſimè tres patris Bruti de iure ciuili libellos tribus legendos dedit. [8] *Ex lib. 1. Fortè euenit, vt in Priuernati eſſemus. Brute, teſtificatur pater ſe tibi Priuernatem fundum reliquiſſe. Deinde ex lib. 2, In Albano eramus ego & M. filius. Sapiens videlicet homo cum primis noſtræ ciuitatis, norat hunc gurgitem: metuebat ne cùm is nihil haberet, nihil eſſe ei relictum putaretur. Tum ex lib. 3. in quo finem ſcribendi fecit (tot enim, vt audiui Scæuolam dicere) ſunt veri Bruti libri. In Tiburti fortè aſſedimus ego & M. filius. Ubi ſunt ij fundi, Brute, quos tibi pater publicis commentarijs conſignatos reliquit? Quòd niſi puberem te, inquit, iam haberet, quartum librum compoſuiſſet, & ſe etiam in balneis locutum cum filio, ſcriptum reliquiſſet.* [9] *Quis eſt igitur, qui non fateatur hoc lepore, atq; ijs facetijs non minus refutatũ eſſe Brutum, quàm illis tragœdijs quas egit idem cùm caſu in eadem cauſſa, cum funere efferretur anus Iunia? Prò dij immortales, quæ fuit illa, quanta vis, quàm inexpectata, quàm repentina? cum coniectis oculis, geſtu omni imminenti, ſumma grauitate & celeritate verborum,* [10] *Brute, quid ſedes? quid illam anum patri nunciare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? quid maioribus tuis? quid L. Bruto, qui hunc populum dominatu regio liberauit? quid te facere? cui rei, cui gloriæ, cui virtuti ſtudere? patrimonióne augendo? At id non eſt nobilitatis: ſed fac eſſe: nihil ſupereſt: libidines totum diſſipauerunt. An iuri ciuili? eſt paternum: ſed dicet, te, cùm ædes venderes,* [11] *ne in rutis quidem & cæſis ſolium tibi pa-*

ternum recepiſſe. An rei militari, qui nunquam caſtra videris? An eloquentiæ, quæ nulla eſt in te, & quicquid eſt vocis ac linguæ, omne in iſtum turpiſſimum calumniæ quæſtum contuliſti? Tu lucem aſpicere audes? tu hos intueri? tu in foro, tu in vrbe, tu in ciuium eſſe conſpectu? Tu illam mortuam, [12] *tu imagines ipſas non perhorreſcis, quibus non modo imitandis, ſed ne collocandis quidem tibi vllum locum reliquiſti? Sed hæc tragica atq; diuina: Faceta autem & vrbana innumerabilia ex vna cocione meminiſtis.* [13] *Nec enim concio maior vnquam fuit, nec apud populum grauior oratio, quàm huius contra collegam in cenſura nuper, neq; lepôre & feſtiuitate conditior.* [14] *Quare tibi Antoni vtrumq; aſſentior, & multum facetias in dicendo prodeſſe ſæpe, & eas arte nullo modo poſſe tradi. Et illud quidem admiror, te nobis in eo genere tribuiſſe tantum, & non huius rei quoque palmã, vt cæterarum, Craſſo detuliſſe.* [15] *Tum Antonius, Ego verò ita feciſſem, inquit, niſi interdum in hoc Craſſo paulum inuiderem. Nam eſſe quamuis facetum atq; ſalſum, non nimis eſſe per ſeipſum inuidendum: ſed cùm omnium ſis venuſtiſſimus & vrbaniſſimus, omnium grauiſſimum & ſeueriſſimum & eſſe & videri, quod iſti contigit vni, id mihi vix ferendum videbatur. Hic quum arriſiſſet ipſe Craſſus,* [16] *Attamen, inquit Antonius, cùm artem eſſe facetiarum Iuli negares, aperuiſti quiddam, quod præcipiendum videretur: Haberi enim dixiſti rationem oportere hominum, rei, temporis, ne quid iocus de grauitate decerperet: quod quidem inprimis à Craſſo obſeruari ſolet. Sed hoc præceptum prætermittendum eſt facetiarum, cùm his nihil opus ſit: nos autẽ quomodo vtamur cùm opus ſit, quærimus: vt in aduerſarium, & maximè ſi eius ſtultitia poterit agitari:*

tari: in teſtem ſtultum, cupidum, leuem, ſi facile homines au diturì videbuntur. Omnino probabiliora ſunt, quæ laceſſiti dicimus, quàm quæ priores. Nam & ingenij celeritas maior eſt, quæ apparet in reſpondendo: & humanitatis eſt reſponſio. Videmur enim quieturi fuiſſe, niſi eſſemus laceſſiti: vt in iſta ipſa concione nihil ferè dictum eſt ab hoc, quod quidem facetius dictum videretur, quod non prouocatus reſponderit. Erat autem tanta grauitas in Domitio, tanta authoritas, vt quod ab eo eſſet obiectum, lepôre magis eleuandum, quàm contentione frangendum videretur. [17] *Tum Sulpitius, Quid igitur? inquit, patiemur Cæſarē, qui quanquam Craſſo facetias concedit, tamen multò in eo ſtudio magis ipſe elaborat, non explicare totum nobis genus hoc iocandi, quale ſit, & vnde deducatur, præſertim cùm tantam vim & vtilitatem ſalis & vrbanitatis eſſe fateamur? Quid ſi, inquit Iulius, aſſentior Antonio, dicenti nullam eſſe artem ſalis? Hic cùm Sulpitius reticuiſſet,* [18] *Quaſi verò, inquit Craſſus, horum ipſorum, de quibus Antonius tam diu loquitur, ars vlla ſit: Obſeruatio quædam eſt, vt ipſe dixit, earum rerum, quæ in dicendo valent: quæ ſi eloquentes facere poſſet, quis eſſet non eloquens? Quis enim hæc vel non facile, vel certè aliquo modo poſſet ediſcere? Sed ego in his præceptis hanc vim & hanc vtilitatem eſſe arbitror, nō vt ad reperiendum dicamus, arte ducamur: ſed vt ea quæ natura, quæ ſtudio, quæ exercitatione conſequimur, aut recta eſſe confidamus, aut praua intelligamus, cùm quò referenda ſint, didicerimus. Quare, Cæſar, ego quoq; à te hoc peto, vt, ſi tibi videtur, diſputes de hoc toto iocandi genere quid ſentias: ne qua fortè dicendi pars, quoniam ita voluiſtis, in hoc tali cœtu, atq; in tam accurato ſermone præterita eſſe videatur.* [19] *Ego ve-*

rò,inquit ille,quoniam collectam à conuiua Craſſe exigis, non committam vt ſi defugerim,tibi cauſſam aliquam dem recuſandi: [20] quanquam ſoleo ſæpe mirari eorum impudentiam, qui agunt in ſcena geſtum ſpectante Roſcio. Quis enim ſeſe commouere poteſt, cuius ille vitia non videat? Sic ego nunc Craſſo audiẽte primùm loquar de facetijs, & [21] docebo ſus(vt aiunt)oratorem eum,quem cùm Catulus nuper audiſſet, [22] fœnum alios aiebat eſſe oportere. [23] Tum ille, iocabatur, inquit,Catulus: præſertim cùm ita dicat ipſe, vt Ambroſia alendus eſſe videatur. Verùm te Cæſar audiamus, vt ad Antonij reliqua redeamus. Et Antonius [24] Perpauca quidem mihi reſtant,inquit,ſed tamẽ defeſſus iam labore atq; itinere diſputationis meæ, requieſcam in Cæſaris ſermone, quaſi in aliquo peropportuno diuerſorio. Atqui, inquit Iulius, non minimum liberale hoſpitium meum dices. nam te in viam,ſimul ac perpaululum guſtaris,extrudam,& eijciam.

1 Expoſitis duabus inuentionibus,vna argumẽtorum ad docendam cauſſam, altera grauiorum rationum ad mouendos affectus, ſupereſt tertia delectationis inuentio,id eſt,ars riſus & iocorum, quam Antonius nullam eſſe dicit, aut ſi quæ eſt,explicationem eius à Cæſare petit: Cæſar igitur primùm diſputat, nullam artem videri iocorum,deinde tamẽ eam docebit: quæ re vera nihil rhetoricæ proprium habet,neque dialecticæ,ſed communiter ex ambabus, atque etiam ex alijs artibus ſumitur, quemadmodum ſequentia præcepta de iocis iudicabunt: Iocos igitur minimè conſtare arte & præceptis Cæſar probare conatur ex libris Græcorum rhetorum,de hac re conſcriptis,qui tantùm abeſt,vt artem facetiarum habeant,vt nihil illis videatur inſulſius aut ineptius. 2 Secundum argumentum eſt à diſtributione facetiarum in duas ſpecies, cauillationem & dicacitatem, quibus negatis totum negatè concluditur hoc modo,

Cauillatio non deſiderat artem,neque item dicacitas:
Nullæ igitur facetiæ artem requirunt.

Antecedentis ratio ſumitur ex captioſo diſſentaneo:Vtrumq; genus natura conſtat,non igitur arte: vitioſum eſt conſectarium : nam quæcunque arte conſtant, etiam conſtant natura. 3 Iocus eſt Catuli in Philippum conſulem rapacem,& ex occaſione metaphoræ & ſubiecti ad illam metaphoram relati ſumitur: nam canes allatrant furibus. 4 Exempla deinceps proponuntur ex duabus nobiliſſimis orationibus Craſſi, quibus Cæſar probare nititur,Craſſum natura facetum fuiſſe,& in hoc genere cæteris excelluiſſe,& in iocando rationem perſonarum habuiſſe: vt in oratione pro Curio iocatus eſt in Scæuolam iucundè & feſtiuè, ſalua ta-

ua tamen dignitate hominis, quia non decebat famam hominis ſibi amiciſſimi vllis moleſtis aculeis ſcommatum pungi & lacerari. 5 Exempla quæ ſequuntur acerbiores iocos habuerunt in M.Brutum aduerſarium Licinij Craſſi,& prodigum hominem,dignumque, qui acutioribus & grauioribus aculeis contumeliarum per iocum vexaretur. 6 Iocus arreptus eſt ex ſubiecti & adiuncti ratione: nam in balneis ſudatur: & delectat ſermonis ambiguitas. Exire autem de balneis ſignificat aliàs egredi, aliàs autem balnearum poſſeſſionem amittere.

7 Craſſus fuerat irriſus à M.Bruto,quòd in diſſuaſione legis,quæ contra Coloniam Narbonenſem ferebatur,quantum potuit de authoritate Senatus detraxit: in ſuaſione autem legis Seruiliæ,quæ partem iudiciorum equitibus auferebat,& ſenatoribus dabat, ſummis Senatum laudibus ornauit: ex quibus contrariis capitibus Brutus Craſſi deriſit inconſtantiam. 8 Craſſus quæſiuit feſtiuam narrationem, qua laceſſitus in Brutum iocaretur, qui tres paternos fundos vendiderat, & patrimonium decoxerat: de quo Fabius, Illud quoque genus eſt poſitum non in hac velut iaculatione verborum, & incluſa breuiter vrbanitate, ſed in quodam longiore actu: quod de Craſſo contra Brutum, in 2.de Orat.lib. & aliis quibuſdam locis narrat: nam cùm Brutus in accuſatione Cn.Planci ex duobus lectoribus oſtendiſſet contraria L.Craſſum patronum eius in oratione, quam de Colonia Narbonenſi habuerat, ſuaſiſſe eis, quæ de lege Seruilia dixerat,tres excitauit & ipſe lectores,hiſque patris eius dialogos dedit legendos,quorum cùm in Priuernati vnus,alter in Albino,tertius in Tyburti ſermonem habitum complecteretur, requirebat, vbi eſſent eæ poſſeſſiones: omnes autem Brutus vendiderat, & cùm paterna manciparet prædia,turpis habebatur. 9 Cæſar approbat vim Craſſi in facetiis & iocis, comparatione grauiorũ affectuum, quibus tragicè inuectus eſt in Brutum: in quibus etſi magnus fuit, non magis tamen excelluit,quàm in lepôre & ſalibus. 10 Videntur hæc verba ſumpa eſſe ex oratione Craſſi pro Planco,quibus Licinius Craſſus M.Brutum accuſatorem hominem nequam,& maiorum ſuorũ diſſimilem vehementer obiurgauit, ſumpta occaſione obiurgationis ex Iunia Bruti propinqua,quæ tum forte Craſſo dicente per medium forum efferebatur ad rogum. Collegit itaque Craſſus longa inductione honeſta & vtilia hominum ſtudia, quæ Brutus hic contempſit.

11 Hyperbolicus eſt modus extenuandi cauſſa, & iocus ex formula iuris ſumptus in M.Brutum,qui ſic decoxerat, vt nil ex ea effuſione reliqui feciſſet, ne ſolium quidem, id eſt, ſellam & hexedram, in qua pater ſedens de iure respondebat. 12 In atriis nobilium ceręæ imagines familiæ diſpoſitæ erant ſingulæ in ſuis armariis: Brutus autem & domũ,& atrium,& armaria vendiderat. 13 Cn. Domitius Cenſor accuſauit pro roſtris L.Craſſum collegam ſuum, quòd nimis ſumptuosè ædificaſſet, & in porticu domus columnas Hymetias haberet: cui Craſſus in concione reſpondit, & parem atque etiam maiorem luxum obiecit, qui decem arbuſculas tricies HS emiſſet: lege Valerium lib.9. 14 Epilogus eſt ad laudem Craſſi, & tria diſputationis capita complectitur. 15 Hæc dicuntur ab Antonio per iocum: mos enim eſt in dialogis,vt homines inter ſe familiariter rideant: atque hic iocus ſpectat ad ſummam laudem Craſſi ex admirabili coniunctione duarum diſſimilium virtutum, ſeueritatis & comitatis. Cicero in Bruto, Erat ſumma grauitas, erat cum grauitate iunctus facetiarum & vrbanitatis oratorius,non ſcurrilis lepos. Ibidem, Craſſus in ſumma comitate habebat etiam ſeueritatis ſatis. 16 Iocus ſi non veram & certam artem, qualis antea definiebatur ab Antonio, at ſpeciem quandam artis habet, ex probabilibus obſeruationibus & animaduerſionibus collectam: quales ſunt hæ regulæ:

In iocando habenda eſt ratio loci,perſonæ,temporis:
Irridendus eſt aduerſarius aut teſtis, ſi auditor facilè pati videbitur:
Iocus in reſpondendo gratior,quàm in laceſſendo:

& multæ aliæ leges, quæ à Cæſare traduntur. 17 Antonius primus fuit hortâ-

tor Cæſaris, vt de iocis diceret: ſecundus adeſt Sulpitius, qui hortatur duobus argumentis: Cæſar in hoc genere præcipuè verſatur: & iocus eſt oratori perutilis. Itaque nos cupimus de iocis audire de Cæſare. 18 Tertius hortator eſt Craſſus, qui non artem, ſed quaſi artem, id eſt, probabilem doctrinam facetiarum requirit: & ſyllogiſmum ſic inſtruit:

> Præcepta artis ſunt vtilia, & cognoſcenda, quia docent quid rectum prauumque ſit in re, quæ explicatur:
>
> Obſeruationes de iocis ſunt artis quædam præcepta:
>
> Obſeruationes igitur de iocis ſunt vtiles, & cognoſcendæ, quia docent, quid in iocando rectum prauumque ſit.

In natura & exercitatione præcipua vis eſt: in arte conſilium: ars tantùm demonſtrat, vt antè dixit Antonius, vbi quæras, atque vbi ſit illud, quod ſtudeas inuenire: reliqua ſunt in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, aſſiduitate, labore. 19 Procemium de iocis totum iocoſum & feſtiuum eſt, vbi Cæſar, Craſſus & Antonius perbellè inter ſe iocantur ex metaphoris, ſimilitudinibus, & prouerbiis feſtiuiſſimis & elegantiſſimis: prima metaphora eſt à côuiuis, qui pecuniam colligunt, & conferunt ad apparatum menſæ, quæ pecunia dicitur à Latinis collecta, à Græcis συμβολον: ita in hoc diſputationis conuiuio Antonius, Cæſar & Craſſus aliquid conferunt, Antonius duas inuentiones fidei & motus, artem diſpoſitionis & memoriæ, Cæſar locos facetiarum, Craſſus præcepta elocutionis & actionis. 20 Modeſta eſt ſui ipſius extenuatio collaudata perſona Craſſi ex ſimilibus: Vt impudentia eſt agere ſpectante Roſcio, ſic dicere audiente Craſſo.

21 Cæſar alludit ad prouerbium (Sus Mineruam) cùm doctus indoctum vult aliquid docere: eſt enim ſus, animal ignauum, & ſtupidum, & ſtolidum. 22 Videnum potius legendum ſit, cœnum, vt ſit alluſio ad ſubiectum proprium ſuis, quæ cœno lutoque gaudet. 23 Craſſus eleuat dictum Catuli exemplo & laude ipſius Catuli: qui locus habet vim quandam repugnantiæ: Catulus ſummus eſt orator: non igitur cæteri à Craſſo viles ſunt. Hæc laus exornatur poëtica metaphora: poëtæ enim fingunt deos ambroſia veſci, & ex eo immortalitatem conſequi. 24 Lepos hic quæſitus eſt ex ſimilitudine viatorum, & habet magnam elegantiam in metaphoris, quæ ſignificant & longam Antonij diſputationem fuiſſe, & proximum Cæſaris ſermonem plenum fore cuiuſdam ſuauitatis, & Antonium ad reliquam τεχνολογίαν ſtatim reuerſurum eſſe.

[1] Ac ne diutius vos demorer, de omni iſto genere quid ſentiam, perbreuiter exponam. De riſu quinque ſunt quæ quærantur: vnum, quid ſit: alterum, vnde ſit: tertium, ſitne oratoris velle riſum mouere: quartum, quatenus: quintum, quæ ſint genera ridiculi. Atque illud primum, quid ſit ipſe riſus, quo pacto concitetur, vbi ſit, quomodo exiſtat, atque ita repentè erumpat, vt eum cupientes tenere nequeamus, & quomodo ſimul latera, os, venas, vultum, oculos, occupet, viderit Democritus. Neque enim ad hunc ſermonem hoc pertinet, & ſi pertineret, neſcire me tamē id nō puderet, quod ne ipſi quidem illi ſcirent, qui pollicentur. [2] Locus autem & regio

regio quaſi ridiculi (nam id proximè quæritur) turpitudine & deformitate quadam continetur. Hæc enim ridentur vel ſola, vel maximè, quæ notant & deſignant turpitudinem aliquam non turpiter. [3] *Eſt autem, vt ad illud tertium veniam, eſt planè oratoris, mouere riſum, vel quòd ipſa hilaritas beneuolentiam conciliat ei per quem excitata eſt: vel quòd admirantur omnes acumen vno ſæpe in verbo poſitum, maximè reſpondentis, nonnunquam etiam laceſſentis: vel quòd frangit aduerſarium, quòd impedit, quòd eleuat, quòd deterret, quòd refutat: vel quòd ipſum oratorem politum eſſe hominē ſignificat, quòd eruditum, quòd vrbanum: maximeq́ quòd triſtitiam ac ſeueritatem mitigat & relaxat, odioſasq́ res ſæpe, quas argumentis dilui non facile eſt, ioco riſuq́ diſſoluit.* [4] *Quatenus autem ſint ridicula tractanda oratori, perquàm diligenter videndum eſt: id quod in quarto loco quærendi poſueramus. Nam nec inſignis improbitas, & ſcelere iuncta, nec rurſus miſeria inſignis agitata ridetur. Facinoroſos maiore quadam vi quàm ridiculi vulnerari volunt, miſeros illudi nolunt, niſi ſi ſe fortè iactāt. Parcendum eſt autem maximè charitati hominum, ne temerè in eos dicas qui diliguntur. Hæc igitur adhibenda eſt primùm in iocando moderatio. Itaq; ea facillimè luduntur, quæ neq; odio magno, nec miſericordia maxima digna ſunt. Quamobrem materies omnis ridiculorum eſt in iſtis vitijs, quæ ſunt in vita hominum, neq; charorum, neq; calamitoſorum, neq; eorum qui ob facinus ad ſupplicium rapiendi videntur: eaq́ bellè agitata ridentur. Eſt etiam deformitatis & corporis vitiorum ſatis bella materies ad iocandum. Sed quærimus, idem quod in cæteris rebus maximè quærendum eſt, quatenus. In quo non modò illud præcipitur, nequid in-*

ſulſe,ſed etiam ſi quid perridiculè poſſis, vitandum eſt oratori vtrumq;, ne aut ſcurrilis iocus ſit,aut mimicus. Quæ cuiuſmodi ſint, facilius iam intelligemus,cùm ad ipſa ridiculorum genera venerimus. [5] *Duo enim ſunt genera facetiarum,quorum alterum re tractatur,alterum dicto.* [6] *Re, ſi quando quid tanquam aliqua fabella narratur, vt olim tu Craſſe in Memmium, comediſſe eum lacertum Largij, cùm eſſet cum eo Tarracinæ de amicula rixatus: Salſa,attamen à te ipſo ficta tota narratio. Addidiſti clauſulam,tota Tarracina tum omnibus in parietibus inſcriptas fuiſſe literas, tria L L L, duo M M. Cùm quæreres id quid eſſet,ſenem tibi quendam oppidanum dixiſſe, Lacerat lacertum Largij mordax Memmius. Perſpicitis hoc genus, quã ſit facetum,quàm elegans,quàm oratorium,ſiue habeas verè quod narrare poſſis, quod tamẽ eſt mendaciunculis aſpergendum: ſiue fingas. Eſt autem hæc huius generis virtus,vt ita facta demonſtres, vt mores eius de quo narres, vt ſermo, vt vultus omnes exprimantur: vt ijs qui audiunt, tum geri illa fieriq; videantur. In re eſt item ridiculum, quod ex quadam deprauata imitatione ſumi ſolet, vt idem Craſſus,* [7] *Per tuam nobilitatem,per veſtram familiam.Quid aliud fuit in quo concio rideret, niſi illa vultus & vocis imitatio? Per tuas ſtatuas verò cùm dixit,& extento brachio paululum etiam de geſtu addidit,vehementius riſimus. Ex hoc genere eſt illa Roſciana imitatio ſenis:*

[8] *Tibi ego Antipho aſſero, inquit, ſenium eſt quum audio.*

[9] *Atq; ita eſt totum hoc ipſo genere ridiculum,vt cautiſſimè tractandum ſit. Mimorum eſt enim ethologorum,ſi nimia eſt imitatio,ſicut obſcœnitas. Orator ſurripiat oportet imitationem:*

tationem: vt is qui audiat, cogitet plura quàm videat: Præſtet idem ingenuitatem & ruborem ſuum, verborum turpitudine, & rerum obſcœnitate vitanda. [10] *Ergo hæc duo genera ſunt eius ridiculi, quod in re poſitum eſt: quæ ſunt propria perpetuarum facetiarum, in quibus deſcribuntur hominum mores, & ita effinguntur, vt aut re narrata aliqua, quales ſunt intelligantur, aut imitatione breui iniecta, in aliquo inſigni ad irridendum vitio reperiantur. In dicto autem ridiculum eſt id, quod verbi aut ſententiæ quodam acumine mouetur, ſed vt in illo ſuperiore genere vel narrationis, vel imitationis vitanda eſt mimorum ethologorum ſimilitudo: ſic in hoc ſcurrilis oratori dicacitas magnopere fugienda eſt. Quî igitur diſtinguemus à Craſſo, à Catulo, à cæteris familiarem veſtrum Granium, aut Vargulam amicum meum? Non me hercule in mentem mihi quidem venit. ſunt enim dicaces: Granio quidem nemo dicacior. Hoc opinor primum, ne quotieſcunq; potuerit dictum dici, neceſſe habeamus dicere:* [11] *Puſillus teſtis proceſſit. Licet, inquit, rogare? Philippus: tum quæſitor properans, Modo breuiter. Hic ille, Non accuſabis: perpuſillum rogabo. Ridicule: ſed ſedebat iudex L. Aurifex, breuior etiam quàm ipſe teſtis. omnis eſt riſus in iudicem conuerſus: viſum eſt totum ſcurrile iudicium. Ergo hæc, quæ cadere poſſunt in quos nolis, quamuis ſint bella, ſunt tamē ipſo genere ſcurrilia:* [12] *vt iſte qui ſe vult dicacem, & me hercule eſt, Appius, ſed nonnunquā in hoc vitium ſcurrile delabitur: Cœnabo, inquit, apud te, huic luſco familiari meo C. Sextio: vni enim locum eſſe video. Eſt hoc ſcurrile, & quòd ſine cauſſa laceſſiuit, & tamen id dixit quod in omnes luſcos conueniret. Ea quia meditata putātur eſſe, minus ridentur.* [13] *Illud egregium Sex-*

tij,& ex tempore: Manus laua, inquit, & cœna. Temporis igitur ratio,& ipſius dicacitatis moderatio & temperantia,& raritas dictorum diſtinguet oratorem à ſcurra: & quod nos cum cauſſa dicimus,non vt ridiculi videamur,ſed vt proficiamus aliquid,illi totũ die, & ſine cauſſa. [14] *Quid enim eſt Vargula aſſecutus, cùm eum candidatus A.Sempronius cum Marco ſuo fratre complexus eſſet, Puer abige muſcas? Riſum quæſiuit,qui eſt mea ſententia vel tenuiſſimus ingenij fructus. Tempus igitur dicendi prudentia & grauitate moderabimur: quarum vtinam artem aliquam haberemus:ſed domina natura eſt. Nunc exponamus genera ipſa ſummatim,quæ riſum maximè moueant.* [15] *Hæc igitur ſit prima partitio: Quod facetè dicatur, id aliâs in re habere,aliâs in verbo facetias:maximè autem homines delectari,ſi quando riſus coniunctè,re,verboq́ moueatur. Sed hoc mementote, quoſcunq́ locos attingam vnde ridicula ducantur, ex iiſdem locis ferè etiam graues ſententias poſſe duci. Tantùm intereſt,quòd grauitas honeſtis in rebus ſeuerè, iocus in turpiculis & quaſi deformibus ponitur:velut in iiſdem verbis & laudare frugi ſeruum poſſumus, & ſi eſt nequam,iocari.* [16] *Ridiculum eſt illud Neronianum vetus in furace ſeruo, Solum eſſe, cui domi nihil ſit nec obſignatum, nec occluſum. Quod idem in bono ſeruo dici ſolet,ſed hoc iiſdem etiam verbis. Ex iiſdem autem locis omnia naſcuntur.* [17] *Nam quod Spurius Carnilio grauiter claudicanti ex vulnere ob Rempublicam accepto, & ob eam cauſſam verecundanti in publicum prodire,mater dixit, Quin prodis mi Spuri,vt quotieſcunq́ gradum facias,toties tibi tuarum virtutum veniat in mentem? præclarum & graue eſt. Quod Caluino Claucia claudicanti, Vbi eſt vetus*

tus illud? Num claudicat? at hic claudicat. hoc ridiculum eſt: & vtrumq; ex eo quod in claudicatione animaduerti potuit, eſt ductum. [18] *Quid hoc Næuio ignauius? Seuerè Scipio. At in male olentem, Video me à te non conueniri, ſed circunueniri. ſubridiculè Philippus. At vtrumq; genus continet verbi ad literã immutati ſimilitudo.* [19] *Ex ambiguo dicta, vel argutiſſima putantur: ſed non ſemper in ioco, ſæpe etiam in grauitate verſantur.* [20] *Africano illi maiori coronam ſibi in conuiuio ad caput accommodanti, quum ea ſæpius rumperetur, P. Licinius Varus, Noli mirari, inquit, ſi non conuenit, caput enim magnum eſt: laudabile & honeſtum.* [21] *At ex eodem genere eſt. Caluus ſatis eſt: quod dicit, parum, ne multa. Nullum genus eſt ioci, quo non ex eodem ſeuera & grauia ſumantur.* [22] *Atq; hoc etiam animaduertendum, non eſſe omnia ridicula faceta. Quid enim poteſt tam ridiculum, quàm Sannio eſt? ſed ore, vultu, imitandis moribus, voce, deniq; corpore ridetur ipſo. Salſum hunc poſſum dicere, atque ita, non vt eiuſmodi oratorem eſſe velim, ſed vt mimum. Quare primum genus hoc quod riſum vel maximè mouet, non eſt noſtrum, moroſum, ſuperſtitioſum, ſuſpicioſum, glorioſum, ſtultum. Naturæ ridentur ipſæ, quas perſonas agitare ſolemus, non ſuſtinere. Alterum genus eſt imitatione admodum ridiculum, ſed nobis tantùm licet furtim, ſi quando & curſim. Aliter minimè eſt liberale. Tertium, oris deprauatio, nõ digna nobis. Quartum obſcœnitas, non ſolùm non foro digna, ſed vix conuiuio liberorum.*

1 Cæſar Græcorum, quos ſequitur, more & inſtituto quinque quæſtiones de riſu & facetiis proponit, in quarum explicatione tota ars de iocis conſiſtit, quam Cicero ex Græcorum libris Latinè expreſſit, & Romanis exemplis illuſtrauit, quæ magna ex parte ſumpta ſunt ex originibus Catonis: prima quæſtio de definitione riſus non explicatur, quòd tota ſit phyſicorum, & obſcuritatem

magnam habeat: phyſici riſum definiunt motum animi ad hilaritatem: cauſſam riſus ſtatuunt rem iucundam, à qua pulſus animus, ſanguinem & ſpiritum pellit, atque exinde latera, vultus, oculi iucundè permouentur. Iidem riſum dicunt habitare in præcordiis, id eſt, diaphragmate, atque ita repentè erumpere, vt à nobis vel cupientibus cohiberi non poſſit, præſertim vbi facta eſt magna impreſſio rei ſuauiter afficientis animum, & corpus ipſum eſt ſua ſponte præparatum ad hilaritatem. 2 Locus & regio ridiculi intelligitur materies quæ facit, vt rideamus: eaque ponitur in rebus turpiculis, vt cùm falsè & feſtiuè irridetur aliquod vitium vel corporis, vel animi, vel fortunæ, quod ſequentibus exemplis planius intelligetur. Fabius lib. 6. Habet riſus, vt Cicero dicit, ſedem in deformitate aliqua & turpitudine, quæ cùm in aliis demonſtrantur, vrbanitas, cùm in ipſum dicentem reciduut, ſtultitia vocatur. 3 Cæſar probat quinque de cauſſis munus eſſe oratoris mouere riſum, de quibus Fabius libro 6. 4 Oratoris modus in iocando definitur & qualitate hominum, & genere rerum, quæ irriſionem merentur. hic igitur regula traditur à Cæſare, & declaratur à contrariis hoc modo,

> Inſignis improbitas, aut miſeria, vel authoritas in perſonis irridenda non eſt:
>
> Leuis igitur improbitas, aut miſeria, vel authoritas ab oratore irrideri poteſt.

Cicero, Illud (inquit) admonemus ridiculo ſic vſurum oratorem, vt nec nimis frequenti, ne ſcurrile ſit: nec ſubobſcœno, ne mimicum: nec petulanti, ne improbũ: nec in calamitatem, ne inhumanum: nec in facinus, ne odij locum occupet riſus: neque aut perſona ſua aut iudicum, aut tempore alienum: parcet amicitiis & dignitatibus, vitabit inſanabiles contumelias. 5 Priuſquam de facetiarum generibus dicere aggrediar, præfandum illud eſſe arbitror, facetias in oratione duobus modis cum voluptate percipi, aliàs ſine riſu, aliàs cum riſu: nam ſermo Atticorum vel in ſumma grauitate ſalſus & facetus appellatur, non quòd riſum habeat, ſed quòd genere quodam lepôris & elegantiæ, & vrbanitatis iucundus ſit: de altero autem genere facetiarum, quod riſum mouet, hæc Cæſaris doctrina inſtituitur, atque idcircò paſſim tales facetiæ ridicula nominabuntur, quia riſum moueant. Partitio autem facetiarum ſumitur ex communi partitione orationis in res & verba, ex quibus captatur riſus: quæ diuiſio vt vera ſit, nullam tamen propriam artis inſtitutionem requirebat: quia vt ad grauiter & ſententiosè dicendum, ſic ad feſtiuè & ſalsè iocandum communia dialecticæ & rhetoricæ præcepta ſufficiebant, nec in hac arte, quæ de iocis tradetur, alij loci ferè nominabuntur, quàm dialectici & rhetorici: itaque vniuerſa facetiarum doctrina tam ſuperuacua eſt, quàm ſi quis ad grauiter dicendum artem quandam ex dialecticæ & rhetoricæ præceptis permiſtis inter ſe & coaceruatis componere vellet: hoc enim totum opus eſſet inutile & inane, præſertim cùm dialectica & rhetorica idipſum præſtarent, & ſatis abundè facerent. 6 Facetiæ in rebus ſunt, vt iucunda & feſtiua narratio, qualem Craſſus finxit, vt illuderet feſtiuè C. Mummij acerbos mores, & accuſatoriam mordacitatem: & imitatio quædam ridicula, quæ duplex eſt, altera mimica & ſcurrilis indigna oratore, altera ingenua & oratoria: facetiæ autem rerum, plura genera duobus habent, vt poſtea Cæſar indicabit: ſed hæc duo illuſtrandæ diuiſionis gratia ponuntur, non perficiendæ & abſoluendæ.

7 Deprecatio eſt ludicra, qua Craſſus vocem flebilem, & geſtum quendam vaſtum C. Domitij irriſionis gratia in concione repræſentabat. 8 Q. Roſcius in ſcena imitabatur ſenem quendam audiendo defatigatum, & vultu ſermoneque riſum mouebat. 9 Præceptum oratoriæ imitationis declaratur à diſſimilibus: Mimus eſt nimius in geſtu, & nimis obſcœnè imitatur alienos mores: orator autem in imitatione erit moderatus & pudens. 10 Tranſit à primo genere facetiarum ad ſecundum breue & acutum, quod dicterium, & dicacitas, & dictum, & ſcomma vocari ſolet: definitur igitur primum, quod verbi aut ſententiæ quodam

acum ine

acumine mouetur: quale fuit illud Catuli in Philippum: deinde diſtinguitur à
ſcurrilitate, quò faciliùs eius natura & modus & vſus intelligatur: contraria enim
iuxta ſe poſita ſibi mutuam lucem doctrinæ & intelligentiæ impertiunt: atque
huius loci hæc ſumma eſt, vt is dicax appelletur, qui in iocando modum quen-
dam habet, & rationem perſonæ, loci, rei, temporis, vt Craſſus, Catulus, & multi
oratores: ſcurra verò, qui nihil horũ habet, ſed riſu & facetiis vltra modum pro-
dit: qualis fuit Philippus, & Appius, & Vargula. 11 Philippi iocus eſt ſcurrilis
& inurbanus, quia non decet iudicem ſedentem in tribunali à patrono irrideri:
& ſumitur ex ambiguitate verbi (perpuſillum) quòd aliàs nomen eſt, & ad bre-
uem ſtaturam corporis refertur, aliàs aduerbium. 12 Appius ſcurriliter eſt io-
catus in C. Sextium Luſcum, ex ambiguo ſenſu orationis: ambiguè enim dici-
tur, vni locum eſſe video, vel vni oculo, vel vni coniuuæ: atque hoc ſcomma dam
natur tribus argumentis, quòd intempeſtiuum, quòd commune, quòd præmedi
tatum fuerit. 13 C. Sextius feſtiuè ſcomma retorſit in Appium, & moderato
ioco notauit hominis furacitatem: furaces enim homines vulgò dicuntur habe-
re manus immundas & illitas pice, propter tenacitatem. Manus igitur laua, id eſt,
abſtine à furtis, & cœnabis apud me. 14 Vargula item viſus eſt ſcurra petulans
in duos Sempronios: eſt enim ſcurrile, cùm quis te blandè & amicè ſalutat, eum
ioco leui & puerili contumelioſè abiicere. 15 Iterat diuiſionem facetiarum, vt
ad artis deſcriptionem veniat, in cuius veſtibulo admònemur communes eſſe lo
cos ſeriæ & ridiculæ orationis, & ex iiſdem locis modò graues ſententias, modò
iocos erui: idque declaratur inductione exemplorum. 16 Neronis iocus vi-
detur eſſe ſumptus ex libris Catonis in ſeruum nequam & furacem, cui domi ni
hil eſſet obſignatũ, nec occluſum: quia quoduis hoſtium reſignabat: eadem ſen-
tentia poteſt de bono ſeruo dici, cui dominus nihil occludere ſolet, ſed illi omnia
aſſeruanda tradere. 17 Exemplum de claudicatione ad diuerſas perſonas re-
latum modò ſerium eſt, modò ioculare. Serium vt in ſpurio, ioculare vt in Calui
no claudicante, id eſt, vacillante in officio. 18 Ex paranomaſia modò iocus, mo
dò grauitas petitur, vt conſtat duobus exemplis, ſerio, Africani in Næuium: ridi-
culo, Philippi in malè olentem, qui tetro fœtore halitus Philippum penè oppri-
mebat. 19 Ambiguum modò ad rem ſeriam adhibetur, modò ad iocum: &
conſtat duobus exemplis. 20 Caput eſt magnum, ambiguè dicitur, & graui-
ter ad laudem Africani, vel vt referatur ad partem corporis, vel vt ad magnitudi-
nem nominis & authoritatis: & per caput Africani intelligatur ipſe Africanus,
cui virtus magnam laudem & gloriam peperit. 21 Caluus iocatus eſt ex ambi
guo in quendam nugatorem, vel prolixum hominem: hoc enim vtrumque ſigni
ficat hæc oratio, (ſatis eſt, quod dicit) & nugas & loquacitatem. 22 Non omne
ridiculum eſt facetum, id eſt, decorum & elegans in cauſſis ciuilibus: quatuor igi
tur genera reiiciuntur ab oratore, quæ ſunt infaceta, primum Sannionis, ſiue
Morionis, qui voce & geſtu alienam perſonam ſuſtinens, riſum mouet, vt De-
meæ, Thraſonis, & Phædriæ: Secundum Mimi, qui nimis apertè & hiſtrionicè
mores & geſtus alienos imitatur: Tertium oris contortio & deprauatio: Quar-
tum obſcœnitas: quæ genera vitabit orator, quia ſint infaceta & ingenuis homi-
nibus indigna.

' *Detractis igitur tot rebus ex hoc oratorio loco, facetiæ
reliquæ ſunt, quæ aut in re, vt antè diuiſi, poſitæ videntur
eſſe: aut in verbo. Nam quod quibuſcunque verbis dixeris, fa
cetum tamen eſt, re continetur: quod mutatis verbis ſalem
amittit, in verbis lepôrem omnem. Ambigua ſunt in pri-
mis*

primis acuta,atq; in verbo poſita,non in re: ſed non ſæpe magnum riſum mouent,magis vt belle & literatè dicta laudantur: vt illud in Titium, qui cùm ſtudioſè pila luderet, & idem ſigna ſacra noctu frangere putaretur, gregalesq; cur in campum non veniſſet, requirerent, excuſauit Veſpa Terentius,quòd eum brachium fregiſſe diceret. Ut illud Africani, quod eſt apud Lucilium, Quid Decius Nuculam, an confixum vis facere? inquit. Ut tuus amicus,Craſſe,Granius, Non eſſe ſextantis. Et ſi quæritis,is qui appellatur dicax,hoc genere maximè excellit,ſed riſus mouent alia maiores. Ambiguum per ſe ipſum probatur id quidem,vt antè dixi,vel maximè. ingenioſi enim videtur vim verbi in aliud atq; cæteri accipiant, poſſe ducere: ſed admirationem magis quàm riſum mouet,niſi ſi quando incidit in aliud genus ridiculi. Quæ genera percurram equidem,ſed ſcitis eſſe notiſſimum ridiculi genus,cùm aliud expectamus,aliud dicitur. hic nobiſmetipſis noſter error riſum mouet. [2] *Quòd ſi admiſtum eſt etiam ambiguum, fit ſalſius: vt apud Nænium videtur eſſe miſericors ille qui iudicatum duci videns, percontatur ita,*

Quanti addictus? mille numûm:

Si addidiſſet tantummodo,ducas licet: eſſet illud genus ridiculi præter expectationem: ſed quia addidit,

—Nihil addo,ducas licet.

addito ambiguo,altero genere ridiculi fuit,vt mihi quidem videtur,ſalſiſſimus. Hoc tum eſt venuſtiſſimum,cùm in altercatione arripitur ab aduerſario verbum, & ex eo, vt à Catulo in Philippum, in eum ipſum aliquid, qui laceſſiuit, infligitur. Sed cùm plura ſint ambigui genera,de quibus eſt doctrina quædam ſubtilior,attendere & aucupari verba oportebit:

portebit: in quo vt ea quæ ſint frigidiora vitemus (etenim cauendum eſt ne arceſſitum dictum putetur) permulta tamen acutè dicemus. [3] *Alterum genus eſt, quod habet paruam verbi immutationem, quod in litera poſitum Græci vocant* παρωνομασίαν, *vt* [4] *Nobiliorem mobiliorem Cato: aut vt idem cùm cuidam dixiſſet, Eamus deambulatum: & ille, Quid opus fuit de? Imò verò, inquit, quid opus fuit te? Aut eiuſdem reſponſio illa, Si tu & aduerſus & auerſus impudicus es. Etiam interpretatio nominis habet acumen, cùm ad ridiculum conuertas, quamobrem ita quis vocetur: vt ego nuper Nummium diuiſorē, vt Neoptolemum ad Troiam, ſic illum in campo Martio nomen inueniſſe. Atq; hæc omnia verbo continentur.* [6] *Sæpe etiam verſus facetè interponitur, vel vt eſt, vel paulùlum immutatus: aut aliqua pars verſus: vt Statius Scauro ſtomachanti, ex quo ſunt nonnulli qui tuam legem de ciuitate natam Craſſe dicant,*

St. Tacete, quid hoc clamoris eſt? quibus nec
pater, nec mater ſit,
Tanta confidentia eſtis? auferte iſtam enim
ſuperbiam.

Nam in Cælio ſanè etiam ad cauſſam vtile fuit tuum illud Antoni, cùm ille à ſe pecuniam profectam diceret teſtis, & haberet filium delicatiorem, abeunte iam illo:

[7] Sentin' ſenem eſſe tactum triginta minis?

In hoc genus conijciuntur prouerbia, vt illud Scipionis, [8] *cùm Aſellus omneis prouincias ſtipendia merētem ſe peragraſſe gloriaretur, Agas aſellum, &c. Quare eo quoq; quoniam mutatis verbis non poſſunt retinere eandem venuſtatem, non in re, ſed in verbis poſita ducantur.* [9] *Eſt etiam in verbo poſitum non inſulſum genus ex eo, cùm ad verbum,*

Ee

non ad ſententiam rem accipere videare: ex quo vno genere totus eſt, Tutor mimus vetus, oppidò ridiculus. Sed abeo à mimis: tantùm genus huius ridiculi inſigni aliqua & notare notari volo. Eſt autem ex hoc genere illud quod tu Craſſe nuper ei qui te rogaſſet, num tibi moleſtus eſſet futurus, ſi ad te bene ante lucem veniſſet: Tu verò, inquiſti, moleſtus non eris. iubebis igitur te, inquit, ſuſcitari? & tu, Certè negaras te moleſtum futurum. Ex eodem hoc vetus illud eſt, quod aiunt Maluginenſem illum M. Scipionem, cùm ex centuria ſua renuntiaret Accidinum conſulem, præcoq́ dixiſſet, Dic de L. Manlio: Virum bonum, inquit, egregiumq́ ciuem eſſe arbitror. Ridiculè etiam illud L. Portius Naſica cenſori Catoni, cùm ille, Ex tui animi ſententia tu vxorem habes? Non hercule, inquit, ex animi tui ſententia. Hæc aut frigida ſunt, aut tum ſalſa, cùm aliud eſt expectatum. Natura enim nos (vt antè dixi) noſter delectat error, ex quo cùm quaſi decepti ſumus expectatione, ridemus. [10] *In verbis etiam illa ſunt, quæ aut ex immutata oratione ducuntur, aut ex vnius verbi translatione, aut ex inuerſione verborum. Ex immutatione, vt olim Ruſca cùm legem ferret annalem, diſſuaſor M. Seruilius, Dic mihi, inquit, M. Pinnari, num ſi contra te dixero, mihi maledicturus es, vt cæteris feciſti? Vt ſementem feceris, ita metes, inquit.* [11] *Ex tranſlatione autem, vt cùm Scipio ille maior Corinthijs ſtatuam pollicentibus eo loco, vbi aliorum eſſent Imperatorum, turmales dixit diſplicere.* [12] *Inuertuntur autem verba, vt Craſſus apud M. Perpennam iudicem pro Aculeone cùm diceret, aderat cõtra Aculeonem Gratidiano L. Helius Lamia, deformis, vt noſtis: qui cũ interpellaret odioſe, Audiamus, inquit, pulchellum puerũ, Craſſus. cùm eſſet arriſum,*

Non potui mihi, inquit Lamia, formam ipſe fingere: ingenium potui. tum hic, Audiamus, inquit, diſertum. multo etiam arriſum eſt vehementius. Sunt etiam illa venuſta, vt in grauibus ſententijs, ſic in facetijs. Dixi enim dudum materiam aliam eſſe ioci, aliam ſeueritatis: grauium autem & iocorum vnam eſſe rationẽ. [13] *Ornant igitur in primis orationem verba relata contrariè: quod idem genus ſæpe eſt etiam facetũ: vt Sergius ille Galba cùm iudices L. Scribonio Trib. pleb. ferret familiares ſuos, & dixiſſet Libo, Quando tandem Galba de triclinio tuo exibis? Cùm tu, inquit, de cubiculo alieno.* [14] *A quo genere ne illud quidem plurimùm diſtat, quod Claucia Metello, Villã in Tyburte habes, cortem in Palatio.* [15] *Ac verborũ quidem genera quæ eſſent faceta, dixiſſe me puto. Rerũ plura ſunt,* [16] *eaq́ magis (vt dixi antè) ridentur, in quibus eſt narratio, res ſanè difficilis. Exprimenda enim ſunt, & ponẽda antè oculos ea quæ videantur & veriſimilia, quod eſt proprium narrationis: & quæ ſint, quod ridiculi proprium eſt, ſubturpia: cuius exemplũ, vt breuesſimus, ſit ſanè illud, quod antè poſui, Craſſi de Memmio, & ad hoc genus aſſcribamus etiam narrationes apologorũ. Trahitur etiã aliquid ex hiſtoria, vt cùm Sex. Titius ſe Caſſandram eſſe diceret,* [17] *Multos, inquit Antonius, poſſum tuos Aiaces Oileos nominare.* [18] *Eſt etiam ex ſimilitudine, quæ aut collationem habet, aut tanquam imaginem. Collationem, vt ille Gallus olim teſtis in Piſonem, cùm innumerabilem Magio præfecto pecuniam dixiſſet datam, idq́ Scaurus tenuitate Magij redargueret, Erras, inquit, Scaure: ego enim Magium nõ conſeruaſſe dico, ſed tanquã nudus nuces legeret, in ventrẽ abſtuliſſe. Vt illud M. Cicero ſenex, huius viri optimi noſtri familiaris pater, noſtros homines ſimiles*

eſſe Syrorum venalium: vt quiſq; optimè Græcè ſciret, ita eſſe nequiſſimum. Valde autem ridentur etiam imagines, quæ ferè in deformitatem, aut in aliquod vitium corporis du cuntur cum ſimilitudine turpioris, vt meum illud in Helmium Manciam: Iam oſtendam cuiuſmodi ſis. cùm ille, Oſtende quæſo, demonſtraui digito pictum gallum in Mariano ſcuto Cimbrico ſub nodis diſtortum, eiecta lingua, buccis fluentibus. riſus eſt commotus. nihil tam Manciæ ſimile viſum eſt. Vt cùm Seſtio Penario mentum in dicendo intor quenti, Tum, vt diceret, ſi quid vellet, ſi nucem fregiſſet. [19] *Etiam illa quæ minuendi aut augendi cauſſa ad incredi bilem admirationem efferuntur: velut tu Craſſe in concione, ita tibi ipſum magnum videri Memmium, vt in forum deſcendens, caput ad fornicem Fabij demitteret.* [20] *Ex quo genere etiam illud eſt, quod Scipio apud Numantiam, cùm ſtomacharetur cum C. Metello, dixiſſe dicitur, Si quintum pareret mater eius, aſinum fuiſſe parituram.* [21] *Arguta etiam ſignificatio eſt, cùm parua re, & ſæpe verbo res obſcura & latens illuſtratur: vt cùm C. Fabritio P. Cornelius, homo, vt exiſtimabatur, auarus & furax, ſed egregiè fortis & bonus Imperator, gratias ageret, quòd ſe homo inimicus conſulem feciſſet, bello præſertim magno & graui: Nihil eſt quòd mihi gratias agas, inquit, ſi malui compilari, quàm venire.* [22] *Vt Aſello Africanus obijcienti luſtrum illud infelix, Noli, inquit, mirari. is enim qui te ex ærarijs exemit, luſtrum condidit, & taurũ immolauit. Tanta ſuſpicio eſt, vt religione ciuitatẽ obſtrinxiſſe videatur Mummius, quòd Aſellum ignominia leuarit.* [23] *Vrbana etiam diſſimulatio eſt, cùm alia dicuntur ac ſentias: non illo genere, de quo antè dixi, cùm contraria dicas, vt Lamiæ Craſſus: ſed cùm toto ge-*

to genere orationis ſeuerè ludas, cùm aliter ſentias ac loquare: vt noſter Scæuola Septumuleio illi Anagnino, cui pro C. Gracchi capite erat aurum repenſum, roganti vt ſe in Aſiam præfectum duceret: Quid tibi vis, inquit, inſane? tanta malorum eſt multitudo ciuium, vt tibi ego hoc confirmem, ſi Romæ manſeris, te paucis annis ad maximas pecunias eſſe venturum. In hoc genere Fannius in annalibus ſuis Africanum hunc Aemilianum dicit fuiſſe, & eum Græco verbo appellat εἴρωνα. [24] *Sed vti ferũt, qui melius hæc norunt, Socratem opinor in hac ironia diſsimulantiaq; longè lepôre & humanitate omnibus præſtitiſſe. Genus eſt pereleganſ, & cum grauitate ſalſum, cumq; oratorijs dictionibus, tum vrbanis ſermonibus accommodatum. Et hercule omnia hæc quæ à me de facetijs diſputantur, non maiora forenſium actionum, quàm omnium ſermonum condimenta ſunt. Nam quod apud Catonem eſt, qui multa retulit, ex quibus à me exempli cauſſa multa ponuntur, per mihi ſcitum videtur, C. Publicium ſolitum dicere, P. Mummium cuiuis tempori hominem eſſe. Sic profectò res ſe habet, nullum vt ſit vitæ tempus in quo non deceat leporem humanitatemq; verſari. Sed redeo ad cætera.* [25] *Eſt huic finitimum diſsimulationi, cùm honeſto verbo vitioſa res appellatur: vt cùm Africanus cenſor tribu mouebat eum centurionem, qui in Pauli pugna non affuerat, cùm ille ſe cuſtodiæ cauſſa diceret in caſtris remanſiſſe, quæreretq; cur ab eo notaretur, Non amo, inquit, nimium diligentes.* [26] *Acutum etiam illud eſt, cùm ex alterius oratione aliud excipias atq; ille vult, vt Salinatori Maximus, cùm Tarẽto amiſſo arcem tamen Liuius retinuiſſet, multaq; ex ea prælia præclara feciſſet, cùm aliquot poſt annis Maximus id oppidum recepiſſet, ro*

garétque eum Salinator vt meminiſſet opera ſua ſe Tarentum recepiſſe, Quid ni, inquit, meminerim? Nunquam ego recepiſſem, niſi tu perdidiſſes. [27] *Sunt etiam illa ſubabſurda, ſed eo ipſo nomine ſæpe ridicula, non ſolùm mimis perappoſita, ſed etiam quodammodo nobis:*

Homo fatuus, poſtquam rem habere cœpit, eſt mortuus.

Quid eſt tibi iſta mulier? Vxor. Similis mediusfidius.

Quandiu ad aquas fuit, nunquam eſt mortuus.

Genus hoc leuius, & (vt dixi) mimicum, ſed habet nonnunquam etiam aliquid apud nos loci, vt vel non ſtultus quaſi ſtultè cùm ſale dicat aliquid: vt tibi Antoni Mancia, cùm audiſſet te cenſorem à M. Duronio de ambitu poſtulatum, Aliquando, inquit, tibi tuũ negotium agere licebit. Valde hæc ridetur, & hercule omnia quæ à prudentibus quaſi per diſſimulationẽ non intelligendi ſubabſurdè ſalſéq; dicuntur. [28] *Ex quo genere eſt etiam non videri intelligere quod intelligas, vt Pondius, Qualem exiſtimas, qui in adulterio deprehenditur? Tardum. Vt ego, qui in delectu, Metello, quum excuſationem oculorum à me non acciperet, & dixiſſet, Tu igitur nihil vides?* [29] *Ego verò, inquam, à porta Exquilina video villam tuam. Vt illud Naſicæ, qui cùm ad poetam Ennium veniſſet, eiq; ab oſtio quærenti Ennium, ancilla dixiſſet, domi non eſſe, Naſica ſenſit illam domini iuſſu dixiſſe, & illum intus eſſe: paucis pòſt diebus cùm ad Naſicam veniſſet Ennius, & eum à ianua quæreret, exclamat Naſica ſe domi non eſſe: tum Ennius, Quid, ego non cognoſco vocem, inquit, tuam? hic Naſica, Homo es impudens. ego cùm*

te quærerem, ancillæ tuæ credidi te domi non eſſe: tu mihi non credis ipſi? [30] *Eſt bellum illud quoque, ex quo is qui dixit, irridetur in eo ipſo genere quod dixit: vt cùm Q. Opimius conſularis, qui adoleſcentulus male audiſſet, feſtiuo homini Aegilio, qui videretur mollior, nec eſſet, dixiſſet,*

—Quid tu Ægilia mea?
Quando ad me venis cum tua colu & lana?
—Non pol, inquit, audeo:
Nam me ad famoſas vetuit mater accedere.

[31] *Salſa ſunt etiam quæ habent ſuſpicionem ridiculi abſconditam: quo in genere eſt illud Siculi, cui cùm familiaris quidam quereretur, quòd diceret vxorem ſuam ſuſpendiſſe ſe de ficu: Amabo te, inquit, da mihi ex iſta arbore quos ſeram ſurculos. In eodem genere eſt quod Catulus dixit cuidam oratori malo, qui cùm in epilogo miſericordiam ſe mouiſſe putaret, poſtquam aſſedit, rogauit hunc, videretúrne miſericordiam mouiſſe. Ac magnam quidem, inquit. neminem enim puto eſſe tam durum, cui non oratio tua miſeranda viſa ſit.* [32] *Me quidem hercule valde illa mouent ſtomachoſa, & quaſi ſubmoroſa ridicula, non cùm à moroſo dicuntur. tum enim non ſal, ſed natura ridetur. In quo, vt mihi videtur, perſalſum illud eſt apud Næuium,*

Quid ploras pater? Mirum ni cantem: condemnatus ſum.

[33] *Huic generi quaſi contrarium eſt ridiculi genus patientis, ac lenti, vt cùm Cato percuſſus eſſet ab eo, qui arcam ferebat, cùm ille diceret, Caue: rogauit nunquid aliud ferret præter arcam.* [34] *Etiam ſtultitiæ ſalſa reprehenſio: vt ille Siculus, cui prætor Scipio patronum cauſſæ dabat hoſpitem ſuum,*

hominem nobilem, ſed admodum ſtultum, Quæſo, inquit, Prætor, aduerſario meo da iſtum patronum: deinde mihi neminem dederis. [35] *Mouent illa etiam quæ coniectura explanantur longè aliter atq; ſunt, ſed acutè atq; concinnè: vt cùm Scaurus accuſaret Rutilium ambitus, cùm ipſe Conſul eſſet factus, ille repulſam tuliſſet, & in eius tabulis oſtenderet literas A. F. P. R. idq; diceret eſſe, Actum fide P. Rutilij: Rutilius autem, Antè factum, pòſt relatum: C. Cannius eques Romanus cùm Ruſo adeſſet, exclamat, neutrum illis literis declarari. Quid ergo? inquit Scaurus: Aemilius fecit, plectitur Rutilius.* [36] *Ridentur etiam diſcrepantia. Quid huic abeſt, niſi res & virtus?* [37] *Bella etiam eſt familiaris reprehenſio quaſi errantis, vt cùm obiurgauit Albinus Granium, quòd cùm eius tabulis quiddam Albutio probatum videretur, & valde abſoluto Scæuola gauderet, neq; intelligeret contra ſuas tabulas eſſe iudicatum. Huic ſimilis eſt etiam admonitio in conſilio dando familiaris, vt cùm patrono malo, cùm vocem in dicendo obtudiſſet, ſuadebat Granius vt mulſum frigidum biberet, ſimul ac domum rediſſet: Perdam, inquit, vocem, ſi id fecero. Melius eſt, inquit, quàm reum.* [38] *Bellum etiam eſt cùm quod cuique ſit conſentaneum, dicitur: vt cùm Scaurus nonnullam haberet inuidiam ex eo, quòd Phrygionis Pompeij locupletis hominis bona ſine teſtamento poſſederat, ſederetq; aduocatus reo Beſtiæ, cùm funus quoddã duceretur, accuſator C. Memmius, Vide, inquit, Scaure, mortuus rapitur, ſi potes eſſe poſſeſſor.* [39] *Sed ex his omnibus nihil magis ridetur, quàm quod eſt præter expectationem, cuius innumerabilia ſunt exempla vel Appij maioris illius, qui in Senatu cùm ageretur de agris publicis, & de lege Thoria, & premeretur Lucullus*

ab

ab ijs qui à pecore eius depaſci agros publicos diceret, [40] *Non eſt, inquit, Luculli pecus illud, erratis (defendere Lucullum videbatur) Ego liberum puto eſſe: quà lubet paſcitur. Placet etiam mihi illud Scipionis illius, qui Tib. Cracchum perculit, cùm ei M. Flaccus multis probris obiectis, Pub. Mutium iudicem tuliſſet,* [41] *Eiero, inquit, iniquus eſt. cùm eſſet admurmuratum: Ah, inquit, Patres Conſcripti, non ego mihi illum iniquum eiero, verùm omnibus. Ab hoc verò Craſſo nihil facetius, cùm læſiſſet teſtis Silus Piſonem, quòd ſe in eum audiſſe dixiſſet.* [42] *Poteſt fieri, inquit, Sile, vt is vnde te audiſſe dicis, iratus dixerit. Annuit Silus. Poteſt etiam, vt tu non rectè intellexeris. Id quoque toto capite annuit, vt ſe Craſſo daret. Poteſt etiam fieri, inquit, vt omnino quod te audiſſe dicis, nunquam audieris. Hoc ita præter expectationem accidit, vt teſtem omnium riſus obrueret. Huius generis eſt plenus Næuius, & iocus eſt familiaris,*

[43]—Sapiens, ſi algebis, tremes.

& alia permulta. [44] *Sæpe etiam facetè concedas aduerſario idipſum quod tibi ille detrahit: vt C. Lælius, cùm ei quidam malo genere natus diceret indignum eſſe ſuis maioribus, At hercule, inquit, tu tuis dignus.* [45] *Sæpe etiam ſententioſe ridicula dicuntur, vt M. Cincius quo die legem de donis & muneribus tulit, cùm C. Cento prodijſſet, & ſatis contumelioſè, Quid fers Cinciole? quæſiſſet: Ut emas, inquit, Cai, ſi vti velis.* [46] *Sæpe etiam falſè quæ fieri non poſſunt, optantur: vt M. Lepidus cum cæteris in campo exercentibus, in herba ipſe recubuiſſet, Vellem hoc eſſet, inquit, laborare.* [47] *Salſum eſt etiam quærentibus & quaſi percontantibus lentè reſpondere quod nollent: vt cenſor Lepidus cum*

M. Antiſtio Pyrgenſi equum ademiſſet, amiciq; cùm vociferarentur, & quærerẽt quid ille patri ſuo reſponderet, cur ademptum ſibi equum diceret, cùm optimus colonus, parciſſimus, modeſtiſſimus, frugaliſſimus eſſet: Me iſtorum, inquit, nihil credere. [48] *Colliguntur à Græcis alia nonnulla, execrationes, admirationes, minationes: ſed hæc ipſa nimis mihi videor multa in genere deſcripſiſſe. Nam illa quæ verbi ratione & vi continentur, certa ferè ac definita ſunt: quæ plerunque, vt antè dixi, laudari magis quàm rideri ſolent. Hæc autem quæ ſunt in re, & in ipſa ſentẽtia, partibus ſunt innumerabilia, generibus pauca. Expectationibus enim decipiendis, & naturis aliorum irridendis, ipſorum ridiculè indicandis, & ſimilitudine turpioris, & diſſimulatione, & ſubabſurda dicendo, & ſtulta reprehendendo, riſus mouentur. Itaq; imbuendus eſt is, qui iocosè vult dicere, quaſi natura quadam apta ad hæc genera, & moribus, vt ad cuiuſque modi genus ridiculi, vultus etiam accommodetur: qui quidem quò ſeuerior eſt & triſtior, vt in te Craſſe, hoc illa quæ dicuntur, ſalſiora videri ſolent.* [49] *Sed etiam Antoni, qui hoc diuerſorio ſermonis mei libenter acquieturum eſſe dixiſti, tanquam in Pontinum diuerteris, neq; amœnum, neq; ſalubrem locum: cenſeo vt ſatis diu te putes requieſſe, & iter reliquum conficere pergas.*

3 Eadem diuiſio facetiarum iam antea bis dicta fuit, ac deinceps tertiò repetitur & inculcatur, vt meminerimus facetias oratorias & ingenuas, quæ riſum mouent, duorum generum eſſe, & aliàs ſpectari in re & ſententia, aliàs in verbo & genere ſermonis: cuius diuiſionis genera ὕστερον πρότερον deinceps explicabuntur, quia primo loco deſcribentur facetiæ verborum: ſecundo, facetiæ ſententiarum. Illæ igitur quæ in verbis retinent ſuum lepôrem, locos habent nouem, id eſt, modos, & quaſi ſpecies: primus locus & modus eſt ἀμφιβολογία vel in verbis ſingulis, vel coniunctis; nam dictum illud Terentij eſt ambiguum in coniunctis verbis: ambigitur enim ſibi ne Titius, an ſtatuæ brachium fregerit: dictum verò Granij, in verbo ambiguo ſpectatur (Sextantis.) quod ſi integrum eſt, ſignificat vænalem ſeruum nõ eſſe æſtimandum ſextante, id eſt, ſexta parte eius ſummæ

mæ qua æſtimabatur. ſi verò diuiſum, vt (ſex tantas) ſignificat eum non eſſe parem ſex aliis ſeruis tanto pretio æſtimatis. 2 In ioco Næuij (nihil addo) dicitur ambigue, vel nihil addo verborum, id eſt, nihil amplius dico, vel nihil addo ad ſummam pecuniæ: & (ducas licet) dicitur præter expectationem: aliud enim ab homine expectabatur, vt addictum videlicet liberaret: hoc itaque genus ridiculi mixtum eſt ex ambiguo & inopinato. 3 Secundus modus iocandi ex verbo incidit in παρωνομασίας, id eſt, ſimilitudinẽ nominum, & declaratur tribus Catonis exemplis. 4 Cato dixit M. Fuluium nobiliorem mobiliorem, propter leuiſſimam affectationem popularis gloriæ. 5 Tertius modus ſumitur ex etymologia nominis: exemplum autem habet interpoſitam ſimilitudinem, vt Pyrrhus Achillis filius ad Troiam Neoptolemus dictus eſt: quia iuuenis miles ad bellum Troianum eſt ductus, ita Nummius habuit in campo Martio diuiſoris cognomentum, per ludibrium & contumeliam, quia conducebatur à candidatis ad corrumpenda ſuffragia, & ad diuidendas in campo Martio viritim pecunias.

6 Quartus modus ridiculi fit per recitationem verſus ex alicuius authoris poemate depromptí: verſus autem citatur aut omnino idem, aut paululum immutatus, aut aliqua pars verſus: hic locus declaratur tribus exemplis: primum eſt in Aemilium Scaurum, ad quem irridendum duo verſus vſurpantur, & indicant ridiculè Aemilium Scaurum, cùm ſit parentibus obſcuris & inopibus natus, nimium arrogantem & ſuperbum videri. 7 Alterum exemplum eſt Antonij in Cælium nimis indulgentem ſuo filio, eique multum pecuniæ ad delicias & voluptates ſtultè largientem. 8 Tertium exemplum eſt prouerbij cuiuſdam parum his temporibus intellecti: alij putant legendum eſſe (Ago aſellum) idque ſignificari vnumquemque agere, quæ ſe digna ſunt. Alij Agas aſellum curſum non docebitur: vt irrideatur Aſellus à Scipione, qui cùm ſit tardus & iners, tamen glorietur ſe omnes peragraſſe prouincias. 9 Quintus modus eſt, cùm ita iocamur ex alterius oratione, quaſi non eam totam & integram, ſed partem duntaxat illius attendiſſe videamur, & illuſtratur tribus exemplis. 10 Sextus modus ducitur ex allegoria, & ita iocatus eſt Marcus Pinnarius in Seruilium, Vt ſementem feceris, ita metes: allegoria ſumpta eſt ab agricolis, qui ex bona ſemente bonam, ex mala malam frugem metunt. & hoc ſignificat, Si bene dixeris, bene ex me audies: ſi malè dixeris, malè audies. 11 Septimus modus ex metaphora nominis, vt, Scipio per iocum dixit turmales ſtatuas ſibi diſplicere, id eſt, gregales, & in turba collocatas, vſus nomine tranſlato à propria ſignificatione in aliam: negabat autem Scipio ſe in turba laudari velle, & communiter cum aliis imperatoribus, ſed cupere proprias & diſtinctas laudes, & à cæteris ſeparatas. 12 Octauus modus fit per ironiam in vno verbo poſitam, cùm ex contrario contrarium intelligitur, vt Craſſus εἰρωνικῶς appellauit L. Heluium Lamiam pulchellum, ſignificans ex contrario hominis deformitatem: eundemq́; diſertum, ſignificans ex contrario hominis in dicendo infamiam. 13 Nonus modus eſt in antithetis, id eſt, verbis contrariè relatis, vt Galba interrogatus à Libone, Quando tandem de triclinio tuo exibis? Quando tu, inquit, de cubiculo alieno? id eſt, Quando ceſſabis mihi ferre & legere iudices combibones & conuiuas tuos? Cùm, inquit, tu deſines mœchari. antitheſis eſt in verbis (tuo & alieno.) 14 Glaucia iocatus eſt in Metellum quaſi ex repugnantibus: hæc enim videntur inter ſe repugnare, habere villam in Tyburte, & cortem Romæ, cùm in medio villæ cors ſita ſit: ſed μεταφορικῶς intelligit hominum multitudinem, qui ad defendendum Metellum in Palatium conuenerant: locus igitur ſumptus eſt ex his, quæ in ſpeciem pugnant. 15 Tranſitus eſt à facetiis verborum ad eas, quæ in ſententiis ſpectantur, quarum viginti tres modi deſcribũtur à Cæſare, & exemplis illuſtrantur, & multò plures etiam poſſunt annotari ex locis dialecticæ inuentionis & rhetoricæ elocutionis. Cæterùm hæc deſcriptio duobus modis vitioſa & inartificioſa eſt, quòd nimis multæ ſpecies numerantur, quæ ad certam generum paucita-

tem reuocari potuerant,& debuerant,& quòd multæ ſpecies in genere numerantur: quod vtrumque in legitima deſcriptione vitio non caret. 16 Primus modus eſt facetæ narrationis, quæ ὑποτύπωσιν requirit,vt ea quæ narrando ridere volumus, ante oculos poſita eſſe videantur, cuiuſmodi eſt exemplum Ciceronis pro Cluentio de Cepaſiis fratribus, & pro Roſcio Comœdo de Fannio Chærea.

17 Multos(inquit Antonius)poſſum nominare,qui tuam pudicitiam conſtuprarunt. iocus eſt ex hiſtoria Aiacis Oilei,qui Caſſandram vatem,Priami filiam in templo Mineruæ violauit. 18 Secundus modus ex diſſimilitudine,quæ duplex eſt,collatio & imago:collationis duo ſunt exempla,vnum Galli in Magium helluonem & gurgitem,quem comparat nudis hominibus , qui collectas nuces in ventrem auferunt: alterum M.Ciceronis patris,qui per iocum comparabat Italos Græcè doctos Syris vænalitiis ſeruis Græcè ſcientibus,tanquam illorum & horum ſimilis eſſet improbitas. Imaginis autem duo ſunt exempla,vnum in Helmium Manciam deformem ex ſimili ſpecie picta in ſcuto Mariano , alterum in Seſtium Penarium, cuius praua oris in dicendo diſtortio comparatur homini frangenti nuces. 19 Tertius modus ſumitur ex hyperbole , cùm aliquid ſupra veritatem ridiculè dicimus augendi & minuendi gratia, vt Craſſus iocatus eſt in Memmium,vel,vt alij legunt,Menemium,hominem prælongum, per hyperbolicam amplificationem,quòd ad arcum Fabianum,qui tamen erat altiſſimus,caput demitteret: hic arcus Fabianus fuit in via ſacra,à Fabio cenſore,qui Allobroges deuicit , excitatus , vt ait Aſconius. 20 De quatuor Metellis fratribus , vt quiſque erat ætatis ordine poſterior, ita ſtolidior & ſtupidior : itaque Scipio ſtomachosè dixit,Si Metelli mater quintum filium pareret, hunc aſinum fore. iocus hyperbolicus fuit ad extenuandum C.Metelli, qui quartus erat de fratribus, ingenium. 21 Quartus modus fit per ἔμφασιν, cùm plus intelligitur,quàm dicitur, quale eſt illud Fabritij in Publ.Cornelium , Non eſt quod mihi gratias agas,ſi malui compilari,quàm vænire. id eſt, ſi malui abs te homine auaro diripi, quàm à Pyrrho hoſte capi , & ſub corona vendi. Gellius hoc dictum citat cap.8. lib.4. 22 Africanus iocatus eſt in Aſellum per ἔμφασιν, Noli mirari infelix fuiſſe,quòd Mummius qui te ex ærariis exemit,id eſt,qui tibi multam condonauit,luſtrum illud condidit. quam ἔμφασιν Cæſar interpretatur, & luſtrum illud ait infelix fuiſſe, quod Mummius cenſor Aſellum hominem nefarium ignominia multæ leuauerit. 23 Quintus modus fit per εἰρωνείαν,quæ non eſt in vno verbo,ſed in continuatione ſermonis,quàm Fabius imperitè poſuit inter figuras ſententiarum: nihil enim intereſt ad artis rationem,an ironia ſit in vno verbo,an in contextu ſermonis multæ ſententiæ coniungantur, & quemadmodum ſi multæ eiuſdem generis figuræ continuentur,non mutatur figuræ genus,ita de Tropis ſtatuendum eſt : ſic Scæuola iocatus eſt in auaritiam & crudelitatem Septumuleij,in cuius oratione contrarium ei quod dicitur,intelligendũ eſt. 24 Fannius εἰρωνείαν in Africano fuiſſe ait,idque propterea vitioſum in illo non putandum,quod idem fuerit in Socrate. Cicero in Lucullo, Socrates dictus eſt εἴρων, id eſt,agens imperitum,& admirator aliorum tanquam ſapientum. Fabius lib.9. Ironiam illam,quam in Socrate dicunt fuiſſe,qua ille in Platonis & Xenophontis & Aeſchinis libris vtitur, facetam & elegantè puto: eſt enim & minimè inepti & eiuſdẽ etiã faceti,cùm de ſapientia diſceptetur , hanc ſibi ipſum detrahere, illis tribuere illudentem qui eam ſibi arrogant,vt apud Platonem Socrates in cœlum effert Protagoram,Hippiam, Prodicum,Gorgiam & cæteros, ſe autem omnium rerum inſcium fingit & rudem: docet hoc neſcio quomodo illum : nec Epicuro, qui id reprehendit, aſſentior. Cicero in Bruto. 25 Sextus modus ſub quinto continetur : nec quicquam nouæ præceptionis habet , vt cùm Scipio dixit, Non amo nimium diligentes: εἰρωνεία eſt in vtroque verbo (nimium , diligentes) &

contra-

contrarius ſenſus intelligitur, vt notetur ignauia centurionis. 26 Septimus modus eſt inuerſio alienæ ſententiæ, & exemplum hoc etiam memoratur in Catone Maiore. 27 Octauus modus eſt ex his, quæ ſubabſurdam repugnātiam videntur habere, & declaratur tribus verſibus mimicis: in primo iocus eſt in hominem mortuum, in quo hæc pugnare vidētur, eum ex paupere diuitem factum eſſe, & ſtatim periiſſe, cùm in diuitiis ſalus poſita eſſe videatur: in ſecundo iocus eſt in mulierem marito ſuo forma perſimilem, quod ſubabſurdum eſt: in tertio iocus eſt in piſcatorem, qui diues factus, cùm liberalius paulò viueret, ſtatim eſt mortuus. 28 Nonus modus eſt in quaſi ſtultè dictis, cùm quis quaſi non intelligenter videtur dicere, quod tamen intelligit: qui locus declaratur quatuor exemplis. 29 Cæſar iocatur quaſi aliud agens in luxum Metelli, qui altiſſimas & ſumptuoſiſſimas ædes ædificauerat, quæ procul aſpicerentur. 30 Decimus modus eſt, cùm par ex eodem genere refertur, vt cùm Opimius mollitiem obieciſſet Aegilio, iocus eſt in eum ex eodem genere retortus. 31 Vndecimus modus videtur quarto ſubiectus eſſe, quia habet quādam ἔμφασιν, vt cùm Siculus per iocum dixit. Da mihi ex iſta arbore, quos ſeram ſurculos: plus intelligi voluit, quàm dixit, ſe videlicet optare, vt ſua vxor ſe hac de ficu ſuſpendat.

32 Duodecimus modus eſt ex adiunctis perſonæ præ ſe ferentis neſcio quid moroſum, vt pater ſubmoroſè reſpondit ſuo filio, Mirum ni cantem: quaſi verò damnatus cantare debuiſſet: irriſit igitur ſtultam filij interrogationem: quid ploras pater? 33 Decimus tertius modus item naſcitur ex adiunctis perſonæ præ ſe ferentis patientiam & modeſtiam, vt Cato percuſſus à baiulo, cùm ille clamaret, Caue, lentè & placabiliter illuſit hominē his verbis, Nunquid aliud fers præter arcam? 34 Decimus quartus modus poni non debuit, vel alioqui alij innumerabiles ponendi eſſent, vt cùm arrogantiam, cùm intemperantiam, cùm auaritiam, cùm leuitatem, cùm timiditatem, cùm audaciam, cùm effuſionem, multaq; alia vitia animi: item cùm deformitatem, cùm paruitatem, cùm nimiam proceritatem, cùm gibbum, aliaque vitia corporis & fortunæ ridemus, quæ ſi ſpeciales monitiones non requirunt, neque item ſpeciale præceptum de irridenda ſtultitia tradi debuit. 35 Decimus quintus modus fit ex arguta interpretatione earum rerum quæ in probabili coniectura poſitæ ſunt: & ſic Cincius in Aemilium iocatus eſt, obiiciente Rutilio ſua crimina feſtiuè interpretatus quatuor literis, A. F. P. R. repertas in tabulis Rutilij. A. Aemilius, F. fecit: id eſt, commiſit ambitum, P. plectitur, R. Rutilius, qui nihil commiſit. 36 Decimus ſextus modus idem ferè eſt cū octauo, quia fit ex collatione pugnātium. 37 Decimus ſeptimus modus eſt ridicula reprehenſio quaſi errantis, vel familiaris admonitio. 38 Decimus octauus ex conſentaneis moribus perſonæ, quæ ridetur: ſic Memmius iocatus eſt in Scaurum ſolitum inuolare in poſſeſſiones mortuorum expulſis hæredibus veris. 39 Decimus nonus modus ſuperioribus multis admixtus eſt, cùm aliquid ſalſè dicitur præter eius qui audit, expectationem, & quatuor exemplis illuſtratur. 40 Iocus eſt ex definitione liberi, & inopinatus, quia Senatus aliud ab Appio expectabat, nempe vt Lucilium defenderet, quem tamen feſtiuè irriſit. 41 Scipio eierauit Pub. Mutium Scæuolam omnibus iniquum eſſe, quia Tib. Gracchum armis perſequi noluit, & dum iuris ordinem ſequeretur, id egit, vt cum omnibus legibus Romanum imperium propè corrueret. Lege Valerium lib. 3. 42 Hac gradatione Craſſus Silum teſtem ad id deduxit, quod non animaduertebat, & de eo ſuſpicionem corruptelæ iudicibus iniecit. 43 Cùm ita dicitur, Sapiens ſi algebis, expectatur magnum aliquid cōtra frigus: at præter expectationem ſubiicitur, tremes, ad irridendos Stoicos, qui ab omni affectu vindicant ſapientem. 44 Viceſimus modus eſt ridicula conceſſio eius, quod aduerſarius nobis detrahit: vt Lælius ab improbo homine laceſſitus, quòd indignus eſſet ſuis maioribus: Atqui, inquit, tuis dignus es: quia non minus es improbus & ſceleratus, quàm illi fuerunt. 45 Viceſimus

primus modus, cùm quid ſententioſè ridetur. M. Cincius legem tulit, ne patroni vllum munus præter aduocationis ſtipem caperēt, qui cùm irrideretur à C. Centone, quid fers Cinciole? vt emas (inquit) ſi vti velis. alluſit Cincius ad mercatores, qui merces ferunt in forum, quibus nemini licet vti, niſi prius emat: & irriſit Centonem cauſſidicum, quaſi diceret, antea domi nihil emebas: at nunc fero legem, quæ vetat te à clientibus omnia gratis accipere. 46 Viceſimus ſecundus modus fit per optationem τῶν ἀδυνάτων, id eſt, eorum quæ fieri non poſſunt, vt cùm M. Lepidus dixit, Vellem, vt in herba requieſcere, eſſet laborare, ridiculè optauit ea quæ ſimul eſſe non poſſunt, quietem videlicet & laborem. 47 Viceſimus tertius modus eſt lenta reſponſio, & præter expectationem interrogantis.

48 Epilogus admonet diſciplinam Cæſaris de iocis Græcam eſſe, & à Græcis acceptam, eamque nimium minutè conciſam, quia paucioribus generibus comprehendi poterat: eſt autem artis & diſciplinæ, ea quæ ſunt latius diffuſa, ad certam generum paucitatem reuocare: quod Cicero vidit: itaque Græcam illam ſpecialium modorum deſcriptionem, quaſi à ſe damnatam ad extremum in pauca genera contulit. Illud autem perpetuò tenendum eſt, orationem facetam & ridiculam non egere propria & ſingulari arte, ſed communibus Grammaticæ, Rhetoricæ & Dialecticæ legibus & præceptis tractari: hæ enim tres artes ad omnem orationem pertinent, ſiue ſeriam & grauem, ſiue facetam & hilarem: & certe omnia quæ præcipiuntur de iocis, ex illarum artium locis & præceptis deducta ſunt: itaque ſi quis erit rectè inſtructus apparatu trium illarum diſciplinarum, nullam præterea ad iocandum artem deſiderabit, ſed intelliget, vt ad ſeriò iocandum inſpiciendos eſſe locos Grammaticæ dictionis in ἐτυμολογίᾳ συντάξει, & προσῳδίᾳ, Rhetoricæ elocutionis & pronuntiationis vt tropos, figuras, & modum vocis & geſtus, itemque dialecticæ inuentionis diſpoſitionisque, vt genera argumentorum & ſyllogiſmorum. 49 Cæſar alludit ad allegoriam Antonij, qui diſputationem de iocis diuerſorio lauto & liberali contulerat: quæ extenuatur à ſimilibus, vt Pontinæ paludes nec gratæ, nec ſalubres ſunt: ita totus hic locus diſputationis meæ (inquit Cæſar) nec ſuauis, nec vtilis fuit. Pontinæ palu- *Plinius lib. 3. cap. 5.* des ſunt in Volſcorum finibus Campaniam verſus, non procul à portu Caietano: hunc locum viginti trium vrbium fuiſſe Mutianus ter Conſul prodidit.

[1] *Ego verò atque hilarè quidem à te acceptus, inquit, & cùm doctior per te, tum etiam audacior factus ſum ad iocandum. Non enim vereor ne quis me in iſto genere leuiorem iam putet, quoniam quidem tu Fabritios mihi authores, & Africanos, Maximos, Catones, Lepidos protuliſti. Sed habetis ea quæ voluiſtis ex me audire, de quibus quidem accuratiùs dicendum & cogitandum fuit. Nam cætera faciliora ſunt, atque ex iis quæ iam dicta ſunt, reliqua naſcuntur omnia. Ego enim quum ad cauſſam ſum aggreſſus, atque omnia cogitando, quoad facere potui, perſecutus, quum & argumenta cauſſæ, & eos locos quibus & animi iudicum conciliantur, & illos quibus permouentur, vidi*

atq;

atque cognoui, tum conſtituo quid habeat quæque cauſſa boni, quid mali. Nulla enim ferè res poteſt in dicendi diſceptationem aut controuerſiam vocari, quæ non habeat vtrumque: ſed quantum habeat, id refert. [2] *Mea autem ratio in dicendo hæc eſſe ſolet, vt boni quod habeat, id amplectar, exornem, exaggerem: ibi commorer, ibi habitem, ibi hæream: à malo autem vitióque cauſſæ ita recedam, non vt id me defugere appareat, ſed vt totum bono illo ornando & augendo diſſimulatum obruatur. & ſi cauſſa eſt in argumentis, firmiſſima quæque maximè tucor, ſiue plura ſunt, ſiue aliquod vnum. Sin autem in conciliatione aut in permotione cauſſa eſt, ad eam me potiſſimùm partem quæ maximè commouere animos hominum poteſt, confero. Summa denique huius generis hæc eſt, vt ſi in refellendo aduerſario firmior eſſe oratio, quàm in confirmandis noſtris rebus, poteſt, omnia in illum conferam tela: Sin noſtra facilius probari, quàm illa redargui poſſunt, abducere animos à contraria defenſione, & ad noſtram conor traducere.* [3] *Duo denique illa, quæ facillima videntur, quoniam quæ difficiliora ſunt, non poſſum, mihi pro meo iure ſumo: Vnum, vt moleſto aut difficili argumento, aut loco nonnunquam omnino nihil reſpondeam: quod forſitan aliquis iure irriſerit. Quis enim eſt qui id facere non poſſit? Sed tamen ego de mea nunc, non de aliorum facultate diſputo: confiteorque me, ſi* [4] *quæ premat res vehementius, ita concedere ſolere, vt non modo non abiecto, ſed ne reiecto quidem ſcuto fugere videar, ſed adhibere quandam in dicendo ſpeciem atque pompam, & pugnæ ſimilem fugam: conſiſtere verò in meo præſidio, ſic vt non fugiendi hoſtis, ſed capiendi loci cauſſa ceſſiſſe videar. Alterum eſt illud, quod*

ego oratori maximè cauẽdum & prouidendum puto, quódque me ſolicitare ſummè ſolet: Non tam vt proſim cauſſis, elaborare ſoleo, quàm vt ne quid obſim. non quin enitendum ſit in vtroque, ſed tamen multò eſt turpius oratori, nocuiſſe videri cauſſæ, quàm non profuiſſe. [5] *Sed quid hoc loco vos inter vos Catule? an hæc, vt ſunt contemnenda, contemnitis? Minimè, inquit ille, ſed Cæſar de iſto ipſo quiddam velle dicere videbatur. Me verò lubente, inquit Antonius, dixerit, ſiue refellendi cauſſa, ſiue quærendi. Tum Iulius, Ego me hercule, inquit, Antoni, ſemper is fui, qui de te oratore ſic prædicarem, vnum te in dicendo mihi videri tectiſſimum: propriumq́ hoc eſſe laudis tuæ, nihil à te vnquam eſſe dictum, quod obeſſet ei, pro quo diceres, idq́ memoria teneo, cùm mihi ſermo cum hoc ipſo Craſſo multis audientibus eſſet de te inſtitutus, Craſſusq́; plurimis verbis eloquentiam laudaret tuam, dixiſſe me, cum cæteris tuis laudibus hanc eſſe vel maximam, quòd non ſolùm quod opus eſſet, diceres: ſed etiam quod non opus eſſet, non diceres. Tum illum mihi reſpondere memini, cætera in te ſummè eſſe laudanda, illud verò improbi eſſe hominis & perfidioſi, dicere quod alienum eſſet, & noceret ei proquo quiſque diceret. quare non ſibi eum diſertum, qui id non faceret, videri: ſed improbum, qui faceret. Nunc, ſi tibi videtur, Antoni, demonſtres velim, quare tu hoc ita magnum putes, nihil in cauſſa mali facere, vt nihil tibi in oratore maius eſſe videatur.* [6] *Dicam equidem, Cæſar (inquit) quid intelligam: ſed & tu, & vos omnes, hoc, inquit, mementote, non me de perfecti oratoris diuinitate quadam loqui, ſed de exercitationis & conſuetudinis meæ mediocritate. Craſſi quidem reſponſum, excellentis cuiuſdam eſt ingenij ac ſingularis:*

gularis: cui quidem portenti ſimile eſſe viſum eſt, poſſe aliquem inueniri oratorem, qui aliquid mali faceret dicendo, obeſſetq́; ei, quem defenderet. facit enim de ſe coniecturam, cuius tanta vis ingenij eſt, vt neminem niſi conſultò putet quod contra ſe ipſum ſit, dicere. Sed ego non de præſtanti quadam eximia, ſed propè de vulgari & communi prudentia diſputo: [7] *vt apud Græcos fertur incredibili quadam magnitudine conſilij atq; ingenij Athenienſis ille fuiſſe Themiſtocles, ad quem quidam homo doctus, atq; in primis eruditus acceſſiſſe dicitur, eiq́; artem memoriæ, quæ tum primùm proferebatur, pollicitum eſſe ſe traditurum. cùm ille quæſiſſet quidnam illa ars efficere poſſet, dixiſſe illum doctorem, vt omnia meminiſſet. & ei Themiſtoclem reſpondiſſe, gratius ſibi illum eſſe facturum, ſi ſe obliuiſci quæ vellet, quàm ſi meminiſſe docuiſſet. Vidéſne quæ vis in homine acerrimi ingenij, quàm potens & quanta mens fuerit, qui ita reſponderit, vt intelligere poſſemus,* [8] *nihil ex illius animo, quod ſemel eſſet infuſum, vnquam effluere potuiſſe: cùm quidem ei fuerit optabilius obliuiſci poſſe potius quod meminiſſe nollet, quàm quod ſemel audiſſet, vidiſſétue, meminiſſe? Sed neq; propter hoc Themiſtoclis reſponſum, memoriæ nobis opera danda non eſt, neque illa mea cautio & timiditas in cauſsis propter præſtantem prudentiam Craſſi negligenda eſt. Vterque enim iſtorum non mihi attulit aliquam, ſed ſuam ſignificauit facultatem.* [9] *Etenim permulta ſunt in cauſsis in omni parte orationis circunſpicienda, ne quid offendas, ne quò irruas.* [10] *Sæpe aliquis teſtis aut non lædit, aut minus lædit, niſi laceſſatur. Orat reus, vrgent aduocati vt inuehamur, vt maledicamus, denique vt interrogemus. Non moueor, non obtempero, non ſatisfacio, neq; tamen vl-*

lam aſſequor laudem. Homines enim imperiti facilius quod ſtultè dixeris, reprehendere, quàm quòd ſapienter tacueris, laudare poſſunt. Hic quantum ſit mali, ſi iratum, ſi non ſtultum, ſi non leuem teſtem læſeris. Habet enim & voluntatem nocendi in iracundia, & vim in ingenio, & pondus in vita. Nec ſi hoc Craſſus non committit, ideò non multi & ſæpe committũt. Quo quidem mihi videri turpius nihil ſolet, quàm cùm ex oratoris dicto aliquo, aut reſponſo, aut rogatu, ſermo ille ſequitur, " Occidit ille? Aduerſariúmne? Immò verò aiunt, ſe, & eum quem defendit. Hoc Craſſus non putat niſi perfidia accidere poſſe: ego autem ſæpiſſimè video in cauſsis aliquid mali facere homines minimè malos. [12] Quid? illud quod ſuprà dixi, ſolere me cedere, &, vt planius dicam, fugere ea quæ valde cauſſam meam premerent? cùm id non faciunt alij, verſanturq́; in hoſtium caſtris, ac ſua præſidia dimittunt: mediocriterne cauſsis nocent, cùm aut aduerſariorum adiumenta confirmant, aut [13] ea quæ ſanare nequeunt, exulcerant? [14] Quid? cùm perſonarum quas defendunt, rationem non habent? Si quæ ſunt in his inuidioſa, non mitigant extenuando, ſed laudando & efferendo inuidioſiora faciunt, quantũ eſt in eo tandem mali? [15] Quid? ſi in homines charos, iudicibusq́; iucundos, ſine vlla præmunitione orationis acerbius & contumelioſius inuehare? nónne abs te iudices abalienes? [16] Quid? ſi, quæ vitia aut incommoda ſunt in aliquo iudice vno, aut pluribus, ea tu in aduerſarijs exprobrando, non intelligas te in iudices inuehi, mediocre peccatum eſt? [17] Quid? ſi cùm pro altero dicas, litem tuam facias, aut læſus efferare iracundia, cauſſam relinquas, nihilne noceas? In quo ego, non quò libenter malè audiam, ſed quia ego cauſſam non libenter relinquo, ni-

mium patiens & lentus exiſtimor: vt cùm te ipſum Sulpici obiurgabam, quòd miniſtratorem peteres, nõ aduerſarium. Ex quo etiam illud aſſequor, vt ſi quis mihi maledicat, petulans aut planè inſanus eſſe videatur. [18] In ipſis autem argumentis ſi quid poſueris aut apertè falſum, aut ei quod dixeris, dicturúſue ſis, contrarium, aut genere ipſo remotum ab vſu iudiciorum, ac foro, nihílne noceas? Quid multa? Omnis cura mea ſolet in hoc verſari ſemper (dicam enim ſæpius) ſi poſſim, vt boni aliquid efficiam dicendo: ſin id minus, vt certè ne quid mali. [19] Itaque nunc illuc redeo Catule, in quo tu me paulò antè laudabas, ad ordinem, collocationémque rerum ac locorum: cuius ratio eſt duplex. Altera, quam affert natura cauſſarum: altera, quæ oratorum iudicio & prudentia comparatur. Nam vt aliquid ante rem dicamus, deinde vt rem exponamus, pòſt vt eam probemus noſtris præſidijs confirmandis, contrarijs refutandis, deinde vt concludamus, atque ita peroremus, hoc dicendi genus natura ipſa præſcribit. Ut verò ſtatuamus ea quæ probandi, docendi, perſuadendi cauſſa dicenda ſunt, quemadmodum componamus, id eſt vel maximè proprium oratoris prudentiæ. Multa enim occurrunt argumenta, multa quæ in dicendo profutura videantur: ſed eorum partim ita leuia ſunt, vt contemnenda ſint: partim etiam ſi quid habent adiumenti, ſunt nonnunquam eiuſmodi, vt inſit in ijs aliquid vitij, neque tanti ſit illud quod prodeſſe videatur, vt cum aliquo malo coniungatur. Quæ autem ſunt vtilia atq; firma, ſi ea tamen (vt ſæpe fit) valde multa ſunt, ea quæ ex ijs aut leuiſſima ſunt, aut alijs grauioribus conſimilia, ſecerni arbitror oportere, atque ex oratione remoueri. Equidem cùm colligo argumenta cauſſarum, non tam ea nume-

rare ſoleo, quàm expendere. [20] Et quoniam, quod ſæpe iam dixi, tribus rebus omnes ad noſtram ſentētiam perducimus, aut docendo, aut conciliando, aut permouendo: vna ex tribus his rebus res præ nobis eſt ferenda, vt nihil aliud niſi docere velle videamur: reliquæ duæ, ſicuti ſanguis in corporibus, ſic illæ in perpetuis orationibus fuſæ eſſe debebunt. Nam & principia, & ceteræ partes orationis, de quibus paulò pòſt pauca dicemus, habere hanc vim magnopere debent, vt ad eorum mentes apud quos agetur, mouendas, permanere poſſint. [21] Sed his partibus orationis, quæ etſi nihil docent argumentando, perſuadendo tamen & commouendo proficiunt plurimùm, quanquam maximè proprius eſt locus, & in exordiendo, & in perorando: digredi tamen ab eo quod proſueris atq; agas, permouendorum animorum cauſſa ſæpe vtile eſt. Itaq; vel narratione expoſita ſæpe datur ad commouendos animos digrediendi locus, vel argumentis noſtris confirmatis, vel contrarijs refutatis, vel vtroq; loco, vel omnibus, ſi habet eam cauſſa dignitatem atq; copiam, rectè id fieri poteſt: hæq; cauſſæ ſunt ad agendum, & ad ornandum grauiſſimæ atq; pleniſſimæ, quæ plurimos exitus dant ad eiuſmodi digreſſionem, vt his locis vti liceat, quibus animorum impetus eorum qui audiunt, aut impellantur, aut reflectantur.

[22] Atq; etiam in illo reprehendo eos, qui quæ minimè firma ſunt, ea prima collocant. In quo illos quoque errare arbitror, qui ſi quando (id quod mihi nunquam placuit) plureis adhibent patronos, vt quemq; eorum minimum putant eſſe, ita eum primum volunt dicere. Res enim hoc poſtulat, vt eorum expectationi qui audiunt, quàm celerrimè occurratur: cui ſi initio ſatisfactum non ſit, multò plus ſit in reliqua cauſſa laborandum. Malè enim ſe res habet, quæ non ſtatim vt dici cæ-

ci cœpta eſt, melior fieri videtur. [23] *Ergo vt in oratore optimus quiſq;, ſic & in oratione firmiſſimũ quidq; ſit primum: dum illud tamen in vtroq; teneatur, vt ea quæ æquè excellant, ſeruentur etiam ad perorandum: ſi quæ erunt mediocria (nam vitioſis nuſquam eſſe oportet locum) in mediam turbam, atq; in gregem conijciantur.*

1 Antonius iucundè quaſi diſcedit à conuiuio Cæſaris, & tranſitum facit ab inuentionis tripertita doctrina ad diſpoſitionis doctrinam forenſem in tractandis cauſſis ciuilibus: vna autem generalis & vniuerſa eſt diſpoſitionis doctrina omnibus rebus diſponendis & collocandis conueniens, & in regulis ſyllogiſmi & methodi poſita, eaque pars eſt propria dialecticæ, non rhetoricæ: qua tamen non contenti Rhetores excogitarunt quaſdam diſponendi leges ad genera ciuium cauſarum ſingulariter aſtrictas, non omnino quidem inutiliter, ſed tamen imperitè: nam vt vna Grammatica ad quiduis loquendum & ſcribendum ſatis eſt, nec opus eſt Grammaticam facere aliam ciuilem, aliam Philoſophicam, ſic vna doctrina diſpoſitionis Dialectica ad omnes res diſponendas ſatis eſt, nec opus eſt ſingularem diſpoſitionis artem ad cauſſas ciuiles aſtringere. 2 Prima diſpoſitionis prudentia (vt ait Antonius) eſt, vt ea maximè dicantur, quæ proſint, & quæ obſint, magis diſſimulentur: ſic Scipio à Petilijs accuſatus, criminibus non reſpondit, ſed de ſuis erga Remp. meritis copioſiſſimè diſputauit: quia commemoratio meritorum magis ſuæ cauſſæ proderat, quàm depulſio criminum. Hoc tamen diſpoſitionis præceptum proprium non eſt, ſed potius ad vniuerſæ cauſſæ conſiderationem pertinet: nec enim docet quomodo res inuentæ docendæ ſint, ſed quid in cauſſis dicendum & non dicendum ſit: atque hoc etiam latius patet extra ciuilem & forenſem dicẽdi prudentiam: nam in omni vita hæc cautio perpetuò adhibenda eſt, vt nihil vnquam vel à nobis dicatur vel agatur, quòd nobis aut his, quorum agimus cauſſam, obſit & noceat. 3 Hæ duæ leges obſeruationis ex ſuperiore pendent, & eam interpretantur: vna, vt argumento difficili interdum nihil reſpondeamus, præſertim cùm difficilis ſit eius ſolutio & refutatio: quod Antonius in cauſſa Norbani rectè præſtitit. altera, vt non tam conſideremus, ne proſimus cauſſæ, quàm ne quid obſimus: quia offenſio vel minima plus affert detrimenti cauſſæ, quàm commodum magnum proſit. 4 Allegoria eſt à ſtrenuis militibus, qui cùm ab hoſte premuntur, nec clypeum abiiciunt in terram, nec poſt tergum reiiciunt, ſed ſimulant ſe velle pugnare, vt pedetentim cedendo commodiorem locum occupent. 5 Hæc quaſi eſt reuocatio ſuiipſius: vt aliis qui diſputationi iterſunt, quærendi locus & facultas detur. Cæſar igitur aſſumit ex generali præcepto argumentum laudandi Antonij, & confirmat teſtimonio Craſſi. 6 Quia Craſſus ſuprà Antonium addiderat oratorem eſſe improbum, qui aliquid mali in cauſſa diceret, Craſſi dictum ab Antonij dicto diſtinguitur, quòd ille de oratore perfecto, hic de mediocri ſentiat: vt perfectus orator ſit improbus, ſi quid mali faciat: mediocris autem parum cautus & prudens exiſtimetur, ſi quid dicat quod obſit ſuæ cauſſæ. 7 Similitudo ex apophthegmate Themiſtoclis inducitur ad illuſtrandam proximam diſtinctionem. Quemadmodum propter Themiſtoclis reſponſum non eſt negligenda memoriæ cura & doctrina: ſic neque propter admirabilem Craſſi prudentiam contemnenda eſt hæc cautio, Nequid obſis. De Themiſtocle idem eſt in Lucullo Ciceronis.

8 Metaphora à vaſis, quę infuſum liquorem ita retinent, vt nihil hinc effluat: ſic homini nil effluere dicitur, qui tam fideliter apprehenſas & cognitas res con-

continet, vt ex eius mente nihil excidat. 9 Declarat ſeptem modos, quibus per imprudentiam poſſit orator obeſſe cauſſæ: quę inductio pertinet ad illuſtrandum generale præceptum prius poſitum. 10 Primus offenſionis locus eſt circa teſtem, ne temerè eum laceſſat orator, qui niſi laceſſitus non læſiſſet. 11 Exprimit per μίμησιν ſermonem vulgi de oratore, qui per imprudentiam dicendi cauſſam amiſerit. 12 Secundus offenſionis modus tractatur diſſimili collatione: Soleo cedere argumento moleſto & difficili: at multi non cedendo cauſſam perdunt & produnt. 13 Metaphora ab imperitis chirurgis, qui ſi ſæpe vulnus attingunt, faciunt deterius & acerbius. 14 Tertius modus eſt, cùm cliens nimis laudatur, qui potius ad eleuandã inuidiam extenuari debuerat. 15 Quartus modus, cùm acerbè inuehitur in eos orator, qui à iudicibus diliguntur.

16 Quintus, cùm in aduerſariis ea vitia exprobrantur, quæ ſunt in aliquo iudice: quomodo peccauit Philippus irridens teſtem puſillum: tum enim ſedebat Aurifex iudex breuior etiam, quàm ipſe teſtis. 17 Sextus, cùm orator ſuam magis quàm litigatoris cauſſam agit: in quod vitium Cicero videtur incidiſſe in oratione pro Seſtio. 18 Septimus eſt in argumẽti vitio, cùm aut apertè mentitur orator, aut pugnantia dicit: aut ea quæ abhorrent ab vſu & conſuetudine iudiciorum. 19 Diſpoſitio forenſis diuiditur in duo genera, vnum artis, alterũ prudentiæ, non q̀ in arte non ſit prudentia (omnis enim regula artis, regula prudentiæ eſt) ſed q̀ contra communem artem nonnunquam prudẽtiæ viribus tantum nitamur. Diſpoſitio artis definitur ex ordine partium orationis, vt primũ ſit exordium, ſecunda narratio, tertia confirmatio, quarta refutatio, poſtrema peroratio: qui ordo vt naturæ conſentaneus, ſic artificioſus eſt: diſpoſitio prudentiæ in collocandis argumentis & affectibus maximè cernitur, nec omnino artis expers eſt: nam & monitiones habet generales, ſi appellatur diſpoſitio prudẽtiæ, quia in delectu argumentorum & affectuum maxima hominis prudentia conſiſtit: nec illa prior artis regula ſemper adhibetur. Prima igitur admonitio de argumentis eſt, vt leuia & vitioſa reiiciant, grauia & vtilia ſumant: qui delectus ſyllogiſmi eſt & iudicij, non methodi, cuius proprium eſt videre quæ primo, quæ medio, quæ poſtremo loco diſponẽda ſint. 20 Secunda prudentiæ monitio eſt de affectibus, qui comparantur ſanguini: vt enim ſanguis vim ſuam communicat omnibus partibus, nec tamen multum apparet: ſic affectus poſſunt eſſe in omni parte orationis: ita tamen vt orator iudicẽ tantùm docere, non etiam mouere velle videatur.

21 Tertia monitio eſt de præcipuis locis affectuum, qui ſunt exordium, peroratio, & digreſſio à narratione, vel confirmatione, vel refutatione: idem præcipit Cicero in Partitionibus. 22 Quarta monitio duplex eſt, Ne leuiſſima quæque argumenta primo loco ſunto, Ne infimus quiſque patronus primus cauſſam agito. 23 Acceſſio eſt ad interpretandam quartam monitionem, vt argumenta firma in primo & ſecundo loco diſponantur, mediocria in medio: Fabius tamen hunc ordinem non omnino probat, cenſetque argumenta, prout ratio cauſſæ poſtulabit, eſſe ordinanda, vno excepto, ne à potentiſſimis decreſcat oratio.

1 Hiſce omnibus rebus conſideratis, tum deniq; 2 id quod primum eſt dicendum, poſtremò ſoleo cogitare, quo vtar exordio. Nam ſi quando id primum inuenire volui, nullum mihi occurrit, niſi aut exile, aut nugatorium, aut vulgare, atq; commune. Principia autem dicendi ſemper cum accurata, & acuta, & inſtructa ſententijs, apta verbis, tùm verò

cauſſa-

cauſſarum propria eſſe debent. Prima eſt enim quaſi cognitio & commendatio orationis in principio: quæ continuo eũ qui audit, permulcere atq; allicere debet. In quo admirari ſoleo, nõ equidem iſtos qui nullam huic rei operam dederunt, [3] ſed hominem in primis diſertum atque eruditum Philippum, qui ita ſolet ad dicẽdum ſurgere, vt quod primum verbum habiturus ſit, neſciat: & ait idem, cùm brachium concaleſecerit, tum ſe ſolere pugnare: neq; attendit, eos ipſos vnde hoc ſimile ducat, illas primas haſtas ita iactare leniter, vt & venuſtati vel maximè ſeruiant, & reliquis viribus ſuis conſulant. Neq; eſt dubium, quin exordium dicendi vehemens & pugnax non ſæpe eſſe debeat: ſed ſi in ipſo illo gladiatorio vitæ certamine, quo ferro decernitur, tamen antè congreſſum multa fiunt quæ non ad vulnus, ſed ad ſpeciem valere videantur: quanto hoc magis in oratione expectandum eſt, in qua non vis potius, ſed delectatio poſtulatur? [4] Nihil eſt deniq; in natura rerum omnium, quod ſe vniuerſum profundat, & quod totum repentè euolet: ſic omnia quæ fiunt, quæq; aguntur acerrimè, lenioribus principiis natura ipſa prætexuit. Hæc autem in dicendo non extrinſecùs alicunde quærenda, ſed ex ipſis viſceribus cauſſæ ſumenda ſunt. Idcircò tota cauſſa pertentata atque perſpecta, locis omnibus inuentis atque inſtructis, conſiderandum eſt quo principio ſit vtendum: ſic enim facilè reperietur. Sumentur enim ex iis rebus quæ erunt vberrimæ, vel in argumentis, vel in iis partibus ad quas dixi digredi ſæpe oportere. Ita & momenti aliquid afferent, quum erunt penè ex intima defenſione deprompta: & apparebit ea non modo non eſſe cõmunia, nec in alias cauſſas poſſe transferri, ſed penitus ex ea cauſſa quæ tũ agatur, defluxiſſe. [5] Omne autem

principium, aut rei totius quæ agetur, ſignificationem habere debebit, aut aditum ad cauſſam & communionem, aut quoddam ornamentum & dignitatem. Sed oportet, vt adibus ac templis veſtibula & aditus, ſic cauſis principia proportione rerum præponere. Itaq; in paruis atq; frequentibus cauſis ab ipſa re eſt exordiri ſæpe commodius. Sed cùm erit vtendum principio (quod plerunque erit) aut ex reo, aut ex aduerſario, aut ex re, aut ex eis apud quos agitur, ſententias duci decebit. Ex reo (reos appello, quorum res eſt) quæ ſignificent virum bonum, quæ liberalem, quæ calamitoſum, quæ miſericordia dignum, quæ valeant contra falſam criminationem. Ex aduerſario, iiſdem ex locis ferè contraria. Ex re, ſi crudelis, ſi infanda, ſi præter opinionem, ſi immeritò, ſi miſera, ſi ingrata, ſi indigna, ſi noua, ſi quæ reſtitui ſanariq; nō poſsit. Ex iis autem apud quos agetur, vt beneuolos beneque exiſtimantes efficiamus: quod agēdo efficitur melius, quam rogando. Eſt id quidem in totam orationem confundendum, nec minimè in extremam: ſed tamen multa principia ex eo genere gignuntur. [7] Nam & attentum monent Græci, vt principio faciamus iudicem & docilem: quæ ſunt vtilia ſed non principii magis propria, quàm reliquarum partium: faciliora etiam in principiis, quòd & attenti tum maximè ſunt, cùm omnia expectant: & dociles magis initiis eſſe poſſunt. illuſtriora enim ſunt quæ in principiis, quam quæ in mediis cauſis dicuntur aut arguēdo, aut refellendo. Maxima autem copia principiorum ad iudicem aut alliciendum, aut incitandum ex iis locis trahitur, qui ad motus animorum conficiendos inerunt in cauſſa: quos tamen totos in principio explicari non oportebit, ſed tantùm impelli primò iudicem leuiter, vt iam inclinato reliqua incumbat oratio.

Conne-

Connexum autem ita ſit principium conſequenti orationi, vt non tanquam citharœdi proœmium affictum aliquod, ſed cohærens cum omni corpore membrum eſſe videatur. Nam nonnulli cùm illud meditati ediderunt, ſic ad reliqua tranſeunt, vt audientiam ſibi fieri velle videantur. Atque eiuſmodi illa proluſio debet eſſe, non vt Sannitum, qui vibrant haſtas ante pugnam, quibus in pugnando nihil vtuntur: ſed vt ipſis ſententijs quibus proluſerunt vel pugnare poſſint. [8] *Narrare verò rem quòd breuiter iubent: ſi breuitas appellanda eſt, cùm verbum nullum redundet, breuis eſt L. Craſſi oratio. ſin tum eſt breuitas, cùm tantùm verborum eſt, quantum neceſſe eſt: aliquando id opus eſt, ſed ſæpe obeſt vel maximè in narrando, non ſolùm quòd obſcuritatem affert, ſed etiam quòd eam virtutem quæ narrationis eſt maxima, vt iucunda, & ad perſuadendum accommodata ſit, tollit videlicet illa,*

[9] Nam is poſtquam exceſsit ex ephœbis,

quàm longa eſt narratio? mores adoleſcentis ipſius, & ſeruilis percotatio, mors Chryſidis, vultus, & forma, & lamentatio ſororis, reliqua peruariè iucundeq; narrantur. quòd ſi hanc breuitatem quæſiſſet,

Effertur, imus, ad ſepulchrum venimus,
In ignem poſita eſt:

in his ferè decem verſiculis totum conficere potuiſſet: quanquam hoc ipſum, Effertur, imus, conciſum eſt ita, vt non breuitati ſeruitum ſit, ſed magis venuſtati. Quòd ſi nihil fuiſſet niſi, In ignem poſita eſt: tamen res tota cognoſci facile potuiſſet: ſed & feſtiuitatem habet narratio diſtincta perſonis, & interpuncta ſermonibus: & eſt probabilius quod geſtum eſſe dicas, cùm quemadmodum actum ſit, exponas: & mul-

tò apertius ad intelligendum eſt, ſi ſic conſiſtitur aliquando, ac non iſta breuitate percurritur. [10] *Apertam enim narrationem tam eſſe oportet, quàm cæteras: & hoc magis in hac elaborandum eſt, quòd & difficilius eſt non eſſe obſcurum in re narranda, quàm aut in principio, aut in argumento, aut in purgando, aut perorando: & maiore periculo hæc pars orationis obſcura eſt, quàm cæteræ:* [11] *vel quia ſi quo alio in loco eſt dictum quid obſcurius, tantùm id perit quod ita dictum eſt: narratio obſcura totam obcæcat orationem: vel quòd alia poſſis, ſemel ſi obſcurius dixeris, dicere alio loco planius: narrationis vnus eſt in cauſſa locus.* [12] *Erit autem perſpicua narratio, ſi verbis vſitatis, ſi ordine temporum conſeruato, ſi nõ interruptè narrabitur.* [13] *Sed quando vtendum ſit, aut non ſit narratione, id eſt conſilij. Neq; enim ſi nota res eſt, nec ſi dubium ſit quid geſtum ſit, narrari oportet: nec ſi aduerſarius narrauit, niſi ſi refellemus: ac ſi quando erit narrandum, ne illa quæ ſuſpicionem & crimen efficient, contráq; nos erunt, acriter perſequamur, & quicquid poterit detrahamus: ne illud quod Craſſus, ſi quando fiat, perfidia, nõ ſtultitia fieri putat, vt cauſſæ noceamus, accidat. Nam ad ſummam totius cauſſæ pertinet, cautè, an contrà demõſtrata res ſit: quòd omnis orationis reliquæ fons eſt narratio.* [14] *Sequitur, vt cauſſa ponatur: in quo videndum eſt quid in controuerſiam veniat. Tunc ſuggerẽda ſunt firmamẽta cauſſæ coniuncta, & infirmandu contrarijs, & tuis confirmandis. Namq; vna in cauſſis ratio quædam eſt eius orationis quæ ad probandam argumentationem valet. Ea autem & confirmationem & reprehẽſionem quærit: ſed quia neq; reprehendi quæ contrà dicuntur, poſſunt, niſi tua confirmes: neq; hæc confirmari, niſi illa reprehendas: idcircò hæc*

cò hæc & natura, & vtilitate, & tractatione cõiuncta ſunt. Omnia autem concludenda plerunq; rebus augendis, vel inflammando iudice, vel mitigando: omniaq́; quum ſuperioribus orationis locis, tum maximè extremo ad mentes iudicum quammaximè permouẽdas, & ad vtilitatem noſtram vocandas, conferenda ſunt. [15] *Neq; ſanè iam cauſſa videtur eſſe cur ſecernamus ea præcepta, quæ de ſuaſionibus tradenda ſunt, aut laudationibus. Sunt enim pleraq; communia: ſed tamen ſuadere aliquid aut diſſuadere, grauiſſimæ mihi videtur eſſe perſonæ. Nam & ſapientis eſt conſilium explicare ſuum de maximis rebus: & honeſti & diſerti, vt mente prouidere, auctoritate probare, oratione perſuadere poſſit. Atq; hæc in ſenatu minore apparatu agenda ſunt. Sapiens enim eſt conſilium, multiſque alijs dicendi relinquendus locus: vitanda etiam ingenij oſtentationis ſuſpicio. Concio capit omnem vim orationis, & grauitatem varietatémque deſiderat.* [16] *Ergo in ſuadendo nihil eſt optabilius, quàm dignitas. Nam qui vtilitatem putat, non quid maximè velit ſuaſor, ſed quid interdum magis ſequatur, videt. Nemo eſt enim, præſertim in clara ciuitate, quin putet expetendam maximè dignitatem: ſed vincit vtilitas plerunque, quum ſubeſt ille timor, ea neglecta ne dignitatem quidem poſſe retineri. Controuerſia autem inter hominum ſententias, aut in illo eſt, vtrum ſit vtilius: aut etiam quum id conuenit, certatur vtrũ honeſtati potius, an vtilitati conſulendum ſit. Quæ quia pugnare ſæpe inter ſe videntur: qui vtilitatem defendet, enumerabit commoda pacis, opum, potentiæ, pecuniæ, vectigalium, præſidij, militum, vtilitates cæterarum rerum, quarum fructum vtilitate metimur: itemq́; incommoda contrariorum. Qui ad dignitatem impellet, maio-*

rum exempla, quæ erunt vel cum periculo glorioſa, colliget: poſteritatis immortalem memoriam augebit: vtilitatem ex laude naſci defendet, ſemperq; eam cum dignitate eſſe coniunctam. [17] *Sed quid fieri poßit, aut non poßit, quidque etiam ſit neceſſe, aut non ſit, in vtraque re maximè eſt quærendum. Inciditur enim omnis iam deliberatio, ſi intelligitur non poſſe fieri, aut ſi neceßitas affertur: & qui id docuit, non videntibus alijs, is plurimùm vidit.* [18] *Ad conſilium autem de Repub. dandum caput eſt noſſe Rempub. ad dicendum verò probabiliter, noſſe mores ciuitatis: qui quia crebrò mutantur, genus quoq; orationis eſt ſæpe mutandũ:* [19] *& quanquam vnà ferè vis eſt ſæpe eloquentiæ, tamen quia ſumma dignitas eſt populi, grauißima cauſſa Reipub. maximi motus multitudinis, genus quoq; dicẽdi grandius quoddam & illuſtrius eſſe adhibendum videtur: maximaq; pars orationis admouenda eſt ad animorum motus, nonnunquam aut cohortatione, aut commemoratione aliqua, aut in ſpem, aut in metum, aut ad cupiditatem, aut ad gloriam concitandos: ſæpe etiam à temeritate, iracundia, ſpe, iniuria, inuidia, crudelitate reuocandos. Fit autem, vt quia maxima quaſi oratori ſcena videatur concio, natura ipſa ad ornatius dicendi genus excitetur. Habet enim multitudo vim quandam talem, vt quemadmodum tibicen ſine tibijs canere, ſic orator ſine multitudine audiente eloquens eſſe non poßit,* [20] *Et cùm ſint populares multi, varijq; lapſus, vitanda eſt acclamatio aduerſa populi, quæ aut orationis peccato aliquo excitatur, ſi aſpere, ſi arroganter, ſi turpiter, ſi ſordidè, ſi quoquo animi vitio dictum eſſe aliquid videatur, aut hominum offenſione, vel inuidia, quæ aut iuſta eſt, aut ex criminatione atq; fama: aut res ſi diſplicet: aut ſi eſt in*

aliquo

aliquo motu ſuæ cupiditatis aut metus multitudo: huíq; quatuor cauſſis totidem medicinæ opponuntur. Tum obiurgatio, ſi eſt authoritas: tum admonitio, quaſi lenior obiurgatio: tum promiſſio, ſi audierint, probaturos: tum deprecatio, quod eſt infimum, ſed nonnunquam vtile. Nullo autem loco plus facetiæ proſunt, & celeritas, & breue aliquod dictum, nec ſine dignitate, & cum lepôre. Nihil enim tam facile, quàm multitudo à triſtitia, & ſæpe acerbitate, commodè ac breuiter, & acutè, & hilarè dicto deducitur. [21] *Expoſui ferè, vt potui, vobis in vtroq; genere cauſſarum, quæ ſequi ſolerem, quæ fugere, quæ ſpectare, quaq; omnino in cauſſis ratione verſari. Nec illud tertium laudationum genus eſt difficile, quod ego initio quaſi à præceptis noſtris ſecreueram: ſed quia & multa ſunt orationum genera, & grauiora, & maioris copiæ, de quibus nemo ferè præciperet, & quòd nos laudationibus non ita multùm vti ſoleremus, totum hunc ſegregabam locum. Ipſi enim Græci, magis legendi qui delectationis, aut hominis alicuius ornandi, quàm vtilitatis huius forenſis cauſſa, laudationes ſcriptitauerũt: quorum ſunt libri quibus Themiſtocles, Ariſtides, Ageſilaus, Epaminondas, Philippus, Alexander, alijq; laudantur. Noſtræ laudationes, quibus in foro vtimur, aut teſtimonij breuitatem habent nudam atq; inornatam, aut ſcribũtur ad funebrem concionem, quæ ad orationis laudem minimè accommodata eſt.* [22] *Sed tamen quoniam eſt vtendum aliquando, non nunquam etiam ſcribendum, velut Publ. Tuberoni Africanum auunculum laudanti ſcripſit C. Lælius, vel vt noſmetipſi ornandi cauſſa, Græcorum more, ſi quos velimus laudare poſſimus: ſit à nobis quoq; tractatus is locus.* [23] *Perſpicuum eſt igitur alia eſſe in homine optanda, alia laudanda.*

Genus, forma, vires, opes, diuitiæ, cæteraq; quæ fortuna det aut extrinſecùs, aut corpori, non habent in ſe veram laudem, quæ deberi virtuti vni putatur, ſed tamen quòd ipſa virtus in earum rerum vſu ac moderatione maximè cernitur, tractanda etiam in laudationibus hæc ſunt naturæ & fortunæ bona: in quibus eſt ſumma laus, non extuliſſe ſe in poteſtate, non fuiſſe inſolentem in pecunia, non ſe prætuliſſe alijs propter abundantiam fortunæ: vt opes & copiæ non ſuperbiæ videantur ac libidini, ſed bonitati ac moderationi facultatem & materiam dediſſe. Virtus autem, quæ eſt per ſe ipſa laudabilis, & ſine qua nihil laudari poteſt, tamen habet plures partes: quarum alia eſt ad laudationem aptior. [24] *Sunt enim aliæ virtutes quæ videntur in moribus hominum, & quadam comitate ac beneficentia poſitæ: aliæ quæ in ingenij aliqua facultate, aut animi magnitudine ac robore. Nam clementia, iuſtitia, benignitas, fides, fortitudo in periculis communibus, iucunda eſt auditu in laudationibus. Omnes enim hæ virtutes non tam ipſis qui eas in ſe habent, quàm generi hominum fructuoſæ putantur: ſapientia & magnitudo animi, qua omnes res humanæ geruntur, tenues, & pro nihilo putantur: & in excogitando vis quædam ingenij, & ipſa eloquentia admirationis habet non minus, iucunditatis minus. Ipſos enim magis videtur, quos laudamus, quàm illos apud quos laudamus, ornare ac tueri: ſed tamen in laudando iungenda ſunt etiam hæc genera virtutum. Feriunt enim aures hominum cùm illa quæ iucunda & grata, tum etiam illa quæ mirabilia ſunt in virtute laudari. Et quoniam ſingularum virtutum ſunt certa quædam officia ac munera, & ſua cuique virtuti laus propria debetur: erit explicandum in laude iuſtitiæ, quid*

cum

cum fide, quid cum æquabilitate, quid cum eiuſmodi aliquo officio is qui laudabitur, fecerit: itemq́; in cæteris res geſtæ ad cuiuſque virtutis genus & vim & nomen accommodabuntur. Gratiſſima autem laus eorum factorum habetur, quæ ſuſcepta videntur à viris fortibus ſine emolumento ac præmio. quæ verò etiam cum labore & periculo ipſorum, hæc habent vberrimam copiam ad laudandum, quòd & dici ornatiſſimè poſſunt, & audiri facillimè. Ea enim denique virtus eſſe videtur præſtantis viri, quæ eſt fructuoſa alijs, ipſi autem laborioſa, aut periculoſa, aut certè gratuita. Magna etiam illa laus & admirabilis videri ſolet, tuliſſe caſus ſapienter aduerſos, non fractum eſſe fortuna, retinuiſſe in rebus aſperis dignitatem. Neq; tamen illa non ornant, habiti honores, decreta virtutis præmia, res geſtæ iudicijs hominum comprobatæ: in quibus etiam felicitatẽ ipſam deorum immortalium iudicio tribui, laudationis eſt. Sumendæ autem res erunt aut magnitudine præſtabiles, aut nouitate primæ, aut genere ipſo ſingulares. Neque enim paruæ, neque vſitatæ, neq; vulgares, admiratione aut omnino laude dignæ videri ſolent. [19] *Eſt etiam cum cæteris præſtantibus viris comparatio in laudatione praclara.* [20] *De quo genere libitum eſt mihi paulò plura, quàm oſtenderam, dicere, non tam propter vſum forenſem qui eſt à me in omni hoc ſermone tractatus, quàm vt hoc videretis, ſi laudatores eſſent in oratoris officio, quod nemo negat, oratori virtutum omnium cognitionem, ſine qua laudatio effici non poſſit, eſſe neceſſariam. Iam vituperandi præcepta contrarijs ex vitijs ſumenda eſſe perſpicuum eſt. Simul eſt illud ante oculos, nec bonum virum propriè & copioſè laudari ſine virtutum, nec improbum notari ac vituperari ſine vitiorum cogni-*

tione ſatis inſigniter atque aſperè poſſe. Atque his locis & laudandi & vituperandi ſæpe nobis eſt vtendum in omni genere cauſſarum.

1 De diſpoſitione prudentiæ dictum eſt in argumētis & affectibus, quæ duo ſummam orationis ad dicendum prudentiam requirūt: ſequitur artificioſa diſpoſitio ſecundùm partes orationis, exordium, narrationem, probationem, & perorationem: vbi Antonius non tantummodo viam tractationis indicat, ſed etiam generales locos inuentionis antea deſcriptos, nonnihil immutatos & alienatos in partibus orationis & generibus cauſſarum repetit & cōfundit. 2 Exordium orationis in cauſſis ciuilibus cogitatione poſtremum, & tractatione primum eſſe debet. Fabius lib.3. Verùm (ait) ex his quas conſtitui, partibus, non vt quodque primum dicendum, ita primum cogitandum eſt: ſed ante omnia intueri oportet, quid ſit genus cauſſæ, quid in ea quæratur, quid proſit, quid obſit: deinde quid confirmandum ſit, atque refellendum, tum quomodo narrandum: expoſitio enim probationum eſt præparatio, nec eſſe vtilis poteſt, niſi prius conſtiterit, quid debeat de probatione promittere: poſtremò intuendum quomodo iudex ſit conciliandus: nec enim niſi totis cauſſæ partibus diligēter inſpectis ſcire poſſumus, qualem nobis facere animum cognoſcentis expediat, ſeuerum, an mitem, concitatum, an remiſſum, aduerſum gratiæ an obnoxium. Hæc Fabius. Argumentum autem Antonij eſt eiuſmodi: Si principium primùm ab oratore cogitatur, occurrit vitioſum: at vitioſum principium fugiendum eſt, vt exile, nugatorium, vulgare, commune: non igitur primo loco principium cogitandum eſt, ſed poſtremò. 3 Principia cauſſarum ciuilium diligentiam oratoris requirunt: qua de cauſſa reprehenditur Philippus, qui ſine vlla meditatione magno impetu cauſſam aggrediebatur, & eius allegoricum dictum (cùm brachium concalefecerit, tum ſe ſolere pugnare) eleuatur ex eodem genere ſimilitudinis: Vt gladiatores certamen leniter & moderatè auſpicantur, ſic in cauſſis ciuilibus exordia parua, ſummiſſa, & moderata eſſe debent. 4 Hìc latet argumentū ſimilitudinis. Vt omnia quæ natura fiunt, ab exiguis initiis profecta ſenſim & paulatim augentur: ſic ea quæ tractantur oratione, ex paruis principiis leniter & moderatè excitanda & augendaſunt, nec omnia ſtatim profundenda ſunt. 5 In principiis eſt propoſitio cauſſæ ad docilitatem, & aditus fauorabilis ad cauſſam, ad conciliandam beneuolentiam eorum qui audiunt, & amplificatio rei de qua agitur ad augendam attentionem: quære exempla in orationibus Ciceronis. 6 Explicātur loci exordij, qui omnes ſunt ex adiunctorum loco, id eſt, ex adiunctis qualitatibus perſonarum, vel cauſſæ: & quidem generalis doctrina argumentorum tam ſufficiebat ad exordiorum inuentionem, quàm generalis nominum etymologia ad nominum ciuilium & forenſium diſquiſitionem & tractationem: neque nouis iſtis & commentitiis locis opus erat. cæterùm hæc partitio eſt apud Ariſtotelem cap.14. lib.3. Rhetor. 7 Hoc ex Ariſtotele ſumptum eſt cap.14. lib.3. ad Theodecten: ἐστὶ τὸ προσεκτικὸν ποιεῖν, πάντων τῶν μερῶν κοινὸν, ἐὰν δέῃ, πανταχοῦ γὰρ ἀνιᾶσι μᾶλλον ἢ ἀρχόμενοι, διὸ γελοῖον ἐν ἀρχῇ τάττειν ὅτε μάλιστα πάντες προσέχοντες ἀκροῶνται: ὥς τε ὅπου ἂν ᾖ καιρὸς, λεκτέον, καί μοι προσέχετε τὸν νοῦν, οὐδὲ γὰρ μᾶλλον ἐμὸν, ἢ ὑμέτερον: καὶ, ἐρῶ γὰρ ὑμῖν οἷον οὐδὲ πώποτε ἀκηκόατε δεινὸν, ἢ οὕτω θαυμαστὸν, τοῦτο δ' ἐστὶν ὥσπερ ἔφη Πρόδικος, ὅτε νυστάζειν οἱ ἀκροαταὶ παρεμβάλλειν τῆς πεντηκοντα δραχμοῦ αὐτοῖς. Id eſt, Attentum autem facere omnium partium commune eſt, cùm opus fuerit: vbicunque enim magis remittuntur auditores, quàm cùm incipiunt: ridiculum igitur eſt in principio collocare, cùm omnes

mnes maximè attenti audiunt: itaque vbi occaſio erit, dicendum eſt: animaduertite quæſo: nam hæc res non magis mea eſt, quàm veſtra: & dicam vobis rem inauditam, vel ita mirabilem: id verò eſt (vt ait Prodicus) cùm auditores vergunt ad ſomnum, velut inter ipſos ſpargere pretium 50. drachmarum. 8 Narratio ſecunda pars eſt orationis ciuilis, quā rhetores definiunt rei geſtæ, vel tanquam geſtæ expoſitionem: & ei virtutes attribuunt, breuitatem, claritatem, veriſimilitudinem, & ſuauitatem: ſed irridet Antonius Græcum de breuitate narrandi præceptum, quod etiam facit Ariſtoteles lib. 3. ad Theodecten, cap. 16. his verbis, νῦν δὲ γελοίως τὴν διήγησίν φασι δεῖν εἶ) ταχεῖαν, καί τοι ὥσπερ ὁ τῷ μάττοντι ἐρρωμένως σκληρὰν ἢ μαλακὴν μάξῃ, τί δ' εὖ ἔφη. ἀδύνατον; καὶ ἐνταῦθα ὁμοίως: δεῖ γὰρ μὴ μακρῶς διηγεῖσθαι, ὥσπερ οὐδὲ προοιμιάζεσθαι μακρῶς, οὐδὲ τὰς πίστεις λέγειν, οὐδὲ γὰρ ἐνταῦθά ἐστι τὸ εὖ ἢ τὸ ταχὺ ἢ τὸ συντόμως, ἀλλὰ τὸ μετρίως. id eſt, Qui verò breuem eſſe oportere narrationem dicunt, ridiculi ſunt, velut qui interroganti piſtori, durúmne an mollem panem pinſet, quid, ait, éſtne impoſſibile bene pinſere? Oportet autem non eſſe longam narrationem, nec exordium, nec ea quæ fidem faciunt: & idipſum bene, nec in longo, nec in breui eſt, ſed in mediocri. Hæc Ariſtoteles. Cæterùm breuitas duobus modis definitur: vno, cùm nihil in oratione redundat, & hæc in omni parte orationis laudatur: altero, cùm paucis verbis res tota ſummatim perſtringitur, qualem breuitatem Antonius à narratione cenſet eſſe remouendam tribus argumentis, quia perſpicuitati, quia ſuauitati, quia probabilitati cauſſæ plerunque nocet, quæ tamen tres ſunt præcipuæ virtutes narrationis. 9 Simo ſenex apud Terentium in Andria narrat vitam & mores Pamphili, non ea breuitate, quæ rem ſtrictim & curſim comprehendat, ſed ea potius, quæ iucunda varietate diſtinguat & explanet: eodemq; modo ſtatuendum eſt de narratione ciuilium cauſſarum. *Act. 1. ſcen. 1.* 10 Perſpicuitas in narratione præcipuè commendatur duabus de cauſſis, & quia difficile eſt perſpicuè narrare, & quia periculoſum eſt obſcurè narrare quippiam, quod poſterius illuſtratur duplici collatione diſſimilium. 11 Idem argumentum poteſt iterari, narratio eadem non debet: nec tamen ſæpius in eadem cauſſa narrare eſt nefas, quod Cicero in oratione pro Cluentio fecit, eſtque non conceſſum modò, ſed aliquando etiam neceſſarium, vt in cauſſis repetundarum, omnibusq; quæ ſimplices non ſunt: vt ait Fabius libro 4. 12 Tres ſunt loci perſpicuè narrandi: primus ex Grammatica dicendi ratione, vt verba ſint vſitata: ſecundus & tertius ex dialecticæ methodi legibus, vt ſeruetur ordo temporis, & ne ſermo interrumpatur longis egreſſionibus: nam ſi quando egreſſio incidat in narratione, breuis eſſe debet, vt pro Cluentio: plures autem loci perſpicuitatis eſſe poſſunt: hæc enim communiter efficitur ex omnibus Grammaticæ, Rhetoricæ & Dialecticæ virtutibus, quæ ſunt quàm plurimæ. 13 Cicero in veteri rhetorico pluribus verbis docet, quando narrationi locus non ſit: Illud autem, ait, conſiderare oportebit, ne cùm aut obſit narratio, aut cùm nihil proſit, tunc interponatur, aut non loco, aut non quemadmodum cauſſa poſtulat, narretur: Obeſt tum, cùm ipſius rei geſtæ expoſitio magnam excipit offenſionem, quam argumentando & cauſſam agendo leniri oportebit: quod cùm acciderit, membratim oportebit partes rei geſtæ diſpergere in cauſſam, & ad vnumquemque confeſtim rationes accommodare, vt vulneri præſtò medicamentum ſit, & odium ſtatim defenſio mitiget. Nil prodeſt narratio tunc, cùm ab aduerſariis re expoſita noſtra nihil intereſt iterum an alio modo narrare, aut cùm ab iis qui audiunt ita tenetur negotium, vt noſtra nihil interſit, eos alio pacto docere: quòd cùm acciderit, omnino narrationi ſuperſedendum eſt. 14 Narrationi propoſitio annexa eſt, quæ cōtinet principalem quæſtionem & ſummam totius controuerſiæ: eſtque initium confirmationis & refutationis: quia proponere primùm nos oportet quæ confirmare aut refellere volumus, vt intelligant auditores quò referantur argumenta omnia: cæ-

terùm confirmatio & refutatio communem habent artem, quia argumenta ad probãdum & refellendum ex iiſdem locis prius expoſitis communiter aſſumuntur. 15 Tranſitus eſt per, quem iudicialibus præceptis attexuntur præcepta quædam de reliquis duobus generibus cauſſarum, deliberatiuo & demonſtratiuo, quæ tamen nihil habent diſpoſitionis: non enim docent quo ordine res diſponendæ ſint, ſed explicant quædam conſilia ſuadendi & diſſuadendi, laudandi & vituperandi ex generalibus dialecticæ prudentiæ & rhetoricæ diſciplinæ præceptis deprompta: itaque in arte diſpoſitionis poſuit Antonius ea, quæ diſpoſitionis non ſunt. 16 Præcepta deliberationis referuntur vel ad honeſtatem, cùm apud honeſtos homines dicimus: vel ad vtilitatem, cùm indoctis hominibus conſilium damus: illic loci virtutum & vitiorum, hic loci bonorum, fortunæ & corporis contrariorumq; incommodorum ad ſuadendum aut diſſuadendum valent: atque ita traditur prima inuentio generis deliberatiui ex duplici finium diſtinctione, & accommodatione propriorum argumentorum ad ſingulos fines.

17 Reliqui ad deliberandum loci ſunt, poſſibile, impoſſibile, neceſſarium, non neceſſarium: è quibus impoſſibile & neceſſarium ad diſſuaſionem & ſuaſionem poſſunt afferri, vt ſuademus aliquid eſſe faciendum, quia ſit neceſſarium: vel non faciendum, quia fieri non poſſit: at cùm vtrumque eſt nobis cognitum, tollit omnem deliberationem: fruſtrà enim deliberaremus de his, quæ fieri nõ poſſunt, aut aliter fieri non poſſunt. Hæc ergo duo interdum ab oratoribus tractantur: at deliberantibus occludunt omnem conſultandi & deliberandi viam. 18 Fabius hunc locum ſic interpretatur libro 3. Græcorum quidem plurimi omne hoc officium concionale eſſe iudicauerunt, & in ſola Reipublicæ adminiſtratione poſuerunt: quin & Cicero in hac maximè parte verſatur: ideoque ſuaſuris de pace, bello, copiis, opibus, vectigalibus, hæc duo præcipuè nota eſſe voluit, vires ciuitatis & mores, vt ex natura tum ipſarum rerum, tum audientium, ratio ſuadendi duceretur. 19 Deliberatiua materia, vt cenſet Antonius, tractatur vel in Senatu, vel in foro ad populum: illic minus accuratum genus elocutionis & actionis, hìc grandior & ſublimior eloquentia quæritur: nam & populus magis affectu, quàm ratione ducitur, & orator frequentia & multitudine audientium excitatur, grandiusque ſonat, cùm apud populum dicit, quàm ſi apud paucos cauſſam aliquam agat: Similitudo à tibicine & tibiis declaratur planius in Bruto Ciceronis.

20 Quatuor modis offenditur popularis multitudo, & quatuor modis offenſio illa ſedatur. 21 Antonius tranſit à iudiciis & deliberationibus ad topicam artem laudationum, quam initio contempſerat, quòd eſſet perfacilis, & vſum in negotiis ciuilibus rariorẽ haberet. Græci hoc genus ad oſtentationem eloquentię & delectationem aurium excoluerunt in celebrandis illuſtrium virorum virtutibus: Latini minus excoluerunt, vel in laudandis nudè & inornatè teſtibus, vel concionibus funebribus, quæ plus lachrymarum capiunt, quàm eloquentiæ & oſtentationis. 22 Antonius tribus de cauſſis inſtituit artem laudationum: quæ vt recta & vtilis ſit, alieno tamẽ loco traditur, ſicut proximè artes iudicij & ſuaſionis: quia nil diſpoſitionis docet: rationes autem laudandi & vituperandi eædem ferè ſunt quæ ſuadendi & diſſuadendi, & ex tribus generibus bonorum & malorum ducuntur: at verò nihil iſtis præceptis in arte Rhetorica opus erat, ſed ad laudandum, aut vituperandum, tum generales loci dialecticæ inuentionis, tum moralis philoſophia, quæ genera virtutum & vitiorum deſcribit: tum hiſtoria perſonæ, quam laudare aut vituperare volumus, conſulenda eſt. Itaq; hìc nihil de laude atq; vituperatione dicitur, quòd non multò melius & vberius philoſophia moralis explicet, cuius præcepta in Rhetorica arte confundere tam inutile eſt & abſurdum, quàm in eadem arte de re militari, de legibus, de Republica præcipere: quarum rerum artes oratori, id eſt, viro politico & actori cauſſarum ciuilium apprimè vtiles eſſe fateor, ſed vt Rhetoricis præceptis admiſceantur, minimè aſſentior. 23 Ex tribus generibus bonorum ea propriè & verè laudabilia ſunt, quæ

in animis noſtris exiſtunt: reliqua non ideò laudantur, quòd quis ea poſſideat, ſed quòd iis honeſtè ſit vſus: & ſic Chremes apud Terentium loquitur:

Quid reliqui eſt, quin habeat, quæ quidem in homine dicuntur bona?
Parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, diuitias?
Atq; hæc perinde ſunt, vt illius animus, qui ea poſſidet:
Qui vti ſcit, ei bona: illi, qui non vtitur rectè, mala.

24 Virtutum aliæ ſunt illuſtres & populares, quarum vſus eſt humano generi maximè fructuoſus, atque idcircò iucundus & amabilis, vt iuſtitia, fides, clementia, liberalitas, fortitudo publica: aliæ minus illuſtres, vt quæ magis proſunt iis, qui eas habent, quàm aliis. Ex quo genere ſunt multæ artes, & fortitudo priuata, & temperantia: illarum laudatio & admirabilior, & auditu iucundior. 25 Laus hominum duobus modis tractatur & exornatur, ſimpliciter, quum quempiam ex rectè factis laudamus, non cum aliis comparamus: & comparatè, cùm pari vel impari, ſimili vel diſſimili collatione virtutes hominum conferuntur. Ex quo genere eſt apud Plutarchum Theſei comparatio, & Romuli, Numæ & Lycurgi, Valerij Publicolæ & Solonis, Alcibiadis & Coriolani, Periclis & Fabij Maximi, Marcelli & Pelopidę, Annibalis & Scipionis, T. Flaminij & Philopœmenis, Ariſtidis & Catonis, Timoleonis & Pauli Aemylij, Lyſandri & Syllæ, Eumenis & Sertorij, Cimonis & Luculli, Ageſilai & Pompeij, Dionis & Bruti, Demoſthenis & Ciceronis, Demetrij & Antonij. 26 Conſectarium eſt de philoſophia morali oratori, id eſt, actori cauſſarum ciuilium neceſſaria: nec tamen idcircò Rhetoricæ pars eſt, non magis quàm Grammatica, quæ non minus oratori eſt neceſſaria: neque hoc neceſſitatis argumento concludi antea oportuit inuentionem, diſpoſitionem, & memoriam partes eſſe Rhetoricæ, quòd oratori eſſent neceſſariæ.

[1] *Habetis de inueniendis rebus diſponendisq; quid ſentiam. Adiungam etiam de memoria, vt labore Craſſum leuem, neque ei quicquam aliud de quo diſſerat, relinquam, niſi ea quibus rebus hæc exornentur. Perge verò, inquit Craſſus. libenter enim te cognitum iam artificem, aliquandóque euolutum illis integumentis diſſimulationis tuæ, nudatúmque perſpicio: & quod mihi nihil, aut quòd non multum relinquis, percommodè facis, eſtq; mihi gratum. Iam iſtuc quantum ego tibi reliquerim, inquit Antonius, erit in tua poteſtate. Si enim verè agere volueris, omnia tibi relinquo: ſin diſſimulare, tu quemadmodum his ſatisfacias, videris. Sed vt ad rem redeam, non ſum tanto ego, inquit, ingenio, quanto Themiſtocles fuit, vt obliuionis artem, quàm memoriæ malim: gratiámque habeo Simonidi illi Chio, quem primum ferunt artem memoriæ protuliſſe. Dicunt*

enim, cùm cœnaret Cranone in Theſſalia Simonides apud Scopam fortunatum hominem & nobilem, ceciniſſetq́ id carmen, quod in eum ſcripſiſſet, in quo multa ornandi cauſſa poetarum more in Caſtorem ſcripta & Pollucem fuiſſent, nimis illum ſordide Simonidi dixiſſe, ſe dimidium eius ei quod pactus eſſet, pro illo carmine daturum: reliquum à ſuis Tyndaridis, quos æquè laudaſſet, peteret, ſi ei videretur. Paulo pòſt eſſe ferunt nuntiatum Simonidi, vt prodiret: iuuenes ſtare ad ianuam duos quoſdam, qui eum magnopere euocarent. ſurrexiſſe illum ipſum, prodiſſe, vidiſſe neminem. hoc interim ſpatio conclaue illud vbi epularetur Scopas, concidiſſe. ea ruina ipſum oppreſſum cum ſuis interiſſe: quos cùm humare vellent ſui, neq; poſſent obtritos internoſcere vllo modo, Simonides dicitur ex eo quòd meminiſſet quo eorum loco quiſq; cubuiſſet, demonſtrator vniuſcuiuſque ſepeliendi fuiſſe. Hac tum re admonitus inueniſſe fertur, ordinem eſſe maximè qui memoriæ lumen afferret. Itaq; iis qui hanc partem ingenij exercerent, locos eſſe capiendos, & ea quæ memoria tenere vellent, effingenda animo, atq; in his locis collocanda: ſic fore, vt ordinem rerum, locorum ordo conſeruaret, res autem ipſas rerum effigies notaret, atq; vt locis pro cera, ſimulacris pro literis vteremur. Qui ſit autem oratori memoriæ fructus, quanta vtilitas, quanta vis, quid me attinet dicere? tenere quæ didiceris in accipienda cauſſa, quæ ipſe cogitaris: omnes fixas eſſe in animo ſententias, omnem deſcriptum verborum apparatum: ita audire vel eum vnde dicas, vel eum cui reſpondendum ſit, vt illi non infundere in aures tuas orationem, ſed in animo videantur inſcribere. Itaq; ſoli qui memoria vigent, ſciunt quid & quatenus, & quomodo dicturi ſint, quid reſponderint, quid ſuperſit:

ſuperſit: ijdemq; multa ex alijs cauſsis aliquando à ſe acta, multa ab alijs audita meminerunt. [3] Quare confiteor equidem huius boni naturam eſſe principē, ſicut earum rerum, de quibus antè loquutus ſum, omnium. Sed hæc ars tota dicendi, ſiue artis imago quædam eſt & ſimilitudo, habet hāc vim, non vt totum aliquid, cuius in ingenijs noſtris pars nulla ſit, pariat & procreet, verùm vt ea quæ ſunt orta iam in nobis & procreata, educet atq; confirmet. [4] Verumtamen neq; tam acri memoria ferè quiſquam eſt, vt non diſpoſitis notatiſq; rebus ordinem verborum aut ſententiarum complectatur: neq; verò tam hebeti, vt nihil hac conſuetudine & exercitatione adiuuetur. Vidit enim hoc prudenter, ſiue Simonides, ſiue alius quis inuenit, ea maximè animis affigi noſtris, quæ eſſent à ſenſu tradita atque impreſſa: acerrimum autem ex omnibus noſtris ſenſibus eſſe ſenſum videndi: quare facillimè animo teneri poſſe ea quæ perciperentur auribus aut cogitatione, ſi etiam oculorum commendatione animis traderentur: vt res cæcas, & ab aſpectus iudicio remotas, conformatio quædam & imago & figura ita notaret, vt ea quæ cogitando complecti vix poſſemus, intuendo quaſi teneremus. His autem formis atq; corporibus, ſicut omnibus rebus quæ ſub aſpectum veniunt, ſede opus eſt. Etenim corpus intelligi ſine loco non poteſt. Quare in re nota & peruulgata multus & inſolens ſim, locis eſt vtendum multis, illuſtribus, explicatis, modicis interuallis: imaginibus autem agentibus, acribus, inſignitis, quæ occurrere, celeriterq; percurrere animum poſsint. Quam facultatem & exercitatio dabit, ex qua conſuetudo gignitur, ſimilium verborum conſeruata & immutata caſibus, aut traducta ex parte ad genus notatio, & vnius verbi imagine, totius ſententiæ infor

matio, pictoris cuiuſdam ſummi ratione & modo, formarum varietate locos diſtinguentis. Sed verborum memoria, quæ minus eſt nobis neceſſaria, maiore imaginum varietate diſtinguitur. Multa enim ſunt verba quæ quaſi articuli connectunt membra orationis, quæ formari ſimilitudine nulla poſſunt. Eorum fingendæ nobis ſunt imagines, quibus ſemper vtamur. Rerum memoria propria eſt oratoris. Eam ſingulis perſonis bene poſitis notare poſſumus: vt ſententias imaginibus, ordinem locis comprehendamus. Neque verum eſt, quod ab inertibus dicitur, opprimi memoriam imaginum pondere, & obſcurari etiam id quod per ſe natura tenere potuiſſet. [4] Vidi enim ego ſummos homines, & diuina prope memoria, Athenis Carneadem: in Aſia, quem viuere hodie aiunt, Sceptium Metrodorum: quorum vterq; tanquam literis in cera, ſic ſe aiebat imaginibus in iis locis quos haberet, quæ meminiſſe vellet, perſcribere. Quare hac exercitatione eruenda memoria eſt, ſi eſt nulla naturalis: ſed certè, ſi latet, euocanda eſt.

Habetis ſermonem benè longum hominis vtinam non impudentis: illud quidem certè, non nimis verecundi: qui quidem cùm te Catule, tum etiam L. Craſſo audiente, de dicendi ratione tam multa dixerim. Nam iſtorum ætas minus me fortaſſe mouere debuit. Sed mihi ignoſcetis profectò, ſi modò quæ cauſſa me ad hanc inſolitam mihi loquacitatem impulerit, acceperitis. Nos verò, inquit Catulus (etenim pro me hoc, & pro meo fratre reſpondeo) non modo tibi ignoſcimus, ſed te diligimus, magnamq; tibi habemus gratiam, & cùm humanitatem & facilitatem agnoſcimus tuam, tum admiramur iſtam ſcientiam & copiam. Equidem hoc me aſſecutum puto, quòd magno ſum leuatus errore: & illa admiratione

mιratione liberatus, quòd multis cum alijs ſemper admirari ſolebam, vnde eſſet illa tanta tua in cauſsis diuinitas. [7] Nec enim te iſta attigiſſe arbitrabar, quæ diligentiſsimè cognoſſe, & vndiq; collegiſſe, vſuq; doctum partim correxiſſe video, partim comprobaſſe. Neq; eò minus eloquentiam tuam, & multò magis virtutem & diligẽtiam admiror, & ſimul gaudeo iudicium animi mei comprobari, quòd ſemper ſtatui, neminem ſapientiæ laudem & eloquentiæ ſine ſummo ſtudio & labore, & doctrina conſequi poſſe. Sed tamen quidnam eſt id quod dixiſti, fore vt tibi ignoſceremus, ſi cognoſſemus quæ te cauſſa in ſermonem impuliſſet? [8] Quæ eſt enim alia cauſſa, niſi quòd nobis & horũ adoleſcentium ſtudio, qui te attentiſsimè audierũt, morẽ gerere voluiſti? Tum ille, Adimere, inquit, omnem recuſationem Craſſo volui, quem ego paulò ſciebam vel pudentius vel inuitius (nolo enim dicere de tam ſuaui homine faſtidioſius) ad hoc genus ſermonis accedere. Quid enim poterit dicere? Conſularem ſe eſſe hominem & Cenſorium? Eadem noſtra cauſſa eſt. An ætatem afferet? Quadriẽnio minor eſt. An ſe neſcire? Quæ ego ſerò, quæ curſim arripui, quæ ſucciſiuis operis, vt aiunt: iſte à puero, ſummo ſtudio, ſummis doctoribus. Nihil dicam de ingenio, cui par nemo fuit. Etenim me dicentẽ qui audierit, nemo vnquam tam ſui deſpiciens fuit, quin ſperaret aut melius, aut eodem modo ſe poſſe dicere: Craſſo dicente, nemo tam arrogans, qui ſimiliter ſe vnquam dicturum eſſe confideret. Quamobrem ne fruſtrà hi tales viri venerint, te aliquado Craſſe audiamus. [9] Tum ille, Vt ita iſta eſſe concedam, inquit, Antoni, quæ ſunt longè ſecus, quid mihi tu tandem hodie, aut cuiquam homini, quod dici poſsit, reliquiſti? Dicam enim verè, amiciſsimi homines, quod ſentio.

*Sæpe ego doctos homines, quid dico ſæpe? immò nonnun-
quam: ſæpe enim quî potui, qui puer in forum venerim,
neq; inde vnquam diutius quàm Quæſtor abſuerim? ſed ta-
men audiui, vt heri dicebam, & Athenis cùm eſſem, doctiſ
ſimos viros, & in Aſia iſtum ipſum Sceptium Metrodo-
rum, cùm de his ipſis rebus diſputaret: neq; verò mihi quiſ-
quam copioſius vnquam viſus eſt, neq; ſubtilius in hoc gene-
re dicendi, quàm iſte hodie, eſſe verſatus.* 10 *quod ſi eſſet ali-
ter, & aliquid intelligerem ab Antonio prætermiſſum, non
eſſem tam inurbanus, ac penè inhumanus, vt in eo graua-
rer, quod vos cupere ſentirem. Tum Sulpitius, An ergo, in-
quit, oblitus es Craſſe, Antonium ita partitum eſſe tecũ, vt
ipſe inſtrumentũ oratoris exponeret, tibi eius diſtinctionem
atq; ornatum relinqueret? Hic ille, Primùm, quis Antonio
permiſit, inquit, vt & partes faceret. & vtram vellet, prior
ipſe ſumeret? Deinde, ſi ego rectè intellexi, cùm valde liben-
ter audirem, mihi coniunctè eſt viſus de vtraq; re dicere.
Ille verò, inquit Cotta, ornamenta orationis non attigit, neq;
eam laudem, ex qua eloquentia nomen ipſum inuenit. Ver
ba igitur, inquit Craſſus, mihi reliquit Antonius, rem ipſe
ſumpſit. Tum Cæſar, Si quod difficilius eſt, id tibi reliquit:
eſt nobis, inquit, cauſſa cur te audire cupiamus: ſin quod fa
cilius, tibi cauſſa non eſt cur recuſes. Et Catulus, Quid quod
dixiſti, inquit, Craſſe, ſi hic hodie apud te remaneremus, te
morẽ nobis eſſe geſturum, nihilne ad fidem tuam putas per-
tinere? Tum Cotta ridens, Poſſem tibi, inquit, Craſſe, conce
dere, ſed vide ne quid Catulus attulerit religionis. opus hoc
Cenſorium eſt. id autem committere, vide quàm ſit homini
turpe Cenſorio. Agite verò, ille inquit, vt vultis: ſed nunc
quidem, quoniam id temporis eſt, ſurgendum cenſeo, & re-
quieſcen-*

quieſcendum. poſt meridiem, ſi ita vobis eſt commodum, loquemur aliquid, niſi fortè me in craſtinum differre mauulatis. Omnes ſe vel ſtatim, vel ſi ipſe poſt meridiem mallet, quamprimum tamen audire velle dixerunt.

1 Tranſit Antonius à duabus primis, vt putat, Rhetoricæ partibus ad doctrinam memoriæ: quæ ſi talis, qualis traditur, vera & legitima eſſet, Rhetoricæ tamen non magis eſſet, quàm Grammaticæ, & reliquarum artium, quæ non minus ediſcendæ ſunt, quàm actiones forenſes: ac potius ars quædam ſingularis, & à cæteris artibus diſtincta facienda eſſet, ſicut Grammatica, Arithmetica, & aliæ diſciplinæ ſuis propriis finibus & præceptis comprehenduntur: at verò locorum & imaginum, quam à Græcis acceptam tradit Antonius, ars memoriæ non eſt, quia inutilis & nimis operoſa eſt ad quippiam ediſcendum, vt paulò pòſt dicemus. Primùm autem Antonius originem huius artis à Simonide repetit, ſecutus Callimachum, vt ait Fabius lib.11. 2 Simonides rectè animaduertit, ordinem eſſe magnum memoriæ adiumentum: nam ad res ediſcendas nil tam prodeſt, quàm ipſas in partes diſtribuere, & earum ordinem videre: ſed ordinem in externis locis & imaginibus ad ſubſidium memoriæ parum vtiliter Simonides inuenit: & ex eo artem memoriæ compoſuit, quia memoria propriis rerum ipſarum, quæ ediſcuntur, imaginibus, non alienis & externis ſimulachris propriè efficitur. 3 Memoria, quæ eſt virtus & facultas, res perceptas & cognitas aſſeruandi, & earum ſimulachra & imagines animo repræſentandi, tribus rebus adiuuatur, natura, doctrina, & exercitatione: quæ ita comparantur inter ſe, vt primas natura habeat, ſecundas exercitatio, poſtremas doctrina, atque vt natura memoriam tanquam procreet, doctrina nutriat, exercitatio confirmet. 4 Antonius ſummatim exponit Græcam artem memoriæ in commentitiis externorum locorum & imaginum diſpoſitionibus: quam artem Fabius lib.11. verè meritoque reprehendit, & irridet, quia non ſolùm vanum & inutile ſit, ſed etiam perquàm laborioſum, cùm aliquid volumus ediſcere, locos & imagines extrinſecùs fingere & diſponere: tum enim labor ediſcendi geminatur & ediſcendo locos, & imagines, & ſententias, & voces huc reuocando: adde etiam quòd ſenſus non eandem ſemper imaginem habeant, quam res ipſæ quæ ediſcuntur: & ſi quis imagines omnium verborum quæ ſunt in actionibus in Verrem, conſtituere velit, nonne inquit Fabius, impediri eorum, quæ dicit, decurſum neceſſe eſt duplici memoriæ cura? nam quomodo poterunt copulata fluere, ſi propter ſingula verba ad ſingulas formas reſpiciendum erit? Cenſet igitur Fabius memoriam actionum forenſium duabus rebus magnopere iuuari, diuiſione & compoſitione: nam qui diuiſerit, nunquam poterit in rerum ordine errare, & quæ bene compoſita erunt, memoriam ſua ſerie ducent. Diuiſio autem & compoſitio nil aliud ferè ſunt, niſi via & ratio dialecticæ diſpoſitionis, quæ ſola eſt vera, & naturalis, & legitima doctrina iuuandæ & confirmandæ memoriæ: vt cùm orationem aliquam aut partem orationis ſyllogiſmo comprehenſam memoriæ mandare volumus, ordinem partis ſyllogiſmi inſpiciamus: aut cùm orationem methodo diſpoſitam, & à generalibus principiis ad partes illi ſubiectas via & ordine deſcriptam volumus ediſcere, viam & ordinem partium perſpiciamus & ſequamur: ſi qua ſunt vera & vtilia memoriæ præcepta, ea profectò ſunt quæ de ſyllogiſmi & methodo traduntur à dialecticis: nam quæ Græci repererunt, memoriæ plus negotij faceſſunt, quàm prodeſſe poſſint. 5 Hoc Græcorum teſtimonium Fabius lib.11. irridet. Quare (inquit) Carneades & Scepſius, de quo modò dixi, Metrodorus, quos Cicero dicit vſos eſſe exercitatione, ſibi habeant ſua: nos ſimpliciora tradamus.

6 Peroratio ſecundi libri duas habet partes: vnam, qua cum gratiarum actio-

he laudatur Antonius: alteram, qua inuitatur Craſſus ad pomeridianam diſputationem de reliquis duabus eloquentiæ partibus, elocutione & actione. Antonius igitur deprecatur impudentiæ veniam, vt modeſtiam retineat, & anſam Catulo tribuat laudandæ diſputationis. 7 Hæc laus Antonij ad Ciceronem referenda eſt, quoniam hæc Cicero fecit, non Antonius. 8 Altera pars huius perorationis ſequitur, qua Craſſus inuitatur ad ſuſcipiendas partes oratoriæ diſputationis ſibi relictas ab Antonio: Antonius igitur occurrit argumẽtis recuſationis, & ea diſſoluit ex variis rationibus perſonæ ad laudem Craſſi, vbi Antonius plus Craſſo, quàm ſibiipſi tribuit, & in eo, de quo Craſſum rogat, ipſum reliquis præſtare docet. 9 Craſſus reiicit à ſe laudem in Antonium, & vtitur comparatione à minori ad maius: Multos, ait, audiui homines doctiſſimos in Græcia & Aſia de hac re diſputantes: ſed neminem Antonio copioſiorem & ſubtiliorem vidi.

10 Syllogiſmus eſt connexus primi modi: Si quid eſſet ab Antonio prætermiſſum, non grauarer dicere: Sulpitius addit aſſumptionem, ornatum ſcilicet oratoris ab Antonio eſſe prætermiſſum: cui Craſſus reſiſtit non tam pugnando, quàm iocando, vt paulatim ſe à tribus adoleſcentibus, & à Catulo ſane vinci & exorari patiatur.

In M. T. Ciceronis librum ſecundum de Oratore Audomari Talæi explicationum Finis.

M. Tullij Ciceronis

DE ORATORE LIBER Tertius,

AVDOMARI TALAEI EXplicationibus illuſtratus.

AD

CAROLVM LOTHARINGVM Cardinalem illuſtriſsimum.

TErtius liber (Carole Lotharinge Cardinalis) ſolus verè & propriè Rhetoricus eſt, quia Rhetoricam doctrinam in elocutione & actione, quæ duæ ſolæ & veræ partes ſunt eloquentiæ, ſolùs habet, qualem Rhetoricis inſtitutionibus tibi nuncupatis breuiore quidem, ſed tamẽ accuratiore & faciliore compẽdio informare conati ſumus: hoc autem tertio libro multò plura ad ornatum & elegantiam huiuſce ſcriptionis extra artem adhibentur, quàm de arte ipſa dicuntur. Eſt enim & præfatio de morte Craſsi, & congreſſus perſonarum pomeridianus, & exordium Craſsi, de vniuerſa eloquentia, & excellentibus, licet in diſpari genere, oratoribus. Cumque quatuor elocutionis virtutes proponantur, Latinitas, perſpicuitas, ornatus, decorum, duabus primis, quæ Rhetoricæ artis propriæ non ſunt, celerrimè breuiſsimeq́ demonſtratis, Craſſus antequam præcepta ornatæ orationis doceat, longiſsimam digreſsionem facit in laudem perfectæ eloquentiæ, cuius hæc capita ſunt:

1 Eloquentiam à philoſophia petendam eſſe:

2 Oratorem adiuuari non ab Epicureis quidem aut Stoicis, ſed ab Academicis & Peripateticis:

3 Oratori philoſophandum eſſe, ſed paucis:

4 Eloquentiæ apparatum eſſe in rebus & verbis:

5 Summam eloquẽtiæ eſſe, rem quampiam amplificare dicendo, & finitam quæſtionẽ ad infinitam reuocare, vt diſputatio ſit latior: qua quidem occaſione Craſſus artem de generibus quæſtionũ exponit, & hanc reuocationis exercitationem oratoriam exemplis Græcorum & Latinorum illuſtrat. Poſt hanc igitur tam longã & Rhetoricæ artis alienam excurſionem, vbi eloquẽtiæ cum philoſophia con-

coniunctio, & apparatus & amplitudo, magnificentiſsimè & ornatiſſimè laudata eſt, Craſſus venit ad doctrinam de ornatu, quam ponit in verbis ſingulis & coniunctis: & ſingula quidem ornari putat tribus modis, nouitate, vetuſtate, tranſlatione: coniuncta verò totidem etiam aliis, coagmentatione, numero & figura. Quartam quoque elocutionis oratoriæ virtutem, ſi tamen elocutionis virtus propria eſt, quæ eſt τὸ πρέπον, breuiter attingit. Craſſus igitur de elocutione ita ſibi dicendum putauit, vt eloquentiæ vim, quæ maxima eſſet, pluribus verbis ornaret, artem ipſam quæ trita & peruulgata eſſet, paucis & breuibus præceptis perſtringeret. Actio quæ ſequitur, duas habet partes, vocem & geſtum: ac vocis quidem varia ſunt genera, acutum, graue, citum, tardum, magnum, paruum, itemque lene, aſperum, contractum, diffuſum, continenti ſpiritu, intermiſſo, fractum, ſciſſum, flexo ſono, attenuatum, inflatum, quibus variè pro variis animorum motionibus vtimur. De geſtu autẽ politici oratoris hæc pauca præcipiuntur à Craſſo, vt ne ſit hiſtrionicus: vt ſit laterum inflexio virilis, manus minus argutæ, brachium procerius proiectum, ſupploſio pedum in contentionibus incipiendis aut finiendis, oris, vultus, & oculorum magna moderatio. His igitur præceptis elocutionem & actionem Craſſus informat, ex quibus quę vera, propria, conſentanea: quæ item falſa, aliena, minusque legitima ſint, in explicandis ſingulis partibus diſputationis multò commodius & opportunius, quàm hîc examinare poterimus.

M. Tullij Ciceronis

DE ORATORE LIBER Tertius.

[1] INſtituenti mihi, Quinte frater, eum ſermonem referre, & mandare huic tertio libro, quem poſt Antonij diſputationem Craſſus habuiſſet, acerba ſanè recordatio veterem animi curam moleſtiamq́ renouauit. Nam illud immortalitate dignum ingenium, illa humanitas, illa virtus L. Craſſi morte extincta ſubita eſt, vix diebus decem poſt eum diem qui hoc & ſuperiore libro continetur. Ut enim Romam redijt extremo [2] Scenicorum ludorum die, vehementer commotus ea oratione quæ ferebatur habita eſſe in concione [3] à Philippo, quem dixiſſe conſtabat; videndum ſibi aliud eſſe conſilium: illo Senatu ſe Remp. gerere non poſſe: manè Idib. Septembris & ille, & Senatus frequens [4] vocatu Druſi in Curiam venit. ibi quum Druſus multa de Philippo queſtus eſſet, retulit ad Senatum de illo ipſo, quòd Conſul in eum ordinem tam grauiter in concione eſſet inuectus. Hic, vt ſæpe inter homines ſapientiſſimos conſtare vidi, quanquam hoc Craſſo, cùm aliquid accuratius dixiſſet, ſemper ferè contigiſſet, vt nunquam dixiſſe melius putaretur, tamen omnium conſenſu ſic eſſe tum iudicatum, cæteros à Craſſo ſemper omnes, [5] illo autem die etiam ipſum à ſe ſuperatum. [6] Deplorauit enim caſum atque orbitatem Senatus, cuius ordinis à Conſule, qui quaſi parens bonus, aut tutor fidelis eſſe deberet, tanquam ab ali-

quo nefario prædone diriperetur patrimonium dignitatis: [7] neq; verò eſſe mirandum, ſi quum ſuis conſilijs Rempubl. profligaſſet, conſilium Senatus à Republica repudiaret. Hic cùm homini vehementi & diſerto, & in primis forti ad reſiſtendum Philippo [8] quaſi quaſdam verborum faces admouiſſet, non tulit ille, & grauiter exarſit, [9] pignoribusq; ablatis Craſſum inſtituit coercere. Quo quidē ipſo in loco multa à Craſſo diuinitùs dicta efferebantur, [10] cùm ſibi illum Conſulem eſſe negaret, cui ſenator ipſe non eſſet. [11] An tu cùm omnem authoritatem vniuerſi ordinis pro pignore putaris, eamq; in conſpectu populi Romani conciderìs, me his pignoribus exiſtimas poſſe terreri? [12] Non tibi illa ſunt cædenda, ſi Craſſum vis coercere: hæc tibi eſt excindenda lingua, qua vel euulſa, ſpiritu ipſo libidinem tuam libertas mea refutabit. Permulta tum vehementiſſima contentione animi, ingenij, virium, ab eo dicta eſſe conſtabat: ſententiamq; eam, quam Senatus frequens ſecutus eſt ornatiſſimis & grauiſſimis verbis, vt populo Romano ſatisfieret, nunquam Senatus neq; conſilium Reipubl. nec fidem defuiſſe, ab eo dictam: & eundem, id quod in [13] authoritatibus perſcriptis extat, ſcribendo affuiſſe. [14] Illa tanquam cycnea fuit diuini hominis vox & oratio, quam quaſi expectantes poſt eius interitum veniebamus in curiam, vt veſtigium illud ipſum, in quo ille poſtremùm inſtitiſſet, contueremur. Namq; tum latus ei dicenti condoluiſſe, ſudoremq; multum conſecutum eſſe audiebamus: ex quo cùm cohorruiſſet, cum febri domum redijt: [15] dieq; ſeptimo eſt lateris dolore conſumptus. O fallacem hominum ſpem, fragilemq; fortunam, & inanes noſtras contentiones, [16] quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur & corruunt, & antè in ipſo curſu obruuntur, quàm portum con-

ſpicere

ſpicere potuerunt. [17] Nam quàm diu Craſſi fuit ambitionis labore vita diſtricta, tam diu priuatis magis officij & ingenij laude floruit, quàm fructu amplitudinis, aut Reipublicæ dignitate. Qui autem ei annus primus ab honorum perfunctione aditum omnium cõceſſu ad ſummam authoritatem dabat, is eius omnem ſpem, atq; omnia vitæ conſilia morte peruertit. [18] Fuit hoc luctuoſum ſuis, acerbum patriæ, graue bonis omnibus. Sed ij tamen Rempub. caſus ſecuti ſunt, vt mihi non erepta L. Craſſo à dijs immortalibus vita, ſed donata mors eſſe videatur. [19] Non vidit flagrantem bello Italiam, [20] non ardentem inuidia Senatum, non ſceleris nefarij principes ciuitatis reos, [21] non luctum filiæ, non exilium generi, [22] non acerbiſſimam C. Marij fugam, [23] non illam poſt reditum eius cædem omnium crudeliſſimam, non denique in omni genere deformatam eam ciuitatem, in qua ipſe florentiſſima multũ omnibus gloria præſtitiſſet. [24] Sed quoniam attigi cogitatione vim, varietatẽ.nq; fortunæ, non vagabitur oratio mea longius: atq; eis ipſis definietur viris, qui hoc ſermone, quem referre cœpimus, continẽtur. Quis enim non iure beatam Luc. Craſſi mortem illam, quæ eſt à multis ſæpe defleta, dixerit, cùm horum ipſorum ſit, qui tum cum illo poſtremùm ferè collocuti ſunt, euentum recordatus? [25] Tenemus enim memoria, Q. Catulum virum omni laude præſtantem, cùm ſibi nõ incolumem fortunam, ſed exilium & fugam deprecaretur, eſſe coactum vt vita ſe ipſe priuaret. [26] Iam Marci Antonij in eis ipſis roſtris, in quibus ille Rempublicam conſtantiſſimè Conſul defenderat, quæque Cenſor imperatorijs manubijs ornarat, poſitum caput illud fuit, à quo erant multorum ciuium capita ſeruata. [27] Neque verò longè ab eo Caij Iulij caput, hoſpitis Hetruſci ſcele-

re proditum, cum Luc. Iulij fratris capite iacuit: vt ille qui hæc non vidit, & vixiſſe cum Republ. pariter, & cum illa ſimul extinctus eſſe videatur. [28] Neque enim propinquum ſuum maximi animi virum Publ. Craſſum ſuapte interfectum manu, [29] neq; collegæ ſui Pontificis maximi ſanguine ſimulacrum Veſtæ reſperſum eſſe vidit: cui mœrori (qua mente ille in patriam fuit) etiam [30] Carbonis inimiciſſimi hominis eodem illo die mors nefaria fuiſſet. Nō vidit eorum ipſorum, qui tum adoleſcentes Craſſo ſe dicarant, horribiles miſeroſq; caſus: [31] ex quibus C. Cotta, quem ille florentem reliquerat, paucis diebus poſt mortem Craſſi depulſus per inuidiam tribunatu, nō multis ab eo tempore menſibus eiectus eſt è ciuitate. [32] Sulpitius autem, qui in eadem inuidiæ flamma fuiſſet, quibúſcum priuatus coniunctiſſimè vixerat, hos in tribunatu ſpoliare inſtituit omni dignitate. cui quidem ad ſummam gloriam eloquentiæ floreſcenti, ferro erepta vita eſt, & pœna temeritatis non ſine magno Reipublicæ malo conſtituta. [33] Ego verò te Craſſe, quum vitæ flore, tum mortis opportunitate, diuino conſilio & ortum & extinctum eſſe arbitror. Nam tibi aut pro virtute animi, conſtantiáq; tua, ciuilis ferri ſubeunda fuit crudelitas: aut ſi qua te fortuna ab atrocitate mortis vendicaſſet, eadem eſſe te funerum patriæ ſpectatorem coegiſſet. Neq; ſolùm tibi improborum dominatus, ſed etiam propter admiſſam ciuium cædem, bonorū victoria mœrori fuiſſet. Mihi quidem, Quinte frater, & eorum caſus, de quibus antè dixi, & ea quæ noſmetipſi ob amorem in Rempubl. incredibilem & ſingularem pertulimus ac ſenſimus, cogitanti, ſententia ſæpe tua vera ac ſapiens videri ſolet, qui propter tot, tantos, tamq; præcipites caſus clariſſimorum hominum, atque

optimo-

optimorum virorum, me ſemper ab omni contentione ac dimicatione reuocaſti. [34] *Sed quoniam hæc iam neq; in integro nobis eſſe poſſunt, & ſummi labores noſtri magna compenſati gloria mitigantur, pergamus ad ea ſolatia quæ non modo ſedatis moleſtijs iucunda, ſed etiam hærentibus ſalutaria nobis eſſe poſſunt: ſermonemq; L. Craßi reliquum, ac penè poſtremum memoriæ prodamus, atque ei, etſi nequaquam parem illius ingenio, at pro noſtro tamen ſtudio meritam gratiam, debitámque referamus. Neque enim quiſquam noſtrûm cùm libros Platonis mirabiliter ſcriptos legit, in quibus ferè Socrates exprimitur, non (quanquam illa ſcripta ſunt diuinitùs) tamen maius quiddam de illo, de quò ſcripta ſunt, ſuſpicatur. Quod item nos poſtulamus, non à te quidem, qui nobis ſumma omnia tribuis, ſed à cæteris qui hæc omnia in manus ſument, vt maius quiddam de L. Craſſo, quàm quantum à nobis exprimitur, ſuſpicentur. Nos enim qui ipſi ſermoni non interfuiſſemus, & quibus C. Cotta tantummodo locos ac ſententias huius diſpoſitionis tradidiſſet, quo in genere orationis vtrumque oratorem cognoueramus, id ipſum ſumus in eorum ſermone adumbrare conati.* [35] *Quòd ſi quis erit qui ductus opinione vulgi, aut Antonium ieiuniorem, aut Craſſum fuiſſe pleniorem putet, quàm quomodo à nobis vterque inductus eſt: is erit ex ijs, qui aut illos non audierit, aut iudicare non poßit. Nam fuit vterque (vt expoſui anteà) quum ſtudio atque ingenio & doctrinà præſtans omnibus, tum in ſuo genere perfectus: vt neque in Antonio deeſſet hic ornatus orationis, neque in Craſſo redundaret.*

1 Hoc exordio Cicero inſtituit quaſi funebrē laudationem L. Craſſi, cui primas dabit in tertio dialogo: duæ verò ſunt exordij partes, quarum vna deplorat cauſſam & genus mortis, altera reuocat à luctu ad conſolationem. Cauſſæ morti

tis tres potiſſimùm narrantur: vehemens in ſenatu contẽtio & altercatio L.Craſſi contra L.Martium Philippum Conſulem, magnus in dicendo ſudor, & ſudorem conſecuta πλευρῖτις. 2 Ludi Romani etiam Scenici dicti ſunt, quòd tum hiſtriones in ſcena varias fabulas agerent, vt comœdi, tragœdi, mimi, pantomimi, ethologi. Hi Tito Sulpitio Petico & C.Licinio Stolone Coſs. cùm magna eſſet in Vrbe peſtis, inter alia cœleſtis iræ placamina primùm inſtituti dicuntur, vt

Lib.7. dec.1. ait Liuius. Cæterùm parua quoque (vt fermè principia omnia) & ea ipſa peregrina res fuit, ſine carmine vllo, ſine imitandorum carminum actu ludiones ex Hetruria acciti, ad tibicinis modos ſaltantes, haud indecoros motus more Thuſco dabant, &c. Idem Liuius alibi, Ludi (ait) Romani ſcenici eo anno magnificè

Lib.1.dec.4. apparateque facti ab Aedilibus curulibus L.Valerio Flacco, & Tito Quintio Flaminio biduum inſtaurati ſunt. 3 L.Martius Philippus Conſul, habuerat in concione orationem pro equitibus Romanis aduerſus Senatum, quòd authore Liuio Druſo Trib.pleb. poteſtatem iudicandi ab equeſtri ordine ad ſe transferre, aut ſaltem ſibi cum eo communicare conaretur. In hanc igitur ambitionem Senatoriam Philippus vehementer inuectus eſt. 4 Vt Conſuli, ita Tribuno pleb. ius erat edicendi & vocandi Senatum: itaque vocatu Liuij Druſi, qui Tribunus pleb. erat, Senatus in curiam venit. 5 Craſſus eſt à ſeſe ſuperatus, id eſt, melius tum in Senatu dixit, quàm vnquam antea: modus eſt loquendi hyperbolicus, vt in oratione pro Marcello: Cæteros quidem omnes victores bellorum ciuilium iam antea æquitate & miſericordia viceras: hodierno autem die teipſum viciſti. 6 Hæc capita ſunt & illuſtres aliquot ſententiæ illius orationis, quam Craſſus habuit in Senatu aduerſus Philippum Coſ. prima γνώμη, acutè concluſa eſt ex repugnantibus: Philippum Conſulem non eſſe, quia oppugnet dignitatem Senatus: duæ verò ſimilitudines inſtar duarum ſtellarum interpoſitæ ſunt, quibus Conſul bono parenti aut tutori confertur, & Philippus nephario prædoni. 7 Altera γνώμη eſt à maiori ad minus: Philippus Rempubl. ſuis conſiliis profligauit: non eſt igitur mirum, ſi conſilium Senatus à Republ. reiiciat, id eſt, Senatum à iudiciis repellat. 8 Similitudo ſumpta eſt ab his rebus, quæ admoto igne facilè exardeſcunt: ſic Philippus vehemens & iracundus à Craſſo prouocatus ſtatim excanduit, & quaſi flammam iracundiæ concepit. 9 Philippus Conſul Craſſo multam dixit, quòd ab eo fuiſſet acerbè reprehenſus, & contumelioſè vexatus in Senatu, iuſſitque auferri pignora, id eſt, capi bona in ædibus Craſſi, vt hanc licentiam dicendi contra Conſulem coërceret. 10 Tertia γνώμη eſt à paribus, Non ſum tibi ſenator, nec tu mihi igitur conſul. Philippus tum iuſſerat manum in Craſſum inicci: at Craſſus reiecto lictore, Non es (inquit) mihi Philippe Conſul, quia nec ego tibi Senator ſum. Valerius libro 6. 11 Quarta γνώμη habet prolepſim & comparationẽ à maiori ad minus: Non ſum territus, cùm authoritatem Senatus, quæ tibi tanquam in pignus erat tradita, violaſti: an tu igitur me putas ablatis domeſticis pignorib. poſſe terreri? 12 Solutio proximæ προλήψεως ex cauſſa diſſimili. Craſſus coërceri non poteſt, fracta authoritate Senatus, aut ablatis pignoribus, ſed exciſione linguæ. Hoc verò etiam poſterius ſtatim corrigitur ad augendam conſtantiam ipſius Craſſi, qui ne euulſa quidem lingua à Philippo coërceri poſſit. 13 Authoritates perſcriptæ dicuntur pro Senatuſconſultis in publicas tabulas relatis. Nam vt in populo Romano poteſtas, ſic in Senatu authoritas ineſt, vt ait Cicero lib.3. de Legib. 14 Alluſit ad Græcum prouerbium κύκνειον ᾆσμα, id eſt, cygnea cantio. Socrates ait cygnos in morte ſuauius canere, quàm antea conſueuerint, καὶ ὡς ἔοικε, τῶν κύκνων δοκῶ φαυλότερος ὑμῖν εἶναι τὴν μαντικήν· οἳ ἐπειδὰν αἴσθωνται, ὅτι δεῖ αὐτοὺς ἀποθανεῖν, ᾄδοντες καὶ ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ, τότε δὴ πλεῖστα καὶ μάλιστα ᾄδουσι, γεγηθότες.

ὅτι

ὅτι μέλλουσι παρὰ τὸν θεὸν ἀπιέναι, οὗπέρ εἰσι θεράποντες. οἱ δ' ἄνθρωποι, διὰ τὸ αὑτῶν δέος τοῦ θανάτου, καὶ τῶν κύκνων καταψεύδονται, καὶ φασὶν αὐτοὺς θρηνοῦντας τὸν θάνατον, ὑπὸ λύπης ἐξᾴδειν· καὶ οὐ λογίζονται, ὅτι οὐδὲν ὄρνεον ᾄδει. ὅταν πεινῇ ἢ ῥίγῃ, ἤ τινα ἄλλην λύπην λυπῆται. οὐδὲ αὐτὴ ἥ τε ἀηδὼν, καὶ χελιδὼν, καὶ ὁ ἔποψ, ἃ δή φασι διὰ λύπην θρηνοῦντα ᾄδειν, ἀλλ' οὔτε ταῦτά μοι φαίνεται λυπούμενα ᾄδειν, οὔτε οἱ κύκνοι, ἀλλ' ἅτε οἶμαι, τοῦ Ἀπόλλωνος ὄντες, μαντικοί τε εἰσὶ καὶ προειδότες τὰ ἐν ᾅδου ἀγαθὰ, ᾄδουσί τε καὶ τέρπονται ἐκείνην τὴν ἡμέραν διαφερόντως, ἢ ἐν τῷ ἔμπροσθεν χρόνῳ. id eſt, Atque (vt apparet) videor vobis eſſe cygnis in diuinatione inferior: hi namque ſibi neceſſariò mortem inſtare atque impendêre ſentientes, cùm antea canerent, tum plurimum & maximè modulantur, gaudentes ſe ad deum proficiſci, cui ſeruiunt. Homines verò ipſi, qui mortem metuunt, de cygnis mentiuntur, aiuntque ipſos ſugentes mortem, præ dolore cantum emittere, nec conſiderant nullam auem canere cùm eſurit, aut friget, aut alio dolore afficitur, neque ipſam philomelam, & hirundinem, & vpupam, quam dicunt in ſummo doloris luctu canere: ſed neque hæ aues mihi videntur ob dolorem canere, neque cygni, ſed (vt opinor) quia ſunt Phœbo ſacrati, ab eo diuinationem habent, ac prouident quid in morte boni ſit, eo die multò magis quàm antea, cantant, & lætantur. Hæc Socrates. Vt igitur cygni cantus impendente morte ſuauiſſimus eſt, ſic extrema illa oratio Craſſi quaſi cygnea fuit, quia nunquam viſus eſt melius dixiſſe, quàm illo ipſo die, quo in mortiferum dolorem lateris incidit. 17 Septimus dies medicis criticus eſt in morbis acutis, ſed ferè in bonam partem. Itaque cum Galenus regi comparat, ſicut diem ſextum tyranno, quòd ille clementior tanquam bonus aliquis princeps his quos iudicat, vel partem ſupplicij adimit, vel illuſtrat victoriam: hic pernicie hominis gaudet, vel ſalute dolet, quæritque vbi ægrum malè tractet, & longa punitione exerceat. Septimo autem die L. Craſſus interiit dolore lateris: Græci πλευρίτιδα vocant inflammationem membranulæ coſtas cingentis ex vehementi contentione natam, quum aduerſus Philippum in Senatu altercaretur, cuius doloris comites ſunt, primùm ſudor, deinde horror, tum acuta febris, & tuſſis, & difficultas ſpiritus. 16 Allegoria ducitur à nautis in medio mari naufragio pereuntibus, quibus ſimiles ſunt hi, qui immatura ætate moriuntur, antequam legitimum curſum vitæ, vel honoris & dignitatis confecerint. 17 Proxima allegoria declaratur apertius inductione per gradus temporum. Craſſus in petendis honoribus mercedem ſuæ induſtriæ non eſt adeptus, nec item in gerendis, nec verò etiam poſtea: caruit igitur Craſſus fructu virtutis & amplitudinis ſuæ, id eſt, otio cum ſumma dignitate coniuncto. 18 Tranſitus eſt à luctu de morte Craſſi ad conſolationem, quaſi tum ille feliciter & beatè vita functus fuerit: qui locus illuſtratur inductione & enumeratione malorum mortem Craſſi conſecutorum. Nam paulò pòſt exorta ſunt bella ciuilia, quæ ſtatum Reipubl. peruerterunt. 19 Liuius Druſus Italis ciuitatem promiſerat, quæ cùm pòſt Druſi interitum non daretur, tota penè Italia Romanis bellum intulit, quod appellatum eſt ſociale, geſtumque eſt anno Vrbis conditæ 662. 20 Q. Valerius Trib. pleb. legem tulit, qua quæſtiones & iudicia haberentur in Italos, qui à principibus ad perturbandam Rempub. ſollicitati fuiſſent, & habita concione in tantam inuidiam Senatum adduxit, vt plerique homines Senatorij ordinis metu perculſi ex Vrbe fugerint. Lege Appianum. 21 Scipio Craſſi gener, cùm C. Marij partes ſecutus eſſet, deſtitutus à copiis venit in poteſtatem Syllæ, à quo quidem interfectus non eſt, ſed exilio multatus. Hic igitur filiæ Craſſi, vxori ſuæ luctum ob calamitatem exilij attulit. 12 C. Marius lege Sulpitia prouinciam L. Cornelio Syllæ cùm eripere vellet, vt dux aduerſus Mithridatem regem ponti crearetur, armis Syllanis victus & vrbe pulſus, primùm iuxta Minturnas in palude latuit, deinde acce-

Lib. 1. de Criticis diebus.

pta nauicula in Africam traiecit. 23 C.Marius ope Cornelij Cinnæ in Italiam reuocatus, fœdiſsimam ciuium ſtragem edidit, vrbémq; diripuit. Sylla paulò pòſt ex Aſia reuerſus, multò etiam crudelior extitit cæſis ciuibus & Italis propè innumerabilibus, latis etiam legibus improbiſſimis, quo tempore non modò ſuccus & ſanguis, ſed etiã color & ſpecies priſtina ciuitatis amiſſa eſt. 24 Craſſi familiares ſtatim poſt eius obitum in ciuili diſſenſione miſerè trucidati ſunt, vt Catulus, Antonius, Scæuola, Cotta, Sulpitius, &c. ex his igitur exemplis diſſimilibus Cicero concludit beatam fuiſſe mortem L.Craſſi, qui tantam calamitatem non viderit. 25 Q.Luctatius Catulus, cùm nihil ab hoſte Mario impetrare poſſet, ignitis carbonibus ſeipſum ſuffocauit, vel (vt ait Valerius) calcis & carbonum vapore ſe peremit. 26 M.Antonius, qui latitandi cauſſa in agrum fugerat, cauponis indicio proditus eſt, & à Publio Annio Tribuno pleb. interfectus. Caput eius primum C.Marij menſæ appoſitum fuit, deinde in roſtris poſitum, cuius caſus deploratur à repugnantibus. M.Antonius Cenſor roſtra manubiis ornauit, & multos hìc ciues defendit. Nõ debuit igitur caput eius in roſtris ignominiæ cauſſa collocari. 27 Quintilius Tarquinienſis C.Iul.Cæſarem patronum ſuum nefariè C.Mario prodidit, & ius hoſpitij ſceleratè violauit. Florus paulò ſecus, Cæſar (ait) & Fimbria in penatibus domorum ſuarum trucidantur.

28 Pub.Craſſus cum filio à Marianis militibus occiſus eſt, & alter in alterius mutuo aſpectu trucidatus. Pater ne quid indignum ſua virtute pateretur, gladio ſe transfixit. 29 Q.Mutius Scæuola collega fuit L.Craſſi in conſulatu anno Vrbis conditæ 656. Is Pontifex maximus, quia partibus Syllæ ſtuduerat, iuſſu C.Marij filij, amplexus Veſtales aras occiditur: de quo Lucanus lib.1.

Te quoque neglectum violatæ Scæuola dextræ
Ante ipſum penetrale deæ, ſemperq́; calentes
Mactauêre focos, parum ſed feſſa ſenectus
Sanguinis effudit, iugulo flammisq́; pepercit.

30 L.Craſſus adoleſcens C.Carbonem accuſauit. hinc odij cauſſæ. Cæterùm C.Carbo poſt mortem C.Marij captus à Syllanis, & ad Pompeium ductus, dum aluum in cloaca exonerat, occiditur. Plutarchus in vita Syllæ. 31 C.Cotta, qui inuectus erat in equites Romanos, qui tum præerant iudiciis, cauſſamq́ue principum defenderat, amiſſo tribunatu priuſquam ab illis damnaretur, vrbe egreſſus eſt. Appianus. 32 P.Sulpitius ciuilis belli author fuit, quia Tribunus pleb. legem tulit de reuocando Sylla à Mithridatico bello, laborauitq́ue ſumma inuidia propter populares quaſdam leges, quas tulit, vt ciues & libertini in tribus redigerentur: vt exules reuocarentur: is cùm ex vrbe fugeret, proditus à ſeruo à Syllanis militibus obtruncatus eſt. 33 Cicero concludit conſolationis locum de morte Craſſi, & amplificat rurſus à repugnantibus. Si Craſſus diutius vixiſſet, aut in bello ciuili interiiſſet, aut publicæ calamitatis ſpectator fuiſſet. Peropportunè igitur & perbeatè mortuus eſt Craſſus. 34 Deſcendit ad rationem huius inſtitutæ ſcriptionis, & duas cauſſas proponit: vnam, ſolatium ex literarum ſtudiis: alteram, teſtificationem aliquam non prorſus ingrati erga Craſſum animi: poſterior exornatur argumento a ſimili. Quemadmodum Plato Socratis ingenium & doctrinam ſcriptis ſuis omnino exprimere non potuit: ſic Craſſus multò fuit excellentior, quàm vt hoc noſtro ſermone poſſit repræſentari: quæ ſimilitudo plus habet modeſtiæ, quàm veritatis: neque enim Socrates tantus fuit, quantum Plato ipſe finxit, præſertim in Mathematicis & phyſicis, neque Craſſus tantum doctrinæ & eloquentiæ habuit, quantũ ei Cicero attribuit. 35 Occurrit teſtimonio vulgi, Antonius habitus eſt in dicendo tenuior, & Craſſus plenior, quàm quo modo vterque inducitur: ergo in his perſonis Cicero decorum non tenuit: quod teſtimonium tanquam falſum redarguitur, licet tamen verum fuerit: neuter enim talis fuit, qualis fingitur: neque tamen hoc in dialogis præ-

ſertim

ſertim reprehendendum eſt, vt his, quos in libris noſtris inducimus, maiorem ſapientiæ vel eloquentiæ laudem tribuamus, quàm veritas ipſa patiatur.

[1] *Ut igitur ante meridiem diſceſſerunt, paululumq; requierunt, in primis hoc à ſe Cotta animaduerſum eſſe dicebat, omne illud tempus meridianum Craſſum in acerrima atq; attentiſſima cogitatione poſuiſſe, ſeſeq;, qui vultum eius, cùm ei dicẽdum eſſet, obtutumq; oculorum in cogitando probè noſſet, atq; in maximis cauſſis ſæpe vidiſſet, cùm dedita opera quieſcentibus alijs in eam exedram veniſſet, in qua Craſſus lectulo poſito recubuiſſet, cumq; eum in cogitatione defixum eſſe ſenſiſſet, ſtatim receſſiſſe, atq; in eo ſilentio duas horas ferè eſſe conſumptas. deinde cùm omnes inclinato iam in poſt meridianũ tempus die, veniſſent ad Craſſum, Quid eſt Craſſe? inquit Iulius, imúſne ſeſſum? etſi admonitum venimus te, non flagitatum. Tum Craſſus, An me tam impudentem eſſe exiſtimatis, vt vobis hoc præſertim munus putem diutius poſſe debere? Quínam igitur, inquit, ille locus? an in media ſylua placet? eſt enim is maximè & opacus, & frigidus. Sanè, inquit Craſſus. etenim eſt in eo loco ſedes huic noſtro non importuna ſermoni. Cùm placuiſſet idem cæteris, in ſyluam venitur: & ibi magna cum audiendi expectatione conſiditur. Tum Craſſus,* [2] *Cùm authoritas atq; amicitia veſtra, tum Antonij facilitas eripuit, inquit, mihi in optima mea cauſſa libertatem recuſandi: quanquam in partiẽda diſputatione noſtra, cùm ſibi de ijs quæ dici ab oratore oporteret, ſumeret, mihi autem relinqueret vt explicarem quemadmodum illa ornari oporteret: ea diuiſit quæ coniuncta eſſe non poſſunt. Nam cùm omnis ex re atq; verbis conſtet oratio: neq; verba ſedem habere poſſunt, ſi rem ſubtraxeris, neq; res lumen, ſi verba ſemoueris.* [3] *Ac mihi quidem veteres illi maius quiddam animo complexi, plus multò etiam*

vidiſſe videntur, quàm quantum noſtrorum ingeniorum acies intueri poteſt, qui omnia hæc quæ ſuprà & ſubter vnum eſſe, & vna vi atq; vna conſenſione naturæ conſtricta eſſe dixerunt. Nullum eſt enim genus rerum, quod aut auulſum à cæteris per ſe ipſum conſtare, aut quo cætera ſi careãt, vim ſuam atq; æternitatem conſeruare poßint. Sed hæc maior eſſe ratio videtur, quàm vt hominum poßit ſenſu aut cogitatione comprehendi. [4] *Eſt enim illa Platonis vera, & tibi Catule certè non inaudita vox, omnem doctrinam harum ingenuarum & humanarum artium vno quodam ſocietatis vinculo contineri. Vbi enim perſpecta vis eſt rationis eius, qua cauſſæ rerum atq; exitus cognoſcuntur, mirus quidam omnium quaſi conſenſus doctrinarum concentusq; repetitur. Sed ſi hoc quoq; videtur eſſe altius, quàm vt id nos humi ſtrati ſuſpicere poßimus, illud certè tamen quod amplexi ſumus, quod profitemur, quod ſuſcepimus, noſſe & tenere debemus.* [5] *Vna eſt enim, quod & ego heſterno die dixi, & aliquot locis antemeridiano ſermone ſignificauit Antonius, eloquentia, quaſcunq; in oras diſputationis regionéſve delata eſt. Nam ſiue de cœli natura loquitur, ſiue de terræ, ſiue de diuina vi, ſiue de humana, ſiue ex inferiore loco, ſiue ex æquo, ſiue ex ſuperiore, ſiue vt impellat homines, ſiue vt doceat, ſiue vt deterreat, ſiue vt concitet, ſiue vt reflectat, ſiue vt incendat, ſiue vt leniat, ſiue ad paucos, ſiue ad multos, ſiue inter alienos, ſiue cum ſuis, ſiue ſecum, riuis eſt diducta oratio, non fontibus: & quocunq; ingreditur, eodem eſt inſtructu ornatuq; comitata.* [6] *Sed quoniam oppreßi iam ſumus opinionibus, non modò vulgi, verùm etiam hominum leuiter eruditorum, qui quæ complecti tota nequeunt, hæc faciliùs diuulſa & quaſi diſcerpta contrectant, & qui tan-*

quam ab animo corpus, ſic à ſententijs verba ſeiungunt, quorum ſine interitu fieri neutrum poteſt: non ſuſcipiam oratione mea plus quàm mihi imponitur: tantùm ſignificabo breui; neq; verborum ornatum inueniri poſſe non partitis expreſsiſq; ſententijs, neq; eſſe vllam ſententiam illuſtrem ſine luce verborum. [7] Sed prius quàm illa conor attingere, quibus orationem ornari atq; illuminari putem, proponam breuiter quid ſentiam de vniuerſo genere dicendi. Natura nulla eſt (vt mihi videtur) quæ non habeat in ſuo genere res complureis diſsimiles inter ſe, quæ tamen conſimili laude dignentur. [8] Nam & auribus multa percipimus, quæ etſi nos vocibus delectant, tamẽ ita ſunt varia ſæpe, vt id quod proximum audias, iucundiſsimum eſſe videatur: & oculis colliguntur penè innumerabiles voluptates, quæ nos ita capiũt, vt vnum ſenſum ſimili genere delectent: & reliquos ſenſus voluptates oblectant diſpares: vt ſit difficile iudicium excellentis maximè ſuauitatis. [9] At hoc idem quod eſt in naturis rerum transferri poteſt etiam ad artes. Vna fingendi eſt ars, [10] in qua præſtantes fuerunt Myro, Polycletus, Lyſippus: qui omnes inter ſe diſsimiles fuerunt, ſed ita tamen, vt neminẽ ſui velis eſſe diſsimilem. [11] Vna eſt ars ratioq; picturæ, diſsimillimiq; tamen inter ſe Zeuxis, Aglaophon, Apelles: neq; eorum quiſquam eſt cui quicquam in arte ſua deeſſe videatur. [12] Et ſi hoc in his quaſi mutis artibus eſt mirandum, & tamen verum: quantò admirabilius in oratione, atq; in lingua? quæ cùm in iiſdem ſententijs verbiſq; verſetur, ſummas habet diſsimilitudines, non ſic vt alij vituperandi ſint, ſed vt ij quos conſtet eſſe laudandos, in diſpari tamen genere laudentur. Atque id primùm in poetis cerni licet, quibus eſt proxima cognatio cum oratoribus, quàm ſint in-

*ter ſeſe Ennius, Pacuuius, Acciusq́ diſsimiles: quàm apud
Græcos Aeſchylus, Sophocles, Euripides: quanquam omni-
bus par penè laus in diſsimili ſcribendi genere tribuatur.
[13] Aſpicite nunc eos homines atq; intuemini, quorum de fa-
cultate quærimus, quid interſit inter oratorum ſtudia atq;
naturas. Suauitatem Iſocrates, ſubtilitatem Lyſias, acumen
Hyperides, ſonitum Aeſchines, vim Demoſthenes habuit.
Quis eorum non egregius? tamen quis cuiuſquam niſi ſui ſi-
milis? Grauitatem Africanus, lenitatem Lælius, aſperita-
tem Galba, profluens quiddam habuit Carbo & canorum.
quis horum nō princeps temporibus illis fuit? & ſuo tamen
quiſq; in genere princeps. [14] Sed quid ego vetera conquiram,
cùm mihi liceat vti præſentibus exemplis atq; viuis? [15] Quid
iucundius auribus noſtris vnquam accidit huius oratione
Catuli? quæ eſt pura ſic, vt Latinè loqui penè ſolus videa-
tur: ſic autem grauis, vt in ſingulari dignitate omnis ta-
men adſit humanitas ac lepos. Quid multa? Iſtum au-
diens, equidem ſic iudicare ſoleo, quicquid aut addideris,
aut mutaueris, aut detraxeris, vitioſius & deterius futu-
rum. [16] Quid noſter hic Cæſar? nónne nouam quandam ra-
tionem attulit orationis, & dicēdi genus induxit propè ſin-
gulare? Quis vnquam res præter hunc tragicas penè comicè,
triſtes remiſſe, ſeueras hilarè, forenſes ſcenica propè venuſta
te tractauit, atq; ita, vt neq; iocus magnitudine rerum exclu
deretur, nec grauitas facetijs minueretur? [17] Ecce præſen-
tes duo propè æquales, Sulpitius & Cotta: quid tam inter ſe
diſsimile? quid tam in ſuo genere præſtans? Limatus alter,
& ſubtilis, rem explicās proprijs aptiſq; verbis, hæret in cauſ
ſa ſemper, & quid iudici probandum ſit, cùm acutiſsimè vi
dit, omiſsis cæteris argumētis in eo mentem orationemq́ de-
figit.*

*figit. Sulpitus autem fortiſſimo quodam animi impetu, ple-
niſſima & maxima voce, ſumma contentione corporis, &
dignitate motus, verborum quoq; ea grauitate & copia eſt,
vt vnus ad dicendum inſtructiſſimus à natura eſſe videa-
tur.* [18] *Ad noſmetipſos iam reuertor (quoniam ſic fuimus
ſemper comparati, vt hominũ ſermonibus quaſi in aliquod
cõtẽtionis iudicium vocaremur) quid tam diſſimile, quàm
ego in dicendo, & Antonius? cùm ille is ſit orator, vt nihil
eo poſſit eſſe præſtantius: ego autem, quanquam memet mei
pœnitet, cum hoc maximè tamen in comparatione coniun-
gar. Videtíſne genus hoc quod ſit Antonij? forte, vehemens,
commotum in agendo, præmunitũ, & ex omni parte cauſ-
ſæ ſeptum, acre, acutum, enucleatum, in vnaquaq; re com-
morans, honeſte cedens, acriter inſequẽs, terrens, ſupplicans,
ſumma orationis varietate, nulla noſtrarum aurium ſatie-
tate. Nos autem, quicunq; in dicendo ſumus, quoniam eſſe
aliquo in numero vobis videmur, certè tamen ab huius mul
tum genere diſtamus: quod quale ſit, non eſt meum dicere,
propterea quod minimè ſibi quiſq; notus eſt, & difficillimè
de ſe quiſq; ſentit. Sed tamen diſſimilitudo intelligi poteſt &
ex motus mei mediocritate, & ex eo quòd quibus veſtigijs
primùm inſtiti, in ijs ferè ſoleo perorare, & quòd aliquantò
me maior in verbis, quàm in ſententijs eligendis, labor & cu
ra torquet, verentem ne ſi paulò obſoletior fuerit oratio, non
digna expectatione & ſilentio fuiſſe videatur.* [19] *Quòd ſi in
nobis qui adſumus, tantæ diſſimilitudines, tam certæ res cu-
iuſque propriæ, & in ea varietate ferè melius à deteriore, fa
cultate magis quàm genere diſtinguitur, atq; omne lauda-
tur, quod in ſuo genere perfectum eſt, quid cenſetis, ſi omnes
qui vbiq; ſunt, aut fuerunt oratores amplecti voluerimus?*

númne fore, vt quot oratores, totidem penè reperiantur genera dicendi? [20] *Ex qua mea diſputatione forſitan occurrat illud, ſi penè innumerabiles ſint quaſi formæ figuræq́; dicendi, ſpecie diſpares, genere laudabiles, non poſſe ea quæ inter ſe diſcrepant, iiſdem præceptis atque vna inſtitutione formari. Quod non eſt ita: diligentiſſimeq́; hoc eſt eis qui inſtituunt aliquos, atque erudiunt, videndum, quò ſua quemq́; natura maximè ferre videatur. Etenim videmus ex eodem quaſi ludo ſummorum in ſuo cuiuſque genere artificum & magiſtrorum exiiſſe diſcipulos diſsimiles inter ſe, attamen laudandos, quum ad cuiuſque naturam inſtitutio doctoris accommodaretur:* [21] *cuius eſt vel maximè inſigne illud exemplum (vt cæteras artes omittamus) quod dicebat Iſocrates doctor ſingularis, ſe calcaribus in Ephoro, contrà autem in Theopompo frenis vti ſolere. Alterum enim exultantem verborum audacia, reprimebat: alterum cunctantem, & quaſi verecundantem incitabat. Neque eos ſimiles effecit inter ſe, ſed tantum alteri affinxit, de altero limauit, vt id confirmaret in vtroque quod vtriuſque natura pateretur. Hæc eò mihi prædicenda fuerunt, vt ſi non omnia quæ proponerentur à me, ad omnium veſtrûm ſtudium, & ad genus id quod quiſque veſtrûm in dicendo probaret, adhæreſcerent: id à me genus exprimi ſentiretis, quod maximè mihi ipſi probaretur.*

1 Hactenus Cicero præfatus eſt de morte L. Craſſi, cuius primæ partes ſunt in tertio dialogo, & de ratione huius ſcriptionis: ſequitur alterum exordium de apparatu dialogi, qui deſcribitur ex circunſtantiis perſonæ, & temporis, & loci Nam diligens Craſſi meditatio fingitur, quia dicturus eſt de eloquentia, & tempus pomeridianum quæritur inclinato iam Sole, & fracto aliqua ex parte æſtu diei, & locus eligitur opacus & frigidus in media ſylua. 2 Craſſus (qui ſummus eſt eius pudor) ad dicendum non tam ſponte ſua, quàm impulſu aliorum accedit, itaque partitionem muneris ab Antonio manè factam reprehendit, ſed leuiſſimis argumentis: licèt enim oratio conſtet ex rebus & verbis, non tamen ſequitur vnam & eandem artem eſſe rerum & veborum: hoc argumento Græci

decepti

decepti confuſionem artium in eloquentia genuerunt, & eloquentiæ totam dialecticam vim inueniendi, diſponendi, recordandi ſubiectam eſſe voluerunt: nec animaduerterunt aliam eſſe doctrinam ingenij & rationis, per quam res ad dicendum inuenirentur & diſponerentur, aliam elocutionis & actionis, per quam oratio ornaretur, & aptè pronuntiaretur, atque illam dialecticam, hanc rhetoricam eſſe. Antonius igitur, id eſt, Cicero bonitate naturæ & ingenij fretus quodammodo in hanc artium diſtinctionem inciderat, easque libris & præceptis ſeparauerat, vt dialecticam ſecundo, rhetoricam tertio libro traderet: ſed tamen neſcio quomodo authoritate magiſtrorum perſuaſus, ex his duabus artibus vnam fecit, eamque rhetoricam & oratoriam vocauit. 3 Alterum argumentum ducitur à teſtimonio veterum philoſophorum, qui omnia vnum eſſe dicebant, vt Parmenides apud Platonem, quem Ariſtoteles in Phyſicis refellit: neque tamen conſequens eſt, ſi Parmenides dixerit omnia eſſe vnum, vt vna & eadem ſit rerum & verborum doctrina. Parmenides philoſophabatur de naturæ operibus, ex quibus ſumma conſenſione inter ſe deuinctis & coagmentatis mundus efficitur, non de artificio & compoſitione orationis. 4 Tertium eſt ab authoritate Platonis, qui in Epinomide de artibus ita ſcribit: *δεσμὸς γὰρ πεφυκὸς πάντων τούτων εἷς ἀναφανήσεται διανοουμένοις*. id eſt, vnum horum omnium naturale vinculum videbitur his, qui animaduerterint. quæ Platonis authoritas nihil ad rem propoſitam facit: nunc enim quærimus de præceptis artium, quæ ratione & loco diſtincta eſſe debent. Quid enim eſſet ineptius, & abſurdius, quàm doctrinam ethicam cum Phyſica, cum Geometria, aliiſq; artibus confundere & permiſcere? Platonis igitur locus intelligitur de artium vſu, qui eſt in vita humana coniunctus: quia artes vt ad dicendum, ſic ad agendum contemplandumque ſe mutuò adiuuant. 5 Quartum verum quidem eſt, ſi veram eloquentiæ naturam ſpectes: communibus enim elocutionis legibus quælibet oratio poteſt ornari: qua de re dicatur, nihil intereſt: itemque communibus pronunciationis legibus, quæuis oratio poteſt aptè pronuntiari: qua de re dicatur, nihil intereſt: eaque ratione vna eſt eloquentia, quaſcunque in oras diſputationis, regionéſue delata ſit, ſed tamen eo Craſſus nunquam efficiet, vt vna ſit rhetorica doctrina rerum & verborum, quia dialectica & rhetorica diuerſæ ſunt artes, quarum altera docet res inuenire & diſponere, altera eloqui & agere. 6 Concludit res à verbis in dicendo ſeiungendas nõ eſſe, quod quidẽ longè optimum eſt, & tamen ſe de verborum ornatu ſeparatim eſſe dicturum, quod item maximè probandum eſt, vt dialecticæ præcepta à Rhetoricæ præceptis diſtinguantur: licet tamen ipſe Craſſus minimè probare videatur, nõ aliam (opinor) ob cauſſam, quàm quòd ſic à magiſtris doctus & inſtitutus fuerat. 7 Craſſus nondum artis explicationem orditur, ſed prius diſputat locum communem de generibus dicendi, qui quidem in hanc concluſionis ſummam redigi poteſt. Vnaquæq; virtus ſeu naturæ, ſeu artis in ſuo genere diſſimiles quidem res habet, ſed æquè laudabiles. Elocutionis ratio virtus eſt & naturæ, & artis: hæc igitur diſſimiles quidem res habet, ſed tamen æquè laudabiles, vt varia dicendi genera: quot enim oratores ſunt, totidem penè diſſimilitudines orationis ſunt. Propoſitio ſyllogiſmi declaratur inductione per genera quædam naturæ & artis naturam imitantis, & id quidem non ſolùm de vniuerſa in vno quoq; genere natura, ſed etiam de ſpeciali verè dici poteſt, vt variè commutabilis ſit, & diſſimilia opera rectè & affabre moliatur, quod idem de arte & artis exercitatione iudicandum eſt: atque ideircò Craſſus excurrit in hunc communem locum, vt tandem doceat non eſſe mirum, cùm variæ ſint formæ & quaſi figuræ dicendi in ſingulis oratoribus, vnicam tamen eſſe artem elocutionis. 8 Exempla naturæ ſumuntur ex ſenſibus, viſu, auditu, olfactu, &c. quorum ſingulis res quidem variæ, ſed tamen æquè iucundæ obiiciuntur. 9 Exempla ſunt de quibuſdam artibus, quarum aliæ ſunt mutæ, vt ars fingendi & pictura: aliæ loquentes, vt poëſis, & eloquentia forenſis.

10 Myro ſtatuarius,Eleutheri filius,molliora opera fecit,quàm ſuperiores, vt
ait Fabius : Polycletus eximius diligentia fuit, & decôre ſupra cæteros: Lyſippus
item nobilis, & ad veritatem proximè accedens : à quo tantùm Alexander pro-
pter excellentiam artis ſe fingi paſſus eſt : hi tres egregiè quidem fingebant, ſed
tamen diſſimiliter. 11 Zeuxis Heracleotes luminum & vmbrarum rationem
in pictura primus inueniſſe dicitur: Aglaophon floruit olympiade 90. Apelles
Cous primas in pictura tulit. Horum tabulæ nobiles quidem & excellentes fue
runt,ſed tamen diſſimiles inter ſe, ac differentes. 12 Tranſitus eſt à mutis arti
bus ad loquentes, quales ſunt poëſis & eloquentia popularis, & exempla ſpecia-
lia demonſtrant quantæ ſint poëtarum & oratorum in diſſimili ſtylo laudes: ci-
tantur igitur ad eam rem tres Latini poetæ, Q.Ennius,M.Pacuuius,L.Accius,to
tidemque Græci Eſchylus,Sophocles,Euripides.Ennius floruit tempore Africa-
ni ſuperioris,ſcripſitque verſibus annales,ſatyras,& tragœdias.M.Pacuuius in tra
gœdia clarus fuit grauitate ſententiarum,pondere verborum,& authoritate per-
ſonarum, vt ait Fabius lib.10. Accius paulò iunior Pacuuio ingeniũ habuit acre,
& ſcripſit grandia & ſonora,ſed duriuſcula & ſubacida. Ergo tres illi tragici poë-
tæ,licet ex diſſimili ſtylo,tamen parem propemodum laudem conſecuti ſunt. I-
dem de tribus Græcis ſtatuitur: nam Eſchylus,qui primus apud Græcos tragœ-
diam in lucem protulit,rudis in plerũque fuit, & incompoſitus, vt ait Fabius lib.
10. Sophocles vt grandis,ita elegans, Euripides multò demiſſior in ſermone, ſed
mouenda miſeratione facilè princeps. 13 Singuli oratores differunt non ſo-
lùm genere elocutionis, ſed etiam natura & moribus : quales enim ſunt homi-
num mores,talis ferè eſſe ſolet oratio: Iſocrates ſuauis fuit,quia(vt ait Fabius)pa
læſtræ magis, quàm pugnæ accommodatus, omnes dicendi veneres ſectatus eſt:
Lyſias ſubtilis & elegans : Hyperides dulcis in primis & acutus : Eſchines paulò
plenior & magis diffuſus: Demoſthenes violentior & neruoſior. Hæ differentiæ
(quod tamen Craſſus non animaduertit) in ſingulis dicendi generibus magis
ſunt rerum & ſentẽtiarum,quàm verborum & elocutionis, vt ſubtilitas, acumen,
vis & robur. Sic ex Latinis oratoribus Africanus grauis erat in dicendo, quia vi-
ta eius triſtior fuit,& ambitio maior: Lælius lenis,quia natura hilaris: Galba ve-
hemens & aſper,quia ingenium eius acre & incitatum: Carbo profluens & cano
rus, quia rapidum eius ingenium, & plena & ſumma vocis modulatio. De his
plura ſcribuntur in Bruto Ciceronis. 14 Tranſitus eſt ab antiquis oratoribus
ad præſentes,qui huic diſputationi interſunt,vt Catulum,Iulium Cæſarem, Sul
pitium,Cottam,Antonium,atque idipſum denique L.Craſſum, quorum diffe-
rentiæ non ſolùm in genere elocutionis, ſed etiam in rebus & ſententiis ſpectan
In Bruto. tur. 15 Q.Catulus (vt ait Cicero) non antiquo illo more,ſed hoc noſtro (niſi
quid fieri poteſt perfectius) eruditus: multæ literæ,ſumma non vitæ ſolùm & na-
turæ,ſed orationis etiam comitas, incorrupta quædam Latini ſermonis integri-
tas,quæ perſpici cùm ex orationibus eius poteſt, tum facillimè ex eo libro,quem
de conſulatu & rebus geſtis ſuis conſcriptum molli & Xenophonteio genere ſer-
monis miſit ad Aulum Furium poëtam familiarem ſuum. 16 C.Iul.Cæſar &
In Bruto ſuperioribus & æqualibus ſuis omnibus præſtitit, oratorq; fuit minimè ille qui-
dem vehemens,ſed nemo vnquam vrbanitate, nemo lepôre, nemo ſuauitate con
ditior: ſunt eius aliquot orationes,ex quibus,ſicut ex eiuſdem tragœdiis, lenitas
eius ſine neruis perſpici poteſt: Craſſus ait res tragicas penè comicè ab hoc Cæ-
ſare tractari,quia ſcripſit tragœdias penè comico ſtylo, id eſt,leni & minus graui.
In Bruto. 17 De Cotta & Sulpitio Cicero ad eundem modum ſcribit,Inueniebat Cot-
ta acutè,dicebat purè & ſolutè,& vt ad infirmitatem laterum perſcienter conten
tionem omnem remiſerat, ſic ad virium imbecillitatem dicendi accommodabat
genus. Fuit Sulpitius vel maximè omnium, quos quidem ego audieram, gran-
dis(& vt ita dicam)tragicus orator: vox cùm magna,tum ſuauis & ſplendida: ge-
ſtus & motus corporis ita venuſtus,vt tamen ad forum,non ad ſcenam inſtitutus

videre-

videretur.incitata & volubilis,nec ea redundans tamen, nec circunfluens oratio.
18 Diſſimilitudo Antonij & Craſſi,maximè ex genere elocutionis & actionis intelligitur,vt ἀνταπόδοσις indicat.Nam vt Craſſus actione lenior,ſic Antonius grauior fuit: & vt ille in verbis, ita hic in ſentẽtiis deligendis diligentior.In Craſſo erat Latinè loquendi accurata, & ſine moleſtia diligens elegantia: Antonius autem diligenter loquendi laude caruit, nec tamẽ eſt admodum inquinatè locutus. 19 Inductionis quæſtio concluditur more philoſophorum,qui ex ſpecialibus aliquot exemplis rem generalem concludunt : ſumma igitur concluſionis huius eſt,tot eſſe dicendi genera,quot ſunt oratores. 20 Hæc prolepſis deducitur ex proxima concluſione: *Cic. in Brut.*

Varia ſunt dicendi genera:

Ergo variæ ſunt elocutionis artes,& non vnica.

Cui argumento Craſſus variè & inconſtanter reſpondet.Nam etſi videtur id rectè inficiari,attamen quod de varietate ingeniorum dicit,nihil ad hanc quæſtionem attinet:& poſtremò videtur proponere & polliceri,ſe artem traditurum non omnium formarum dicendi & generum communem : vt igitur pro Craſſo planius & facilius reſpondeamus,ars eſt quidem præceptis communis & vna, vſu verò & exemplis,& experimentis infinita,& quodammodo diſſimilis. Itaque alius quidem ſtylus eſt L.Cottæ, alius P.Sulpitij, alius Craſſi, alius Antonij: elocutio verò vna & communis, quia ornamẽta quæ ſunt in ſingulis eorum orationibus, ad certa & communia elocutionis genera reuocantur, vt tropi ad genera troporum,& figuræ ad genera figurarum. 21 Præceptũ de naturis inſpiciendis confirmatur exemplo & teſtimonio Iſocratis rhetoris, qui Theopompum & Ephorum diſſimiliter pro vtriuſque natura docuit.Idem locus citatur à Fabio: An verò (inquit) clariſſimus ille præceptor Iſocrates, quem non magis libri benè dixiſſe, quàm diſcipuli bene docuiſſe teſtantur,quum de Ephoro atque Theopompo ſic iudicaret, vt alteri frænis, alteri calcaribus opus eſſe diceret, aut in illo lentiore tarditatem, aut in hoc penè præcipiti concitationem adiuuandam docendo exiſtimauit, quum alterum alterius miſcendum arbitraretur? Cicero quoque in Bruto,Hoc(ait)doctoris intelligentis eſt,videre quò ferat natura ſua quemque,& ea duce vtentem ſic inſtruere, vt Iſocratem in acerrimo ingenio Theopompi, & leniſſimo Ephori dixiſſe traditum eſt,alteri ſe calcaria adhibere, alteri frænos. *Cap. 8. lib. 2.*

1 Ergo hæc & agenda ſunt ab oratore, quæ explicauit Antonius, & dicẽda quodammodo. Quínam igitur dicendi eſt modus melior (nam de actione poſt videro) quàm vt Latinè, vt planè, vt ornatè, vt ad id quodcunq; agetur, aptè congruenterq; dicamus? Atq; eorum quidem quæ duo prima dixi, rationem non arbitror expectari à me puri dilucidiq; ſermonis. Neq; enim conamur docere eum dicere, qui loqui neſciat : nec ſperare qui Latinè non poſſit, hunc ornatè eſſe dicturum : neq; vero qui non dicat quod intelligamus, hunc poſſe quod admiremur, dicere. Linquamus igitur hæc, quæ cognitionem habent facilem, vſum neceſſarium.

quo nefario prædone diriperetur patrimonium dignitatis: [7] *neq; verò eſſe mirandum, ſi quum ſuis conſilijs Rempubl. profligaſſet, conſilium Senatus à Republica repudiaret. Hic cùm homini vehementi & diſerto, & in primis forti ad reſiſtendum Philippo* [8] *quaſi quaſdam verborum faces admouiſſet, non tulit ille, & grauiter exarſit,* [9] *pignoribusq; ablatis Craſſum inſtituit coercere. Quo quidē ipſo in loco multa à Craſſo diuinitùs dicta efferebantur,* [10] *cùm ſibi illum Conſulem eſſe negaret, cui ſenator ipſe non eſſet.* [11] *An tu cùm omnem authoritatem vniuerſi ordinis pro pignore putaris, eamq; in conſpectu populi Romani conciderıs, me his pignoribus exiſtimas poſſe terreri?* [12] *Non tibi illa ſunt cædenda, ſi Craſſum vis coercere: hæc tibi eſt excindenda lingua, qua vel euulſa, ſpiritu ipſo libidinem tuam libertas mea refutabit. Permulta tum vehementiſſima contentione animi, ingenij, virium, ab eo dicta eſſe conſtabat: ſententiamq; eam, quam Senatus frequens ſecutus eſt ornatiſſimis & grauiſſimis verbis, vt populo Romano ſatisfieret, nunquam Senatus neq; conſilium Reipubl. nec fidem defuiſſe, ab eo dictam: & eundem, id quod in* [13] *authoritatibus perſcriptis extat, ſcribendo affuiſſe.* [14] *Illa tanquam cycnea fuit diuini hominis vox & oratio, quam quaſi expectantes poſt eius interitum veniebamus in curiam, vt veſtigium illud ipſum, in quo ille poſtremùm inſtitiſſet, contueremur. Namq; tum latus ei dicenti condoluiſſe, ſudoremq; multum conſecutum eſſe audiebamus: ex quo cùm cohorruiſſet, cum febri domum redijt:* [15] *dieq; ſeptimo eſt lateris dolore conſumptus. O fallacem hominum ſpem, fragilemq; fortunam, & inanes noſtras contentiones,* [16] *quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur & corruunt, & antè in ipſo curſu obruuntur, quàm portum conſpicere*

ſpicere potuerunt. [17] *Nam quàm diu Craſſi fuit ambitionis labore vita diſtricta, tam diu priuatis magis officij & ingenij laude floruit, quàm fructu amplitudinis, aut Reipublicæ dignitate. Qui autem ei annus primus ab honorum perfunctione aditum omnium cõceſſu ad ſummam authoritatem dabat, is eius omnem ſpem, atq; omnia vitæ conſilia morte peruertit.* [18] *Fuit hoc luctuoſum ſuis, acerbum patriæ, graue bonis omnibus. Sed ij tamen Rempub. caſus ſecuti ſunt, vt mihi non erepta L. Craſſo à dijs immortalibus vita, ſed donata mors eſſe videatur.* [19] *Non vidit flagrantem bello Italiam,* [20] *non ardentem inuidia Senatum, non ſceleris nefarij principes ciuitatis reos,* [21] *non luctum filiæ, non exilium generi,* [22] *non acerbiſſimam C. Marij fugam,* [23] *non illam poſt reditum eius cædem omnium crudeliſſimam, non denique in omni genere deformatam eam ciuitatem, in qua ipſe florentiſſima multũ omnibus gloria præſtitiſſet.* [24] *Sed quoniam attigi cogitatione vim, varietatẽq; fortunæ, non vagabitur oratio mea longius: atq; eis ipſis definietur viris, qui hoc ſermone, quem referre cœpimus, continẽtur. Quis enim non iure beatam Luc. Craſſi mortem illam, quæ eſt à multis ſæpe defleta, dixerit, cùm horum ipſorum ſit, qui tum cum illo poſtremùm ferè collocuti ſunt, euentum recordatus?* [25] *Tenemus enim memoria, Q. Catulum virum omni laude præſtantem, cùm ſibi nõ incolumem fortunam, ſed exilium & fugam deprecaretur, eſſe coactum vt vita ſe ipſe priuaret.* [26] *Iam Marci Antonij in eis ipſis roſtris, in quibus ille Rempublicam conſtantiſſimè Conſul defenderat, quæque Cenſor imperatorijs manubijs ornarat, poſitum caput illud fuit, à quo erant multorum ciuium capita ſeruata.* [27] *Neque verò longè ab eo Caij Iulij caput, hoſpitis Hetruſci ſcele-*

re proditum, cum Luc. Iulij fratris capite iacuit: vt ille qui hac non vidit, & vixiſſe cum Republ. pariter, & cum illa ſimul extinctus eſſe videatur. [28] *Neque enim propinquum ſuum maximi animi virum Publ. Craſſum ſuapte interfectum manu,* [29] *neq; collegæ ſui Pontificis maximi ſanguine ſimulacrum Veſtæ reſperſum eſſe vidit: cui mœrori (qua mente ille in patriam fuit) etiam* [30] *Carbonis inimiciſſimi hominis eodem illo die mors nefaria fuiſſet. Nō vidit eorum ipſorum, qui tum adoleſcentes Craſſo ſe dicarant, horribiles miſeroſq; caſus:* [31] *ex quibus C. Cotta, quem ille florentem reliquerat, paucis diebus poſt mortem Craſſi depulſus per inuidiam tribunatu, nō multis ab eo tempore menſibus eiectus eſt è ciuitate.* [32] *Sulpitius autem, qui in eadem inuidiæ flamma fuiſſet, quibúſcum priuatus coniunctiſſimè vixerat, hos in tribunatu ſpoliare inſtituit omni dignitate. cui quidem ad ſummam gloriam eloquentiæ floreſcenti, ferro erepta vita eſt, & pœna temeritatis non ſine magno Reipublicæ malo conſtituta.* [33] *Ego verò te Craſſe, quum vitæ flore, tum mortis opportunitate, diuino conſilio & ortum & extinctum eſſe arbitror. Nam tibi aut pro virtute animi, conſtantiáq; tua, ciuilis ferri ſubeunda fuit crudelitas: aut ſi qua te fortuna ab atrocitate mortis vendicaſſet, eadem eſſe te funerum patriæ ſpectatorem coegiſſet. Neq; ſolùm tibi improborum dominatus, ſed etiam propter admiſtam ciuium cædem, bonorū victoria mœrori fuiſſet. Mihi quidem, Quinte frater, & eorum caſus, de quibus antè dixi, & ea quæ noſmetipſi ob amorem in Rempubl. incredibilem & ſingularem pertulimus ac ſenſimus, cogitanti. ſententia ſæpe tua vera ac ſapiens videri ſolet, qui propter tot, tantos, tamq; præcipites caſus clariſſimorum hominum, atque optimo-*

optimorum virorum, me ſemper ab omni contentione ac dimicatione reuocaſti. [34] *Sed quoniam hæc iam neq; in integro nobis eſſe poſſunt, & ſummi labores noſtri magna compenſati gloria mitigantur, pergamus ad ea ſolatia quæ non modo ſedatis moleſtijs iucunda, ſed etiam hærentibus ſalutaria nobis eſſe poſſunt: ſermonemq; L. Craßi reliquum, ac penè poſtremum memoriæ prodamus, atque ei, etſi nequaquam parem illius ingenio, at pro noſtro tamen ſtudio meritam gratiam, debitámque referamus. Neque enim quiſquam noſtrûm cùm libros Platonis mirabiliter ſcriptos legit, in quibus ferè Socrates exprimitur, non (quanquam illa ſcripta ſunt diuinitùs) tamen maius quiddam de illo, de quò ſcripta ſunt, ſuſpicatur. Quod item nos poſtulamus, non à te quidem, qui nobis ſumma omnia tribuis, ſed à cæteris qui hæc omnia in manus ſument, vt maius quiddam de L. Craſſo, quàm quantum à nobis exprimitur, ſuſpicentur. Nos enim qui ipſi ſermoni non interfuiſſemus, & quibus C. Cotta tantummodo locos ac ſententias huius diſpoſitionis tradidiſſet, quo in genere orationis vtrumque oratorem cognoueramus, id ipſum ſumus in eorum ſermone adumbrare conati.* [35] *Quòd ſi quis erit qui ductus opinione vulgi, aut Antonium ieiuniorem, aut Craſſum fuiſſe pleniorem putet, quàm quomodo à nobis vterque inductus eſt: is erit ex ijs, qui aut illos non audierit, aut iudicare non poßit. Nam fuit vterque (vt expoſui anteà) quum ſtudio atque ingenio & doctrinà præſtans omnibus, tum in ſuo genere perfectus: vt neque in Antonio deeſſet hic ornatus orationis, neque in Craſſo redundaret.*

1 Hoc exordio Cicero inſtituit quaſi funebrẽ laudationem L. Craſſi, cui primas dabit in tertio dialogo: duæ verò ſunt exordij partes, quarum vna deplorat cauſſam & genus mortis, altera reuocat à luctu ad conſolationem. Cauſſæ mor-

tis tres potiſſimùm narrantur: vehemens in ſenatu contẽtio & altercatio L. Craſſi contra L. Martium Philippum Conſulem, magnus in dicendo ſudor, & ſudorem conſecuta πάθεις. 2 Ludi Romani etiam Scenici dicti ſunt, quòd tum hiſtriones in ſcena varias fabulas agerent, vt comœdi, tragœdi, mimi, pantomimi, ethologi. Hi Tito Sulpitio Petico & C. Licinio Stolone Coſs. cùm magna eſſet in Vrbe peſtis, inter alia cœleſtis iræ placamina primùm inſtituti dicuntur, vt ait Liuius. Cæterùm parua quoque (vt fermè principia omnia) & ea ipſa peregrina res fuit, ſine carmine vllo, ſine imitandorum carminum actu ludiones ex Hetruria acciti, ad tibicinis modos ſaltantes, haud indecoros motus more Thuſco dabant, &c. Idem Liuius alibi, Ludi (ait) Romani ſcenici eo anno magnificè apparateque facti ab Aedilibus curulibus L. Valerio Flacco, & Tito Quintio Flaminio biduum inſtaurati ſunt. 3 L. Martius Philippus Conſul, habuerat in concione orationem pro equitibus Romanis aduerſus Senatum, quòd authore Liuio Druſo Trib. pleb. poteſtatem iudicandi ab equeſtri ordine ad ſe transferre, aut ſaltem ſibi cum eo communicare conaretur. In hanc igitur ambitionem Senatoriam Philippus vehementer inuectus eſt.. 4 Vt Conſuli, ita Tribuno pleb. ius erat edicendi & vocandi Senatum: itaque votatu Liuij Druſi, qui Tribunus pleb. erat, Senatus in curiam venit. 5 Craſſus eſt à ſeſe ſuperatus, id eſt, melius tum in Senatu dixit, quàm vnquam antea: modus eſt loquendi hyperbolicus, vt in oratione pro Marcello: Cæteros quidem omnes victores bellorum ciuilium iam antea æquitate & miſericordia viceras: hodierno autem die teipſum viciſti. 6 Hæc capita ſunt & illuſtres aliquot ſententiæ illius orationis, quam Craſſus habuit in Senatu aduerſus Philippum Coſ. prima γνώμη, acutè concluſa eſt ex repugnantibus: Philippum Conſulem non eſſe, quia oppugnet dignitatem Senatus: duæ verò ſimilitudines inſtar duarum ſtellarum interpoſitæ ſunt, quibus Conſul bono parenti aut tutori confertur, & Philippus nephario prædoni. 7 Altera γνώμη eſt à maiori ad minus: Philippus Rempubl. ſuis conſiliis profligauit: non eſt igitur mirum, ſi conſilium Senatus à Republ. reiiciat, id eſt, Senatum à iudiciis repellat. 8 Similitudo ſumpta eſt ab his rebus, quæ admoto igne facilè exardeſcunt: ſic Philippus vehemens & iracundus à Craſſo prouocatus ſtatim excanduit, & quaſi flammam iracundiæ concepit. 9 Philippus Conſul Craſſo multam dixit, quòd ab eo fuiſſet acerbè reprehenſus, & contumelioſè vexatus in Senatu, juſſitque auferri pignora, id eſt, capi bona in ædibus Craſſi, vt hanc licentiam dicendi contra Conſulem coërceret. 10 Tertia γνώμη eſt à paribus, Non ſum tibi ſenator, nec tu mihi igitur conſul. Philippus tum iuſſerat manum in Craſſum inijci: at Craſſus reiecto lictore, Non es (inquit) mihi Philippe Conſul, quia nec ego tibi Senator ſum. Valerius libro 6. 11 Quarta γνώμη habet prolepſim & comparationẽ à maiori ad minus: Non ſum territus, cùm authoritatem Senatus, quæ tibi tanquam in pignus erat tradita, violaſti: an tu igitur me putas ablatis domeſticis pignorib. poſſe terreri? 12 Solutio proximæ προλήψεως ex cauſſa diſſimili. Craſſus coërceri non poteſt, fracta authoritate Senatus, aut ablatis pignoribus, ſed exciſione linguæ. Hoc verò etiam poſterius ſtatim corrigitur ad augendam conſtantiam ipſius Craſſi, qui ne euulſa quidem lingua à Philippo coërceri poſſit. 13 Authoritates perſcriptæ dicuntur pro Senatuſconſultis in publicas tabulas relatis. Nam vt in populo Romano poteſtas; ſic in Senatu authoritas ineſt, vt ait Cicero lib. 3. de Legib. 14 Alluſit ad Græcum prouerbium κύκνειον ᾆσμα, id eſt, cygnea cantio. Socrates ait cygnos in morte ſuauius canere, quàm antea conſueuerint, καὶ ὡς ἔοικε, τῶν κύκνων δοκῶ φαυλότερος ἡμῖν εἶ τὴν μαντικὴν· οἱ ἐπειδὰν αἴσθωνται, ὅτι δεῖ αὐτοὺς ἀποθανεῖν, ᾄδοντες καὶ ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ, τότε δὴ πλεῖστα καὶ μάλιστα ᾄδουσι, γεγηθότες.

ὅτι

ὅτι μέλλουσι παρὰ τὸν θεὸν ἀπιέναι, οὗπερ εἰσὶ θεράποντες. οἱ δ' ἄνθρωποι, διὰ τὸ αὑτῶν δέος τοῦ θανάτου, καὶ τῶν κύκνων καταψεύδονται, καί φασιν αὐτοὺς θρηνοῦντας τὸν θάνατον, ὑπὸ λύπης ἐξᾴδειν· καὶ οὐ λογίζονται, ὅτι οὐδὲν ὄρνεον ᾄδει. ὅταν πεινῇ ἢ ῥιγῷ, ἤ τινα ἄλλην λύπην λυπῆται. οὐδὲ αὐτὴ ἥ τε ἀηδὼν, καὶ χελιδὼν, καὶ ὁ ἔποψ, ἃ δή φασι διὰ λύπην θρηνοῦντα ᾄδειν, ἀλλ' οὔτε ταῦτά μοι φαίνεται λυπούμενα ᾄδειν, οὔτε οἱ κύκνοι, ἀλλ' ἅτε οἶμαι, τοῦ Ἀπόλλωνος ὄντες, μαντικοί τε εἰσὶ καὶ προειδότες τὰ ἐν ᾅδου ἀγαθὰ, ᾄδουσί τε καὶ τέρπονται ἐκείνην τὴν ἡμέραν διαφερόντως, ἢ ἐν τῷ ἔμπροσθεν χρόνῳ. id eſt, Atque (vt apparet) videor vobis eſſe cygnis in diuinatione inferior: hi namque ſibi neceſſariò mortem inſtare atque impendère ſentientes, cùm antea canerent, tum plurimum & maximè modulantur, gaudentes ſe ad deum proficiſci, cui ſeruiunt. Homines verò ipſi, qui mortem metuunt, de cygnis mentiuntur, aiuntque ipſos fugentes mortem, præ dolore cantum emittere, nec conſiderant nullam auem canere cùm eſurit, aut friget, aut alio dolore afficitur, neque ipſam philomelam, & hirundinem, & vpupam, quam dicunt in ſummo doloris luctu canere: ſed neque hæ aues mihi videntur ob dolorem canere, neque cygni, ſed (vt opinor) quia ſunt Phœbo ſacrati, ab eo diuinationem habent, ac prouident quid in morte boni ſit, eo die multò magis quàm antea, cantant, & lætantur. Hæc Socrates. Vt igitur cygni cantus impendente morte ſuauiſſimus eſt, ſic extrema illa oratio Craſſi quaſi cygnea fuit, quia nunquam viſus eſt melius dixiſſe, quàm illo ipſo die, quo in mortiferum dolorem lateris incidit. 17 Septimus dies medicis criticus eſt in morbis acutis, ſed ferè in bonam partem. Itaque cum Galenus regi comparat, ſicut diem ſextum tyranno, quòd ille clementior tanquam bonus aliquis princeps his quos iudicat, vel partem ſupplicij adimit, vel illuſtrat victoriam: hic pernicie hominis gaudet, vel ſalute dolet, quæritque vbi ægrum malè tractet, & longa punitione exerceat. Septimo autem die L. Craſſus interiit dolore lateris: Græci πλευρῖτιν vocant inflammationem membranulæ coſtas cingentis ex vehementi contentione natam, quum aduerſus Philippum in Senatu altercaretur, cuius doloris comites ſunt, primùm ſudor, deinde horror, tum acuta febris, & tuſſis, & difficultas ſpiritus. 16 Allegoria ducitur à nautis in medio mari naufragio pereuntibus, quibus ſimiles ſunt hi, qui immatura ætate moriuntur, antequam legitimum curſum vitæ, vel honoris & dignitatis confecerint. 17 Proxima allegoria declaratur apertius inductione per gradus temporum. Craſſus in petendis honoribus mercedem ſuæ induſtriæ non eſt adeptus, nec item in gerendis, nec verò etiam poſtea: caruit igitur Craſſus fructu virtutis & amplitudinis ſuæ, id eſt, otio cum ſumma dignitate coniuncto. 18 Tranſitus eſt à luctu de morte Craſſi ad conſolationem, quaſi tum ille feliciter & beatè vita functus fuerit: qui locus illuſtratur inductione & enumeratione malorum mortem Craſſi conſecutorum. Nam paulò pòſt exorta ſunt bella ciuilia, quæ ſtatum Reipubl. peruerterunt. 19 Liuius Druſus Italis ciuitatem promiſerat, quæ cùm pòſt Druſi interitum non daretur, tota penè Italia Romanis bellum intulit, quod appellatum eſt ſociale, geſtumque eſt anno Vrbis conditæ 662. 20 Q. Valerius Trib. pleb. legem tulit, qua quæſtiones & iudicia haberentur in Italos, qui à principibus ad perturbandam Rempub. ſollicitati fuiſſent, & habita concione in tantam inuidiam Senatum adduxit, vt plerique homines Senatorij ordinis metu perculſi ex Vrbe fugerint. Lege Appianum. 21 Scipio Craſſi gener, cùm C. Marij partes ſecutus eſſet, deſtitutus à copiis venit in poteſtatem Syllæ, à quo quidem interfectus non eſt, ſed exilio multatus. Hic igitur filiæ Craſſi, vxori ſuæ luctum ob calamitatem exilij attulit. 22 C. Marius lege Sulpitia prouinciam L. Cornelio Syllæ cùm eripere vellet, vt dux aduerſus Mithridatem regem ponti crearetur, armis Syllanis victus & vrbe pulſus, primùm iuxta Minturnas in palude latuit, deinde acce-

Lib. I. de Criticis diebus.

pta nauicula in Africam traiecit. 23 C.Marius ope Cornelij Cinnæ in Italiam reuocatus, fœdiſsimam ciuium ſtragem edidit, vrbémq; diripuit. Sylla paulò pòſt ex Aſia reuerſus, multò etiam crudelior extitit cæſis ciuibus & Italis propè innumerabilibus, latis etiam legibus improbiſſimis, quo tempore non modò ſuccus & ſanguis, ſed etiã color & ſpecies priſtina ciuitatis amiſſa eſt. 24 Craſſi familiares ſtatim poſt eius obitum in ciuili diſſenſione miſerè trucidati ſunt, vt Catulus, Antonius, Scæuola, Cotta, Sulpitius, &c. ex his igitur exemplis diſſimilibus Cicero concludit beatam fuiſſe mortem L.Craſſi, qui tantam calamitatem non viderit. 25 Q.Luctatius Catulus, cùm nihil ab hoſte Mario impetrare poſſet, ignitis carbonibus ſeipſum ſuffocauit, vel (vt ait Valerius) calcis & carbonum vapore ſe peremit. 26 M.Antonius, qui latitandi cauſſa in agrum fugerat, cauponis indicio proditus eſt, & à Publio Annio Tribuno pleb. interfectus. Caput eius primum C.Marij menſæ appoſitum fuit, deinde in roſtris poſitum, cuius caſus deploratur à repugnantibus. M.Antonius Cenſor roſtra manubiis ornauit, & multos hìc ciues defendit. Nō debuit igitur caput eius in roſtris ignominiæ cauſſa collocari. 27 Quintilius Tarquinienſis C.Iul.Cæſarem patronum ſuum nefariè C.Mario prodidit, & ius hoſpitij ſceleratè violauit. Florus paulò ſecus, Cæſar (ait) & Fimbria in penatibus domorum ſuarum trucidantur.

28 Pub.Craſſus cum filio à Marianis militibus occiſus eſt, & alter in alterius mutuo aſpectu trucidatus. Pater ne quid indignum ſua virtute pateretur, gladio ſe transfixit. 29 Q.Mutius Scæuola collega fuit L.Craſſi in conſulatu anno Vrbis conditæ 656. Is Pontifex maximus, quia partibus Syllæ ſtuduerat, iuſſu C.Marij filij, amplexus Veſtales aras occiditur: de quo Lucanus lib.1.

Te quoque neglectum violatæ Scæuola dextræ
Ante ipſum penetrale deæ, ſemperq́ calentes
Mactauêre focos, parum ſed feſſa ſenectus
Sanguinis effudit, iugulo flammisq́ pepercit.

30 L.Craſſus adoleſcens C.Carbonem accuſauit. hinc odij cauſſæ. Cæterùm C.Carbo poſt mortem C.Marij captus à Syllanis, & ad Pompeium ductus, dum aluum in cloaca exonerat, occiditur. Plutarchus in vita Syllæ. 31 C.Cotta, qui inuectus erat in equites Romanos, qui tum præerant iudiciis, cauſſamque principum defenderat, amiſſo tribunatu priuſquam ab illis damnaretur, vrbe egreſſus eſt. Appianus. 32 P.Sulpitius ciuilis belli author fuit, quia Tribunus pleb. legem tulit de reuocando Sylla à Mithridatico bello, laborauitque ſumma inuidia propter populares quaſdam leges, quas tulit, vt ciues & libertini in tribus redigerentur: vt exules reuocarentur: is cùm ex vrbe fugeret, proditus à ſeruo à Syllanis militibus obtruncatus eſt. 33 Cicero concludit conſolationis locum de morte Craſſi, & amplificat rurſus à repugnantibus. Si Craſſus diutius vixiſſet, aut in bello ciuili interiiſſet, aut publicæ calamitatis ſpectator fuiſſet. Peropportunè igitur & perbeatè mortuus eſt Craſſus. 34 Deſcendit ad rationem huius inſtitutæ ſcriptionis, & duas cauſſas proponit: vnam, ſolatium ex literarum ſtudiis: alteram, teſtificationem aliquam non prorſus ingrati erga Craſſum animi: poſterior exornatur argumento à ſimili. Quemadmodum Plato Socratis ingenium & doctrinam ſcriptis ſuis omnino exprimere non potuit: ſic Craſſus multò fuit excellentior, quàm vt hoc noſtro ſermone poſſit repræſentari: quæ ſimilitudo plus habet modeſtiæ, quàm veritatis: neque enim Socrates tantus fuit, quantum Plato ipſe finxit, præſertim in Mathematicis & phyſicis, neque Craſſus tantum doctrinæ & eloquentiæ habuit, quantū ei Cicero attribuit. 35 Occurrit teſtimonio vulgi, Antonius habitus eſt in dicendo tenuior, & Craſſus plenior, quàm quo modo vterque inducitur: ergo in his perſonis Cicero decorum non tenuit: quod teſtimonium tanquam falſum redarguitur, licet tamen verum fuerit: neuter enim talis fuit, qualis fingitur: neque tamen hoc in dialogis præ-

ſertim

ſertim reprehendendum eſt, vt his, quos in libris noſtris inducimus, maiorem ſapientiæ vel eloquentiæ laudem tribuamus, quàm veritas ipſa patiatur.

[1] Ut igitur ante meridiem diſceſſerunt, paululumq́; requierunt, in primis hoc à ſe Cotta animaduerſum eſſe dicebat, omne illud tempus meridianum Craſſum in acerrima atq; attentiſſima cogitatione poſuiſſe, ſeſeq́; qui vultum eius, cùm ei dicendum eſſet, obtutumq́; oculorum in cogitando probe noſſet, atq; in maximis cauſſis ſæpe vidiſſet, cùm dedita opera quieſcentibus alijs in eam exedram veniſſet, in qua Craſſus lectulo poſito recubuiſſet, cumq́; eum in cogitatione defixum eſſe ſenſiſſet, ſtatim receſſiſſe, atq; in eo ſilentio duas horas ferè eſſe conſumptas. deinde cùm omnes inclinato iam in poſt meridianũ tempus die, veniſſent ad Craſſum, Quid eſt Craſſe? inquit Iulius, imúſne ſeſſum? etſi admonitum venimus te, non flagitatum. Tum Craſſus, An me tam impudentem eſſe exiſtimatis, vt vobis hoc præſertim munus putem diutius poſſe debere? Quínam igitur, inquit, ille locus? an in media ſylua placet? eſt enim is maximè & opacus, & frigidus. Sanè, inquit Craſſus. etenim eſt in eo loco ſedes huic noſtro non importuna ſermoni. Cùm placuiſſet idem cæteris, in ſyluam venitur: & ibi magna cum audiendi expectatione conſiditur. Tum Craſſus, [2] Cùm authoritas atq; amicitia veſtra, tum Antonij facilitas eripuit, inquit, mihi in optima mea cauſſa libertatem recuſandi: quanquam in partiẽda diſputatione noſtra, cùm ſibi de ijs quæ dici ab oratore oporteret, ſumeret, mihi autem relinqueret vt explicarem quemadmodum illa ornari oporteret: ea diuiſit quæ coniuncta eſſe non poſſunt. Nam cùm omnis ex re atq; verbis conſtet oratio: neq; verba ſedem habere poſſunt, ſi rem ſubtraxeris, neq; res lumen, ſi verba ſemoueris. [3] Ac mihi quidem veteres illi maius quiddam animo complexi, plus multò etiam

vidiſſe videntur, quàm quantum noſtrorum ingeniorum acies intueri poteſt, qui omnia hæc quæ ſuprà & ſubter vnum eſſe, & vna vi atq; vna conſenſione naturæ conſtricta eſſe dixerunt. Nullum eſt enim genus rerum, quod aut auulſum à cæteris per ſe ipſum conſtare, aut quo cætera ſi careat, vim ſuam atq; æternitatem conſeruare poſsint. Sed hæc maior eſſe ratio videtur, quàm vt hominum poſsit ſenſu aut cogitatione comprehendi. [4] Eſt enim illa Platonis vera, & tibi Catule certè non inaudita vox, omnem doctrinam harum ingenuarum & humanarum artium vno quodam ſocietatis vinculo contineri. Vbi enim perſpecta vis eſt rationis eius, qua cauſſæ rerum atq; exitus cognoſcuntur, mirus quidam omnium quaſi conſenſus doctrinarum concentusq; repetitur. Sed ſi hoc quoq; videtur eſſe altius, quàm vt id nos humi ſtrati ſuſpicere poſsimus, illud certè tamen quod amplexi ſumus, quod profitemur, quod ſuſcepimus, noſſe & tenere debemus. [5] Vna eſt enim, quod & ego heſterno die dixi, & aliquot locis antemeridiano ſermone ſignificauit Antonius, eloquentia, quaſcunq; in oras diſputationis regionéſve delata eſt. Nam ſiue de cœli natura loquitur, ſiue de terræ, ſiue de diuina vi, ſiue de humana, ſiue ex inferiore loco, ſiue ex æquo, ſiue ex ſuperiore, ſiue vt impellat homines, ſiue vt doceat, ſiue vt deterreat, ſiue vt concitet, ſiue vt reflectat, ſiue vt incendat, ſiue vt leniat, ſiue ad paucos, ſiue ad multos, ſiue inter alienos, ſiue cum ſuis, ſiue ſecum, riuis eſt diducta oratio, non fontibus: & quocunq; ingreditur, eodem eſt inſtructu ornatuq; comitata. [6] Sed quoniam oppreſsi iam ſumus opinionibus, non modò vulgi, verùm etiam hominum leuiter eruditorum, qui quæ complecti tota nequeunt, hæc facilius diuulſa & quaſi diſcerpta contrectant, & qui tanquam

quam ab animo corpus, ſic à ſententijs verba ſeiungunt, quorum ſine interitu fieri neutrum poteſt: non ſuſcipiam oratione mea plus quàm mihi imponitur: tantùm ſignificabo breui; neq; verborum ornatum inueniri poſſe non partitis expreſſisq; ſententijs, neq; eſſe vllam ſententiam illuſtrem ſine luce verborum. [7] *Sed prius quàm illa conor attingere, quibus orationem ornari atq; illuminari putem, proponam breuiter quid ſentiam de vniuerſo genere dicendi. Natura nulla eſt (vt mihi videtur) quæ non habeat in ſuo genere res complureis diſsimiles inter ſe; quæ tamen conſimili laude dignentur.* [8] *Nam & auribus multa percipimus, quæ etſi nos vocibus delectant, tamē ita ſunt varia ſæpe, vt id quod proximum audias, iucundiſsimum eſſe videatur: & oculis colliguntur penè innumerabiles voluptates, quæ nos ita capiūt, vt vnum ſenſum ſimili genere delectent: & reliquos ſenſus voluptates oblectant diſpares: vt ſit difficile iudicium excellentis maximè ſuauitatis.* [9] *At hoc idem quod eſt in naturis rerum transferri poteſt etiam ad artes. Una fingendi eſt ars,* [10] *in qua præſtantes fuerunt Myro, Polycletus, Lyſippus: qui omnes inter ſe diſsimiles fuerunt, ſed ita tamen, vt neminē ſui velis eſſe diſsimilem.* [11] *Una eſt ars ratioq; picturæ, diſsimillimiq; tamen inter ſe Zeuxis, Aglaophon, Apelles: neq; eorum quiſquam eſt cui quicquam in arte ſua deeſſe videatur.* [12] *Et ſi hoc in his quaſi mutis artibus eſt mirandum, & tamen verum: quantò admirabilius in oratione, atq; in lingua? quæ cùm in ijſdem ſententijs verbisq; verſetur, ſummas habet diſsimilitudines, non ſic vt alij vituperandi ſint, ſed vt ij quos conſtet eſſe laudandos, in diſpari tamen genere laudentur. Atque id primùm in poetis cerni licet, quibus eſt proxima cognatio cum oratoribus, quàm ſint in-*

ter ſeſe Ennius, Pacuuius, Acciusq; diſſimiles: quàm apud Græcos Aeſchylus, Sophocles, Euripides: quanquam omnibus par penè laus in diſſimili ſcribendi genere tribuatur. [13] Aſpicite nunc eos homines atq; intuemini, quorum de facultate quærimus, quid interſit inter oratorum ſtudia atq; naturas. Suauitatem Iſocrates, ſubtilitatem Lyſias, acumen Hyperides, ſonitum Aeſchines, vim Demoſthenes habuit. Quis eorum non egregius? tamen quis cuiuſquam niſi ſui ſimilis? Grauitatem Africanus, lenitatem Lælius, aſperitatem Galba, profluens quiddam habuit Carbo & canorum. quis horum nõ princeps temporibus illis fuit? & ſuo tamen quiſq; in genere princeps. [14] Sed quid ego vetera conquiram, cùm mihi liceat vti præſentibus exemplis atq; viuis? [15] Quid iucundius auribus noſtris vnquam accidit huius oratione Catuli? quæ eſt pura ſic, vt Latinè loqui penè ſolus videatur: ſic autem grauis, vt in ſingulari dignitate omnis tamen adſit humanitas ac lepos. Quid multa? Iſtum audiens, equidem ſic iudicare ſoleo, quicquid aut addideris, aut mutaueris, aut detraxeris, vitioſius & deterius futurum. [16] Quid noſter hic Cæſar? nónne nouam quandam rationem attulit orationis, & dicēdi genus induxit propè ſingulare? Quis vnquam res præter hunc tragicas penè comicè, triſtes remiſſe, ſeueras hilarè, forenſes ſcenica propè venuſte tractauit, atq; ita, vt neq; iocus magnitudine rerum excluderetur, nec grauitas facetijs minueretur? [17] Ecce præſentes duo propè æquales, Sulpitius & Cotta: quid tam inter ſe diſſimile? quid tam in ſuo genere præſtans? Limatus alter, & ſubtilis, rem explicās proprijs aptiſq; verbis, hæret in cauſſa ſemper, & quid iudici probandum ſit, cùm acutiſſimè vidit, omiſſis cæteris argumētis in eo mentem orationemq; defigit.

ſigit. Sulpitus autem fortiſsimo quodam animi impetu, pleniſsima & maxima voce, ſumma contentione corporis, & dignitate motus, verborum quoq; ea grauitate & copia eſt, vt vnus ad dicendum inſtructiſsimus à natura eſſe videatur. [18] *Ad noſmetipſos iam reuertor (quoniam ſic fuimus ſemper comparati, vt hominũ ſermonibus quaſi in aliquod contẽtionis iudicium vocaremur) quid tam diſsimile, quàm ego in dicendo, & Antonius? cùm ille is ſit orator, vt nihil eo poßit eſſe præſtantius: ego autem, quanquam memet mei pœnitet, cum hoc maximè tamen in comparatione coniungar. Videtíſne genus hoc quod ſit Antonij? forte, vehemens, commotum in agendo, præmunitũ, & ex omni parte cauſſæ ſeptum, acre, acutum, enucleatum, in vnaquaq; re commorans, honeſtè cedens, acriter inſequẽs, terrens, ſupplicans, ſumma orationis varietate, nulla noſtrarum aurium ſatietate. Nos autem, quicunq; in dicendo ſumus, quoniam eſſe aliquo in numero vobis videmur, certè tamen ab huius multum genere diſtamus: quod quale ſit, non eſt meum dicere, propterea quod minimè ſibi quiſq; notus eſt, & difficillimè de ſe quiſq; ſentit. Sed tamen diſsimilitudo intelligi poteſt & ex motus mei mediocritate, & ex eo quòd quibus veſtigijs primùm inſtiti, in ijs ferè ſoleo perorare, & quòd aliquantò me maior in verbis, quàm in ſententijs eligendis, labor & cura torquet, verentem ne ſi paulò obſoletior fuerit oratio, non digna expectatione & ſilentio fuiſſe videatur.* [19] *Quòd ſi in nobis qui adſumus, tantæ diſsimilitudines, tam certæ res cuiuſque propriæ, & in ea varietate ferè melius à deteriore, facultate magis quàm genere diſtinguitur, atq; omne laudatur, quod in ſuo genere perfectum eſt, quid cenſetis, ſi omnes qui vbiq; ſunt, aut fuerunt oratores amplecti voluerimus?*

númne fore, vt quot oratores, totidem penè reperiantur genera dicendi? [20] *Ex qua mea diſputatione forſitan occurrat illud, ſi penè innumerabiles ſint quaſi formæ figuræq́ dicendi, ſpecie diſpares, genere laudabiles, non poſſe ea quæ inter ſe diſcrepant, iiſdem præceptis atque vna inſtitutione formari. Quod non eſt ita: diligentiſſimeq́ hoc eſt eis qui inſtituunt aliquos, atque erudiunt, videndum, quò ſua quemq́ natura maximè ferre videatur. Etenim videmus ex eodem quaſi ludo ſummorum in ſuo cuiuſque genere artificum & magiſtrorum exiſſe diſcipulos diſſimiles inter ſe, attamen laudandos, quum ad cuiuſque naturam inſtitutio doctoris accommodaretur:* [21] *cuius eſt vel maximè inſigne illud exemplum (vt cæteras artes omittamus) quod dicebat Iſocrates doctor ſingularis, ſe calcaribus in Ephoro, contrà autem in Theopompo frenis vti ſolere. Alterum enim exultantem verborum audacia, reprimebat: alterum cunctantem, & quaſi verecundantem incitabat. Neque eos ſimiles effecit inter ſe, ſed tantum alteri affinxit, de altero limauit, vt id confirmaret in vtroque quod vtriuſque natura pateretur. Hæc eò mihi prædicenda fuerunt, vt ſi non omnia quæ proponerentur à me, ad omnium veſtrûm ſtudium, & ad genus id quod quiſque veſtrûm in dicendo probaret, adhæreſcerent: id à me genus exprimi ſentiretis, quod maximè mihi ipſi probaretur.*

1 Hactenus Cicero præfatus eſt de morte L. Craſſi, cuius primæ partes ſunt in tertio dialogo, & de ratione huius ſcriptionis: ſequitur alterum exordium de apparatu dialogi, qui deſcribitur ex circunſtantiis perſonæ, & temporis, & loci Nam diligens Craſſi meditatio fingitur, quia dicturus eſt de eloquentia, & tempus pomeridianum quæritur inclinato iam Sole, & fracto aliqua ex parte æſtu diei, & locus eligitur opacus & frigidus in media ſylua. 2 Craſſus (qui ſummus eſt eius pudor) ad dicendum non tam ſponte ſua, quàm impulſu aliorum accedit, itaque partitionem muneris ab Antonio manè factam reprehendit, ſed leuiſſimis argumentis: licèt enim oratio conſtet ex rebus & verbis, non tamen ſequitur vnam & eandem artem eſſe rerum & veborum: hoc argumento Græci

decepti

decepti confuſionem artium in eloquentia genuerunt, & eloquentiæ totam dialecticam vim inueniendi, diſponendi, recordandi ſubiectam eſſe voluerunt: nec animaduerterunt aliam eſſe doctrinam ingenij & rationis, per quam res ad dicendum inuenirentur & diſponerentur, aliam elocutionis & actionis, per quam oratio ornaretur, & aptè pronuntiaretur, atque illam dialecticam, hanc rhetoricam eſſe. Antonius igitur, id eſt, Cicero bonitate naturæ & ingenij fretus quodammodo in hanc artium diſtinctionem inciderat, eaſque libris & præceptis ſeparauerat, vt dialecticam ſecundo, rhetoricam tertio libro traderet: ſed tamen neſcio quomodo authoritate magiſtrorum perſuaſus, ex his duabus artibus vnam fecit, eamque rhetoricam & oratoriam vocauit. 3 Alterum argumentum ducitur à teſtimonio veterum philoſophorum, qui omnia vnum eſſe dicebant, vt Parmenides apud Platonem, quem Ariſtoteles in Phyſicis refellit: neque tamen conſequens eſt, ſi Parmenides dixerit omnia eſſe vnum, vt vna & eadem ſit rerum & verborum doctrina. Parmenides philoſophabatur de naturæ operibus, ex quibus ſumma conſenſione inter ſe deuinctis & coagmentatis mundus efficitur, non de artificio & compoſitione orationis. 4 Tertium eſt ab authoritate Platonis, qui in Epinomide de artibus ita ſcribit: *δεσμὸς γὰρ πεφυκὼς πάντων τούτων εἷς ἀναφανήσεται διανοουμένοις.* id eſt, vnum horum omnium naturale vinculum videbitur his, qui animaduerterint. quæ Platonis authoritas nihil ad rem propoſitam facit: nunc enim quærimus de præceptis artium, quæ ratione & loco diſtincta eſſe debent. Quid enim eſſet ineptius, & abſurdius, quàm doctrinam ethicam cum Phyſica, cum Geometria, aliiſq́; artibus confundere & permiſcere? Platonis igitur locus intelligitur de artium vſu, qui eſt in vita humana coniunctus: quia artes vt ad dicendum, ſic ad agendum contemplandumque ſe mutuò adiuuant. 5 Quartum verum quidem eſt, ſi veram eloquentiæ naturam ſpectes: communibus enim elocutionis legibus quælibet oratio poteſt ornari: qua de re dicatur, nihil intereſt: itemque communibus pronunciationis legibus, quæuis oratio poteſt aptè pronuntiari: qua de re dicatur, nihil intereſt: eaque ratione vna eſt eloquentia, quaſcunque in oras diſputationis, regionéſue delata ſit, ſed tamen eo Craſſus nunquam efficiet, vt vna ſit rhetorica doctrina rerum & verborum, quia dialectica & rhetorica diuerſæ ſunt artes, quarum altera docet res inuenire & diſponere, altera eloqui & agere. 6 Concludit res à verbis in dicendo ſeiungendas nõ eſſe, quod quidẽ longè optimum eſt, & tamen ſe de verborum ornatu ſeparatim eſſe dicturum, quod item maximè probandum eſt, vt dialecticæ præcepta à Rhetoricæ præceptis diſtinguantur: licèt tamen ipſe Craſſus minimè probare videatur, nõ aliam (opinor) ob cauſſam, quàm quòd ſic à magiſtris doctus & inſtitutus fuerat. 7 Craſſus nondum artis explicationem orditur, ſed prius diſputat locum communem de generibus dicendi, qui quidem in hanc concluſionis ſummam redigi poteſt. Vnaquæq; virtus ſeu naturæ, ſeu artis in ſuo genere diſſimiles quidem res habet, ſed æquè laudabiles. Elocutionis ratio virtus eſt & naturæ, & artis: hæc igitur diſſimiles quidem res habet, ſed tamen æquè laudabiles, vt varia dicendi genera: quot enim oratores ſunt, totidem penè diſſimilitudines orationis ſunt. Propoſitio ſyllogiſmi declaratur inductione per genera quædam naturæ & artis naturam imitantis, & id quidem non ſolùm de vniuerſa in vno quoq; genere natura, ſed etiam de ſpeciali verè dici poteſt, vt variè commutabilis ſit, & diſſimilia opera rectè & affabre moliatur, quod idem de arte & artis exercitatione iudicandum eſt: atque idcircò Craſſus excurrit in hunc communem locum, vt tandem doceat non eſſe mirum, cùm variæ ſint formæ & quaſi figuræ dicendi in ſingulis oratoribus, vnicam tamen eſſe artem elocutionis. 8 Exempla naturæ ſumuntur ex ſenſibus, viſu, auditu, olfactu, &c. quorum ſingulis res quidem variæ, ſed tamen æquè iucundæ obiiciuntur. 9 Exempla ſunt de quibuſdam artibus, quarum aliæ ſunt mutæ, vt ars fingendi & pictura: aliæ loquentes, vt poëſis, & eloquentia forenſis.

10 Myro ſtatuarius,Eleutheri filius,molliora opera fecit,quàm ſuperiores, vt
ait Fabius : Polycletus eximius diligentia fuit, & decôre ſupra cæteros: Lyſippus
item nobilis, & ad veritatem proximè accedens : à quo tantùm Alexander pro-
pter excellentiam artis ſe fingi paſſus eſt : hi tres egregiè quidem fingebant, ſed
tamen diſſimiliter. 11 Zeuxis Heracleotes luminum & vmbrarum rationem
in pictura primus inueniſſe dicitur: Aglaophon floruit olympiade 90. Apelles
Cous primas in pictura tulit. Horum tabulæ nobiles quidem & excellentes fue
runt,ſed tamen diſſimiles inter ſe, ac differentes. 12 Tranſitus eſt à mutis arti
bus ad loquentes, quales ſunt poëſis & eloquentia popularis, & exempla ſpecia-
lia demonſtrant quantæ ſint poetarum & oratorum in diſſimili ſtylo laudes: ci-
tantur igitur ad eam rem tres Latini poetæ,Q.Ennius,M.Pacuuius,L.Accius,to
tidemque Græci Eſchylus,Sophocles,Euripides.Ennius floruit tempore Africa-
ni ſuperioris,ſcripſitque verſibus annales,ſatyras,& tragœdias.M.Pacuuius in tra
gœdia clarus fuit grauitate ſententiarum,pondere verborum,& authoritate per-
ſonarum, vt ait Fabius lib.10. Accius paulò iunior Pacuuio ingeniũ habuit acre,
& ſcripſit grandia & ſonora,ſed duriuſcula & ſubacida. Ergo tres illi tragici poë-
tæ,licet ex diſſimili ſtylo,tamen parem propemodum laudem conſecuti ſunt. I-
dem de tribus Græcis ſtatuitur: nam Eſchylus,qui primus apud Græcos tragœ-
diam in lucem protulit,rudis in pler.ſque fuit, & incompoſitus, vt ait Fabius lib.
10. Sophocles vt grandis,ita elegans, Euripides multò demiſſior in ſermone, ſed
mouenda miſeratione facilè princeps. 13 Singuli oratores differunt non ſo-
lùm genere elocutionis , ſed etiam natura & moribus : quales enim ſunt homi-
num mores,talis ferè eſſe ſolet oratio: Iſocrates ſuauis fuit,quia(vt ait Fabius)pa
læſtræ magis, quàm pugnæ accommodatus; omnes dicendi veneres ſectatus eſt:
Lyſias ſubtilis & elegans : Hyperides dulcis in primis & acutus : Eſchines paulò
plenior & magis diffuſus: Demoſthenes violentior & neruoſior. Hæ differentiæ
(quod tamen Craſſus non animaduertit) in ſingulis dicendi generibus magis
ſunt rerum & ſentẽtiarum,quàm verborum & elocutionis, vt ſubtilitas, acumen,
vis & robur. Sic ex Latinis oratoribus Africanus grauis erat in dicendo, quia vi-
ta eius triſtior fuit,& ambitio maior: Lælius lenis,quia natura hilaris: Galba ve-
hemens & aſper,quia ingenium eius acre & incitatum: Carbo profluens & cano
rus, quia rapidum eius ingenium , & plena & ſumma vocis modulatio. De his
plura ſcribuntur in Bruto Ciceronis. 14 Tranſitus eſt ab antiquis oratoribus
ad præſentes,qui huic diſputationi interſunt,vt Catulum,Iulium Cæſarem, Sul
pitium,Cottam,Antonium,atque idipſum denique L.Craſſum, quorum diffe-
rentiæ non ſolùm in genere elocutionis , ſed etiam in rebus & ſententiis ſpectan
In Bruto. tur. 15 Q.Catulus (vt ait Cicero) non antiquo illo more,ſed hoc noſtro (niſi
quid fieri poteſt perfectius)eruditus:multæ literæ,ſumma non vitæ ſolùm & na-
turæ,ſed orationis etiam comitas , incorrupta quædam Latini ſermonis integri-
tas,quæ perſpici cùm ex orationibus eius poteſt, tum facillimè ex eo libro,quem
de conſulatu & rebus geſtis ſuis conſcriptum molli & Xenophonteio genere ſer-
monis miſit ad Aulum Furium poëtam familiarem ſuum. 16 C.Iul. Cæſar &
In Bruto ſuperioribus & æqualibus ſuis omnibus præſtitit, oratorq; fuit minimè ille qui-
dem vehemens,ſed nemo vnquam vrbanitate, nemo lepôre, nemo ſuauitate con
ditior: ſunt eius aliquot orationes,ex quibus,ſicut ex eiuſdem tragœdiis, lenitas
eius ſine neruis perſpici poteſt: Craſſus ait res tragicas penè comicè ab hoc Cæ-
ſare tractari,quia ſcripſit tragœdias penè comico ſtylo, id eſt,leni & minus graui.
In Bruto. 17 De Cotta & Sulpitio Cicero ad eundem modum ſcribit,Inueniebat Cot-
ta acutè,dicebat purè & ſolutè,& vt ad infirmitatem laterum perſcienter conten
tionem omnem remiſerat, ſic ad virium imbecillitatem dicendi accommodabat
genus. Fuit Sulpitius vel maximè omnium, quos quidem ego audieram, gran-
dis(& vt ita dicam)tragicus orator: vox cùm magna,tum ſuauis & ſplendida: ge-
ſtus & motus corporis ita venuſtus,vt tamen ad forum,non ad ſcenam inſtitutus
videre-

videretur. incitata & volubilis, nec ea redundans tamen, nec circunfluens oratio.
18 Diſſimilitudo Antonij & Craſſi, maximè ex genere elocutionis & actionis intelligitur, vt ἀντιπόδοσις indicat. Nam vt Craſſus actione lenior, ſic Antonius grauior fuit: & vt ille in verbis, ita hic in ſentẽtiis deligendis diligentior. In Craſſo erat Latinè loquendi accurata, & ſine moleſtia diligens elegantia: Antonius autem diligenter loquendi laude caruit, nec tamẽ eſt admodum inquinatè locutus. *Cic. in Brut.* 19 Inductionis quæſtio concluditur more philoſophorum, qui ex ſpecialibus aliquot exemplis rem generalem concludunt: ſumma igitur concluſionis huius eſt, tot eſſe dicendi genera, quot ſunt oratores. 20 Hæc prolepſis deducitur ex proxima concluſione:

Varia ſunt dicendi genera:
Ergo variæ ſunt elocutionis artes, & non vnica.

Cui argumento Craſſus variè & inconſtanter reſpondet. Nam etſi videtur id rectè inficiari, attamen quod de varietate ingeniorum dicit, nihil ad hanc quæſtionem attinet: & poſtremò videtur proponere & polliceri, ſe artem traditurum non omnium formarum dicendi & generum communem: vt igitur pro Craſſo planius & facilius reſpondeamus, ars eſt quidem præceptis communis & vna, vſu verò & exemplis, & experimentis infinita, & quodammodo diſſimilis. Itaque alius quidem ſtylus eſt L. Cottæ, alius P. Sulpitij, alius Craſſi, alius Antonij: elocutio verò vna & communis, quia ornamẽta quæ ſunt in ſingulis eorum orationibus, ad certa & communia elocutionis genera reuocantur, vt tropi ad genera troporum, & figuræ ad genera figurarum. 21 Præceptũ de naturis inſpiciendis confirmatur exemplo & teſtimonio Iſocratis rhetoris, qui Theopompum & Ephorum diſſimiliter pro vtriuſque natura docuit. Idem locus citatur à Fabio: An verò *Cap. 8. lib. 2.* (inquit) clariſſimus ille præceptor Iſocrates, quem non magis libri benè dixiſſe, quàm diſcipuli bene docuiſſe teſtantur, quum de Ephoro atque Theopompo ſic iudicaret, vt alteri frænis, alteri calcaribus opus eſſe diceret, aut in illo lentiore tarditatem, aut in hoc penè præcipiti concitationem adiuuandam docendo exiſtimauit, quum alterum alterius miſcendum arbitraretur? Cicero quoque in Bruto, Hoc (ait) doctoris intelligentis eſt, videre quò ferat natura ſua quemque, & ea duce vtentem ſic inſtruere, vt Iſocratem in acerrimo ingenio Theopompi, & leniſſimo Ephori dixiſſe traditum eſt, alteri ſe calcaria adhibere, alteri frænos.

[1] Ergo hæc & agenda ſunt ab oratore, quæ explicauit Antonius, & dicẽda quodammodo. Quínam igitur dicendi eſt modus melior (nam de actione poſt videro) quàm vt Latinè, vt planè, vt ornatè, vt ad id quodcunq; agetur, aptè congruenterq́; dicamus? Atq; eorum quidem quæ duo prima dixi, rationem non arbitror expectari à me puri dilucidiq́; ſermonis. Neq; enim conamur docere eum dicere, qui loqui neſciat: nec ſperare qui Latinè non poſſit, hunc ornatè eſſe dicturum: neq; vero qui non dicat quod intelligamus, hunc poſſe quod admiremur, dicere. Linquamus igitur hæc, quæ cognitionem habent facilem, vſum neceſſarium.

coniunctio, & apparatus & amplitudo, magnificentiſsimè & ornatiſſimè laudata eſt, Craſſus venit ad doctrinam de ornatu, quam ponit in verbis ſingulis & coniunctis: & ſingula quidem ornari putat tribus modis, nouitate, vetuſtate, tranſlatione: coniuncta verò totidem etiam aliis, coagmentatione, numero & figura. Quartam quoque elocutionis oratoriæ virtutem, ſi tamen elocutionis virtus propria eſt, quæ eſt τὸ πρέπον, breuiter attingit. Craſſus igitur de elocutione ita ſibi dicendum putauit, vt eloquentiæ vim, quæ maxima eſſet, pluribus verbis ornaret, artem ipſam quæ trita & peruulgata eſſet, paucis & breuibus præceptis perſtringeret. Actio quæ ſequitur, duas habet partes, vocem & geſtum: ac vocis quidem varia ſunt genera, acutum, graue, citum, tardum, magnum, paruum, itemque lene, aſperum, contractum, diffuſum, continenti ſpiritu, intermiſſo, fractum, ſciſſum, flexo ſono, attenuatum, inflatum, quibus variè pro variis animorum motionibus vtimur. De geſtu autē politici oratoris hæc pauca præcipiuntur à Craſſo, vt ne ſit hiſtrionicus: vt ſit laterum inflexio virilis, manus minus argutæ, brachium procerius proiectum, ſupploſio pedum in contentionibus incipiendis aut finiendis, oris, vultus, & oculorum magna moderatio. His igitur præceptis elocutionem & actionem Craſſus informat, ex quibus quę vera, propria, conſentanea: quæ item falſa, aliena, minusque legitima ſint, in explicandis ſingulis partibus diſputationis multò commodius & opportunius, quàm hîc examinare poterimus.

M. T. Ci-

M. Tullij Ciceronis
DE ORATORE LIBER Tertius.

[1] INſtituenti mihi, Quinte frater, eum ſermonem referre, & mandare huic tertio libro, quem poſt Antonij diſputationem Craſſus habuiſſet, acerba ſanè recordatio veterem animi curam moleſtiamq; renouauit. Nam illud immortalitate dignum ingenium, illa humanitas, illa virtus L. Craſſi morte extincta ſubita eſt, vix diebus decem poſt eum diem qui hoc & ſuperiore libro continetur. Ut enim Romam rediјt extremo [2] Scenicorum ludorum die, vehementer commotus ea oratione quæ ferebatur habita eſſe in concione [3] à Philippo, quem dixiſſe conſtabat; videndum ſibi aliud eſſe conſilium: illo Senatu ſe Remp. gerere non poſſe: manè Idib. Septembris & ille, & Senatus frequens [4] vocatu Druſi in Curiam venit. ibi quum Druſus multa de Philippo queſtus eſſet, retulit ad Senatum de illo ipſo, quòd Conſul in eum ordinem tam grauiter in concione eſſet inuectus. Hic, vt ſæpe inter homines ſapientiſſimos conſtare vidi, quanquam hoc Craſſo, cùm aliquid accuratius dixiſſet, ſemper ferè contigiſſet, vt nunquam dixiſſe melius putaretur, tamen omnium conſenſu ſic eſſe tum iudicatum, cæteros à Craſſo ſemper omnes, [5] illo autem die etiam ipſum à ſe ſuperatum. [6] Deplorauit enim caſum atque orbitatem Senatus, cuius ordinis à Conſule, qui quaſi parens bonus, aut tutor fidelis eſſe deberet, tanquam ab ali-

quo nefario prædone diriperetur patrimonium dignitatis: [7] *neq; verò eſſe mirandum, ſi quum ſuis conſilijs Rempubl. profligaſſet, conſilium Senatus à Republica repudiaret. Hic cùm homini vehementi & diſerto, & in primis forti ad reſiſtendum Philippo* [8] *quaſi quaſdam verborum faces admouiſſet, non tulit ille, & grauiter exarſit,* [9] *pignoribusq; ablatis Craſſum inſtituit coercere. Quo quidē ipſo in loco multa à Craſſo diuinitùs dicta efferebantur,* [10] *cùm ſibi illum Conſulem eſſe negaret, cui ſenator ipſe non eſſet.* [11] *An tu cùm omnem authoritatem vniuerſi ordinis pro pignore putaris, eamq; in conſpectu populi Romani conciderit, me his pignoribus exiſtimas poſſe terreri?* [12] *Non tibi illa ſunt cædenda, ſi Craſſum vis coercere: hæc tibi eſt excindenda lingua, qua vel euulſa, ſpiritu ipſo libidinem tuam libertas mea refutabit. Permulta tum vehementiſſima contentione animi, ingenij, virium, ab eo dicta eſſe conſtabat: ſententiamq; eam, quam Senatus frequens ſecutus eſt ornatiſſimis & grauiſſimis verbis, vt populo Romano ſatisfieret, nunquam Senatus neq; conſilium Reipubl. nec fidem defuiſſe, ab eo dictam: & eundem, id quod in* [13] *authoritatibus perſcriptis extat, ſcribendo affuiſſe.* [14] *Illa tanquam cycnea fuit diuini hominis vox & oratio, quam quaſi expectantes poſt eius interitum veniebamus in curiam, vt veſtigium illud ipſum, in quo ille poſtremùm inſtitiſſet, contueremur. Namq; tum latus ei dicenti condoluiſſe, ſudoremq; multum conſecutum eſſe audiebamus: ex quo cùm cohorruiſſet, cum febri domum rediјt:* [15] *dieq; ſeptimo eſt lateris dolore conſumptus. O fallacem hominum ſpem, fragilemq; fortunam, & inanes noſtras contentiones,* [16] *quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur & corruunt, & antè in ipſo curſu obruuntur, quàm portum conſpicere*

ſpicere potuerunt. [17] Nam quàm diu Craſsi fuit ambitionis labore vita diſtricta, tam diu priuatis magis officij & ingenij laude floruit, quàm fructu amplitudinis, aut Reipublicæ dignitate. Qui autem ei annus primus ab honorum perfunctione aditum omnium cõceſſu ad ſummam authoritatem dabat, is eius omnem ſpem, atq; omnia vitæ conſilia morte peruertit. [18] Fuit hoc luctuoſum ſuis, acerbum patriæ, graue bonis omnibus. Sed ij tamen Rempub. caſus ſecuti ſunt, vt mihi non erepta L. Craſſo à dijs immortalibus vita, ſed donata mors eſſe videatur. [19] Non vidit flagrantem bello Italiam, [20] non ardentem inuidia Senatum, non ſceleris nefarij principes ciuitatis reos, [21] non luctum filiæ, non exilium generi, [22] non acerbiſsimam C. Marij fugam, [23] non illam poſt reditum eius cædem omnium crudeliſsimam, non denique in omni genere deformatam eam ciuitatem, in qua ipſe florentiſsima multũ omnibus gloria præſtitiſſet. [24] Sed quoniam attigi cogitatione vim, varietatẽ'q; fortunæ, non vagabitur oratio mea longius: atq; eis ipſis definietur viris, qui hoc ſermone, quem referre cœpimus, continẽtur. Quis enim non iure beatam Luc. Craſsi mortem illam, quæ eſt à multis ſæpe defleta, dixerit, cùm horum ipſorum ſit, qui tum cum illo poſtremùm ferè collocuti ſunt, euentum recordatus? [25] Tenemus enim memoria, Q. Catulum virum omni laude præſtantem, cùm ſibi nõ incolumem fortunam, ſed exilium & fugam deprecaretur, eſſe coactum vt vita ſe ipſe priuaret. [26] Iam Marci Antonij in eis ipſis roſtris, in quibus ille Rempublicam conſtantiſsimè Conſul defenderat, quæque Cenſor imperatorijs manubijs ornarat, poſitum caput illud fuit, à quo erant multorum ciuium capita ſeruata. [27] Neque verò longè ab eo Caij Iulij caput, hoſpitis Hetruſci ſcele-

re proditum, cum Luc. Iulij fratris capite iacuit: vt ille qui hæc non vidit, & vixiſſe cum Republ. pariter, & cum illa ſimul extinctus eſſe videatur. [28] *Neque enim propinquum ſuum maximi animi virum Publ. Craſſum ſuapte interfectum manu,* [29] *neq; collegæ ſui Pontificis maximi ſanguine ſimulacrum Veſtæ reſperſum eſſe vidit: cui mœrori (qua mente ille in patriam fuit) etiam* [30] *Carbonis inimiciſsimi hominis eodem illo die mors nefaria fuiſſet. Nō vidit eorum ipſorum, qui tum adoleſcentes Craſſo ſe dicarant, horribiles miſeroſq; caſus:* [31] *ex quibus C. Cotta, quem ille florentem reliquerat, paucis diebus poſt mortem Craſsi depulſus per inuidiam tribunatu, nō multis ab eo tempore menſibus eiectus eſt è ciuitate.* [32] *Sulpitius autem, qui in eadem inuidiæ flamma fuiſſet, quibúſcum priuatus coniunctiſsimè vixerat, hos in tribunatu ſpoliare inſtituit omni dignitate. cui quidem ad ſummam gloriam eloquentiæ floreſcenti, ferro erepta vita eſt, & pœna temeritatis non ſine magno Reipublicæ malo conſtituta.* [33] *Ego verò te Craſſe, quum vitæ flore, tum mortis opportunitate, diuino conſilio & ortum & extinctum eſſe arbitror. Nam tibi aut pro virtute animi, conſtantiáq; tua, ciuilis ferri ſubeunda fuit crudelitas: aut ſi qua te fortuna ab atrocitate mortis vendicaſſet, eadem eſſe te funerum patriæ ſpectatorem coegiſſet. Neq; ſolùm tibi improborum dominatus, ſed etiam propter admiſſam ciuium cædem, bonorū victoria mœrori fuiſſet. Mihi quidem, Quinte frater, & eorum caſus, de quibus antè dixi, & ea quæ noſmetipſi ob amorem in Rempubl. incredibilem & ſingularem pertulimus ac ſenſimus, cogitanti, ſententia ſæpe tua vera ac ſapiens videri ſolet, qui propter tot, tantos, tamq; præcipites caſus clariſsimorum hominum, atque optimo-*

optimorum virorum, me ſemper ab omni contentione ac dimicatione reuocaſti. [34] *Sed quoniam hæc iam neq; in integro nobis eſſe poſſunt, & ſummi labores noſtri magna compenſati gloria mitigantur, pergamus ad ea ſolatia quæ non modo ſedatis moleſtijs iucunda, ſed etiam hærentibus ſalutaria nobis eſſe poſſunt: ſermonemq; L. Craßi reliquum, ac penè poſtremum memoriæ prodamus, atque ei, etſi nequaquam parem illius ingenio, at pro noſtro tamen ſtudio meritam gratiam, debitámque referamus. Neque enim quiſquam noſtrûm cùm libros Platonis mirabiliter ſcriptos legit, in quibus ferè Socrates exprimitur, non (quanquam illa ſcripta ſunt diuinitùs) tamen maius quiddam de illo, de quo ſcripta ſunt, ſuſpicatur. Quod item nos poſtulamus, non à te quidem, qui nobis ſumma omnia tribuis, ſed à cæteris qui hæc omnia in manus ſument, vt maius quiddam de L. Craſſo, quàm quantum à nobis exprimitur, ſuſpicentur. Nos enim qui ipſi ſermoni non interfuiſſemus, & quibus C. Cotta tantummodo locos ac ſententias huius diſpoſitionis tradidiſſet, quo in genere orationis vtrumque oratorem cognoueramus, id ipſum ſumus in eorum ſermone adumbrare conati.* [35] *Quòd ſi quis erit qui ductus opinione vulgi, aut Antonium ieiuniorem, aut Craſſum fuiſſe pleniorem putet, quàm quomodo à nobis vterque inductus eſt: is erit ex ijs, qui aut illos non audierit, aut iudicare non poßit. Nam fuit vterque (vt expoſui anteà) quum ſtudio atque ingenio & doctrinâ præſtans omnibus, tum in ſuo genere perfectus: vt neque in Antonio deeſſet hic ornatus orationis, neque in Craſſo redundaret.*

1 Hoc exordio Cicero inſtituit quaſi funebrẽ laudationem L. Craſſi, cui primas dabit in tertio dialogo: duæ verò ſunt exordij partes, quarum vna deplorat cauſſam & genus mortis, altera reuocat à luctu ad conſolationem. Cauſſæ mor-

tis tres potiſſimùm narrantur: vehemens in ſenatu cōtētio & altercatio L.Craſſi contra L.Martium Philippum Conſulem, magnus in dicendo ſudor, & ſudorem conſecuta πλάδειν. 2 Ludi Romani etiam Scenici dicti ſunt, quòd tum hiſtriones in ſcena varias fabulas agerent, vt comœdi, tragœdi, mimi, pantomimi, ethologi. Hi Tito Sulpitio Petico & C.Licinio Stolone Coſs. cùm magna eſſet in Vrbe peſtis, inter alia cœleſtis iræ placāmina primùm inſtituti dicuntur, vt

Lib.7. dec.1. ait Liuius. Cæterùm parua quoque (vt fermè principia omnia) & ea ipſa peregrina res fuit, ſine carmine vllo, ſine imitandorum carminum actu ludiones ex Hetruria acciti, ad tibicinis modos ſaltantes, haud indecoros motus more Thuſco dabant, &c. Idem Liuius alibi, Ludi (ait) Romani ſcenici eo anno magnificè

Lib.1.dec.4. apparateque facti ab Aedilibus curulibus L.Valerio Flacco, & Tito Quintio Flaminio biduum inſtaurati ſunt. 3 L.Martius Philippus Conſul, habuerat in concione orationem pro equitibus Romanis aduerſus Senatum, quòd authore Liuio Druſo Trib.pleb. poteſtatem iudicandi ab equeſtri ordine ad ſe transferre, aut ſaltem ſibi cum eo communicare conaretur. In hanc igitur ambitionem Senatoriam Philippus vehementer inuectus eſt.. 4 Vt Conſuli, ita Tribuno pleb. ius erat edicendi & vocandi Senatum: itaque vocatu Liuij Druſi, qui Tribunus pleb. erat, Senatus in curiam venit. 5 Craſſus eſt à ſeſe ſuperatus, id eſt, melius tum in Senatu dixit, quàm vnquam antea: modus eſt loquendi hyperbolicus, vt in oratione pro Marcello: Cæteros quidem omnes victores bellorum ciuilium iam antea æquitate & miſericordia viceras: hodierno autem die teipſum viciſti. 6 Hæc capita ſunt & illuſtres aliquot ſententiæ illius orationis, quam Craſſus habuit in Senatu aduerſus Philippum Coſ. prima γνώμη, acutè concluſa eſt ex repugnantibus: Philippum Conſulem non eſſe, quia oppugnet dignitatem Senatus: duæ verò ſimilitudines inſtar duarum ſtellarum interpoſitæ ſunt, quibus Conſul bono parenti aut tutori confertur, & Philippus nephario prædoni. 7 Altera γνώμη eſt à maiori ad minus: Philippus Rempubl. ſuis conſiliis profligauit: non eſt igitur mirum, ſi conſilium Senatus à Republ. reiiciat, id eſt, Senatum à iudiciis repellat. 8 Similitudo ſumpta eſt ab his rebus, quæ admoto igne facilè exardeſcunt: ſic Philippus vehemens & iracundus à Craſſo prouocatus ſtatim excanduit, & quaſi flammam iracundiæ concepit. 9 Philippus Conſul Craſſo multam dixit, quòd ab eo fuiſſet acerbè reprehenſus, & contumelioſe vexatus in Senatu, iuſſitque auferri pignora, id eſt, capi bona in ædibus Craſſi, vt hanc licentiam dicendi contra Conſulem coërceret. 10 Tertia γνώμη eſt à paribus, Non ſum tibi ſenator, nec tu mihi igitur conſul. Philippus tum iuſſerat manum in Craſſum inici: at Craſſus reiecto lictore, Non es (inquit) mihi Philippe Conſul, quia nec ego tibi Senator ſum. Valerius libro 6. 11 Quarta γνώμη habet prolepſim & comparationē à maiori ad minus: Non ſum territus, cùm authoritatem Senatus, quæ tibi tanquam in pignus erat tradita, violaſti: an tu igitur me putas ablatis domeſticis pignorib. poſſe terreri? 12 Solutio proximæ προσλήψεως ex cauſſa diſſimili. Craſſus coërceri non poteſt, fracta authoritate Senatus, aut ablatis pignoribus, ſed exciſione linguæ. Hoc verò etiam poſterius ſtatim corrigitur ad augendam conſtantiam ipſius Craſſi, qui ne euulſa quidem lingua à Philippo coërceri poſſit. 13 Authoritates perſcriptæ dicuntur pro Senatuſconſultis in publicas tabulas relatis. Nam vt in populo Romano poteſtas, ſic in Senatu authoritas ineſt, vt ait Cicero lib.3. de Legib. 14 Alluſit ad Græcum prouerbium κύκνειον ᾆσμα, id eſt, cygnea cantio. Socrates ait cygnos in morte ſuauius canere, quàm antea conſueuerint, καὶ ὡς ἔοικα, τῶν κύκνων δοκῶ φαυλότερος ὑμῖν εἶναι τὴν μαντικήν· οἳ ἐπειδὰν αἴσθωνται, ὅτι δεῖ αὐτοὺς ἀποθανεῖν, ᾄδοντες καὶ ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ, τότε δὴ πλεῖστα καὶ μάλιστα ᾄδουσι, γεγηθότες,

ὅτι

ὅτι μέλλουσι παρὰ τὸν θεὸν ἀπιέναι, οὗπέρ εἰσι θεράποντες. οἱ δ' ἄνθρωποι, διὰ τὸ αὑτῶν δέος τοῦ θανάτου, καὶ τῶν κύκνων καταψεύδονται, καὶ φασὶν αὐτοὺς θρηνοῦντας τὸν θάνατον, ὑπὸ λύπης ἐξᾴδειν· καὶ οὐ λογίζονται, ὅτι οὐδὲν ὄρνεον ᾄδει. ὅταν πεινῇ ἢ ῥιγῷ, ἤ τινα ἄλλην λύπην λυπῆται. οὐδὲ αὐτὴ ἥ τε ἀηδὼν, καὶ χελιδὼν, καὶ ὁ ἔποψ, ὃν δή φασι διὰ λύπην θρηνοῦντα ᾄδειν, ἀλλ' οὔτε ταῦτά μοι φαίνεται λυπούμενα ᾄδειν, οὔτε οἱ κύκνοι, ἀλλ' ἅτε οἶμαι, τοῦ Ἀπόλλωνος ὄντες, μαντικοί τε εἰσὶ, καὶ προειδότες τὰ ἐν ᾅδου ἀγαθὰ, ᾄδουσί τε καὶ τέρπονται ἐκείνην τὴν ἡμέραν διαφερόντως, ἢ ἐν τῷ ἔμπροσθεν χρόνῳ. id eſt, Atque (vt apparet) videor vobis eſſe cygnis in diuinatione inferior: hi namque ſibi neceſſariò mortem inſtare atque impendere ſentientes, cùm antea canerent, tum plurimum & maximè modulantur, gaudentes ſe ad deum proficiſci, cui ſeruiunt. Homines verò ipſi, qui mortem metuunt, de cygnis mentiuntur, aiuntque ipſos lugentes mortem, præ dolore cantum emittere, nec conſiderant nullam auem canere cùm eſurit, aut friget, aut alio dolore afficitur, neque ipſam philomelam, & hirundinem, & vpupam, quam dicunt in ſummo doloris luctu canere: ſed neque hæ aues mihi videntur ob dolorem canere, neque cygni, ſed (vt opinor) quia ſunt Phœbo ſacrati, ab eo diuinationem habent, ac prouident quid in morte boni ſit, eo die multò magis quàm antea, cantant, & lætantur. Hæc Socrates. Vt igitur cygni cantus impendente morte ſuauiſſimus eſt, ſic extrema illa oratio Craſſi quaſi cygnea fuit, quia nunquam viſus eſt melius dixiſſe, quàm illo ipſo die, quo in mortiferum dolorem lateris incidit. 17 Septimus dies medicis criticus eſt in morbis acutis, ſed ferè in bonam partem. Itaque cum Galenus regi comparat, ſicut diem ſextum tyranno, quòd ille clementior tanquam bonus aliquis princeps his quos iudicat, vel partem ſupplicij adimit, vel illuſtrat victoriam: hic pernicie hominis gaudet, vel ſalute dolet, quæritque vbi ægrum malè tractet, & longa punitione exerceat. Septimo autem die L. Craſſus interiit dolore lateris: Græci πλευρῖτιν vocant inflammationem membranulæ coſtas cingentis ex vehementi contentione natam, quum aduerſus Philippum in Senatu altercaretur, cuius doloris comites ſunt, primùm ſudor, deinde horror, tum acuta febris, & tuſſis, & difficultas ſpiritus. 16 Allegoria ducitur à nautis in medio mari naufragio pereuntibus, quibus ſimiles ſunt hi, qui immatura ætate moriuntur, antequam legitimum curſum vitæ, vel honoris & dignitatis confecerint. 17 Proxima allegoria declaratur apertius inductione per gradus temporum. Craſſus in petendis honoribus mercedem ſuæ induſtriæ non eſt adeptus, nec item in gerendis, nec verò etiam poſtea: caruit igitur Craſſus fructu virtutis & amplitudinis ſuæ, id eſt, otio cum ſumma dignitate coniuncto. 18 Tranſitus eſt à luctu de morte Craſſi ad conſolationem, quaſi tum ille feliciter & beatè vita functus fuerit: qui locus illuſtratur inductione & enumeratione malorum mortem Craſſi conſecutorum. Nam paulò pòſt exorta ſunt bella ciuilia, quæ ſtatum Reipubl. peruerterunt. 19 Liuius Druſus Italis ciuitatem promiſerat, quæ cùm pòſt Druſi interitum non daretur, tota penè Italia Romanis bellum intulit, quod appellatum eſt ſociale, geſtumque eſt anno Vrbis conditæ 662. 20 Q. Valerius Trib. pleb. legem tulit, qua quæſtiones & iudicia haberentur in Italos, qui à principibus ad perturbandam Rempub. ſollicitati fuiſſent, & habita concione in tantam inuidiam Senatum adduxit, vt plerique homines Senatorij ordinis metu perculſi ex Vrbe fugerint. Lege Appianum. 21 Scipio Craſſi gener, cùm C. Marij partes ſecutus eſſet, deſtitutus à copiis venit in poteſtatem Syllæ, à quo quidem interfectus non eſt, ſed exilio multatus. Hic igitur filiæ Craſſi, vxori ſuæ luctum ob calamitatem exilij attulit. 22 C. Marius lege Sulpitia prouinciam L. Cornelio Syllæ cùm eripere vellet, vt dux aduerſus Mithridatem regem ponti crearetur, armis Syllanis victus & vrbe pulſus, primùm iuxta Minturnas in palude latuit, deinde acce-

Lib.1. de Criticis diebus.

pta nauicula in Africam traiecit. 23 C.Marius ope Cornelij Cinnæ in Italiam reuocatus, fœdiſsimam ciuium ſtragem edidit,vrbémq; diripuit.Sylla paulò pòſt ex Aſia reuerſus, multò etiam crudelior extitit cæſis ciuibus & Italis propè innumerabilibus,latis etiam legibus improbiſſimis, quo tempore non modò ſuccus & ſanguis,ſed etiã color & ſpecies priſtina ciuitatis amiſſa eſt. 24 Craſſi familiares ſtatim poſt eius obitum in ciuili diſſenſione miſerè trucidati ſunt, vt Catulus,Antonius,Scæuola,Cotta,Sulpitius,&c. ex his igitur exemplis diſſimilibus Cicero concludit beatam fuiſſe mortem L.Craſſi, qui tantam calamitatem non viderit. 25 Q.Luctatius Catulus,cùm nihil ab hoſte Mario impetrare poſſet, ignitis carbonibus ſeipſum ſuffocauit, vel (vt ait Valerius) calcis & carbonum vapore ſe peremit. 26 M.Antonius,qui latitandi cauſſa in agrum fugerat,cauponis indicio proditus eſt,& à Publio Annio Tribuno pleb.interfectus. Caput eius primum C.Marij menſæ appoſitum fuit, deinde in roſtris poſitum, cuius caſus deploratur à repugnantibus. M.Antonius Cenſor roſtra manubiis ornauit,& multos hìc ciues defendit. Nõ debuit igitur caput eius in roſtris ignominiæ cauſſa collocari. 27 Quintilius Tarquinienſis C.Iul.Cæſarem patronum ſuum nefariè C.Mario prodidit,& ius hoſpitij ſceleratè violauit.Florus paulò ſecus, Cæſar (ait) & Fimbria in penatibus domorum ſuarum trucidantur.

28 Pub.Craſſus cum filio à Marianis militibus occiſus eſt, & alter in alterius mutuo aſpectu trucidatus. Pater ne quid indignum ſua virtute pateretur, gladio ſe transfixit. 29 Q.Mutius Scæuola collega fuit L.Craſſi in conſulatu anno Vrbis conditæ 656. Is Pontifex maximus, quia partibus Syllæ ſtuduerat, iuſſu C.Marij filij, amplexus Veſtales aras occiditur: de quo Lucanus lib.1.

Te quoque neglectum violatæ Scæuola dextræ
Ante ipſum penetrale deæ, ſemperq́ue calentes
Mactauère focos, parum ſed feſſa ſenectus
Sanguinis effudit, iugulo flammisq́ue pepercit.

30 L.Craſſus adoleſcens C.Carbonem accuſauit. hinc odij cauſſæ. Cæterùm C.Carbo poſt mortem C.Marij captus à Syllanis,& ad Pompeium ductus,dum aluum in cloaca exonerat,occiditur.Plutarchus in vita Syllæ. 31 C.Cotta,qui inuectus erat in equites Romanos,qui tum præerant iudiciis, cauſſamq́ue principum defenderat, amiſſo tribunatu priuſquam ab illis damnaretur, vrbe egreſſus eſt.Appianus. 32 P.Sulpitius ciuilis belli author fuit,quia Tribunus pleb. legem tulit de reuocando Sylla à Mithridatico bello, laborauitq́ue ſumma inuidia propter populares quaſdam leges,quas tulit, vt ciues & libertini in tribus redigerentur : vt exules reuocarentur : is cùm ex vrbe fugeret, proditus à ſeruo à Syllanis militibus obtruncatus eſt. 33 Cicero concludit conſolationis locum de morte Craſſi,& amplificat rurſus à repugnantibus.Si Craſſus diutius vixiſſet, aut in bello ciuili interiiſſet,aut publicæ calamitatis ſpectator fuiſſet. Peropportunè igitur & perbeatè mortuus eſt Craſſus. 34 Deſcendit ad rationem huius inſtitutæ ſcriptionis, & duas cauſſas proponit: vnam, ſolatium ex literarum ſtudiis : alteram, teſtificationem aliquam non prorſus ingrati erga Craſſum animi: poſterior exornatur argumento a ſimili. Quemadmodum Plato Socratis ingenium & doctrinam ſcriptis ſuis omnino exprimere non potuit: ſic Craſſus multò fuit excellentior,quàm vt hoc noſtro ſermone poſſit repræſentari: quæ ſimilitudo plus habet modeſtiæ, quàm veritatis : neque enim Socrates tantus fuit, quantum Plato ipſe finxit, præſertim in Mathematicis & phyſicis, neque Craſſus tantum doctrinæ & eloquentiæ habuit,quantũ ei Cicero attribuit. 35 Occurrit teſtimonio vulgi, Antonius habitus eſt in dicendo tenuior, & Craſſus plenior, quàm quo modo vterque inducitur : ergo in his perſonis Cicero decorum non tenuit: quod teſtimonium tanquam falſum redarguitur,licet tamen verum fuerit: neuter enim talis fuit,qualis fingitur: neque tamen hoc in dialogis præ-

ſertim reprehendendum eſt, vt his, quos in libris noſtris inducimus, maiorem ſapientiæ vel eloquentiæ laudem tribuamus, quàm veritas ipſa patiatur.

Vt igitur ante meridiem diſceſſerunt, paululumq; requierunt, in primis hoc à ſe Cotta animaduerſum eſſe dicebat, omne illud tempus meridianum Craſſum in acerrima atq; attentiſſima cogitatione poſuiſſe, ſeſeq;, qui vultum eius, cùm ei dicẽdum eſſet, obtutumq; oculorum in cogitando probe noſſet, atq; in maximis cauſſis ſæpe vidiſſet, cùm dedita opera quieſcentibus alijs in eam exedram veniſſet, in qua Craſſus lectulo poſito recubuiſſet, cumq; eum in cogitatione defixum eſſe ſenſiſſet, ſtatim receſſiſſe, atq; in eo ſilentio duas horas ferè eſſe conſumptas. deinde cùm omnes inclinato iam in poſt meridianũ tempus die, veniſſent ad Craſſum, Quid eſt Craſſe? inquit Iulius, imúſne ſeſſum? etſi admonitum venimus te, non flagitatum. Tum Craſſus, An me tam impudentem eſſe exiſtimatis, vt vobis hoc præſertim munus putem diutius poſſe debere? Quínam igitur, inquit, ille locus? an in media ſylua placet? eſt enim is maximè & opacus, & frigidus. Sanè, inquit Craſſus. etenim eſt in eo loco ſedes huic noſtro non importuna ſermoni. Cùm placuiſſet idem cæteris, in ſyluam venitur: & ibi magna cum audiendi expectatione conſiditur. Tum Craſſus, [2] Cùm authoritas atq; amicitia veſtra, tum Antonij facilitas eripuit, inquit, mihi in optima mea cauſſa libertatem recuſandi: quanquam in partieda diſputatione noſtra, cùm ſibi de ijs quæ dici ab oratore oporteret, ſumeret, mihi autem relinqueret vt explicarem quemadmodum illa ornari oporteret: ea diuiſit quæ coniuncta eſſe non poſſunt. Nam cùm omnis ex re atq; verbis conſtet oratio: neq; verba ſedem habere poſſunt, ſi rem ſubtraxeris, neq; res lumen, ſi verba ſemoueris. [3] Ac mihi quidem veteres illi maius quiddam animo complexi, plus multò etiam

vidiſſe videntur, quàm quantum noſtrorum ingeniorum acies intueri poteſt, qui omnia hæc quæ ſuprà & ſubter vnum eſſe, & vna vi atq; vna conſenſione naturæ conſtricta eſſe dixerunt. Nullum eſt enim genus rerum, quod aut auulſum à cæteris per ſe ipſum conſtare, aut quo cætera ſi careat, vim ſuam atq; æternitatem conſeruare poßint. Sed hæc maior eſſe ratio videtur, quàm vt hominum poßit ſenſu aut cogitatione comprehendi. [4] Eſt enim illa Platonis vera, & tibi Catule certè non inaudita vox, omnem doctrinam harum ingenuarum & humanarum artium vno quodam ſocietatis vinculo contineri. Vbi enim perſpecta vis eſt rationis eius, qua cauſſæ rerum atq; exitus cognoſcuntur, mirus quidam omnium quaſi conſenſus doctrinarum concentuſq; repetitur. Sed ſi hoc quoq; videtur eſſe altius, quàm vt id nos humi ſtrati ſuſpicere poßimus, illud certè tamen quod amplexi ſumus, quod profitemur, quod ſuſcepimus, noſſe & tenere debemus. [5] Vna eſt enim, quod & ego heſterno die dixi, & aliquot locis antemeridiano ſermone ſignificauit Antonius, eloquentia, quaſcunq; in oras diſputationis regionéſve delata eſt. Nam ſiue de cœli natura loquitur, ſiue de terræ, ſiue de diuina vi, ſiue de humana, ſiue ex inferiore loco, ſiue ex æquo, ſiue ex ſuperiore, ſiue vt impellat homines, ſiue vt doceat, ſiue vt deterreat, ſiue vt concitet, ſiue vt reflectat, ſiue vt incendat, ſiue vt leniat, ſiue ad paucos, ſiue ad multos, ſiue inter alienos, ſiue cum ſuis, ſiue ſecum, riuis eſt diducta oratio, non fontibus: & quocunq; ingreditur, eodem eſt inſtructu ornatuq; comitata. [6] Sed quoniam oppreßi iam ſumus opinionibus, non modo vulgi, verùm etiam hominum leuiter eruditorum, qui quæ complecti tota nequeunt, hæc facilius diuulſa & quaſi diſcerpta contrectant, & qui tan-

quam

quam ab animo corpus, ſic à ſententijs verba ſeiungunt; quorum ſine interitu fieri neutrum poteſt: non ſuſcipiam oratione mea plus quàm mihi imponitur: tantùm ſignificabo breui; neq; verborum ornatum inueniri poſſe non partitis expreſſisq́; ſententijs, neq; eſſe vllam ſententiam illuſtrem ſine luce verborum. [7] *Sed prius quàm illa conor attingere, quibus orationem ornari atq; illuminari putem, proponam breuiter quid ſentiam de vniuerſo genere dicendi. Natura nulla eſt (vt mihi videtur) quæ non habeat in ſuo genere res complureis diſsimiles inter ſe, quæ tamen conſimili laude dignentur.* [8] *Nam & auribus multa percipimus, quæ etſi nos vocibus delectant, tamē ita ſunt varia ſæpe, vt id quod proximum audias, iucundiſsimum eſſe videatur: & oculis colliguntur penè innumerabiles voluptates, quæ nos ita capiūt, vt vnum ſenſum ſimili genere delectent: & reliquos ſenſus voluptates oblectant diſpares: vt ſit difficile iudicium excellentis maximè ſuauitatis.* [9] *At hoc idem quod eſt in naturis rerum transferri poteſt etiam ad artes. Una fingendi eſt ars,* [10] *in qua præſtantes fuerunt Myro, Polycletus, Lyſippus: qui omnes inter ſe diſsimiles fuerunt, ſed ita tamen, vt neminē ſui velis eſſe diſsimilem.* [11] *Una eſt ars ratioq́; picturæ, diſsimillimiq́; tamen inter ſe Zeuxis, Aglaophon, Apelles: neq; eorum quiſquam eſt cui quicquam in arte ſua deeſſe videatur.* [12] *Et ſi hoc in his quaſi mutis artibus eſt mirandum, & tamen verum: quantò admirabilius in oratione, atq; in lingua? quæ cùm in iiſdem ſententijs verbisq́; verſetur, ſummas habet diſsimilitudines, non ſic vt alij vituperandi ſint, ſed vt ij quos conſtet eſſe laudandos, in diſpari tamen genere laudentur. Atque id primùm in poetis cerni licet, quibus eſt proxima cognatio cum oratoribus, quàm ſint in-*

ter ſeſe Ennius, Pacuuius, Acciuſq; dißimiles: quàm apud Græcos Aeſchylus, Sophocles, Euripides: quanquam omnibus par penè laus in dißimili ſcribendi genere tribuatur. [13] *Aſpicite nunc eos homines atq; intuemini, quorum de facultate quærimus, quid interſit inter oratorum ſtudia atq; naturas. Suauitatem Iſocrates, ſubtilitatem Lyſias, acumen Hyperides, ſonitum Aeſchines, vim Demoſthenes habuit. Quis eorum non egregius? tamen quis cuiuſquam niſi ſui ſimilis? Grauitatem Africanus, lenitatem Lælius, aſperitatem Galba, profluens quiddam habuit Carbo & canorum. quis horum nō princeps temporibus illis fuit? & ſuo tamen quiſq; in genere princeps.* [14] *Sed quid ego vetera conquiram, cùm mihi liceat vti præſentibus exemplis atq; viuis?* [15] *Quid iucundius auribus noſtris vnquam accidit huius orationę Catuli? quæ eſt pura ſic, vt Latinè loqui penè ſolus videatur: ſic autem grauis, vt in ſingulari dignitate omnis tamen adſit humanitas ac lepos. Quid multa? Iſtum audiens, equidem ſic iudicare ſoleo, quicquid aut addideris, aut mutaueris, aut detraxeris, vitioſius & deterius futurum.* [16] *Quid noſter hic Cæſar? nónne nouam quandam rationem attulit orationis, & dicēdi genus induxit propè ſingulare? Quis vnquam res præter hunc tragicas penè comicè, triſtes remiße, ſeueras hilarè, forenſes ſcenica propè venuſtate tractauit, atq; ita, vt neq; iocus magnitudine rerum excluderetur, nec grauitas facetijs minueretur?* [17] *Ecce præſentes duo propè æquales, Sulpitius & Cotta: quid tam inter ſe dißimile? quid tam in ſuo genere præſtans? Limatus alter, & ſubtilis, rem explicās proprijs aptiſq; verbis, hæret in cauſſa ſemper, & quid iudici probandum ſit, cùm acutißimè vidit, omißis cæteris argumētis in eo mentem orationemq; defigit.*

figit. Sulpitius autem fortiſſimo quodam animi impetu, pleniſſima & maxima voce, ſumma contentione corporis, & dignitate motus, verborum quoq; ea grauitate & copia eſt, vt vnus ad dicendum inſtructiſſimus à natura eſſe videatur. [18] Ad noſmetipſos iam reuertor (quoniam ſic fuimus ſemper comparati, vt hominũ ſermonibus quaſi in aliquod cõtẽtionis iudicium vocaremur) quid tam diſſimile, quàm ego in dicendo, & Antonius? cùm ille is ſit orator, vt nihil eo poſſit eſſe præſtantius: ego autem, quanquam memet mei pœnitet, cum hoc maximè tamen in comparatione coniungar. Videtíſne genus hoc quod ſit Antonij? forte, vehemens, commotum in agendo, præmunitũ, & ex omni parte cauſſæ ſeptum, acre, acutum, enucleatum, in vnaquaq; re commorans, honeſtè cedens, acriter inſequẽs, terrens, ſupplicans, ſumma orationis varietate, nulla noſtrarum aurium ſatietate. Nos autem, quicunq; in dicendo ſumus, quoniam eſſe aliquo in numero vobis videmur, certè tamen ab huius multum genere diſtamus: quod quale ſit, non eſt meum dicere, propterea quod minimè ſibi quiſq; notus eſt, & difficillimè de ſe quiſq; ſentit. Sed tamen diſſimilitudo intelligi poteſt & ex motus mei mediocritate, & ex eo quòd quibus veſtigijs primùm inſtiti, in ijs ferè ſoleo perorare, & quòd aliquantò me maior in verbis, quàm in ſententijs eligendis, labor & cura torquet, verentem ne ſi paulò obſoletior fuerit oratio, non digna expectatione & ſilentio fuiſſe videatur. [19] Quòd ſi in nobis qui adſumus, tantæ diſſimilitudines, tam certæ res cuiuſque propriæ, & in ea varietate ferè melius à deteriore, facultate magis quàm genere diſtinguitur, atq; omne laudatur, quod in ſuo genere perfectum eſt, quid cenſetis, ſi omnes qui vbiq; ſunt, aut fuerunt oratores amplecti voluerimus?

numne fore, vt quot oratores, totidem penè reperiantur genera dicendi? [20] *Ex qua mea diſputatione forſitan occurrat illud, ſi penè innumerabiles ſint quaſi formæ figuræq; dicendi, ſpecie diſpares, genere laudabiles, non poſſe ea quæ inter ſe diſcrepant, iiſdem præceptis atque vna inſtitutione formari. Quod non eſt ita: diligentiſſimeq; hoc eſt eis qui inſtituunt aliquos, atque erudiunt, videndum, quo ſua quemq; natura maximè ferre videatur. Etenim videmus ex eodem quaſi ludo ſummorum in ſuo cuiuſque genere artificum & magiſtrorum exiſſe diſcipulos diſſimiles inter ſe, attamen laudandos, quum ad cuiuſque naturam inſtitutio doctoris accommodaretur:* [21] *cuius eſt vel maximè inſigne illud exemplum (vt cæteras artes omittamus) quod dicebat Iſocrates doctor ſingularis, ſe calcaribus in Ephoro, contrà autem in Theopompo frenis vti ſolere. Alterum enim exultantem verborum audacia, reprimebat: alterum cunctantem, & quaſi verecundantem incitabat. Neque eos ſimiles effecit inter ſe, ſed tantum alteri affinxit, de altero limauit, vt id confirmaret in vtroque quod vtriuſque natura pateretur. Hæc eò mihi prædicenda fuerunt, vt ſi non omnia quæ proponerentur à me, ad omnium veſtrûm ſtudium, & ad genus id quod quiſque veſtrûm in dicendo probaret, adhæreſcerent: id à me genus exprimi ſentiretis, quod maximè mihi ipſi probaretur.*

1 Hactenus Cicero præfatus eſt de morte L. Craſſi, cuius primæ partes ſunt in tertio dialogo, & de ratione huius ſcriptionis: ſequitur alterum exordium de apparatu dialogi, qui deſcribitur ex circunſtantiis perſonæ, & temporis, & loci Nam diligens Craſſi meditatio fingitur, quia dicturus eſt de eloquentia, & tempus pomeridianum quæritur inclinato iam Sole, & fracto aliqua ex parte æſtu diei, & locus eligitur opacus & frigidus in media ſylua. 2 Craſſus (qui ſummus eſt eius pudor) ad dicendum non tam ſponte ſua, quàm impulſu aliorum accedit, itaque partitionem muneris ab Antonio manè factam reprehendit, ſed leuiſſimis argumentis: licèt enim oratio conſtet ex rebus & verbis, non tamen ſequitur vnam & eandem artem eſſe rerum & veborum: hoc argumento Græci

deceptì

decepti confuſionem artium in eloquentia genuerunt, & eloquentiæ totam dialecticam vim inueniendi, diſponendi, recordandi ſubiectam eſſe voluerunt: nec animaduerterunt aliam eſſe doctrinam ingenij & rationis, per quam res ad dicendum inuenirentur & diſponerentur, aliam elocutionis & actionis, per quam oratio ornaretur, & aptè pronuntiaretur, atque illam dialecticam, hanc rhetoricam eſſe. Antonius igitur, id eſt, Cicero bonitate naturæ & ingenij fretus quodammodo in hanc artium diſtinctionem inciderat, eaſque libris & præceptis ſeparauerat, vt dialecticam ſecundo, rhetoricam tertio libro traderet: ſed tamen neſcio quomodo authoritate magiſtrorum perſuaſus, ex his duabus artibus vnam fecit, eamque rhetoricam & oratoriam vocauit. 3 Alterum argumentum ducitur à teſtimonio veterum philoſophorum, qui omnia vnum eſſe dicebant, vt Parmenides apud Platonem, quem Ariſtoteles in Phyſicis refellit: neque tamen conſequens eſt, ſi Parmenides dixerit omnia eſſe vnum, vt vna & eadem ſit rerum & verborum doctrina. Parmenides philoſophabatur de naturæ operibus, ex quibus ſumma conſenſione inter ſe deuinctis & coagmentatis mundus efficitur, non de artificio & compoſitione orationis. 4 Tertium eſt ab authoritate Platonis, qui in Epinomide de artibus ita ſcribit: *δεσμὸς γὰρ πεφυκὸς πάντων τούτων εἷς ἀναφανήσεται διανοουμένοις*, id eſt, vnum horum omnium naturale vinculum videbitur his, qui animaduerterint. quæ Platonis anthoritas nihil ad rem propoſitam facit: nunc enim quærimns de præceptis artium, quæ ratione & loco diſtincta eſſe debent. Quid enim eſſet ineptius, & abſurdius, quàm doctrinam ethicam cum Phyſica, cum Geometria, aliiſq; artibus confundere & permiſcere? Platonis igitur locus intelligitur de artium vſu, qui eſt in vita humana coniunctus: quia artes vt ad dicendum, ſic ad agendum contemplandumque ſe mutuò adiuuant. 5 Quartum verum quidem eſt, ſi veram eloquentiæ naturam ſpectes: communibus enim elocutionis legibus quælibet oratio poteſt ornari: qua de re dicatur, nihil intereſt: itemque communibus pronuntiationis legibus, quæuis oratio poteſt aptè pronuntiari: qua de re dicatur, nihil intereſt: eaque ratione vna eſt eloquentia, quaſcunque in oras diſputationis, regionéſue delata ſit, ſed tamen eo Craſſus nunquam efficiet, vt vna ſit rhetorica doctrina rerum & verborum, quia dialectica & rhetorica diuerſæ ſunt artes, quarum altera docet res inuenire & diſponere, altera eloqui & agere. 6 Concludit res à verbis in dicendo ſeiungendas nõ eſſe, quod quidẽ longè optimum eſt, & tamen ſe de verborum ornatu ſeparatim eſſe dicturum, quod item maximè probandum eſt, vt dialecticæ præcepta à Rhetoricæ præceptis diſtinguantur: licèt tamen ipſe Craſſus minimè probare videatur, nõ aliam (opinor) ob cauſſam, quàm quòd ſic à magiſtris doctus & inſtitutus fuerat. 7 Craſſus nondum artis explicationem orditur, ſed prius diſputat locum communem de generibus dicendi, qui quidem in hanc concluſionis ſummam redigi poteſt. Vnaquæq; virtus ſeu naturæ, ſeu artis in ſuo genere diſſimiles quidem res habet, ſed æquè laudabiles. Elocutionis ratio virtus eſt & naturæ, & artis: hæc igitur diſſimiles quidem res habet, ſed tamen æquè laudabiles, vt varia dicendi genera: qnot enim oratores ſunt, totidem penè diſſimilitudines orationis ſunt. Propoſitio ſyllogiſmi declaratur inductione per genera quædam naturæ & artis naturam imitantis, & id quidem non ſolùm de vniuerſa in vno quoq; genere natura, ſed etiam de ſpeciali verè dici poteſt, vt variè commutabilis ſit, & diſſimilia opera rectè & affabre moliatur, quod idem de arte & artis exercitatione iudicandum eſt: atque idcircò Craſſus excurrit in hunc communem locum, vt tandem doceat non eſſe mirum, cùm variæ ſint formæ & quaſi figuræ dicendi in ſingulis oratoribus, vnicam tamen eſſe artem elocutionis. 8 Exempla naturæ ſumuntur ex ſenſibus, viſu, auditu, olfactu, &c. quorum ſingulis res quidem variæ, ſed tamen æquè iucundæ obiiciuntur. 9 Exempla ſunt de quibuſdam artibus, quarum aliæ ſunt mutæ, vt ars fingendi & pictura: aliæ loquentes, vt poeſis, & eloquentia forenſis.

videretur.incitata & volubilis,nec ea redundans tamen, nec circunfluens oratio.
18 Diſſimilitudo Antonij & Craſſi,maximè ex genere elocutionis & actionis intelligitur,vt αἰ τιπόθεσις indicat.Nam vt Craſſus actione lenior,ſic Antonius grauior fuit: & vt ille in verbis, ita hic in ſentétiis deligendis diligentior.In Craſſo erat Latinè loquendi accurata, & ſine moleſtia diligens elegantia: Antonius autem diligenter loquendi laude caruit, nec tamé eſt admodum inquinatè locutus. *Cic. in Brut.* 19 Inductionis quæſtio concluditur more philoſophorum,qui ex ſpecialibus aliquot exemplis rem generalem concludunt: ſumma igitur concluſionis huius eſt,tot eſſe dicendi genera,quot ſunt oratores. 20 Hæc prolepſis deducitur ex proxima concluſione:

Varia ſunt dicendi genera:

Ergo variæ ſunt elocutionis artes,& non vnica.

Cui argumento Craſſus variè & inconſtanter reſpondet.Nam etſi videtur id rectè inficiari,attamen quod de varietate ingeniorum dicit,nihil ad hanc quæſtionem attinet:& poſtremò videtur proponere & polliceri,ſe artem traditurum non omnium formarum dicendi & generum communem: vt igitur pro Craſſo planius & facilius reſpondeamus,ars eſt quidem præceptis communis & vna, vſu verò & exemplis,& experimentis infinita,& quodammodo diſſimilis. Itaque alius quidem ſtylus eſt L.Cottæ, alius P.Sulpitij, alius Craſſi, alius Antonij: elocutio verò vna & communis, quia ornaméta quæ ſunt in ſingulis eorum orationibus, ad certa & communia elocutionis genera reuocantur, vt tropi ad genera troporum,& figuræ ad genera figurarum. 21 Præceptū de naturis inſpiciendis confirmatur exemplo & teſtimonio Iſocratis rhetoris, qui Theopompum & Ephorum diſſimiliter pro vtriuſque natura docuit.Idem locus citatur à Fabio:An verò *Cap.8.lib.2.* (inquit) clariſſimus ille præceptor Iſocrates, quem non magis libri benè dixiſſe, quàm diſcipuli bene docuiſſe teſtantur,quum de Ephoro atque Theopompo ſic iudicaret, vt alteri frænis, alteri calcaribus opus eſſe diceret, aut in illo lentiore tarditatem, aut in hoc penè præcipiti concitationem adiuuandam docendo exiſtimauit, quum alterum alterius miſcendum arbitraretur? Cicero quoque in Bruto,Hoc(ait)doctoris intelligentis eſt,videre quò ferat natura ſua quemque,& ea duce vtentem ſic inſtruere, vt Iſocratem in acerrimo ingenio Theopompi, & leniſſimo Ephori dixiſſe traditum eſt,alteri ſe calcaria adhibere, alteri frænos.

[1] Ergo hæc & agenda ſunt ab oratore, quæ explicauit Antonius,& dicéda quodammodo. Quínam igitur dicendi eſt modus melior (nam de actione poſt videro) quàm vt Latinè,vt planè,vt ornatè, vt ad id quodcunq; agetur, aptè congruenterq́; dicamus? Atq; eorum quidem quæ duo prima dixi,rationem non arbitror expectari à me puri dilucidiq́; ſermonis. Neq; enim conamur docere eum dicere,qui loqui neſciat: nec ſperare qui Latinè non poſsit, hunc ornatè eſſe dicturum: neq; vero qui non dicat quod intelligamus, hunc poſſe quod admiremur, dicere. Linquamus igitur hæc, quæ cognitionem habent facilem, vſum neceſſarium.

[2] *Nam alterum traditur literis, doctrináque pueríli: alterum adhibetur ob eam cauſſam, vt intelligatur quid quiſque dicat: quod videmus ita eſſe neceſſarium, vt tamen eo minus nihil eſſe poſſit.* [3] *Sed omnis loquendi elegantia, quanquam expolitur ſcientia literarum, tamen augetur legendis oratoribus & poetis. Sunt enim illi veteres, qui ornare nondum poterant ea quæ dicebant, omnes propè præclarè loquuti: quorum ſermone aſſuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui niſi Latinè. Neque tamen erit vtendum verbis iis quibus iam conſuetudo noſtra non vtitur, niſi quando ornandi cauſſa, parcè, quod oſtendam: ſed vſitatis ita poterit vti, lectiſſimis vt vtatur iis, qui in veteribus erit ſcriptis ſtudioſè & multum volutatus.* [4] *Atq; vt Latinè loquamur, non ſolùm videndum eſt vt & verba efferamus ea quæ nemo iure reprehendat, & ea ſic & caſibus, & temporibus, & genere, & numero conſeruemus, vt ne quid perturbatum ac diſcrepans, aut præpoſterum ſit, ſed etiam lingua, & ſpiritus, & vocis ſonus eſt ipſe moderandus.* [5] *Nolo exprimi literas putidius, nolo obſcurari negligentius: nolo verba exiliter exanimata exire, nolo inflata & quaſi anhelata grauius. Nam de voce nondum ea dico quæ ſunt actionis, ſed hoc, quod mihi cum ſermone quaſi coniunctum videtur. Sunt enim certa vitia, quæ nemo eſt quin effugere cupiat, mollis vox, vt muliebris, aut quaſi extra modum abſona atq; abſurda.* [6] *Eſt autem vitium, quod nonnulli de induſtria conſectantur.* [7] *Ruſtica vox & agreſtis quoſdam delectat, quo magis antiquitatem, ſi ita ſonet, eorum ſermo retinere videatur: vt tuus Catule ſodalis* [8] *L. Cotta gaudere mihi videtur grauitate linguæ, ſonoq; vocis agreſti: & illud quod loquitur, priſcum viſum iri putat, ſi planè fuerit ruſticanum.*

num. [9] Me autem tuus ſonus, & ſuauitas iſta delectat: omitto verborum, quanquam eſt caput (verùm id affert ratio, docent literæ, confirmat conſuetudo & legēdi, & loquendi) ſed hanc dico ſuauitatem quæ exit ex ore: quæ quidem, [10] vt apud Græcos Atticorum, ſic in Latino ſermone huius eſt vrbis maximè propria. [11] Athenis iam diu doctrina ipſorum Athenienſium interijt, domicilium tantùm in illa vrbe remanet ſtudiorum, quibus vacant ciues, peregrini fruuntur, capti quodammodo nomine vrbis, & authoritate: tamen eruditiſſimos homines Aſiaticos quiuis Athenienſis indoctus, non verbis, ſed ſono vocis, nec tam bene, quàm ſuauiter loquendo facilè ſuperabit. Noſtri minus ſtudent literis, quàm Latini: tamen ex iſtis, quos noſtis, vrbanis, in quibus minimum eſt literarum, nemo eſt quin literatiſſimū togatorum omnium [12] Q. Valerium Soranum, lenitate vocis, atq; ipſo oris preſſu & ſono facilè vincat. [13] Quare cùm ſit quædam certa vox Romani generis, vrbiſq; propria, in qua nihil offendi, nihil diſplicere, nihil animaduerti poſſit, nihil ſonare aut olere peregrinum, hanc ſequamur: neq; ſolùm ruſticam aſperitatem, ſed etiam peregrinam inſolentiam fugere diſcamus. Equidem quum audio ſocrum meam Læliam (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conſeruant, quòd multorum ſermonis expertes, ea tenent ſemper, quæ prima didicerunt) ſed eam ſic audio, vt Plautum mihi aut Næuium videar audire. Sono ipſo vocis ita recto & ſimplici eſt, vt nihil oſtentationis, aut imitationis afferre videatur: ex quo ſic loquutum eſſe eius patrem iudico, ſic maiores, non aſperè, vt ille quem dixi, non vaſtè, non ruſticè, non hiulcè, ſed preſſè & æquabiliter, & leniter. [14] Quare Cotta noſter, cuius tu illa lata Sulpiti nōnunquam

imitaris, vt iotam literã tollas, & e pleniſſimum dicas, non mihi oratores antiquos, ſed meſſores videris imitari. Hic cùm arriſiſſet ipſe Sulpitius, Sic agam vobiſcum, inquit Craſſus, vt quoniam me loqui voluiſtis, aliquid de veſtris vitijs audiatis. Utinam quidem, inquit ille: hîc hodie vitia ponemus. Etenim non ſine meo periculo, Craſſus inquit, poſſum Sulpiti te reprehendere: quoniam Antonius mihi te ſimillimum dixit ſibi videri. Tum ille, Tum quũ monuit idem, vt ea quæ in quoq; maxima eſſent, imitaremur: ex quo vereor ne nihil ſim tui niſi ſupploſionẽ pedis imitatus, & pauca quædam verba, & aliquem, ſi fortè, motum. Ergo iſta, inquit Craſſus, quæ habes à me, nõ reprehendo, ne me ipſum irrideam. Sunt autem mea multò & plura & maiora quàm dicis. Quæ autem ſunt aut tua planè, aut imitatione ex aliquo expreſſa, de ijs te, ſi quis me fortè locus admonuerit, commonebo. [15] *Prætereamus igitur præcepta Latinè loquendi, quæ puerilis doctrina tradit, & ſubtilior cognitio ac ratio literarum alit, aut conſuetudo ſermonis quotidiani ac domeſtici libri confirmant, & lectio veterum oratorum & poetarum.* [16] *Neq; verò in illo altero diutius commoremur, vt diſputemus quibus rebus aſſequi poßimus, vt ea quæ dicamus, intelligantur, Latinè ſcilicet dicendo, verbis vſitatis, ac propriè demonſtrantibus ea quæ ſignificari ac declarari volemus, ſine ambiguo verbo aut ſermone non nimis longa continuatione verborum, non valde productis ijs quæ ſimilitudinis cauſſa ex alijs rebus transferuntur, non diſcerptis ſententijs, non præpoſteris temporibus, nõ confuſis perſonis, non perturbato ordine. Quid multa? Tam facilis eſt tota res, vt mihi permirum ſæpe videatur, cùm difficilius intelligatur, quid patronus velit dicere, quàm ſi ipſe ille qui patronum adhibet,*

adhibet, de re ſua diceret. Iſti enim qui ad nos cauſſas deferunt, ita nos plerunque ipſi docent, vt non deſideres planius dici. [17] *Eaſdem res autem ſimul ac Fuſius, aut veſter æqualis Pomponius agere cœpit, non æquè quid dicant, niſi admodum attendi, intelligo: ita confuſa eſt oratio, ita perturbata, nihil vt ſit primum, nihil vt ſecundum: tantaq́ inſolentia ac turba verborum, vt oratio quæ lumen adhibere rebus debet, ea obſcuritate & tenebras afferat, atq; vt quodammodo ipſi ſibi in dicendo obſtrepere videantur.*

1 Hæc vera & germana eſt partitio Rhetoricæ artis in elocutionem & actionem: nam tres aliæ partes, quas matutino ſermone explicauit Antonius, inuentionem dico, & diſpoſitionem, & memoriam, Rhetoricæ non ſunt, quia ornandæ orationis artes non ſunt, & toto ſecundo libro nihil aliud traditur, quàm dialectica quædam ciuilis, id eſt, accommodata ad diſputationem ciuilium cauſſarum. Cæterùm elocutio prima pars Rhetoricæ artis à Craſſo non definitur: definiri autem debuit doctrina ornandæ orationis: hæc diuiditur in quatuor partes, Latinitatem, perſpicuitatem, ornatum & decorum, ſed admodum imperitè & inartificioſè, quia Latinitas Grammaticæ artis virtus eſt, non Rhetoricæ, & Latinè loqui (vt ait Cicero) magis eſt vitio carere, quàm vt magnam aliquam laudem adeptus eſſe videaris. *In Bruto.* Perſpicuitas autem & decorum virtutes ſunt omnium artium communes: artes enim volunt eſſe perſpicuæ & verbis & ſententiis, & ſingulæ docent aliquod decorum, vt Arithmetica decorũ in numeris, Geometria decorum in dimenſionibus, Muſica decorum in cantibus, Philoſophia moralis decorum in virtutibus, Grammatica decorum in puro ſermone, omnium denique diſciplinarum leges, decori cuiuſdam leges ſunt, quia docent aliquid, quod aptè & decorè fiat: ſi qua verò eſt generalis diſciplina, generatim admonẽs, vt videamus, quid perſonis, rebus, locis, temporibus conueniat, ea rhetorica diſciplina non eſt, ſed dialectica, quæ iudicij ſola magiſtra eſt. Quamobrem partitio elocutionis tribus partibus alienis, & redundantibus vitioſa eſt: vnica virtus elocutionis eſt, ornatus, cuius duæ ſunt ſpecies, tropus & figura. 2 Craſſus obiter indicat Latinitatem ſermonis puerili, & Grammatica arte tradi & inſtitui, quòd cùm ita ſit, non debuit eam elocutionis oratoriæ partem facere: Grammatica enim Rhetoricæ pars non eſt: & quamuis ad ornatè dicendum neceſſe ſit Latinè ſcire, non tamen neceſſe eſt Latinitatem eloquentiæ virtutem vel partem eſſe: hoc enim argumento antecedentes artes conſequentium artium partes eſſent. in idem erroris veſtigium Fabius incidit, quod Ariſtoteles in ſuis Rhetoricis fecerat ἔστι δ᾽ ἀρχὴ τῆς λέξεως, τὸ ἑλληνίζειν, τοῦτο δ᾽ ἐστὶν ἐν πέντε, &c. *Cap. 5. lib. 3. ad Theodectem.* Principium quidem elocutionis eſt Græcè loqui: hoc autem quinque rebus efficitur, &c. 3 Sententia Craſſi vera eſt, puritatem ſermonis comparari non ſolùm arte, ſed multò magis exercitatione: quia in omni re plus vſus efficit, quàm ars. Partes autem Grammaticæ Craſſus præterit, quia faciles ſunt & peruulgatæ, & doctrinam redolent puerilem: exercitationi ſubiicit lectionem poetarum & oratorum, rectamque pronuntiationem. 4 In Latino ſermone non ſolùm fugiendus eſt barbariſmus in ſingulis verbis, aut ſolœciſmus in coniunctis, ſed etiã maximè ratio pronuntiationis habenda eſt, vt ea careat omni vitio, & ciuem Romanum ſonet: de

barbariſmi & ſolœciſmi generibus lege Fabium cap.5. lib.1. 5 In pronuntiatione quatuor oris & linguæ vitia notantur: primùm, fœda & putida literarũ expreſſio, cùm literæ non ſuo quæq; & naturali ſono, ſed alio quodam fœdo, & inſuaui proferuntur, vt cùm litera r nimium exaſperatur: ſecundum, obſcurata literarum pronuntiatio, qualis eſt in hominibus balbis, aut in his qui aliquot literas in dictione non proferunt, vt qui dicunt iſe pro ipſe: tertium, mollis & nimium exilis ſonus, & penè exanimatus, qualis eſt mulierculatum & effœminatorum hominum tam languidè loquentium, vt ſemimortuæ voces audiantur: quartum, ſonus anhelatus & vehementius quàm par ſit efflatus, qualem Catulus irriſit in Arrio,

Chommoda dicebat, ſi quando commoda vellet
Dicere, & inſidias, Arrius hinſidias.

6 Proxima diſtributio declaratur exemplis diſſimiliter inter ſe collatis hominum vitioſè & rectè pronuntiantium, L. Cotta loquitur aſperè, Catulus ſuauiter: Sermo & ſonus Atticorum multò eſt preſſior & vrbanior quàm Aſiaticorum, itemque Romanorum ciuium quàm Latinorum. 7 Credibile eſt veteres Romanos agreſtiore ſono vocis eſſe vſos, nondum inuentis φωνάσκοις, id eſt, magi-
In Bruto ſtris formandæ & componendæ vocis. 8 L. Cotta (vt ait Cicero) prætorius in mediocrium oratorum numero, dicendi non ita multum laude proceſſerat, ſed de induſtria cùm verbis, tum etiam ſono ipſo quaſi ſubruſtico proſequebatur at-
Lib.1. Offic. que imitabatur antiquitatem. 9 Cicero de Catulo alibi etiam ita ſcribit, Sonus erat dulcis: literæ nec expreſſæ, nec oppreſſæ, ne aut obſcœnum quid eſſet, aut putidum. 10 Athenienſibus ſincerum erat iudicium, teretes aures, ſumma humanitas pari cum vrbanitate coniuncta: itaque hi ſuauiſſimè & optimè pronuntiabant: quales enim ſunt hominum mores, talis ferè eſt linguæ ſonus, verborumque pronuntiatio. In Aſiaticis verò talis ſuauitas linguæ & vocis non fuit,
In Oratore. quia tales mores non erant. Hi (vt ait Cicero) aſciuerant aptum ſuis auribus, adipale & opimum dicendi genus: & quia moribus erant magis agreſtes, ita voce & lingua vaſti magis & abſoni. 11 Athenienſium ciuium doctrina paulatim vnà cum Republ. & libertate interierat: hi à Macedonibus ſubacti, & à Romanis tandem oppreſſi, ſtudia humanitatis deponere, & artes ad ſubſidium vitæ magis neceſſarias tractare coacti ſunt. Neq; tamen tum literæ Athenis penitùs iacuerunt, ſed peregrini huc vndiq; confluebant, vt in gymnaſiis philoſophos & oratores audirent, quos quidem ciues ipſi non audiebant, & tamen doctiſſimos quoſq; ex-
Cic. in Brut. ternos & non ciues ſono & ſuauitate vocis facilè vincebant. 12 Q. Valerius Soranus natione Latinus doctus erat, & Græcis literis & Latinis, ſed non tam preſsè & ſuauiter verba proferebat, quàm quiuis Romanus ciuis, vel indoctiſſimus, quia neq; natus, neq; educatus Romæ fuerat. hunc locum de Romana & Attica vocis ſuauitate Cicero illuſtrat exemplis in Bruto, Illud eſt maius, quòd in vocibus noſtrorum oratorum recinit quiddam, & reſonat vrbanius: nec hoc in oratoribus modò apparet, ſed etiam in cæteris: Ego memini T. Tincam Placentinum hominem facetiſſimum cum familiari noſtro Q. Granio præcone dicacitate certare. Eón' (inquit Brutus) de quo multa Lucilius? iſto ipſo: ſed Tincam non minus multa ridiculè dicentem Granius obruebat neſcio quo ſapore vernaculo, vt ego iam non mirer illud Theophraſto accidiſſe, quod dicitur, cùm percunctaretur ex anicula quadam, quanti aliquid venderet, & reſpondiſſet illa, atq; addidiſſet, hoſpes non pote minoris, tuliſſe eum moleſtè ſe non effugere hoſpitis ſpeciem, cùm ageret Athenis, optiméq; loqueretur. Omnino (ſicut opinor) in noſtris eſt quidam vrbanorum, ſicut ille Atticorum ſonus. 13 Concludit animaduerſionem de paranda ſuaui & vrbana pronuntiatione, additis aliquot exemplis diſſimiliter inter ſe collatis:

Lælia rectè profert, id eſt, preſsè, æquabiliter & leniter.
Cotta & Sulpitius in quibuſdam literis peccant.

S 4 Cicero

Cicero in Bruto, Auditus (ait) eſt nobis Læliæ C. filiæ ſæpe ſermo: ergo illam elegantia patris tinctã vidimus. 14 Vitiſi Cottæ & Sulpitij dicitur πλατειασμὸς, id eſt, oris deprauata latitudo, cùm literæ vaſto ſono proferuntur: cui opponitur ἰσχνότης, id eſt, exilitas vocis, vel χειλοσομία, id eſt, oris concauitas, cùm vox velut è cauo ſpecu, & profundo receſſu oris malè reſonat. Cotta igitur vaſto orè pronuntiare cupiens, iota literã non proferebat in verbis, quia perexilem ſonum haberet, & e pleniſſimum dicebat, id eſt, vaſto & hiulco ore, quo plenius audiretur. 15 Craſſus confert in breuem epilogum præcepta Latinè loquendi, & ad doctrinam perſpicuitatis tranſitum facit, quam orationis virtutem eſſe non inficiamur: at elocutionis Rhetoricæ propriam virtutem eſſe negamus. Oratio perſpicua eſt, non ſolùm quia ſit ornata tropis & figuris, quæ ſunt lumina eloquentiæ, ſed etiam quia Latina & emendata, quæ ſunt lumina Grammaticæ: & quia rebus rectè inuentis & diſpoſitis inſtructa, quæ ſunt lumina dialecticæ: Craſſus autem videtur virtutem communem multarum artium, & ex multis diſciplinis collectam, vni ſoli eloquentiæ tribuere, ſola (vt opinor) Ariſtotelis authoritate permotus, apud quem iſta legerat, καὶ ὡρίσθω λέξεως ἀρετὴ σαφῆ εἶναι· σημεῖον γάρ ὅτι ὁ λόγος ἐὰν μὴ δηλοῖ, οὐ ποιήσει τὸ ἑαυτοῦ ἔργον. id eſt, elocutionis virtus definiatur, vt ſit perſpicua: hoc enim argumento nobis eſt, quia niſi oratio rem declarat, munus ſuum præſtare atque efficere non poſſit. 16 Perſpicuitas orationis (vt Craſſus obiter admonet) tribus cauſſis adiuuatur, ſi Latinè dicas: hoc enim fundamentum eſt eloquentiæ, ſi verba rem propriè ſignificantia in oratione ponas: ſingulis enim rebus ſignificandis verba propriè accommodata ſunt, ſi verbis vſitatis vtare: nam inuſitata nõ intelligunt, qualia ſunt oratoris cuiuſdam apud Gellium. Hic eques Romanus apludã edit, & floces bibit: legerat ille apud veteres apludam pro frumenti furfure dici: itemq; floces pro vini fæce è vinaceis expreſſa: quæ tamen duo vocabula iampridem obſoleta erant: hæc igitur tria, Latinè loqui, & propriè & vſitatè, neceſſaria quidem ſunt, ſed tamen eorum præcepta Grammatica ſunt, non oratoria. Adiuuatur etiam perſpicuitas fuga & declinatione ſeptem vitiorum, quæ obſcuritatem pariunt, vt ſi homonymiam in dicendo fugimus, idque in ſingulis verbis, & in coniunctis, de quibus lege Fabium libro ſeptimo, ſi nimis longam periodum, quo in genere interdum mihi Titus Liuius videtur eſſe paulò obſcurior: ſi nimis productam Allegoriam, qualis eſt illa Horatij, *Lib. 3. cap. 2.*

O nauis referent in mare te noui, &c.

Si diſſipatas & male cohærentes ſententias, quales ſunt morionum & ſtultorum: ſi præpoſtera tempora, vt ſi quæ prius geſta ſunt, poſterius: aut quæ poſterius, prius exponamus, quod tamen interdum permittitur poetis: ſi confuſionẽ perſonarum, vt ſi ſingulorum hominum nomina non ſatis apertè diſtinguamus: ſi perturbationem ordinis, quod vitium in dicendo longè omnium maximum eſt: ſed horum ſeptem vitiorum duo Grammatica ſunt, primum & ſecundum, tertium ſolum Rhetoricũ, reliqua deinceps quatuor dialecticæ methodi. 17 Lucius Fuſius & Cn. Pomponius obſcurè dicebant in foro & cauſſis ciuilibus, quia peccabant contra legem dialecticæ methodi, quæ iubet vnumquodq; ſuo loco & ordine dicere, & contra Grammaticam & Rhetoricam, quæ verborum eligendorum & collocandorum ſcientiam profitentur: de his Cicero in Bruto ſcribit, licèt non in hanc eandem ſententiam, Cn. Pomponius lateribus pugnans, incitans animos, acer, acerbus, criminoſus, multùm ab his aberat. L. Fuſius tamen ex accuſatione M. Aquilij elegantiæ fructum ceperat.

¹ *Verùm, ſi placet, quoniã hæc ſatis ſpero, vobis quidem certè maioribus moleſta & putida videri, ad reliqua ali-*

quanto odioſiora pergamus. Atqui vides, inquit Antonius, quàm alias res agamus, quàm te inuiti audiamus: qui adduci poſſumus (de me enim conijcio) relictis vt rebus omnibus te ſectemur, te audiamus: ita de horridis rebus nitida, de ieiunis plena, de peruulgatis noua quædam eſt oratio tua. [2] Faciles enim, inquit, Antoni, partes eæ fuerunt duæ, quas modo percucurri, vel potius penè præterij, Latinè loquendi, planeq; dicendi: reliquæ ſunt magnæ, implicatæ, variæ, graues, quibus omnis admiratio ingenij, omnis laus eloquentiæ continetur. Nemo enim vnquam eſt oratorem, quòd Latinè loqueretur, admiratus: ſi eſt aliter, irrident: neq; eum oratorem tantummodo, ſed hominem non putant. Nemo extulit eum verbis, qui ita dixiſſet, vt qui adeſſent, intelligerent quid diceret: ſed contempſit eum qui minus id facere potuiſſet. In quo igitur homines exhorreſcunt? quem ſtupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? quem deum, vt ita dicam, inter homines putant? [3] Qui diſtinctè, qui explicatè, qui abundanter, qui illuminatè & rebus & verbis dicũt, & in ipſa oratione quaſi quendam numerum verſumq; conficiunt, id eſt quod dico ornatè. [4] qui idem ita moderantur, vt rerum, vt perſonarum dignitates ferunt, ij ſunt in eo genere laudandi laudis, quod ego aptum & congruens nominem. Qui ita dicerent, eos negauit adhuc ſe vidiße Antonius, & ijs hoc nomẽ dixit eloquentiæ ſolis eſſe tribuendum. [5] Quare omnes iſtos, me authore, deridete atq; contemnite, qui ſe horum, qui nunc ita appellantur, Rhetorum præceptis omnem oratorum vim complexos eſſe arbitrantur, neq; adhuc quam perſonam teneant, aut quid profiteantur, intelligere potuerunt. Verùm enim oratori, quæ ſunt in hominum vita, quandoquidem in ea verſatur orator, atq; ea eſt

ei ſub-

ei ſubiecta materies, omnia quæſita, audita, lecta, diſputata, tractata, agitata eſſe debent. [6] *Eſt enim eloquentia vna quædam de ſummis virtutibus,* [7] *quanquam ſunt omnes virtutes æquales & pares: ſed tamen eſt ſpecies alia magis formoſa & illuſtris: ſicut hæc vis, quæ ſcientiam complexa rerum, ſenſa mentis & conſilia ſic verbis explicat, vt eos qui audiunt, quocunque incubuerit, poſſit impellere: quæ quò maior eſt vis, hoc eſt magis probitate iungenda, ſummáque prudentia: quarum virtutum expertibus ſi dicendi copiam tradiderimus, non eos quidem oratores effecerimus,* [8] *ſed furentibus quædam arma dederimus.* [9] *Hanc inquam cogitandi pronuntiandiq; rationem, vimq; dicendi, veteres Græci ſapientiam nominabant. hinc illi Lycurgi, hinc Pittaci, hinc Solones: atq; ab hac ſimilitudine Coruncani noſtri, Fabricij, Catones, Scipiones fuerunt, non tam fortaſſe docti, ſed impetu mentis ſimili, & voluntate.* [10] *Eadem autem alij prudentia, ſed conſilio ad vitæ ſtudia diſpari, quietem atq; otium ſecuti, vt Pythagoras, Democritus, Anaxagoras, à regendis ciuitatibus totos ſe ad cognitionem rerum tranſtulerunt: quæ vita propter tranquillitatem, & propter ipſius ſcientiæ ſuauitatem, qua nihil eſt hominibus iucundius, plures, quàm vtile fuit rebus publicis, delectauit. Itaq; vt ei ſtudio ſe excellentiſſimis ingenijs homines dediderunt, ex ea ſumma facultate vacui ac liberi tẽporis multò plura, quàm erat neceſſe, doctiſſimi homines otio nimio & ingenijs vberrimis affluentes, curanda ſibi eſſe, ac quærenda & inueſtigãda duxerunt.* [11] *Nam vetus quidem illa doctrina eadem videtur & recte faciendi, & bene dicendi magiſtra: neq; diſiuncti doctores, ſed ijdem erant viuendi præceptores, atq; dicendi: vt ille apud Homerum Phœnix, qui ſe à Peleo*

patre Achilli iuueni comitem eſſe datum dicit ad bellum, vt illum efficeret oratorem verborum, actorémque rerum. [12] Sed vt homines labore aſsiduo & quotidiano aſſueti, cùm tempeſtatis cauſſa opere prohibentur, ad pilam ſe, aut ad talos, aut ad teſſaras conferunt, aut etiam nouum ſibi ipſi aliquem excogitant in otio ludum: ſic illi à negotijs publicis tanquam ab opere, aut temporibus excluſi, aut voluntate ſua feriati, totos ſe alij ad Poetas, alij ad Geometras, alij ad Muſicos contulerunt: alij etiam, vt dialectici, nouum ſibi ipſi ſtudium ludúmq; pepererunt: atq; in ijs artibus quæ repertæ ſunt, vt puerorum mentes ad humanitatem fingerentur, atq; virtutem, omne tempus atq; ætates ſuas conſumpſerunt. [13] Sed quòd erant quidam, ijq; multi, qui aut in Republica propter ancipitem, quæ non poteſt eſſe ſeiuncta, faciendi dicendíq; ſapientiam florerent, vt Themiſtocles, vt Pericles, vt Theramenes: [14] aut qui minus ipſi, in Republica verſarentur, ſed vt huius tamen eiuſdem ſapientiæ doctores eſſent, vt Gorgias, Thraſymachus, Iſocrates: inuenti ſunt, qui quum ipſi doctrina & ingenijs abundarent, à re autem ciuili, & à negotijs animi quodam iudicio abhorrerent, hanc dicendi exercitationem exagitarent atq; contemnerent: quorum princeps Socrates fuit, is qui omnium eruditorum teſtimonio, totiusq; iudicio Græciæ, quum prudentia, & acumine, & venuſtate, & ſubtilitate, tum verò eloquentia, varietate, copia, quam ſe cumque in partem dediſſet, omnium fuit facile princeps. Ii, qui hæc quæ nos nunc quærimus, tractarent, agerent, docerent, quum nomine appellarentur vno, quòd omnis rerum optimarum cognitio, atq; in ijs exercitatio, philoſophia nominaretur, [15] hoc commune nomen eripuit, ſapienterq; ſentiendi, & ornatè dicendi ſcientiam,

reco-

re cohærentes, diſputationibus ſuis ſeparauit: cuius ingenium variosq́ ſermones immortalitati ſcriptis ſuis Plato tradidit, quum ipſe literam Socrates nullam reliquiſſet. Hinc diſſidium illud extitit quaſi linguæ atq; cordis, abſurdum ſane, & inutile, & reprehendendum, vt alij nos ſapere, alij dicere docerent. Nam quum eſſent plures orti ferè à Socrate, quòd ex illius varijs & diuerſis, & in omnem partem diffuſis diſputationibus alius aliud apprehenderat, proſeminatæ ſunt quaſi familiæ diſſentientes inter ſe, & multum diſiunctæ & diſpares: quum tamen omnes ſe philoſophi Socraticos & dici vellent, & eſſe arbitrarentur.

1 Tranſitus ad tertiam elocutionis virtutem feſtiuis & vrbanis ſentētiis exornatur: Craſſus enim modeſtiæ gratia ſeipſum extenuat, quaſi indigna audita ſint ea, quæ dixerit, dicturúſue ſit, & Antonius εἰρωνικῶς iocum hunc alio ioco eludit: argumentum Antonij eſt à repugnantibus:

Nos cæteris rebus relictis teipſum ſectamur:
Non igitur inuiti audimus.

2 Craſſus continuationis gratia comparat duas ſuperiores, virtutes cum duabus reliquis ſequentibus argumento diſſimilitudinis:

Faciles ſunt illæ & peruulgatæ, hæ verò difficiles & admirabiles.

Qui locus illuſtratur alia diſſimilitudine:

Latinè & perſpicuè dicendi magna laus non eſt:
Ornatè verò & aptè dicendi ſumma etiam admiratio.

Quæ diſſimilitudo diſiunctis & ſeparatis artibus verè quadrabit: nam vt Rhetorica & Dialectica Grammaticæ præſtant, ſic ornatus qui Rhetoricæ proprius eſt, & decorum quod Dialecticæ eſt, maiore in honore ſunt, quàm Latinitas, quæ eſt virtus Grammaticæ artis: aut perſpicuitas, quæ eſt virtus communis multarum artium & peruulgata. 3 Ornatus definitio, ſi (vt debet) à perſpicuitate diſtinguitur, vitioſa eſt, quia perſpicuitatem etiam comprehendit: nec verò ſi, vt ornatè dicas, perſpicuè etiam dicendum eſt, ſequitur vt in definiendo ornatu Rhetorico, mentio vlla perſpicuitatis facienda ſit: Perſpicuitas enim non eſt de natura & eſſentia ornatus, quemadmodum neque copia & abundantia rerum: ornatus igitur definiendus fuit ex modificatione verborum ſingulorum & conformatione coniunctorum, in quibus conſiſtit omnis laus eloquentiæ, id eſt, Rhetoricæ elocutionis. 4 Laus decori magna quidem eſt, & magnopere laudabilis, neque tamen oratoris propria, aut rhetoricæ elocutionis: decorum enim generaliter ex dialectico iudicio deducitur, ſpecialiter autem ex omnium artium ſcientia & vſu: omnes enim artes docent aliquid, quod aptè & decorè fiat: in dicendo autem conſiderare quid rebus, quid perſonis, quid locis, quid temporibus conueniat, non eſt oratoriæ artis, ſed dialecticæ facultatis & prudentiæ. 5 Craſſus nondum incipit de ornatu præcipere, ſed longa digreſſione quaſi tempeſtate aliqua abreptus excurrit in communem locum de philoſophia oratori neceſſaria. Primùm igitur rhetorum ſcholæ irridentur, quæ eloquētiam ſine philoſophia

tradunt: argumentum intelligitur à repugnantibus:

Orator debet eſſe in omnium rerum ſc.entia verſatus:

Non igitur ſolis rhetorum ſcholis & præceptis contentus eſt.

Quo nomine oratoris Craſſus vt in ſuperioribus dialogis, virum politicum defi nit,actorem ciuilium cauſſarum,multis artibus & diſciplinis inſtructum & orna tum:Oratorem hominem vnius generis & artis verè & propriè nō definit:ex qua vitioſa definitione natus eſt error vitioſæ & multiplicis & confuſæ artis rhetoricæ, quæ in ſuis præceptis plus habet alieni,quàm ſui & proprij. 6 Proximus locus de doctrina eloquentiæ confirmatur ab adiunctis:

Eloquentia vna eſt de ſummis virtutibus:

Hæc igitur reliquas artes in ſe complectitur.

7 Virtutes omnes æquè virtutes ſunt,quia ſpecies generis ſui naturam ex æquo participant, æquales autem inter ſe non ſunt, ſed aliæ aliis maiores & illuſtriores,vt iuſtitia maior & præſtantior eſt fortitudine: quantitas igitur aduentitia quædam res eſt,quæ per omnes gradus comparationis ducitur parium, maiorum,minorum, in quo Stoici hallucinati ſunt. 8 Orator ſine rerum prudentia comparatur homini furioſo gladium & arma geſtanti, quia orator improbus & nequam eloquentiæ inſtrumēto abutitur ad perniciem Reipubl.& multorum ciuium. 9 Vetus ſapientiæ & eloquentiæ coniunctio repetitur ab antiquiſſimis temporibus,& illuſtratur variis exemplis Græcorum & Romanorum,vbi Lycurgi,Pittaci,Solones,Coruncani,Fabritij,Catones,Scipiones,per ſynecdochem eleganter & venuſtè dicuntur pro Lycurgo,Pittaco,Solone,Coruncano,Fabritio, Catone, Scipione: in quibus ſi non ſumma fuit prudentiæ & eloquentiæ perfectio,at mediocris certè adumbratio:de tribus illis Græcis quantum & conſilio & eloquentia valuerint, hiſtorici ſat's multa ſcribunt. Cicero ſuſpicatur Caium Fabritium fuiſſe diſertum,quia ſit ad Pyrrhum de captiuis recuperandis miſſus orator. T. Coruncanum,quòd ex Pontificum commentariis longè plurimùm ingenio valuiſſe videatur: idem M.Catonem non ſolùm bonum ciuem, aut ſenatorem, aut imperatorem, ſed etiam oratorem dic't, & P.Africanum imprimis eloquentem. 10 Exempla ſunt ſuperioribus diſſimilia veterum philoſophorum, qui à publicis & oratoriis ſtudiis ſe totos ad contemplationem rerum contulerunt. Itaque eorum inertia factum eſt,vt ab eloquentia populari ſtudium ſapientiæ diſtraheretur.Pythagoras philoſophatus eſt in ea parte Italiæ,quæ dicebatur magna Græcia, Democritus apud Mileſios, Anaxagoras Clazomenius captus contemplatione rerum naturalium publicam & priuatam rem adeò neglexit, vt interroganti cuidam, Nullàne tibi patriæ cura eſt? dixerit, Mihi verò patriæ cura,& quidem ſumma eſt,digitum intendens in cœlum. 11 Vetus artium coniunctio, Homerico exemplo Phœnicis confirmatur, qui apud Homerum ait ſe à Peleo Achilli iuueni comitem datum eſſe ad bellum Troianum,vt eſſet ei & orator verborum, & actor rerum. id eſt,vt eum eloquentiam ſimiliter & ſapientiam doceret. verſus Homerici ſunt, *Lib. 9. Iliad.*

Σοὶ δέ μ' ἔπεμπε γέρων ἱππηλάτα Πηλεὺς
Ἤματι τῷ, ὅτε σ' ἐκ Φθίης Ἀγαμέμνονι πέμπε
Νήπιον, οὔπω εἰδόθ' ὁμοιΐου πολέμοιο,
Οὐδ' ἀγορέων, ἵνα τ' ἄνδρες ἀριπρεπέες τελέθουσι:
Τοὔνεκά με προέηκε διδασκέμεναι τάδε πάντα:
Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.

Id eſt,

Me tecum miſit Peleus eques obrutus annis,
Tempore quo Phthiam te inuiſere iuſſit Atridem:
Cùm iuuenis nondum eſſes Martem expertus acerbum,

Nec

Nec cætus, qui homines faciunt virtute decoros.
Hac ratione comes tibi ſum datus atq; magiſter,
Vt verbis rhetor fieres, vita & moribus actor.

12 Hæc ſimilitudo declarat quomodo factæ ſint variæ artium diſtinctiones, id eſt, variæ, & diſtinctæ profeſſiones, vt alij aliis in artibus & ſtudiis ſeparatim elaborarint, alij in poëſi, alij in Geometria, alij in Muſica, alij in Dialectica, &c. 13 Plutarchus Themiſtocli neque eloquentiæ, neque doctrinæ magnam laudem tribuit, ſed impetum naturæ vehementem ad res magnas capeſſendas & gerendas: idemque ſcribit Thucydides lib. 1. Socrates in Phædro Platonis ait Periclem cæteris præſtitiſſe oratoribus, quòd is Anaxagoræ phyſici auditor fuerit, à quo cenſet eum, cùm alia præclara quædam & magnifica didiciſſet, vberem & fœcundum fuiſſe, gnarumque (quod eſt eloquentiæ maximum) quibus orationis modis quæque animorum partes pellerentur. Theramenes, Agnonis filius, inter primos extitit eorum, qui popularem ſtatum diſſoluerunt, vir neque ad dicendum, neque ad intelligendum inualidus, vt ait Thucydides lib. 8. 14 Sophiſtæ Rempub. non attingebant, vt Gorgias Leontinus, Thraſymachus Calchedonius, Iſocrates Athenienſis, ſed in ſcholis iuuentutem docebant, pollicebanturque ſapientiam regendæ ciuitatis, id eſt, eloquẽtiam & ſcientiam moralem, politicam, œconomicam. 15 Hoc loco per mihi mirum viſum eſt, iſta dici contra Socratem à Cicerone præſertim, qui libros Platonis lectitauit, vbi tantùm abeſt, vt Socrates diuortium eloquentiæ & philoſophiæ fecerit, aut coniunctam & mutuam harum artium exercitationem improbarit, vt contrarium prorſus ipſe ſentiat & confirmet: in Gorgia reprehendit oratores ſui temporis, qui tantũ diſerti eſſent, non etiam boni & ſapientes: itemq; ſophiſtas, qui ſine vera philoſophia rhetoricam traderent falſam & improbam, quam vocat corruptelam iuſtitiæ: in Phædro diſputat eloquentiam ſine philoſophia perfectam non eſſe, & Periclem cæteris oratoribus anteponit, quòd eloquentiam cum philoſophia copularit. Quæ cùm ita ſint, Socrates (pace Craſſi dixerim) diſſidium linguæ & cordis non fecit, nec alios ſapiendi doctores, alios dicendi eſſe voluit, immò verò ſophiſtas, qui id facerent perpetuis diſputationibus ſuis exagitauit.

[1] Ac primò ab ipſo Platone, [2] Ariſtoteles & Xenocrates: quorũ alter Peripateticorũ, alter Academiæ nomẽ obtinuit: [3] deinde ab Antiſthene, qui patientiã & duritiam in Socratico ſermone maximè adamarat, Cynici primũ, deinde Stoici: [4] tum ab Ariſtippo, quẽ illæ magis voluptariæ diſputationes declarãt, Cirenaica philoſophia manauit: quàm ille & eius poſteri ſimpliciter defenderãt: ij qui nunc voluptate omnia metiuntur, dum verecũdius id agunt, nec dignitati ſatisfaciunt, quã nõ aſpernantur: nec voluptatẽ tuentur, quã amplexari volunt. Fuerũt etiã alia genera philoſophorum, qui ſe omnes ferè Socraticos eſſe dicebant, [5] Eretricorum, [6] Herilliorum, [7] Megaricorum, [8] Pyrrhoneorũ: ſed ea ho-

rum vi & diſputationibus ſunt iam diu fracta & extincta. [9] Ex illis autem quæ remanent, ea philoſophia quæ ſuſcepit patrocinium voluptatis, etſi cui cura videatur, procul abeſt tamen ab eo viro, quem quærimus, & quem authorem publici conſilij & regendæ ciuitatis ducem, & ſententiæ atque eloquentiæ principem in Senatu, in populo, in cauſsis publicis eſſe volumus: nec vlla tamen ei philoſophiæ fiet iniuria à nobis. Non enim repelletur inde quò aggredi cupiet, ſed in hortulis quieſcet ſuis, vbi vult, vbi etiam recubans molliter & delicate, nos auocat à roſtris, à iudicijs, à curia, fortaſſe ſapienter, ac præſertim à Republica. Verùm ego non quæro nunc quæ ſit philoſophia veriſsima, ſed quæ oratori coniuncta maximè. Quare iſtos ſine vlla contumelia dimittamus. Sunt enim & boni viri, & quoniam ſibi ita videntur, beati: [10] tantumq́; eos admoneamus, vt illud, etiam ſi eſt veriſsimum, tacitum tamen [11] tanquam myſterium teneat, quod negant verſari in Republica, eſſe ſapientis. Nam ſi hoc nobis atque optimo cuique perſuaſerint, non poterunt ipſi eſſe, id quod maximè cupiunt, otioſi. [12] Stoicos autem, quos minimè improbo, dimitto tamen: nec eos iratos vereor, quoniam omnino iraſci neſciunt: atque hanc ab ijs habeo gratiam, quòd ſoli ex omnibus eloquentiam, virtutem, ac ſapientiam eſſe dixerunt. ſed vtrumque eſt in his, quòd ab hoc quem inſtruimus, oratore valde abhorreat, vel quòd omnes qui ſapientes non ſint, ſeruos, latrones, hoſtes, inſanos eſſe dicunt, neque tamen quenquam eſſe ſapientem. Valde autem eſt abſurdum, ei concionem, aut Senatum, aut vllum cœtum hominum committere, cui nemo illorum qui adſint, ſanus, nemo ciuis, nemo liber eſſe videatur. [13] Accedit, quòd orationis etiam genus habent fortaſſe ſubtile, & certè acutum

tum: ſed vt in oratore, exile, inuſitatum, abhorrens ab auribus vulgi, obſcurum, inane, ieiunum: attamen eiuſmodi, quo vti ad vulgus nullo modo poßis. Alia enim & bona & mala videntur Stoicis, & cæteris ciuibus, vel potius gentibus: alia vis honoris, ignominiæ, præmij, ſupplicij. verè an ſecùs, nihil ad hoc tempus: ſed ea ſi ſequamur, nullam vnquam rem dicẽdo expedire poßimus. [14] *Reliqui ſunt Peripatetici & Academici: quanquam Academicorum nomen eſt vnum, ſententiæ duæ. nam Speuſippus Platonis ſororis filius, & Xenocrates, qui Platonem audierat, & qui Xenocratem Polemo & Crantor, nihil ab Ariſtotele, qui vnà audierat Platonem, magnopere diſſenſit: copia fortaſſe & varietate dicendi pares non fuerunt. Arceſilas primùm, qui Polemonem audierat, ex varijs Platonis libris, ſermonibusq́; Socraticis hoc maximè arripuit, nihil eſſe certi quod aut ſenſibus, aut animo percipi poßit. Quem ferunt eximio quodam vſum lepôre dicendi, aſpernatum eſſe omne animi ſenſusq́; iudicium, primúmque inſtituiſſe (quanquam id fuit Socraticum maximè) non quid ipſe ſentiret oſtendere, ſed contra id quod quiſque ſe ſentire dixiſſet, diſputare. Hinc hæc recentior Academia emanauit, in qua extitit diuina quadam celeritate ingenij, dicendíque copia Carneades: cuius ego etſi multos auditores cognoui Athenis, tamen authores certißimos laudare poſſum, & ſocerum meum Scæuolam, qui eum Romæ audiuit adoleſcẽs, & Q. Metellum L. F. familiarem meum, clarißimum virum, qui illum à ſe adoleſcente Athenis iam affectum, ſenectute multos dies auditum eſſe dicebat.* [15] *Hæc autem vt ex* [16] *Apennino fluminum, ſic ex communi ſapientium iugo ſunt doctrinarum facta diuortia, vt philoſophi tanquam in*

ſuperum mare Ionium defluerent Græcum quiddam, & portuoſum: oratores autem in inferum hoc Tuſcum & barbarum, ſcopuloſum atq; infeſtum laberetur, in[17] *quo etiam ipſe Vlyſſes erraſſet.* [18] *Quare ſi hac eloquentia, atq; hoc oratore contenti ſumus, qui ſciat aut negare oportere quod arguare, aut, ſi id non poßit, tum oſtendere quod is fecerit, qui inſimuletur, aut recte factum, aut alterius culpa, aut iniuria, aut ex lege, aut non contra legem, aut imprudentia, aut neceſſariò, aut non eo nomine vſurpandum, quo arguatur, aut non ita agi vt debuerit, ac licuerit: & ſi ſatis eſſe putatis, ea quæ iſti ſcriptores artis docent, diſcere, quæ multò tamen ornatius quàm ab illis dicuntur, & vberius explicauit Antonius: ſed ſi his contenti eſtis, atq; ijs etiam quæ dici voluiſtis à me,*[19] *ex ingẽti quodam oratorem, immenſóq; campo in exiguum ſanè gyrum compellitis. Sin veterem illum*[20] *Periclem, aut hunc etiam qui familiarior nobis propter ſcriptorum multitudinem eſt,*[21] *Demoſthenem ſequi vultis: & ſi illam præclaram & eximiam ſpeciem oratoris perfecti, & pulchritudinem adamaſtis: aut vobis hæc*[22] *Carneadia, aut illa Ariſtotelia vis comprehẽdẽda eſt.*[23] *Namque (vt antè dixi) veteres illi vſq; ad Socratem, omnem omnium rerum quæ ad mores hominum, quæ ad vitam, quæ ad virtutem, quæ ad Rempub. pertinebant, cognitionem & ſcientiam cum dicendi ratione iungebant:*[24] *poſtea diſſociati (vt expoſui) à Socrate, diſerti à doctis, & deinceps à Socraticis item omnibus philoſophi, eloquentiam deſpexerunt, oratores ſapientiam: neq; quicquam ex alterius parte tetigerunt, niſi quod illi ab his, aut ab illis hi mutuarẽtur, ex quo promiſcuè haurirent, ſi manere in priſtina communione voluiſſent.*[25] *Sed vt Pontifices veteres propter ſacrificiorum multi-*

multitudinem tres viros Epulones eſſe voluerunt, quum eſſent ipſi à Numa, vt etiam illud ludorum Epulare ſacrificium facerent, inſtituti: ſic Socratici à ſe cauſſarum actores, à communi philoſophiæ nomine ſeparauerunt, cùm veteres dicendi & intelligendi mirificam ſocietatem eſſe voluiſſent.

[26] *Quæ cùm ita ſint, paululum equidem de me deprecabor, & petam à vobis, vt ea quæ dicam non de memet ipſo, ſed de oratore dicere putetis. Ego enim ſum is, qui quum ſummo ſtudio patris in pueritia doctus eſſem, & in forum ingenij tantum quantum ipſe ſentio, non tantum quantum ipſe forſitan vobis videar, detuliſſem, nō poſſim dicere me hæc quæ nunc complector, perinde vt dicam diſcenda eſſe, didiciſſe: quippe qui omnium maturrimè ad publicas cauſſas acceſſerim, annoſq; natus vnum & viginti, nobiliſſimū hominem & eloquentiſſimum in iudicium vocarim, cui diſciplina fuerit forum, magiſter vſus, & leges & inſtituta populi Romani, moſq; maiorum: Paulùm ſitiens iſtarum artium, de quibus loquor, guſtaui Quæſtor in Aſia, cùm eſſem æqualem ferè meum ex Academia rhetorum nactus Metrodorum illum, de cuius memoria commemorauit Antonius: & inde decedens, Athenis: vbi ego diutius eſſem moratus, niſi Athenienſibus,* [27] *quòd myſteria non referrēt, ad quæ biduo ſerius veneram, ſuccenſuiſſem. Quare hoc, quòd complector tantam ſcientiam, vimq; doctrinæ, non modo non pro me, ſed cōtra me eſt potius. Non enim quid ego, ſed quid orator poſſit, diſputo:* [28] *atq; hos omnes qui artes rhetoricas exponunt, perridiculos. Scribunt enim de litium genere, & de principijs, & de narrationibus: illa vis autem eloquentiæ tanta eſt, vt omnium rerum, virtutum, officiorum, omniſq; naturæ, quæ mores hominum, quæ animos, quæ vitam con-*

*tinet, originem, vim, mutationesq́ teneat: eadem mores, le-
ges, iura deſcribat, Rempubl. regat, omnia quæ ad quamcun
que rem pertineant, ornatè copioſeq́ dicat.* [29] *In quo genere
nos quidem verſamur tantum, quantum poſſumus, quan-
tum ingenio, quantum mediocri doctrina, quantum vſu va
lemus. neq́ tamen iſtis qui in vna philoſophia quaſi taber-
naculum vitæ ſuæ collocarunt, multùm ſanè in diſputatione
concedimus. Quid enim meus familiaris C. Velleius afferre
poteſt, quamobrem voluptas ſit ſummum bonum, quod ego
non copioſius poſſim vel tutari ſi velim, vel refellere ex il-
lis locis, quos expoſuit Antonius, hac dicendi exercitatio-
ne, in qua Velleius eſt rudis, vnuſquiſque noſtrûm verſa-
tus? Quid eſt quod aut Sext. Pompeius, aut duo Balbi, aut
meus amicus, qui cum Panætio vixit, M. Vigellius de vir-
tute, homines Stoici poſſint dicere, qua in diſputatione ego
his debeam, aut veſtrûm quiſquam concedere?* [30] *Non eſt
enim philoſophia ſimilis artium reliquarum: nam quid fa-
ciet in Geometria qui non didicerit? quid in muſicis? Aut
taceat oportebit, aut ne ſanus quidem iudicetur: Hæc verò
quæ ſunt in philoſophia, ingenijs eruuntur ad id quod in
quoque veriſimile eſt, eliciendum acutis atque acribus: eaq́
exercitata oratione poliuntur.* [31] *Hic, hic noſter vulgaris o-
rator ſi minus erit doctus, attamen in dicendo exercitatus,
hac ipſa exercitatione communi iſtos quidem noſtros ver
berabit, neque ab ijs ſe contemni ac deſpici ſinet. Sin aliquis
extiterit aliquando qui Ariſtotelio more de omnibus re-
bus in vtramque ſententiam poſſit dicere, & in omni cauſ-
ſa duas contrarias orationes præceptis illius cognitis expli-
care, aut hoc Arceſilæ modo & Carneadis contra omne
quod propoſitum ſit, diſſerat, quiq́ ad eam rationem adiun*

gat

gat hunc rhetoricum vſum, morémque exercitationémque dicendi: is ſit verus, is perfectus, is ſolus orator. Nam neque ſine forenſibus neruis ſatis vehemens & grauis, nec ſine varietate doctrinæ ſatis politus & ſapiens eſſe orator poteſt. [32] *Quare Coracem iſtum veſtrum patiamur nos quidem pullos ſuos excludere in nido, qui euolent clamatores odioſi ac moleſti:* [33] *Pamphilúmque neſcio quem ſinamus in infulis tantam rem, tamq́ pueriles delicias aliquas depingere: nóſque ipſi hac tam exigua diſputatione heſterni & hodierni diei totum oratoris munus explicemus, dummodo illa res tanta ſit, vt omnibus philoſophorum libris, quos nemo oratorum iſtorum vnquam attigit, comprehenſa eſſe videatur.*

1 Craſſus hactenus docuit eloquentiam philoſophiæ coniungendam eſſe: ſequitur vt videamus, quandoquidem variæ ſunt ſectę philoſophorum, quam potiſſimùm orator ſequi debeat ad exercitationem forenſis & popularis eloquentiæ: qua de cauſſa deſcribitur progenies Socraticorum philoſophorum, & in varias quaſi familias diſtinguitur Peripateticorum, Academicorum, Cynicorum, ſiue Stoicorum, Cyrenaicorum ſiue Epicureorum, Eretricorum, Herilliorum, Megaricorum, Pyrrhoneorum: & cæteris ab oratoria exercitatione reiectis, tandem concluditur Academicorum & Peripateticorum philoſophiam oratori ad vſum forenſem maximè conſentaneam eſſe, quod etiam in Oratore perfecto, in Bruto, & paſſim in philoſophicis libris M. Tullius affirmauit. 2 Ariſtoteles Stagirites, Nicomachi filius, Platonis diſcipulus, docuit in Lycio, vbi vſq; ad vnctionem περιπατῶν, id eſt, deambulans cum ſuis diſcipulis philoſophabatur, vnde Peripateticus dictus eſt, & exinde ſectatores eius Peripatetici: Xenocrates Calchedonius, Ariſtotelis condiſcupulus, Speuſippo Platonis nepoti ſucceſſit in Academia anno ſecũdo olympiados centeſima decima, eamq; viginti annis rexit, à quo loco Academici dicti ſunt. 3 Antiſthenes Athenienſis commorans in Pyræeo, quotidie quadraginta ſtadiis dimenſis audiebat Socratem, à quo tolerantiam didicit: Cynicam ſectam primus inſtituit, & laborem eſſe in bonis ponendum perſuaſit Herculis & Cyri exemplo, illud à Græcis, hoc à barbaris mutuatus. Docebat autem in Gymnaſio quod appellatur κυνόσαργες, non longè à portis vrbis, vnde Cynicam ſectam dictam eſſe exiſtimant: ab hoc fluxerunt Cynici, Mneſicritus, Crates Thebanus, Metrocles: & exinde Stoici, vt Zeno, Cleanthes, Chryſippus, qui à Cynicis non re & diſciplina, ſed tantũ nominibus differebant. 4 Ariſtippus Cyrenaicus ſummum bonum poſuit in voluptate corporis, quam tamen ſententiam falsò detorſit ex diſputationibus Socratis. Nam quum Socrates in Gorgia, Philebo, Phædro, Protagora, Sympoſio voluptatem laudat, puram & honeſtam animi voluptatem laudat, non fœdam & obſcœnam, quæ ad corpus attinet. Epicurei videntur voluptatem animi defendere, ſed dubiè & inconſtanter, quia etiam voluptatem corporis interdum tuentur, & ad bea-

Diog. Laert.

tam vitam pertinere arbitrantur. 5 Menedemus natus eſt Eretriæ (quod eſt Eubœæ oppidum) & ex milite philoſophus factus, ad Platonem ſe contulit, Eretricorumque philoſophorum ſectam inſtituit, qui omnem diſciplinam liberalem aſpernabatur, vt Dialecticam, Phyſicam, Mathematicam, Muſicam. 6 Herillus Carthaginenſis interdum ſummum bonum ſcientia metitur, ne in vita & moribus ignorantia non præcipitet, interdum nullum hominis finem eſſe dicit, ſed res ipſas ſecundùm varios caſus immutari: quemadmodum, ſi idem æs & Alexandri ſtatua fiat, & Socratis: hinc Herillij philoſophi nomen habent. 7 Euclides Megaricus, Socratis diſcipulus, id ſolùm bonum eſſe dicebat, quod eſſet vnum & ſimile, & idem & ſemper, idque aliàs prudentiam, aliàs deum, aliàs mentem nominabat: quod erat bonis contrarium, ſuſtulit, id ne eſſe quidem exiſtimans: à quo Megarici philoſophi nuncupati ſunt, vt Eubulides, Alexius, Euphantus. Lege Diogenem Laërtium. 8 Pyrrho Eleus primùm pictor, deinde philoſophus, ἀδιαφορίαν induxit, id eſt, indifferentiam rerum omnium: negabat enim quidquã ſuapte natura eſſe turpe aut honeſtum, iuſtum aut iniuſtum, hoc potius quàm illud, ſed ita hominibus videri. Itaque quaſi nihil ſciri aut decerni poſſet, in quærendo ſemper conſiderandoq; verſabatur: huius æmuli Pyrrhonij dicti ſunt, Eurylochus, Hecatæus, Timon, Phliaſius, Nauſiphanes, qui à genere philoſophandi σκεπτικοὶ, ἐφεκτικοὶ, ἀπορητικοὶ, ζητητικοὶ etiam nominati ſunt.

9 Craſſus remouet oratorem ab Epicureorum philoſophia. Argumentum à repugnantibus preſſius ita concluditur:

> Orator verſatur in foro & negotiis publicis:
>
> Sapiens Epicureus non verſatur in foro & negotiis publicis, ſed in otio & hortulis:
>
> Sapiens igitur Epicureus non poteſt eſſe is orator, quem quærimus.

Propoſitio prima eſt, aſſumptio incipit (non enim repelletur) Concluſio (quare iſtos) &c. 10 Alterum argumentum eſt ab Epicuri decreto, quod habet vim teſtimonij:

> Epicurus negat ſapientis eſſe verſari in Repub.
>
> Non igitur orator, ſi Epicureus philoſophus eſſe volet, ad Rempublicam accedet.

11 Locus eſt à ſimili, Vt ſacerdotes Cereris myſteria, ſic Epicurei decreta ſua occultant. 12 Craſſus Stoicorum philoſophiam non omnino improbat, ſed negat vtilem eſſe oratori ad vſum forenſem, quia & ſententiis, & genere dicendi diſcrepat ab eloquentia forenſi & populari. Prior ratio de Stoicorum decretis ita concluditur:

> Nemo debet ad populum dicere, qui omnes auditores ſeruos & latrones & inſanos eſſe putat:
>
> Stoicus ſapiens omnes auditores ſeruos & latrones, & inſanos eſſe putat:
>
> Stoicus igitur ſapiens non eſt idoneus, qui ad populum dicat:

Zeno Stoicus ſolum ſapientem dignum eſſe cenſebat, qui dominus, qui rex, qui ciuis, qui ſanus diceretur: eos verò qui inſipientes eſſent (quales ſunt omnes, vt ipſe ait) ſeruos, latrones, peregrinos, inſanos appellabat, quo in genere locutionis vocabula quæ propria eſſent in bonis & malis fortunæ vel corporis, transferebat ad virtutes & vitia animorum: cuiuſmodi metaphoris etiam Chriſtiani libri referti ſunt. 13 Altera ratio de ſtylo & genere dicendi illuſtratur à diſſimilibus:

> Stoici vtuntur oratione ieiuna & exili:
>
> Oratores graui & copioſa.

Id Stoicis accidit (vt ait Cicero) quòd in dialecticis omnis eorum cura conſumitur, vagum illud orationis & fuſum, & multiplex genus non adhibetur: populus

autem

autem,ad cuius nutum ſeſe fingit orator,non tantùm doceri vult, ſed etiam ver-
borum copia & voluptate delectari. 14 Reiectis reliquis philoſophorum ſe-
ctis,duæ relinquuntur oratori,vna Academicorum,altera Peripateticorum. Aca-
demicorum alij veteres,alij noui dicti ſunt. Veteres,quaſi poſſet aliquid ſciri,cer-
tam formam & deſcriptionẽ diſciplinæ inſtituerunt,Ethicam,Phyſicam,Dialecti
cam,vt Speuſippus,Xenocrates,Polemo Crates,Crantor: Noui,quaſi nihil omni
no ſciri & comprehẽdi poſſet, nullam artẽ doctrinæ propoſuerũt,ſed Socraticam
conſuetudinem dubitandi,& nihil affirmandi,deque omnibus rebus in vtram-
que partem diſputandi reuocarunt, quorum princeps Archeſilas extitit, & hunc
poſtea ſecuti Lacydes, Euander,Egeſinus,Carneades,Clitomachus. Lege libros
Academicos Ciceronis. 15 Similitudo rectiſſimè & aptiſſimè adhibetur ad
declarandum diſtinctas profeſſiones philoſophiæ & eloquentiæ ciuilis, vbi phi-
loſophi comparantur fluuiis in Adriaticum mare labentibus quietum & paca-
tum,propterea quòd vitam otioſam & quietam degunt, oratores fluuiis in mare
Tyrrhenum decurrentibus, tempeſtuoſum & procelloſum, quia aſſiduè verſan-
tur in mediis fluctibus, & tempeſtatibus Reipubl. 16 Apenninus mons Ita-
liam mediam ſecat,velut ſpina tergum hominis,ex cuius altiſſimis iugis alij flu-
uij labuntur in Ionium mare ſuperum,id eſt,verſus Septentrionem,vt Rubicon,
Truentius, Macrinus,Aternus, Sarus,Fiternus, Aufidus. Alij in Tyrrhenum ma
re inferum, id eſt, verſus Meridiem , vt Macra , Arnus, Hoſa, Tiberis, Liris, Sar-
nus,Silarus,Laus. Lege Plinium & Ptolemeum. 17 Vlyſſes apud Homerum Lib.9.Odyſ.
narrat Alcinoo regi quemadmodum nauigaſſet ad Cyclopes,itemque quemad- 10.
modum veniſſet in Aeoliam,cui abeunti Aeolus rex vtrem ventis plenum dede-
rat,ſed inter nauigandum vtre ſoluto venti multò vehementius, quàm antea V-
lyſſem iactarunt in Tyrrheno mari, in quo hæ duæ inſulæ iacent. 18 Craſſus
concludit oratori neceſſariam eſſe philoſophiam non quamlibet, ſed Ariſtote-
liam aut Carneadeiam,& concluſionem ex diſſimilibus illuſtrat,

Oratori vulgari fortaſſe ſatis erit noſſe vulgatam artem rhetorum:
At excellenti (quales fuit Pericles & Demoſthenes) tenenda eſt philo-
ſophia Peripateticorum,aut Academicorum.

19 Allegoria eſt à campis,qualem ſæpe Cicero vſurpat, cùm de materia orato
ris loquitur, vt lib.1.de Oratore,In hoc quidem certè propè idem,nullis vt termi
nis circumſcribat aut definiat ius ſuum,quò minus ei liceat eadem illa facultate
& copia vagari,quà velit. Et lib.2.Bene dicere non habet definitam regionem, cu
ius terminis ſepta teneatur. Et lib.3.Vna eſt enim (quod & ego heſterno die di-
xi , & aliquot locis antemeridiano ſermone ſignificauit Antonius) eloquentia,
quaſcunque in oras diſputationis regionéſue delata eſt. 20 Pericles,Xantippi
filius rhetoricam didicit ab Aſpaſia muliere (vt ait Plato in Menexeno) & philo-
ſophiam ab Anaxagora, vt idem in Phædro teſtis eſt, quẽ ob id iudicat omnium
oratorum fuiſſe facilè principem. 21 Demoſthenes non ſolùm Iſæum rheto-
rem audiuit, ſed etiam Platonem philoſophum , à quo & doctior & eloquentior
factus eſt Cicero : Lectitaſſe (ait) Platonem ſtudioſe, audiſſe etiam Demoſthe- In Bruto.
nes dicitur,idque apparet ex genere & granditate verborum : dicit etiam in qua-
dam epiſtola hoc de ſeſe. 22 Subtilitas in diſputando & prudentia oratori ne-
ceſſaria eſt,qualis in Carneade fuiſſe dicitur, qui nullam vnquam rem defendit,
quam non probarit : nullam oppugnauit, quam non euerterit : & in Ariſtotele,
qui de rebus propoſitis in vtramque partem diſſerebat, & quicquid dici poſſet,
eruebat. 13 Argumẽtum de veteri artium coniunctione,& poſtea facta diſiun
ctione repetitur,vbi comparatio eſt à diſſimili:

Olim idem homines erant eloquentiæ & ſapientiæ ſtudioſi:
Poſtea alij philoſophi,alij oratores extiterunt.

24 Socrates (vt antè diximus) non videtur primus diſertos à doctis diſſociaſ-
ſe. Nam ante Socratem factum erat illud artium diuortium ab antiquis philo-

ſophis,Pythagora,Democrito,Anaxagora,qui à Republica penitus remoti, in ſolo ſapientiæ ſtudio conquieuerunt: nec verò ipſe diuortium iſtud vnquam probauit,vt ex libris Platonis conſtat. 25 Apodoſis diſſimilitudinis declaratur ſimilitudine ſacrificiorum Romanorum. Vt Romani Pontifices partem ſui muneris à ſe ad Epulones amandarunt: ita philoſophi actionem ciuilium cauſſarum à ſe remouerunt. De antiqua authoritate Pontificis Liuius, Pontificem (ait) Numa Martium Marci filium ex patribus legit, eíque omnia exſcripta aſſignataque attribuit, quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quæ templa ſacra fierent, atque vnde in eos ſumptus pecunia erogaretur: cætera quoque publica omnia priuatáque ſacra Pontificis ſcitis ſubiecit,vt eſſet quò conſultum plebs veniret,ne quid diuini iuris negligendo patrios ritus, peregrinoſque aſciſcendo turbaretur. hæc Liuius. Poſtea Epulones propter ſacrorum multitudinem à ſacerdotibus aſciti ſunt,& primùm quidem tres,qui ſacris epulis præeſſent: deinde adiecti quatuor alij: Epulones igitur epulas Ioui, cæteriſque diis inſtituendi poteſtatem habebant. 26 Craſſus poſita informatione excellentis oratoris dat aliquam ſignificationem ſuæ modeſtiæ, & ſeipſum extenuat, vt primo dialogo, Memento me nòn de mea, ſed de oratoris facultate dixiſſe, Argumentum extenuationis eſt à repugnantibus: Adoleſcentulus in forum veni, & poſtea vix artes Græcorum guſtare potui. Non igitur ea didici, quæ in ſummo oratore deſidero. Idem primo dialogo de ſe loquitur: Quid enim nos aut didicimus, aut ſcire potuimus, qui antè ad agendum, quàm ad cognoſcendum venimus? quos in foro, quos in ambitione, quos in Republica, quos in amicorum negotiis res ipſa antè confecit, quàm poſſemus aliquid de rebus tantis ſuſpicari. 27 Myſteria fiebant Athenis, magna quidem in honorem Cereris, parua autem in honorem Proſerpinæ, quorum ſpectandorum cùm Craſſus rediens ex Aſia valde cupidus eſſet,non potuit tamen ab Athenienſibus impetrare,vt quæ biduò antè facta eſſent,referrentur, id eſt, repeterentur, & rurſus fierent. 28 Craſſus relabitur ad principium digreſſionis contra rhetoras,vtiturque comparatione minorum:

Rhetores tantùm præcipiunt de ſtatibus & partibus orationis:
At eloquentiæ ſumma vis etiam totam philoſophiam requirit.

Sæpe autem admonuimus, nec doctrinam illam de ſtatibus & partibus orationis verè & propriè rhetoricam eſſe, quia non docet ornatum orationis:nec philoſophiam ſubiectam eſſe eloquentiæ, non magis quàm eloquentiam philoſophiæ. 29 Sententia Craſſi eſt,quòd orator vel mediocris adhibita forenſi exercitatione melius & ornatius de virtute & vitio diſputabit,quàm philoſophus indiſertus. Qui locus amplificatur inductione & collatione exemplorum. Melius orator de voluptate, quàm C.Velleius Epicureus dicet: itemque melius de virtute, quàm Sextus Pompeius Stoicus, aut duo Balbi, aut M.Vigellius. 30 Hæc diſſimilitudo ſic intelligenda eſt: reliquę artes, vt Mathematicæ, ſine ſtudio & diſciplina,& ſine præceptoribus non percipiuntur. Philoſophia verò moralis per ſe ferè nota eſt, quia nobis inſitæ ſunt & ingeneratæ notiones de bonis rebus & malis. 31 Concluſio eſt inductionis. Ergo vel mediocris orator melius dicet, quàm philoſophus indiſertus: & reditus ad perfectum oratorem, cui tribuitur non ſolùm exercitatio forenſis, ſed etiam elegantia politioris doctrinæ, eaque ſententia tandem concluditur à repugnantibus,

Eloquentia ſine varietate artium nulla eſt:
Non igitur ſola Coracis aut Pamphili rhetorica facit oratorem perfectum & abſolutum.

32 Craſſus iocatur in Coracem in ambiguitate nominis: κόραξ enim Latinè coruus eſt, & fuit vir quoque Siculus eiuſdem nominis, qui rhetoricam forenſem primus inuenit, vt ait Cicero in Bruto. hoc igitur allegoria ſignificat, vt qui ſolam rhetoricam à Corace inuentam didicerint, ſint velut corui clamoſi, id eſt, inepti

inepti rabulæ, & non oratores. 33 Pamphilus rhetor per tabulas quaſdam rhetoricam tradidit, quas Craſſus per iocum vocat inſulas, à ſimilitudine inſularũ, quibus ſacerdotes vtuntur, quia tales oblongæ eſſent.

[1] *Tum Catulus, Haudquaquam hercle, inquit, Craſſe, mirandum eſt eſſe in te tantam dicendi vel vim, vel ſuauitatem, vel copiam: quem quidem antea natura rebar ita dicere, vt mihi non ſolùm orator ſummus, ſed etiam ſapientiſſimus homo viderere: nunc intelligo illa te ſemper etiam potiora duxiſſe, quæ ad ſapientiam ſpectaret, atq; ex his hanc dicendi copiam fluxiſſe: ſed tamen cùm omneis gradus ætatis recordor tuæ, cúmque etiam vitam ac ſtudia conſidero: neque quo tempore iſta didiceris, video: nec magnopere te iſtis ſtudijs, hominibus, libris intelligo, deditum: neq; tamen poſſum ſtatuere vtrum magis mirer, te illa quæ mihi perſuades maxima eſſe adiumenta, potuiſſe in tuis tantis occupationibus perdiſcere: an, ſi non potueris, poſſe iſto modo dicere.* [2] *Hic Craſſus, Hoc tibi, inquit, Catule, primùm perſuadeas velim, me non multò ſecus facere, cùm de oratore diſputem, ac facerem ſi eſſet mihi de hiſtrione dicendum. Negarē enim poſſe eum ſatisfacere in geſtu, niſi palæſtram, niſi ſaltare didiciſſet: neque ea cùm dicerem, me eſſe hiſtrionem neceſſe eſſet, ſed fortaſſe non ſtultum alieni artificij exiſtimatorem. Similiter nunc de oratore, veſtro impulſu loquor, ſummo ſcilicet. Semper enim quacunque de arte aut facultate quæritur, de abſoluta & perfecta quæri ſolet. Quare ſi iam me vultis eſſe oratorem, ſi etiam ſat bonum, ſi bonum denique, non repugnabo. quid enim nunc ſim ineptus? ita me exiſtimari ſcio. quod ſi ita eſt, ſummus tamen certè non ſum. Neq; enim apud homines res eſt vlla difficilior, neque maior, neq; quæ plura adiumenta doctrinæ deſideret. Attamen quoniam de Oratore nobis diſputandum*

eſt, de ſummo Oratore dicam neceſſe eſt: Vis enim & natura rei perfecta ante oculos ponitur, qualis & quanta ſit, intelligi non poteſt. [3] *Me autem Catule fateor neq; hodie in iſtis libris, & cum iſtis hominibus viuere: nec verò, id quod tu rectè commeminiſti, vllum vnquam habuiſſe ſepoſitum tempus ad diſcendum: ac tantùm tribuiſſe doctrinæ temporis, quantum mihi puerilis ætas, forenſes feriæ conceſſerint. At ſi quæris Catule de doctrina iſta quid ego ſentiam: non tantùm ingenioſo homini, & ei qui forum, qui curiam, qui cauſſas, qui Rempubl. ſpectet, opus eſſe arbitror temporis, quantum ſibi ij ſumpſerunt, quos diſcentes vita defecit. Omnes enim artes aliter ab ijs tractantur, qui eas ad vſum transferunt, aliter ab ijs qui ipſarum artium tractatu delectati, nihil in vita ſunt aliud acturi. Magiſter hic Samnitium ſumma iam ſenectute eſt, & quotidie commentatur: nihil enim curat aliud, atque velocius puer addidicerat: ſed quòd erat aptus ad illud, totumq; cognorat, fuit, vt eſt apud Lucilium,*

—Quamuis bonus ipſe
Samnis in ludo, ac rudibus cauſsis ſatis aſper.
Sed plus operæ foro tribuebat, amicis, rei familiari.

Valerius quotidie cantabat: erat enim ſcenicus. quid faceret aliud? at Numerius Furius noſter familiaris, quum eſt commodum, cantat. eſt enim paterfamiliâs, eſt eques Romanus: puer didicit quod diſcendum fuit. [4] *Eadem ratio eſt harum artium maximarum: Dies & noctes virum ſumma virtute & prudentia videbamus philoſopho quum operam daret, Q. Tuberonem: at eius auunculum vix intelligeres id agere, cum ageret tamen Africanum.* [5] *Iſta dicuntur*

cuntur facilè, ſi & tantum ſumas quantum opus ſit, & habeas qui docere fideliter poßit, & ſcias etiam ipſe diſcere. Sed ſi tota vita nihil velis aliud agere, ipſa tractatio & quæſtio quotidie ex ſe gignit aliquid, quod cum deſidioſa delectatione veſtiges. Ita fit, vt agitatione rerum ſit infinita cognitio, facilis vſus doctrinam confirmet, modiocris opera tribuatur, memoria ſtudiumq́; permaneat. Libet autem ſemper diſcere: vt ſi velim ego talis optimè ludere, aut pilæ ſtudio tenear, etiam fortaſſe ſi aſſequi non poßim: at alij, quia præclarè faciunt, vehementius quàm cauſſa poſtulat, delectantur, vt Titius pila, Brulla talis. Quare nihil eſt quòd quiſquam magnitudinem artium ex eo quod ſenes diſcunt, pertimeſcat. Namque aut ſenes ad eas acceſſerunt, aut vſque ad ſenectutem in ſtudijs detinentur, aut ſunt tardißimi. Res quidem ſe mea ſententia ſic habet, vt niſi quod quiſque citò potuerit, nunquam omnino poßit perdiſcere.[2] *Iam iam, inquit Catulus, intelligo Craſſe quid dicas: & hercule aſſentior. ſatis video tibi homini ad perdiſcendum acerrimo, ad ea cognoſcenda quæ dicis, fuiſſe temporis. Pergiſne, inquit Craſſus, me, quæ dicam, de me, non de re putare dicere? Sed iam, ſi placet, ad inſtituta redeamus. Mihi verò, Catulus inquit, placet.*

1 Craſſus hactenus duo capita digreſſionis tractauit, neceſſariam eſſe oratori philoſophiam, itemque neceſſariam philoſophiæ exercitationem, vel Ariſtoteleiam, aut Carneadeiam. Tertium caput ſequitur: quatenus philoſophandum ſit, quò tranſitus paratur interlocutione Catuli ſenis leuiter Craſſo reſiſtentis:

Video te Craſſe ſummum eſſe oratorem, neque tamen multum in philoſophia verſatum eſſe intelligo:

Non igitur orator ad bene dicendum eget inſtrumento philoſophiæ.

2 Prolepſis Catuli duas habuit partes: Craſſus eſt ſummus orator, Craſſus non multum philoſophiæ ſtuduit. quibus Craſſus ipſe ſeparatim reſpondet. Primùm igitur laudem perfectæ eloquentiæ ſibi tributam modeſtè deprecatur & auertit interpoſita ſimilitudine, vnde concludit ſe de oratoris, non de ſua facultate loqui. 3 Craſſus diſſoluit alteram partem, primùm conceſſione, fateor me non multum ſtudij in philoſophia poſuiſſe: deinde certa præſcriptione ſtudij & temporis, quod orator politicus ad philoſophiam conferre debeat, vt ei qui-

dem philoſophandum ſit, ſed paucis, ſicut ait Neoptolemus apud Ennium. Idem locus ab Antonio diſputatus eſt antemeridiano ſermone: nūc verò ita concludit,

> Omnis ars aliter tractatur ab iis, qui eam ad vſum vitæ transferunt, aliter ab iis, qui in eius contemplatione conſeneſcere volunt:
>
> Philoſophiæ doctrina eſt ars:
>
> Philoſophiæ igitur doctrina aliter tractatur ab oratoribus ad vſum vitę ciuilis, aliter à philoſophis ad aſſiduam ſcientiam & contemplationem rerum.

Propoſitio declaratur exemplis ſpecialibus, quorum primum de Samnitum rhetore paulò obſcurius eſt, quia mendum alicubi habet: nam illa poſterior redditio non ſatis conuenit (ſed plus operæ foro tribuebat, &c.) Secundum eſt perfacilè de Valerio & Numerio Furio duobus Muſicis. 4 Aſſumptio ſequitur cū ſua complexione: philoſophia vna eſt de maximis artibus: itaq; aliter à philoſophis ad ſcientiam, aliter ab oratoribus ad ciuilem vſum percipienda eſt. qui locus illuſtratur duobus exemplis diſſimilibus, Tuberonis & Pub. Scipionis Africani: quorum alter totus incumbebat philoſophiæ, nihilq; aliud agere videbatur, alter horis tantum ſucciſiuis. 5 Craſſus non improbat magnam & aſſiduam meditationem in philoſophia, ſed negat hanc profeſſionem oratori conuenire ciuilibus negotiis occupato. Itaque ſuadet ei, vt remiſſiorem & moderatiorem operam philoſophiæ impertiat, & nō in ea conſeneſcat. 6 Catulus concludit tertium caput digreſſionis, quatenus philoſophandum ſit oratori, idq; laude Craſſi, quæ ad Ciceronem ipſum referenda eſt. Nam cùm Antonius aut Craſſus laudatur, tum ſub alienis perſonis M. Tul. Cicero laudatur.

[1] *Tum Craſſus, Quorſum igitur hæc ſpectat, inquit, tam longa & tam altè repetita oratio? Hæ duæ partes, quæ mihi ſuperſunt, illuſtrandæ orationis, ac totius eloquentiæ cumulandæ, quarum altera dici poſtulat ornatè, altera aptè, hanc habent vim, vt ſi quammaximè iucunda, quammaximè in ſenſus eorum qui audiunt, influat, & quamplurimis ſit rebus inſtructa. Inſtrumentum autem hoc forenſe, litigioſum, acre, tractum ex vulgi opinionibus, exiguum ſanè atque mendicum eſt. Illud rurſus ipſum, quod tradunt iſti, qui profitentur ſe dicendi magiſtros, non multò eſt maius, quàm illud vulgare ac forenſe.* [2] *Apparatu nobis opus eſt, & rebus exquiſitis vndiq; & collectis, arceſſitis, comportatis, vt tibi Cæſar faciendum eſt ad annum: vt ego in ædilitate laboraui, quòd quotidianis & vernaculis rebus ſatiſfacere me poſſe huic populo non putabam.* [3] *Verborum eligendorum & collocandorum & concludendorum facilis eſt vel ratio, vel ſine ratione ipſa exercitatio. Rerum ſylua ma-*

gna:

gna: quàm cùm Græci iam non tenerent, ob eamq́ cauſſam iuuentus noſtra dediſceret penè diſcendo, etiam Latini, ſi dijs placet, hoc biennio magiſtri dicendi extiterunt, quos ego Cenſor edicto meo ſuſtuleram, non quò (vt neſcio quos dicere aiebant) acui ingenia adoleſcentium nollem: ſed contrà ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam. Nam apud Græcos, cuicuimodi eſſent, videbam tamen eſſe præter hanc exercitationem linguæ, doctrinam aliquam & humanitatem dignam ſcientia: hos verò nouos magiſtros nihil intelligebam poſſe docere, niſi vt auderent: quod etiam cum bonis rebus coniunctum, per ſe ipſum eſt magnopere fugiendum. Hoc quum vnum traderetur, & cùm impudentiæ ludus eſſet, putaui eſſe Cenſoris, ne longius id ſerperet, prouidere: [4] *quanquam non hæc ita ſtatuo ac decerno, vt deſperē Latinè ea, de quibus diſputauimus, tradi ac perpoliri. Patitur enim & lingua noſtra, & natura rerum, veterem illam excellentemq́ prudentiam Græcorum ad noſtrum vſum morémque transferri: ſed hominibus opus eſt eruditis, qui adhuc in hoc quidem genere noſtri nulli fuerunt: ſin quando extiterint, etiam Græcis erunt anteponendi.* [5] *Ornatur igitur oratio genere primùm, & quaſi colore quodam & ſucco ſuo. Nam vt grauis, vt ſuauis, vt erudita ſit, vt liberalis, vt admirabilis, vt polita: vt ſenſus, vt dolores habeat, quantum opus ſit, non eſt ſingulorum articulorum: in toto ſpectantur hæc corpore. Vt porrò conſperſa ſit quaſi verborum ſententiarumq́ floribus, id non debet eſſe fuſum æquabiliter per omnem orationem, ſed ita diſtinctum, vt ſint quaſi in ornatu diſpoſita quædam inſignia & lumina. Genus igitur dicendi eſt eligēdum quod maximè teneat eos qui audiant, & quòd non ſolùm delectet, ſed etiam ſine ſa-*

*tietate delectet. Non enim à me iam expectari puto, vt mo-
neam ne caueatis ne exilis, ne inculta ſit veſtra oratio, ne
vulgaris, ne obſoleta: aliud quiddam maius & ingenia me
hortantur veſtra, & ætates.* [5] *Difficile enim dictu eſt qua-
nam cauſſa ſit cur ea quæ maximè ſenſus noſtros impellunt
voluptate, & ſpecie prima acerrimè commouent, ab ijs ce-
lerrimè faſtidio quodam & ſatietate abalienemur. Quanto
colorum pulchritudine & varietate floridiora ſunt in pictu
ris nouis pleraq; quàm in veteribus? quæ tamen etiam ſi pri
mo aſpectu nos ceperunt, diutius non delectant, quum ijdem
nos in antiquis tabulis illo ipſo horrido obſoletoq; teneamur.
Quantò molliores ſunt & delicatiores in cantu flexiones, &
falſæ voculæ, quàm certæ & ſeueræ? quibus tamen non mo-
dò auſteri, ſed ſi ſæpius fiunt, multitudo ipſa reclamat. Li-
cet hoc videre in reliquis ſenſibus, vnguentis minus diu nos
delectari ſumma & acerrima ſuauitate conditis, quàm his
moderatis:* [7] *& magis laudari quòd terram, quàm quod
crocum olere videatur. In ipſo tactu eſſe modum & mollitu
dinis & leuitatis. Quinetiam guſtatus, qui eſt ſenſus ex
omnibus maximè voluptuarius, quiq; dulcitudine præter
cæteros ſenſus commouetur, quàm citò id quod valde dulce
eſt, aſpernatur ac reſpuit? Quis potione vti aut cibo dulci
diutius poteſt? quum vtroque in genere ea quæ leuiter ſen-
ſum voluptate moueant, facillimè fugiant ſatietatem. Sic o-
mnibus in rebus, voluptatibus maximis faſtidium finitimũ
eſt.* [8] *Quo hoc minus in oratione miremur, in qua vel ex
poetis, vel ex oratoribus poſſumus iudicare concinnam, di-
ſtinctam, ornatam, feſtiuam, ſine intermiſſione, ſine repre-
henſione, ſine varietate, quamuis claris ſit oratoribus picta
vel poeſis, vel oratio, non poſſe in delectatione eſſe diuturna.*

Atq;

Atque eo citius in oratoris aut in poetæ [9] cincinnis ac fuco offenditur, quòd ſenſus in nimia voluptate natura, non mente ſatiantur: in ſcriptis & in dictis, non aurium ſolùm, ſed animi iudicio etiã magis, infucata vitia noſcuntur. [10] *Quare, benè & præclarè, quamuis nobis ſæpe dicatur: bellè & feſtiuè, nimium ſæpe volo: quanquã illa ipſa exclamatio, non poteſt melius, ſit velim crebra, ſed habeat tamen illa in dicendo admiratio ac ſumma laus* [11] *vmbram aliquam & receſſum, quò magis id quod erit illuminatum, extare atq; eminere videatur.* [12] *Nunquam agit hunc verſum Roſcius eo geſtu quo poteſt,*

Nam ſapiens virtuti honorem præmium, haud prædam petit:

ſed abijcit prorſus, vt in proximo,

Ecquid video? ferro ſeptus poſsidet ſedes ſacras,

incidat, aſpiciat, admiretur, ſtupeſcat. Quid ille alter?

Quid petam præſidij,

quàm leniter, quàm remiſsè, quàm non actuoſè? Inſtat enim,

O pater, ô patria, ô Priami domus!

In quo tanta commoueri actio non poſſet, ſi eſſet conſumpta ſuperiore motu, & exhauſta. Neq; id actores prius viderunt quàm ipſi poetæ, quàm deniq; illi etiam qui fecerunt modos, à quibus vtriſque ſummittitur aliquid. deinde augetur, extenuatur, inflatur, variatur, diſtinguitur. [13] *Ita ſit nobis igitur ornatus & ſuauis orator, (nec tamen poteſt aliter eſſe) vt ſuauitatem habeat auſteram & ſolidam, non dulcem atque decoctam. Nam ipſa ad ornandum præcepta quæ dan-*

*tur,eiuſmodi ſunt, vt ea quamuis vitioſiſsimus orator expli-
care poſsit. Quare, vt antè dixi, primùm ſylua rerum ac ſen
tentiarum comparanda eſt, qua de parte dixit Antonius:
hæc formando filo ipſo & genere orationis, illuminanda ver
bis, varianda ſententijs.*

1 Quartum caput digreſſionis ex antecedentibus pendet, immò verò totum
penè primo ſimile eſt. Quod ſine rerum ſcientia & apparatu, ornatus orationis
eſſe non poſſit: hanc quæſtionem primo dialogo Craſſus in definitione oratoris
diſputauit, Antonius obiter dialogo ſecundo. Poſtremo autem hoc ſermone
ornatè & copioſè proſequitur: atq; hunc communem locum in his dialogis ma
gis ad ſpeciẽ eloquentiæ, q̃ doctrinæ Cic. ſibi propoſuit, vt oſtenderet in exornan
dis eloquentiæ laudibus, q̃ ipſe eloquẽs & ornatus eſſet. Prima Craſſi ratio eſt à
minori ad maius: Vſus forenſis & ſchola rhetorica parum oratori conferunt, ar-
tium verò ſcientia maximã ſuppellectilem præbet ad dicendũ: nam rerũ copia ex
multiplici doctrinæ varietate naſcitur. Meminerimus tamẽ copiã aut ſcientiam
rerum nec partẽ eſſe eloquentiæ, nec cauſſam ornandæ orationis, ſed hoc præſta
re, vt ſubtilis, vt grauis, vt copioſa, vt apta, vt prudẽs ſit oratio, quæ virtutes homini
quidem politico ad dicendũ magnopere vtiles ſunt, ſed rhetoricæ & oratoriæ nõ
ſunt, quia non eruunt ex genere elocutionis vel actionis, ſed ex alijs artibus, quæ
rerũ ſcientiam & copiam ad dicendũ ſuppeditant. 2 Apodoſis confirmatur à
ſimilibus, vbi orator cõparatur ædili, magnificos ludos vario rerũ apparatu facien
ti, & ex omnibus prouincijs res nouas & ſpecioſas colligenti ad elegantiã ludorũ
& delectationem populi Rom. 3 Facilis eſt (vt ait Craſſus) elocutio verborũ, at
rerũ copia nõ facilis: qua ratione Craſſus edicto cenſorio damnauit impudẽtiam
rhetorũ, qui ſine rerũ ſcientia inanẽ quandam linguæ impudentiam adoleſcen-
tiam traderẽt. hoc edictum refert à Gellio: Cn. (inquit) Domitius Aenobarbus,
& L. Licinius Craſſus cenſores de coercendis rhetoribus Latinis ita edixerũt: Re-
nuntiatũ eſt nobis eſſe homines, qui nouũ genus diſciplinæ inſtituerũt, ad quos
iuuentus in ludũ conueniat: eos ſibi nomen impoſuiſſe Latinos rhetoras: ibi ho
mines adoleſcẽtulos dies totos deſidere: Maiores noſtri quæ liberos ſuos diſcere,
& quos in ludos itare vellent, inſtituerũt: hæc noua quæ præter conſuetudinẽ ac
morem maiorũ fiunt, neq; placent, neq; recta vident. Quapropter & ijs qui eos
ludos habẽt, & ijs qui eò venire conſueuerũt, viſum eſt faciendũ, vt oſtenderemus
noſtram ſententiam nobis nõ placere. 4 Hæc diuinatio de Cicerone augurat
id quod iam tum, cũ hic dialogus ſcriptus eſt, acciderat: nã vnus ex Latinis Cice-
ro laudẽ eloquẽtiæ philoſophiæ Græcis penè eripuerat. 5 Craſſus partitur or
natum orationis bifariã, vt aliàs ſit in toto corpore & habitu orationis, aliàs in cer
tis & ſingularibus partibus. In priore genere ſeptẽ virtutes commendat, vt ſit gra
uis, vt ſuauis, vt erudita, vt liberalis, vt admirabilis, vt polita, vt Pathetica, quantum
opus eſt: quæ virtutes rhetoricæ elocutionis propriæ nõ ſunt, ſed communiter ex
multis & varijs artibus oriuntur, quarũ ope diligentius elaboratur oratio. In ſe-
cundo genere vult adhiberi ornamenta verborum & ſententiarum, id eſt, figuras
λέξεως καὶ διανοίας, quæ inſignia verè & propriæ oratoria ſunt, quæ certis in locis
& partibus orationis & nõ vbiq; elucere debent, non ſecùs atq; in apparatu ludo
rum ſigna & tabulæ, & cætera ornamẽta certis in locis diſponunt, quò maiorem
gratiam habeãt. 6 Præceptũ Craſſi eximium eſt & ſingulare, vt ad retinendos
cũ perpetua voluptate animos audientiũ ſchemata & colores orationis variè com
mutemus. Craſſus itaq; vt rem ipſam paulò altius repetat, argumentat à minori
ad maius, Quæ ſingulos ſenſus maximè delectant, niſi varietas adſit, ea citò faſti-
diuntur: Quanto citius in oratione, ſi vno & eodẽ modo ſemper dicatur, delecta

tio

tio ipſa peribit? Protaſis comparationis explicatur inductione per quinque ſenſus, viſum, auditũ, odoratũ, tactum, & guſtatũ. 7 Plinius, In M. Ciceronis (ait) monimẽtis inuenitur vnguẽta gratiora eſſe, quæ terram, q̃ quæ crocum ſapiant. Terra autẽ, vt alibi ſcribit, cùm à ſiccitate continua immaducrit imbre, tunc emittit illũ ſuum halitũ diuinũ, ex ſole conceptũ, cui comparari ſuauitas nulla poſſit. Cap. 3. lib. 13. Cap. 5. lib. 17

8 Sequitur apodoſis proximæ comparationis: Quòd virtutes in oratione niſi variè diſtinguant, & ſubinde commutent, auditorem diutius retinere nõ poſſint: quem locũ Craſſus illuſtrat à minori ad maius, Senſus tantùm duce natura res ipſas faſtidiunt: Orationis vitia non ſolùm ſenſus, ſed etiam animus intelligit & faſtidit. 9 Cincinni propriè ſunt intorti & calamiſtrati crines. Fucus, color factitius, quo mulieres tingunt, vt vitia corporis obtegant: ſed vtrumque verbum μεταφορικῶς dicitur, pro nimis affectato cultu orationis. Sic apud Fabium, Ornatus virilis & fortis & ſanctus ſit, nec effœminatã leuitatẽ, nec fuco eminentem colorem amet: ſanguine & viribus gaudeat. 10 Benè & præclarè, bellè & feſtiuè: non poteſt melius: verba ſunt acclamantium in laudem eius, qui rectè aliquid pronuntiauit. Sic populus oratori in foro, vel hiſtrioni in ſcena, & adoleſcentes ſuis condiſcipulis in ſchola declamãtibus, & poetis aliquid recitantibus acclamabant. 11 Craſſus alludit ad pictores, qui in tabulis partes alias eminentiores & illuſtriores faciunt, alias veluti magis abſtruſas & obſcuras, quas ipſi vocant vmbras, vt imagines quæ reuera planæ ſunt, ſolidæ nobis videantur: qua ſimilitudine oratores pingũt aliam partẽ orationis quaſi illuſtrioribus coloribus & figuris: alibi minores & obſcuriores virtutes adhibẽt, quæ comparant vmbris in tabula depictis. 12 Argumentum eſt ab exemplis ſimilibus, Roſcius & Aeſopus hiſtriones vocem & geſtum variè commutant & moderantur, idemq́; faciunt poetæ. Sic igitur oratori faciendum eſt in ornatu orationis. In protaſi comparationis citantur verſus ex Ennio, quos illi hiſtriones in ſcena vario geſtu varioq́; vocis tono pronuntiarunt. 13 Redditio ſimilitudinis eſt, & ei adiuncta concluſio & epilogus diſputationis antecedentis, quòd elocutionis apparatus copia rerum, & verborum luminibus contineatur.

[1] *Summa autem laus eloquentiæ eſt, amplificare rem ornando: quod valet non ſolùm ad augendum aliquid & tollendum altius dicẽdo, ſed etiam ad extenuandum atq; abijciendum.* [2] *Id deſideratur omnibus ijs in locis quos ad fidem orationis faciendam adhiberi dixit Antonius, vel quum concitamus. Sed in hoc quod poſtremum dixi, amplificatio poteſt plurimùm: eáque vna laus oratoris eſt, & propria maximè.* [3] *Etiam maior eſt illa exercitatio, quam extremo ſermone inſtruxit Antonius: primò reijciebat, laudandi & vituperandi. Nihil eſt enim ad exaggerandam & amplificandam orationem accommodatius, quàm vtrumq; horum cumulatiſſimè facere poſſe.* [4] *Conſequentur etiam illi loci, qui quanquã proprij cauſſarum, & inhærẽtes in earum*

neruis eſſe debent, tamē, quia de vniuerſa re tractari ſolent, Communes à veteribus nominati ſunt: quorum partim habent vitiorum & peccatorum acrem quandam cum amplificatione incuſationem, aut querelam, contra quam dici nihil ſolet, nec poteſt, vt in depeculatorem, in proditorem, in parricidam: quibus vti confirmatis criminibus oportet. aliter enim ieiuni ſunt atq; inanes. Alij autem habent deprecationem, aut miſerationem: alij verò ancipites diſputationes, in quibus de vniuerſo genere in vtramque partem diſſeri copioſe licet. Quæ exercitatio nunc propria duarum philoſophiarum, de quibus antè dixi, putatur: apud antiquos erat eorum, à quibus omnis de rebus forenſibus dicendi ratio & copia petebatur. De virtute enim, de officio, de æquo & bono, de dignitate, honore, ignominia, præmio, pœna, ſimilibusq; de rebus in vtramque partem dicendi omnino & vim & artem habere debemus. [5] *Sed quoniam de noſtra poſſeßione depulſi, in paruo, & eo litigioſo prædiolo relicti ſumus, & aliorum patroni noſtra tenere tueriq; non potuimus: ab ijs (quod indigniſſimum eſt) qui in noſtrum patrimonium irruperunt, quod opus eſt nobis, mutuemur.* [6] *Dicunt igitur nunc quidem illi qui ex particula parua vrbis ac loci nomen habent, & Peripatetici philoſophi aut Academici nominantur, olim autem propter eximiam rerum maximarum ſcientiam à Græcis Politici philoſophi appellati, vniuerſarum rerum publicarum nomine vocabantur, omnem ciuilem orationem in horum alterutro genere verſari, aut definita controuerſia certis temporibus ac reis, hoc modo,* [7] *Placeátne à Carthaginienſibus captiuos noſtros redditis ſuis recuperari? aut infinitè de vniuerſo genere quærentis, quid omnino de captiuo ſtatuendum ac ſentiendum ſit.*

Atq;

Atq; horum ſuperius illud genus, cauſſam aut controuerſiam appellant: eamq́; tribus, lite, aut deliberatione, aut laudatione definiunt. Hæc autẽ altera quæſtio infinita, & quaſi propoſita, Conſultatio nominatur. [8] Atq; hactenus loquuntur. Etiam hac inſtituendo diuiſione vtuntur, ſed ita, non vt iure, aut iudicio, vt deniq; recuperare amiſſam poſſeſſionem, ſed vt ex iure ciuili ſurculo defringendo vſurpare videantur. [9] Nam illud alterum genus quod eſt temporibus, locis, reis definitum, obtinent, atq; idipſum lacinia. Nunc enim apud Philonem, quem in Academia maximè vigere audio, etiam harum iam cauſſarum cognitio exercitatioq́; celebratur. Alterum verò tantummodo in prima arte tradenda nominant, & oratoris eſſe dicunt: ſed neq; vim, neq; naturam eius, neq; partes, nec genera proponunt, vt præteriri omnino fuerit ſatius, quàm attentatum deſeri. Nunc enim inopia reticere intelliguntur, tum iudicio viderentur. [10] Omnis igitur res eandem habet naturam ambigendi, de qua quæri & diſceptari poteſt, ſiue in infinitis conſultationibus diſceptatur, ſiue in ijs cauſſis quæ in ciuitate, & in forenſi diſceptatione verſantur: neq; eſt vlla, quæ non aut ad cognoſcendi, aut ad agendi vim rationemq́; referatur. nam aut ipſa cognitio rei ſcientiaq́; perquiritur: vt, [11] Virtus ſuámne propter dignitatem, aut propter fructus aliquos expetatur. aut agendi conſilium exquiritur: vt, [12] Sítne ſapienti capeſſenda Reſpublica. Cognitionis autem tres modi, coniectura, definito, &, vt ita dicam, conſecutio. Nam quid in re ſit, coniectura quæritur: vt illud, [13] Sítne in humano genere ſapientia. Quam autem vim quæq; res habeat, definitio explicat: vt, ſi quæratur, [14] quid ſit ſapientia? Conſecutio autem tractatur, quum quid quamq́; rem ſequatur, in-

quiritur: vt illud, [15] *Sitne aliquando mentiri boni viri. Redeunt rurſus ad coniecturam, eamq́ in quatuor genera diſpertiunt. Nam aut quid ſit quæritur, hoc modo:* [16] *Naturáne ſit ius inter homines, an opinionibus. Aut quæ ſit origo cuiuſque rei: vt* [17] *quod ſit initium legum, aut rerum publicarum. Aut cauſſa & ratio: vt ſi quæratur* [18] *cur doctiſſimi homines de maximis rebus diſſentiant. Aut de immutatione: vt ſi diſputetur* [19] *num interire virtus in homine, aut num in vitium poßit conuerti. Definitionis autem ſunt diſceptationes, vt cùm quæritur quid in communi mente quaſi impreſſum ſit: vt ſi diſſeratur,* [20] *ídne ſit ius, quod maximæ parti ſit vtile. Aut cùm quid cuiuſq́ ſit propriū, exquiritur: vt ornatè dicere propriúmne ſit oratoris, an id etiam aliquis præterea poßit. Aut cū res diſtribuitur in partes, vt ſi quæratur quot ſint genera rerum expetendarum, vt, Sintne tria, corporis, animi, externarumq́ rerum. Aut cùm quæ forma, & quaſi naturalis nota cuiuſq́ ſit, deſcribitur: vt ſi quæratur auari ſpecies, ſeditioſi, glorioſi. Conſecutionis autem duo prima quæſtionum genera ponūtur. Nam aut ſimplex eſt diſceptatio, vt ſi diſſeratur, expetendáne ſit gloria? aut ex comparatione, laus an diuitiæ magis expetendæ ſint? Simplicium autem ſunt tres modi. De expetendis fugiendíſue rebus: vt, expetendíne honores ſint? num fugienda paupertas? De æquo aut iniquo:* [21] *æquúmne ſit vlciſci iniurias etiam propinquorū? De honeſto aut turpi: vt hoc, Sítne honeſtum gloriæ cauſſa mortem obire? Comparationis autem duo ſunt modi: vnus, cùm idémne ſit, an aliquid interſit, quæritur: vt metuere & vereri: vt rex & tyrannus: vt aſſentator & amicus. Alterum, cùm quid præſtet aliud alij, quæritur: vt illud, optimíne cuiuſq́ ſapientes, an populari*

laude

laude ducantur? Atq; eæ quidem diſceptationes quæ ad cognitionem referuntur, ſic ferè à doctiſſimis hominibus deſcribuntur. Quæ verò referuntur ad agendũ, aut in officij diſceptatione verſantur, quo in genere quid rectum faciendúmque ſit, quæritur, cui loco omnis virtutum & vitiorum eſt ſylua ſubiecta: aut in animorum aliqua permotione aut gignenda, aut ſedanda tollendáue tractantur. Huic generi ſubiectæ ſunt cohortationes, obiurgationes, conſolationes, miſerationes, omníſque ad omnem animi motum & impulſio, &, ſi ita res feret, mitigatio. [22] *Explicatis igitur his generibus ac modis diſceptationũ omnium, nihil ſanè ad rem pertinet, ſi qua in re diſcrepauit ab Antonij diuiſione noſtra partitio. Eadem enim ſunt membra in vtriſque diſceptationibus, ſed paulò ſecus à me, atque ab illo partita ac diſtributa. Nunc ad reliqua progrediar, méque ad meum munus* [23] *penſúmq; reuocabo. Nam ex illis locis, quos expoſuit Antonius, omnia ad quæque genera quæſtionum argumenta ſumenda: ſed alijs generibus alij loci magis erunt apti. de quo non tam quia longum eſt, quàm quia perſpicuum, dici nihil eſt neceſſe.* [24] *Ornatiſſimæ ſunt igitur orationes eæ quæ latiſſimè vagantur, & à priuata ac ſingulari controuerſia ſe ad vniuerſi generis vim explicandam conferunt & conuertunt, vt ij qui audiant, natura & genere, & vniuerſa re cognita, de ſingulis reis & criminibus & litibus ſtatuere poſſint. Hanc ad conſuetudinem exercitationis vos adoleſcentes eſt cohortatus Antonius, atq; à minutis anguſtiſq; concertationibus ad omnem vim varietatémq; differendi traducendos putauit. Quare nõ eſt paucorum libellorum hoc munus, vt ij qui ſcripſerunt de dicendi ratione, arbitrati ſunt, neq; Tuſculani, atque huius ambulationis antemeri-*

*dianæ, aut noſtræ pomeridianæ ſeſſionis. Non enim ſolùm
acuenda nobis, neq; procudenda lingua eſt, ſed onerandum
complendumq́; pectus maximarum rerum & plurimarum
ſuauitate, copia, varietate. [25] Noſtra eſt enim (ſi modò nos
oratores ſumus, ſi in ciuium diſceptationibus, ſi in periculis,
ſi in deliberationibus publicis adhibendi authores & princi
pes ſumus) noſtra eſt inquam omnis iſta prudentiæ doctri-
næq; poſſeſſio: in quam homines quaſi caducā atq; vacuam,
abundantes otio, nobis occupatis inuolauerunt: atq; etiam
aut irridentes oratorem, [26] vt ille in Gorgia Socrates, cauil
lantur: aut aliquid de oratoris arte paucis præcipiunt libel
lis, eosq́; rhetoricos inſcribunt: quaſi non illa ſint propria rhe
torum, quæ ab ijſdem de iuſtitia, de officio, de ciuitatibus in-
ſtituendis & regendis, de omni viuendi, deniq; etiam de na-
turæ ratione dicuntur. [27] Quæ quoniam iam aliunde non
poſſumus, ſumenda ſunt nobis ab ijs ipſis, à quibus expilati
ſumus, dummodo illa ad hanc ciuilem ſcientiam, quò perti-
nent, & quam intuentur, transferamus: neq; (vt antè dixi)
omnem teramus in his diſcendis rebus ætatem: ſed cùm fon-
tes viderimus (quos niſi qui celeriter cognorit, nunquam co
gnoſcet omnino) tum quotieſcunq; opus erit, ex ijs tantum,
quantum res petet, hauriemus. Nam neq; tam eſt acris acies
in naturis hominum & ingenijs, vt res tantas quiſquam ni-
ſi monſtratas poſſit videre: neq; tanta tamen in rebus obſcu-
ritas, vt eas non penitus acri vir ingenio cernat, ſi modò a-
ſpexerit. In hoc igitur tanto tamq́; immenſo campo cùm li-
ceat oratori vagari liberè, atq; vbicunq; conſtiterit, conſiſte-
re in ſuo: facilè ſuppeditat omnis apparatus ornatusq́; dicen
di. Rerum enim copia, verborum copiam gignit: & ſi eſt ho
neſtas in rebus ipſis, de quibus dicitur, exiſtit ex rei natura*

quidam

quidam ſplendor in verbis. Sit modò is qui dicet aut ſcribet, inſtitutus liberaliter educatione doctrinaq́ pueri, & flagret ſtudio, & à natura adiuuetur, & in vniuerſorum generum infinitis diſceptationibus exercitatus, ornatiſsimos ſcriptores oratoréſque ad cognoſcendum imitandúmque cognorit: næ ille haud ſanè quemadmodum verba ſtruat & illuminet, à magiſtris iſtis requiret. Ita facile in rerum abundantia ad orationis ornamenta ſine duce, natura ipſa, ſi modò eſt exercitata, labetur.

1 Quintum caput digreſſionis eſt, vt orator rem de qua agitur, oratione dilatet, atq; amplificet augendi aut minuendi gratia, quam laudem eloquentiæ Craſſus ſummam eſſe exiſtimat, ſed tamen dialecticæ potius eſt aſcribenda, qua talis amplificatio, de qua nunc præcipit, ex locis dialecticis magis efficitur, quàm ex rhetoricis ornamentis: verùm ſiquidē amplificationē commendat, quæ maximè fit, cùm orator in foro quæſtionem ſpecialem ad generalem reuocat, & in ea per dialecticos locos latiſſimè vagatur. 2 Amplificatio adhibetur ad docendum, delectandum, mouendum, ſed maximè ad mouendum, idque Cicero etiam in Partitionibus ſcribit: Sed amplificatio quanquam habet proprium locum, ſæpe etiam primum, poſtremum quidem ferè ſemper, tamen reliquo curſu orationis adhibenda eſt, maximeq́; cùm aliquid aut confirmatum eſt, aut reprehenſum. Itaque ad fidem quoq; vel plurimùm valet: eſt enim amplificatio vehemens quædam argumentatio, vt illa docendi cauſſa ſit, hæc commouendi. 3 Laudare claros viros, & vituperare improbos nō eſt ſimplicis vtilitatis opus (vt ait Fab.) Nāque & ingenium exercetur multiplici variaq́; materia, & animus contemplatione recti prauique formatur: & multa inde cognitio rerum venit, exemplisq́; quæ ſunt in omni genere cauſſarum potentiſſima, iam tum inſtruitur, cùm res poſcet, vſurus. 4 Craſſus diſtinguit tria genera locorum communium, quibus adiuuantur oratoriæ amplificationes in tractandis ciuilibus cauſſis: prioris generis ſunt ſententiæ generales, contra reos in vitia & peccata: vt ſi quē peculatus reum egeris, & cauſſa confirmata generaliter in crimen peculatus inueharis. Secùndi ſunt communes ſententiæ pro reis ad deprecandam veniam. Tertij ſunt theſes, quæ Academicorum more in vtramque partem diſputantur, vt apud Ciceronem pro voluptate, contra voluptatem: pro virtute, contra virtutem. 5 Hæc allegoria ducitur ex iure ciuili, & verbis quidem elegans eſt, ſed tamen minimè vera: licèt enim vnus, & idem ſapiens olim & eloquens fuerit, duæ tamen artes ſemper fuerunt, philoſophia & eloquētia, quarum quidem vſus perſæpe coniunctus eſt, vt in his, qui vtramque artem didicerint, ſed vis & natura & præceptiones diſtinguendæ ſunt. Neque verò philoſophia magis oratorum eſt, quàm eloquētia philoſophorum propria poſſeſſio. 6 Craſſus à proximo capite digreſſionis digreditur in diuiſionem quæſtionis, in hypotheſim & theſim, quæ qualis ſit, in aliis libris diximus, & vtriuſq; generis partes ſummàtim perſequitur. 7 De hac re relatum eſt ad ſenatum, cùm M. Regulus à Carthaginenſibus dimiſſus eſt ea conditione, vt ipſe rediret, niſi captiui Carthaginenſes captiuis Romanis commutarentur. 8 Cùm philoſophi theſim diſputant, in alienam poſſeſſionem non irruunt (vt antè diximus) ſed ſuo & proprio patrimonio vtuntur: Craſſi autem allegoria hanc habet ſententiam: Philoſophi dicunt quæſtionem ad ſe pertinere,

Cap.4.lib.2

non totam quidem quæſtionis doctrinam proponētes, ſed primam & ſummam tantum diuiſionem inſtar eorum, qui quum de fundo aliquo aut ſylua litigant, in rem præſentem eunt, & in iudicium ramum aliquem aut ſurculum afferunt, qui repræſentet vniuerſum fundum aut ſyluam: itaq; in parte tanquam in toto rem vindicant. 7 Academici quæſtionem finitam obtinent. Nam Philo Academicus philoſophus eam in ſcholis exercet, ſed eam ipſam obtinent lacinia, id eſt, leuiter: neque tam accuratè diſputant, quàm ipſi oratores in foro. Metaphora ſumpta eſt ab his, qui veſtem aliquam extrema tantùm parte retinent. 10 Theſis & hypotheſis communes habent ambigendi ſpecies: vtraq; enim ad cognitionem, vel ad actionem refertur. Atq; hæc partitio fluxit ex antiqua partitione artium in duo genera, θεωρητικὸν & πρακτικόν. hæc igitur quæ ab Academicis de quæſtione prætermiſſa ſunt, Craſſus per ſubiectas ſpecies via & ordine explicat.

11 Quæſtio θεωρητικὴ eſt, Sitne virtus per ſe expetenda, an propter aliquam vtilitatem? Cic. lib. 3. de Finib. & lib. 2. de Legib. ait virtutem per ſe & propter ſe expetendam eſſe, detractis omnibus emolumentis, quia nihil ſit virtute melius aut pulchrius. 12 Quæſtio πρακτικὴ eſt, Sitne ſapienti capeſſenda Reſpubl. Plato lib. 1. de Republ. ait philoſophum metu pœnæ cogi ad capeſſendam Rempublicam, ne improborum hominum dominationi ſubiiciatur (quę quidem pœna eſt maxima) hunc verò nec pecunia duci, nec honore, cùm nec auarus ſit, nec ambitioſus. Libro autem 7. (ait) philoſophos ad capeſſendam Rempub. cogendos eſſe, & viciſſim ab actione rerum ad cognitionem reuocandos. 13 Sapientia perfecta in humano genere nulla eſt, mediocris & adumbrata aliqua eſt, quo modo dicimus in Græcia fuiſſe ſeptem ſapientes, & Romæ Catonem aut Lælium. Lege Cic. lib. 3. de Offic. 14 Sapientia (vt ait Cicero) eſt diuinarum & humanarum rerum, cauſarumq; quibus hæ res conſtant, cognitio & ſcientia.

Lib. 2. Offic.

15 Quemadmodum medicus (ait Plato) ægrotis, ſic philoſophus ciuibus ſuis ſalutis cauſſa mentiri poteſt, vt ſi furore aliquo aut inſcitia flagitium aggrediantur. Idem ſcribit licere gubernatoribus Reipubl. mentiri vel hoſtium, vel ciuium cauſſa, ad communem vtilitatem ciuitatis, reliquis verò non licere. 16 Cicero diſputat ius natura conſtare, & à natura petendum eſſe, id eſt, à recta ratione, quæ in animis noſtris impreſſa eſt, iubens recta, prohibensq; contraria. 17 Initium Rerump. fuit domus, exinde vicus, poſtea ciuitas, vt docet Ariſtotel. lib. 1. de Republ. 18 Homines doctiſſimi de maximis rebus in philoſophia diſſentiunt, quia veritas in profundo demerſa iacet, & opinionibus tenetur, non certa ſcientia, vt Cic. docet in Academ. 19 Siue conſuetudine & longo vſu virtus paratur, vt cenſet Ariſtoteles: ea poteſt deſuetudine amitti, ſiue diuina gratia hominibus datur (vt vult Plato) ea ſublata, virtus quoque ipſa tollitur. 20 Ariſtotel. lib. 3. de Republ. ciuium partem maximam definit non numero, ſed virtute, cui, quod vtile eſt, id ius eſt. 21 Socrates in Gorgia & Critone negat iuſtum eſſe iniurias vlciſci, ne tuas quidem, quod præceptū verè Chriſtianum eſt. 22 Craſſus à doctrina quæſtionis relabitur ad ſuum inſtitutum, & exercitationem locorum communium commendat ad copiam & ornatum orationis. 23 Alludit ad ancillas, quæ penſa à matronis accepta vt lanæ vel lini manipulos interdum intermittunt, vt aliud agant, poſteaque redeunt ad muneris ſui perfunctionem: qua ſimilitudine penſum Craſſi dicitur, munus ipſum dicendi de elocutione, quod pauliſper intermiſit, vt explicaret doctrinam quæſtionis: Craſſus igitur redit ad præceptum reuocādæ quæſtionis finitæ ad infinitam, quod item poſitum eſt lib. 2. de Orat. & in Partit. orat. & in Orat. perfect. 24 Forenſis & politicus orator adiuuatur quidem à philoſophia, quia (vt rectè ait Craſſus lib. 1.) neque ſine multa pertractatione omniū rerum publ. neq; ſine legum, moris, iuris, ſcientia, neq; natura hominū incognita ac moribus, in his ipſis rebus ſatis callidè verſari, ac peritè poteſt: non tamē ſequitur eam eſſe propriā oratoris poſſeſſionē, aut philoſo-

Lib. 2. de Republica.

Lib. 3. de Republica.

Lib. 1. de Legibus.

philoſophum, cùm de moribus, aut de Rep. aut de natura & rebus occultis præcipit, in alienam poſſeſſioné inuolare, ſed in ſuo potius regno & patrimonio conſiſtere. 25 Caduca poſſeſſio eſt, quæ à vero domino excidit aut morte, aut alio quouis modo, & incidit in eũ qui minimè ſperabat, vt in principem vel fiſcum, in agnatos, in ſecundos hæredes, in alterũ legatarium, in cohæredé iure accreſcendi, in vſurpatorem. 26 Socrates in Gorgia Platonis, iure & merito cauillatur & irridet oratores ſui temporis, qui in foro iuſtitiam nó exercerét ſed ſpecie iuſtitiæ ſummã iniuſtitiam. 27 Craſſus tandé concludit præcipua digreſſionis huius tam longæ capita, Quòd philoſophia ſit oratorũ, Quòd & citò & celeriter ab oratoribus percipienda ſit, Quòd ornatus ſit in rebus & verbis, Quòd eloquétia in locis communibus exercenda ſit, ſed in primo illo capite videtur iniuriam facere philoſophis, à quibus ait oratorem rerũ ſcientia ſpoliatũ eſſe: nihil enim philoſophi oratoribus furati ſunt, ſed id quod ſuum eſſet, conſeruarũt: in altero rectè admonet, vt orator politicus citò philoſophiam diſcat: neq; enim ad eam poteſt penitus adhæreſcere, & ciuiles cauſſas agere, quæ totũ hominem requirunt. De tertio diximus, rhetoricum ornatum non eſſe in rebus, ſed in verbis. Quòd verò ad quartum attinet, diſputatio locorum communium dialectica facultate maximè innititur. Summa igitur digreſſionis eſt oratoré ciuilium cauſſarũ, nõ modò verbis eloquenté & ornatũ, ſed multò magis rerũ ſcientia eruditũ eſſe oportere.

[1] *Hîc Catulus, Dij immortales, inquit, quantam rerum varietatem, quantam vim, quantam copiam Craſſe complexus es, quantiſque ex anguſtijs oratorem educere auſus es, & in maiorum ſuorum regno collocare. Namque illos veteres doctores authoréſque dicendi nullum genus diſputationis à ſe alienum putaſſe accepimus, ſempérque eſſe in omni orationis ratione verſatos: ex quibus* [2] *Eleus Hippias, cùm Olympiam veniſſet, maxima illa quinquennali celebritate ludorum, gloriatus eſt cuncta penè audiente Græcia, nihil eſſe vlla in arte rerum omnium, quod ipſe neſciret: nec ſolùm has artes, quibus liberales doctrinæ atque ingenuæ continerentur, Geometriam, Muſicam, literarum cognitionem, & poetarum, atque illa quæ de naturis rerum, quæ de hominum moribus, quæ de Rebuſpublicis dicerentur: ſed annulum quem haberet, pallium quo amictus, ſoccos quibus indutus eſſet, ſe ſua manu confeciſſe. Scilicet nimis hîc quidem eſt progreſſus, ſed ex eo ipſo eſt coniectura facilis, quantum ſibi illi ipſi oratores de præclariſſimis artibus appetierint, qui ne ſordidiores quidem repudiarint.*

Quid de Prodico Chio, quid de Thraſymacho Chalcedonio, de Protagora Abderita loquar? quorum vnuſquiſq; plurimùm temporibus illis etiam de natura rerum & diſſeruit, & ſcripſit. [3] *Ipſe ille Leontinus Gorgias, quo patrono (vt Plato voluit) philoſopho ſuccubuit orator, qui aut non eſt victus vnquam à Socrate, neque ſermo ille Platonis verus eſt: aut ſi eſt victus, eloquentior videlicet fuit & diſertior Socrates, &, vt tu appellas, copioſior & melior orator: ſed hic in illo ipſo Platonis libro, de omni re quacunque in diſceptationem quæſtionemq; vocaretur, ſe copioſiſſimè dicturum eſſe profitetur: iiſq; princeps ex omnibus auſus eſt in conuentu poſcere qua de re quiſq; vellet audire,* [4] *cui tantus honos habitus eſt à Græcia, ſoli vt ex omnibus, Delphis non inaurata ſtatua, ſed aurea ſtatueretur. Atq; ij, quos nominaui, multiq; præterea ſummi dicendi doctores, vno tempore fuerunt. Ex quibus intelligi poteſt, ita ſe rem habere, vt tu Craſſe dicis, oratoriſq; nomen apud antiquos in Græcia maiore quadam vel copia, vel gloria floruiſſe.* [5] *Quo quidem magis dubito, tibíne plus laudis, an Græcis vituperationis eſſe tribuendum ſtatuam: cùm tu in alia lingua ac moribus natus, occupatiſſima in ciuitate, vel priuatorum negotiis penè omnibus, vel orbis terræ procuratione, ac ſummi imperij gubernatione diſtrictus, tantam vim rerum cognitionemq; comprehenderis, eamq; omnem cum eius qui conſilio & oratione in ciuitate valeat, ſcientia atq; exercitatione ſociaris: illi nati in literis, ardenteſq; his ſtudiis, otio verò diffluentes, non modo nihil acquiſierint, ſed ne relictum quidem & traditum & ſuum conſeruauerint.* [6] *Tum Craſſus, Non in hac, inquit, vna Catule re, ſed in aliis etiam compluribus, diſtributione partium, ac ſeparatione magnitudines ſunt artium*

diminu-

diminutæ. An tu exiſtimas [7] cùm eſſet Hippocrates ille Cous, fuiſſe tum alios medicos qui morbis, alios qui vulneribus, alios qui oculis mederentur? [8] Num Geometriam Euclide aut Archimede, [9] num Muſicam Damone aut Ariſtoxeno, [10] num ipſas literas Ariſtophane aut Callimacho tractante, tam diſcerptas fuiſſe, vt nemo genus vniuerſum complecteretur, atq; vt alius aliam ſibi partem, in qua elaboraret, ſeponeret? [11] Equidem ſæpe hoc audiui de patre & de ſocero meo, noſtros quoq; homines qui excellere ſapientiæ gloria vellent, omnia quæ quidem tum hæc ciuitas noſſet, ſolitos eſſe complecti. Meminerant illi Sext. Aelium, [12] M. verò Manlium nos etiam vidimus tranſuerſo ambulantem foro: quod erat inſigne, eum qui id faceret, facere ciuibus omnibus conſilij ſui copiam. ad quos olim & ita ambulantes, & in ſolio ſedentes domi, ſic adibatur, non ſolùm vt de iure ciuili ad eos, verùm etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio, aut negotio referretur. [13] Hæc fuit Pub. Craſſi illius veteris, [14] hæc T. Coruncani, [15] hæc proaui generi mei Scipionis prudentiſſimi hominis ſapientia, qui omnes Pontifices maximi fuerũt, vt ad eos de omnibus diuinis atq; humanis rebus referretur: ijdemq; & in ſenatu, & apud populum, in cauſſis amicorum, & domi & militiæ cõſilium ſuum fidemq; præſtabant. [16] Quid enim M. Catoni præter hanc politiſſimam doctrinam tranſmarinam atque aduentitiam defuit? num quia ius ciuile didicerat, cauſſas non dicebat? aut quia poterat dicere, iuris ſcientiam negligebat? at vtroq; in genere & laborauit, & præſtitit. Num propter hanc ex priuatorum negotijs collectã gratiam tardior in Republ. capeſſenda fuit? [17] Nemo apud populum fortior, nemo melior ſenator, idem

facile optimus imperator: [18] *denique nihil in hac ciuitate temporibus illius ſciri diſcíue potuit, quòd ille non cùm inueſtigarit & ſcierit, tum etiam conſcripſerit.* [19] *Nunc contrà plerique ad honores adipiſcendos & ad Rempublicam gerendam nudi veniunt atq; inermes, nulla cognitione rerum, nulla ſcientia ornati. Sin aliquis excellit vnus è multis, effert ſe: ſi vnum aliquid affert, vt bellicam virtutem, aut vſum aliquem militarem (quæ ſanè nunc quidem obſoleuerunt) aut iuris ſcientiam, ne eius quidem vniuerſi. nam pontificium quod eſt coniunctum, nemo diſcit. aut eloquentiam, quam in clamore, & in verborum curſu poſitam putant. omnium verò bonarum artium, denique virtutum ipſarum ſocietatem cognationémque non norunt.* [20] *Sed vt ad Græcos referam orationem, quibus carere in hoc quidem ſermonis genere non poſſumus (nam vt virtutis à noſtris, ſic doctrinæ ſunt ab illis exempla repetenda) ſeptem fuiſſe dicuntur vno tempore qui ſapientes & haberentur, & vocarentur.* [21] *hi omnes præter Mileſium Thalem ciuitatibus ſuis præfuerunt.* [22] *Quis doctior iiſdem illis temporibus, aut cuius eloquentia literis inſtructior fuiſſe traditur, quàm Piſiſtrati, qui primus Homeri libros confuſos antea, ſic diſpoſuiſſe dicitur, vt nunc habemus.* [23] *Non fuit ille quidem ciuibus ſuis vtilis, ſed ita eloquentia floruit, vt literis doctrinaq; præſtaret.* [24] *Quid Pericles? de cuius dicendi copia ſic accepimus, vt quum contra voluntatem Athenienſium loqueretur pro ſalute patriæ, ſeuerius tamen idipſum quod ille contra populares homines diceret, populare omnibus & iucundum videretur:* [25] *cuius in labris veteres comici etiam quum illi maledicerent (quod tum Athenis fieri liceret) leporem habitaſſe dixerunt: tantamq; in eo vim fuiſſe, vt in*

eorum mentibus qui audiſſent, quaſi aculeos quoſdam relinqueret. At hunc non declamator aliquis [26] ad clepſydram latrare docuerat, ſed, vt accepimus, [27] Clazomenius ille Anaxagoras, vir ſummus in maximarum rerum ſcientia. Itaq; hic doctrina, conſilio, eloquentia excellens, quadraginta annos præfuit Athenis, & vrbanis eodem tempore, & bellicis rebus. [28] Quid Critias? quid Alcibiades? ciuitatibus ſuis quidem non boni, ſed certè docti atq; eloquentes, nónne Socraticis erant diſputationibus eruditi? [29] Quis Dionem Syracuſium doctrinis omnibus expoliuit? non Plato? Atq; eum idem ille nō linguæ ſolùm, verùm etiam animi ac virtutis magiſter, ad liberandam patriam impulit, inſtruxit, armauit. Aliíſne igitur artibus hunc Dionem inſtituit Plato, alijs Iſocrates clariſſimum virum [30] Timotheum Cononis præſtantiſſimi imperatoris filium, ſummum ipſum imperatorem, hominemq; doctiſſimum? aut alijs Pythagoreus ille Lyſias Thebanū [31] Epaminondam, haud ſcio an ſummum virum vnum omnis Græciæ? [32] aut Xenophō Ageſilaum? [33] aut Philolaum Archytas Tarentinus? [34] aut ipſe Pythagoras totam illam veterem Italiæ Græciam, quæ quondam magna vocitata eſt? Equidem non arbitror. Sic enim video, vnam quandam omnium rerum, quæ eſſent homine erudito dignæ, atq; eo qui in Repub. vellet excellere, fuiſſe doctrinam: quam qui accepiſſent, ſi ijdem ingenio ad pronunciandum valuiſſent, & ſe ad dicendum quoq; nō repugnante natura dediſſent, eloquentia præſtitiſſe. [35] Itaq; ipſe Ariſtoteles cùm florere Iſocratem nobilitate diſcipulorum videret, quòd ipſe ſuas diſputationes à cauſſis foreſibus & ciuilibus ad inanem ſermonis elegantiam tranſtuliſſet, mutauit repentè totam formam propè diſciplinæ ſuæ, [36] verſúmque

quendam de Philocteta paulo ſecus dixit. Ille enim turpe ſibi ait eſſe tacere cum Barbaris: hic autem, quum Iſocratem pateretur dicere. Itaq; ornauit & illuſtrauit doctrinam illam omnem, rerumq́; cognitionem cum orationis exercitatione coniunxit. [37] Neq; verò hoc fugit ſapientiſſimum regem Philippum, qui hunc Alexandro filio doctorem accierit, à quo eodem ille & agēdi acciperet præcepta, & loquendi. [38] Nunc ſanè qui volet, eum philoſophum qui copiam nobis rerum orationumq́; tradat, per me appellet oratorem licet: ſiue hunc oratorem, quem ego dico ſapientiam iunctam habere eloquentiæ, philoſophum appellare malit, non impediam: dummodo hoc conſtet, neq; infantiam eius qui rem norit, ſed eam explicare dicendo non queat: neq; inſcitiam illius cui res non ſuppetat, verba non deſint, eſſe laudandam: quorum ſi alterum ſit optandum, malim equidem indiſertam prudentiam, quàm ſtultitiam loquacem. Sin quærimus quid vnum excellat ex omnibus, docto oratori palma danda eſt: quem ſi patiuntur eundem eſſe philoſophum, ſublata controuerſia eſt: ſin eos diſiungent, hoc erunt inferiores, quòd in oratore perfecto ineſt omnis illorum ſcientia, in philoſophorum autem cognitione non continuò ineſt eloquentia: quæ quamuis contemnatur ab eis, neceſſe eſt tamen aliquem cumulum illorum artibus afferre videatur. [39] Hæc quum Craſſus dixiſſet, parumper & ipſe conticuit, & cæteris ſilentium fuit. Tum Cotta, Equidem, inquit, Craſſe, non poſſum queri quòd mihi videare aliud quiddam, & non id quod ſuſceperis, diſputaſſe. Plus enim aliquanto attuliſti, quàm tibi eſſet tributum à nobis, ac denuntiatum. Sed certè hæ partes fuerunt tuæ, de illuſtranda oratione vt diceres: & eras ipſe iam ingreſſus, atq; in quatuor partes omnem

orationis

*orationis laudem deſcripſeras: cumq; de duabus primis no-
bis quidem ſatis, ſed vt ipſe dicebas, celeriter exigueq; dixiſ-
ſes, duas tibi reliquas feceras, quemadmodum primùm or-
natè, deinde etiam aptè diceremus: quò cùm ingreſſus eſſes,*
40 *repentè te quaſi quidam æſtus ingenij tui procul à terra
abripuit, atq; in altum à conſpectu penè omnium abſtraxit:
omnemq; rerum ſcientiam complexus, non tu quidem eam
nobis tradidiſti (neque enim fuit tam exigui temporis) ſed
apud hos quid profeceris neſcio, me quidē in Academiam
totum compuliſti, in qua velim ſit illud quod ſæpe poſuiſti,
vt non neceſſe ſit conſumere ætatem, atq; vt poſſit is illa om-
nia cernere, qui tantummodo aſpexerit:* 41 *ſed etiam ſi eſt
aliquantò ſpiſſius, aut ſi ego ſum tardior, profectò nunquam
conquieſcam neq; defatigabor antè, quàm illorum ancipites
vias rationesq; & pro omnibus & contra omnia diſputan-
di, percepero.* 42 *Tum Cæſar, Unum, inquit, me ex tuo ſer-
mone maximè Craſſe commouit, quòd eum negaſti qui non
citò quid didiciſſet, vnquam omnino poſſe perdiſcere: vt mi
hi non ſit difficile periclitari, & aut ſtatim percipere iſta
quæ tu verbis ad cœlum extuliſti: aut ſi non potuerim, tem-
pus non perdere: quum tamen his noſtris poſſim eſſe conten-
tus.* 43 *Hic Sulpitius, Ego verò, inquit, Craſſe, neq; Ariſto-
telem iſtum, neq; Carneadem, nec philoſophorū quenquam
deſidero: vel me licet exiſtimes deſperare poſſe iſta perdiſce-
re: vel, id quod facio, contemnere. Mihi rerum forenſium
& communium vulgaris hæc cognitio ſatis magna eſt ad
eam quam ſpecto eloquentiam, ex qua ipſa tamen per mul-
ta neſcio: quæ tum deniq; cum cauſſa aliqua quæ à me di-
cenda eſt, deſiderat, quæro. Quamobrem niſi fortè es iam
defeſſus, & ſi tibi non graues ſumus, refer ad illa te, quæ ad*

ipſius orationis laudem ſplendoremq́ pertinent: quæ ego ex te audire volui, non vt deſperarem me eloquentiam conſequi poſſe, ſed vt aliquid addiſcerem.

1 Catulus cum admiratione ſententiam & orationem Craſſi approbat exemplis Athenienſium Sophiſtarum, qui cum eloquentia iunctam philoſophiam profitebantur, vt Hippias Eleus, Prodicus Chius, Traſymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Gorgias Leontinus.. 2 Hic locus tranſlatus eſt ex Hippia minore, vbi Socrates Hippiam ſic alloquitur, Σωκρ. ἴθι δή, ὦ ἱππία, ἀνέδην οὑτοσὶ ἐπισκέψαι κατὰ πασῶν ἐπιστημῶν, εἴ που ἔστιν ἄλλως ἔχον, ἢ οὕτως· πάντως δὲ πλείστας τέχνας πάντων σοφώτατος εἶ ἀνθρώπων, ὡς ἐγώ ποτέ σου ἤκουον μεγαλαυχουμένου, πολλὴν σοφίαν καὶ ζηλωτὴν σαυτοῦ διεξιόντος ἐν ἀγορᾷ ἐπὶ ταῖς τραπέζαις. ἔφησθα δὲ ἀφικέσθαι ποτὲ εἰς ὀλυμπίαν, ἃ εἶχες περὶ τὸ σῶμα ἅπαντα σαυτοῦ ἔργα ἔχων. πρῶτον μὲν δακτύλιον, ἐντεῦθεν γὰρ ἤρχου, ὃν εἶχες, σαυτοῦ ἔχειν ἔργον, ὡς ἐπιστάμενος δακτυλίους γλύφειν καὶ ἄλλην σφραγῖδα σὸν ἔργον, καὶ στλεγγίδα καὶ λήκυθον, ἃ αὐτὸς εἰργάσω. ἔπειτα ὑποδήματα ἃ εἶχες, ἔφησθα αὐτὸς σκυτοτομῆσαι, καὶ τὸ ἱμάτιον ὑφῆναι, καὶ τὸν χιτωνίσκον. καὶ ὅγε πᾶσιν ἔδοξεν ἀτοπώτατον, καὶ σοφίας πλείστης ἐπίδειγμα, ἐπειδὴ τὴν ζώνην ἔφησθα τοῦ χιτωνίσκου, ἣν εἶχες, εἶναι μὲν οἷαι αἱ Περσικαὶ τῶν πολυτελῶν, ταύτην δὲ αὐτὸς πλέξαι. πρὸς δὲ τούτοις ποιήματα ἔχων ἐλθεῖν, καὶ ἔπη, καὶ τραγῳδίας, καὶ διθυράμβοις, καὶ καταλογάδην πολλὺς λόγοις, καὶ παντοδάποις συγκειμένοις, καὶ περὶ τῶν τεχνῶν δὲ ὧν ἄρτι ἐγὼ ἔλεγον, ἐπιστήμων ἀφικέσθαι διαφερόντως τῶν ἀλλῶν καὶ περὶ ῥυθμῶν, καὶ ἁρμονιῶν, καὶ γραμμάτων ὀρθότητος, καὶ ἄλλα ἔτι πρὸς τούτοις πάνυ πολλά, ὡς ἐγὼ δοκῶ μνημονεύειν· καίτοι τό γε μνημονικὸν ἐπελαθόμην σου ὡς ἔοικε τέχνημα, ἐν ᾧ σὺ οἴει λαμπρότατος εἶναι· οἶμαι δὲ καὶ ἄλλα πάμπολλα ἐπιλελῆσθαι. Id eſt, Age ſanè (ô Hippia) conſidera ſic per omnes ſcientias, vtrum aliter ſit, an ita. Nam cæteros homines ſcientia multarum artium vincis, quemadmodum te ipſum de varia & maximè expetenda ſapientia gloriantem aliquādo audiui, quum tu diſputares in foro inter menſas. Dicebas te quodam Olympiam veniſſe, & omnia corporis ornamenta, quæ geſtabas, manibus tuis confeciſſe: ac primùm quidem annulum quem habebas (hinc enim exorſus es) tuum eſſe opus: quaſi ſculpendi peritus eſſes, & ſigillum aliud tuum opus, & ſtrigilem, & lecythum, quæ tu ipſe feceras: deinde calceos quibus indutus eſſes, dicebas te compoſuiſſe, & veſtem contexuiſſe, & palliolum: & hoc quidem viſum eſt omnibus maximè admirabile & ſingularis ſapientiæ indicium, quum zonam pallioli, quam geſtabas, diceres eſſe Perſicis ſumptuoſis & pretioſis ſimilem, & hanc certe abs te concinnatam. Præterea autem te poemata ferre, & epicos verſus, & tragœdias, & dithyrambos, & multas variasque orationes liberioribus numeris ſolutas, teque eundem in artibus & diſciplinis, de quibus paulò ante dicebam, cæteris hominibus antecellere; & in rhythmis, & in muſicis concentibus, & in recta ratione literarum, & in pleriſq; aliis eiuſdem generis, quemadmodum mihi rectè meminiſſe videor: at verò memoriæ tuæ artificium penè oblitus eram, in quo mihi videris eſſe clariſſimus. arbitror etiam me multa alia prætermiſſe. 3 Socrates Gorgias in definitione rhetoricæ reprehendit, quòd artem ipſam, quam profitetur, definire neſciat: primùm enim ait eſſe artem ſermonum, deinde eorum ſermonum, qui dicendi facultatem præſtant, tum addit in maximis & optimis rebus; quæ omnia

Gorgias à Socrate cogitur fateri,cum aliis artibus eſſe communia,neque rhetoricæ artis propria. Poſtremò ipſe rhetoricam definit artem perſuaſionis de iuſtis rebus & iniuſtis ad fidem, non ad ſcientiam,vt hoc genere orator indoctus apud indoctam plebem ſit vel doctiſſimos artifices ſuperaturus, & valde metuendum ſit,ne rhetorica facultate abutatur: interim tamen Gorgias fatetur oratorem iuſta ſcire, & iuſtum eſſe. hac igitur repugnantia conſtrictus Gorgias, q; oratorem iuſtum eſſe dicat,& metuendum tamen eſſe,ne ſua facultate abutatur, erubeſcit, & Socrati in diſputatione cedit,cuius ſermonē Polus iuuenis excipit. 4 Pauſanias & Plinius non ita narrant Græciam Gorgiæ, ſed ipſum Gorgiam cùm eſſet ditiſſimus,ſibi Delphis ſtatuā poſuiſſe:nec verò inter ſe omnino conſentiunt, quia Pauſanias inauratam,Plinius auream ſtatuam fuiſſe ſcribit. Inauratam ſtatuam (ait ille) Gorgias Leontinus ſibi dedicauit, quæ & ipſum Gorgiam refert. Hominum primus (ait Plinius) & auream ſtatuam, & ſolidam Gorgias Leontinus Delphis in templo ſibi poſuit 70.circiter olympiade: tantus erat docendæ oratoriæ artis quæſtus. 5 Hic Cicero ſe tacitè Græcis anteponit in perſona Craſſi: & vtitur comparatione rerum diſſimilium: Craſſus quamuis in lingua Græca non natus,& ciuilibus negotiis occupatus, tamen maximam rerum ſcientiam conſecutus eſt: Græci verò nati in literis, & otio abundantes, hanc rerum ſcientiam amiſerunt. 6 Craſſus antiquam in ſingulis artibus partium coniunctionem Græcis & domeſticis exemplis approbat, vt inductione ſimilium exemplorum ſimiliter concludat artes ſapientiæ & eloquentiæ coniungendas eſſe. Vt olim Medicina non erat variis hominum ſtudiis diſtracta,neque Geometria,neque Muſica, neque Grammatica, neque item ciuilis ſcientia: ſic philoſophiæ & eloquentiæ vnum & idem erat ſtudium, nec alius philoſophiæ, alius eloquentiæ operam dabat:quaſi ſapientia & eloquentia olim vna & eadem ars fuerit, aut eſſe potuerit: nos quidem ſæpe monuimus eas in humana vita vſu quidem coniungi debere, vt quæ ſapienter cogitamus, ornatè dicamus, præceptis verò confundi & permiſceri non debere: & tam abſurdum eſſe ſi quis in rhetoricis libris de virtute præcipiat, quàm ſi de figuris & dimenſionibus mathematicis. 7 Hippocrates Cous Heraclidæ filius vniuerſam medicinam docuit & exercuit,neq; ſeparatim in vno genere curationis elaborauit,vt poſtea plerique fecerunt,quorum alij morbos internos,alij vlcera externa, alij dolorem oculorum curabant,ſed omnia quæ eſſent in natura hominis,& in omnibus medicinæ partibus percalluit: nec vllum remedij genus inexpertum atq; intactum reliquit. 8 Euclides Megarenſis,Socratis fuit diſcipulus, à quo Plato Geometriam didicit: Archimedes Syracuſanus in Geometria & fabricandis machinis diuinus fuit, nec vnquā parem habuit,de cuius ingenio & laude multa ſcribit Plutarchus in vita Marcelli. 9 Nicias apud Platonem laudat Damonem Agathoclis diſcipulum Muſicæ præceptorem, hominem præ cæteris vrbanum, & verſatum non ſolùm in Muſica,ſed etiam in reliquis diſciplinis. Ariſtoxenus ob excellentiā artis ſuæ Muſicus eſt cognominatus. 10 Ariſtophanes Byzātius Grammaticus(vt ait Suidas)diſcipulus Callimachi,& Zenodoti,& cuiuſdam Dionyſij, floruit olympiade circiter 41. Callimachus Cyreneus, diſcipulus Hermocratis varia poëmata ſcripſit:de quorū nominibus lege Suidam. 11 Craſſus inſerit Gręcis hominibus ſex principes Romanos,Sex.Aelium,M.Manlium,P.Craſſum,T. Coruncanum,P.Scipionem,M.Catonē,qui ſapientia,quanta potuit eſſe Romæ illis temporibus,floruerunt. Sext.Aelius Pætus,compoſuit librum de iure ciuili, qui inſcriptus erat Tripertita,iſque habitus eſt ſapiens,de quo ſic Ennius,

Lib. 10.

Cap. 4. li. 33.

In Lachete.

Egregiè cordatus homo Catus Aelius Sextus.

12 M.Manlius Torquatus tres libros de iure ciuili reliquit, & ius ciuile fundauit,fuitq; temporibus illis quaſi oraculum ciuitatis. 13 Hic P.Craſſus quinque præcipuis rebus excelluiſſe dicitur,q; ditiſſimus eſſet,q; eloquentiſſimus,q; nobiliſſimus,q; iuriſconſultiſſimus,q; Pontifex maximus. 14 T.Coruncanus,

Pontifex maximus, primus ius ciuile Romæ profeſſus eſt, & eloquentiam cum ſapientia coniunxit. 15 P.Scipio Naſica numeratur à Pomponio inter Ureconſultos veteres, atque hic fortaſſe Scipio eſt, quem Craſſus ait fuiſſe proauum generi ſui Scipionis, de quo diximus in Proœmio huius libri. 16 Plutarchus ſcribit M.Portium Catonem, quum admodum adoleſcens ſub Fabio Maximo militaret, Nearcho Pythagoreo philoſopho familiariter vſum fuiſſe, ex quo multa philoſophiæ præcepta percepit: eundem verò Græcas literas ſerò didiciſſe, & in ſumma ſenectute cùm Græcos libros euolueret, breues Commentariolos ex Thucydide, plures ex Demoſthene confeciſſe, à quibus in agendis cauſſis magnopere iuuabatur: Græca igitur & tranſmarina literarum ſcientia Catoni defuit, præterquam in ſenectute. 17 Plinius de Catone ita ſcribit, Primus Porciæ gentis tres ſummas in homine res præſtitiſſe exiſtimatus eſt, optimus orator, optimus imperator, optimus ſenator. 18 Scripſit Cato origines vrbium Italicarum, & multas orationes, & opus de Agricultura. 19 Craſſus opponit per diſſimilitudinem ſex illis Romanis inertiam & inſcitiam hominum ſui temporis, qui ſine rerum ſcientia ad Rempub. & ad ciuiles cauſſas accedunt. 20 Exempla proxima deinceps docebunt, apud veteres Græcos ſummam fuiſſe coniunctionem ſapientiæ & eloquentiæ. 21 Solon præfuit Athenienſibus, Periander Corinthiis, Cleobulus Lydiis, Chilon Lacedæmoniis, Bias Prienenſibus, Pittacus Mittilenæis. Thales autem Mileſius, qui numeratur inter Græciæ ſapientes, ſolus vitam priuatam egit: 22 Piſiſtratus Ariſtophani Grammatico mandauit, vt libros Homeri redigeret in ordinem, & in eas, quas nũc legimus, ῥαψῳδίας diſtingueret. Piſiſtratus Athenienſis non fuit ciuibus ſuis vtilis, quia tyrannidem ter occupauit, vt ſcribit Herodotus: ſed tamen doctrina & eloquentia floruit, & à quibuſdam ponitur inter ſapientes Græciæ: Plutarchus ſcribit in eo fuiſſe vocis ſuauitatem, & volubilitatem, celeritatemque linguæ. 24 Pericles primùm in Repub. videri voluit popularis, vt ſibi potentiam cõpararet aduerſus Cimonem: ſed confirmata authoritate, multa contra mollem & diſſolutam vitam populi Athenienſis ſæpe dixit. Lege Plutarchum. 25 Cratinus, Teleclides, & Eupolis, veteres Comici ſæpe vehebantur in Periclem, ſed tamen Eupolis cùm ei malediceret, non potuit interdũ non bene dicere: ſcripſit enim in labris Periclis πειθὼ habitare, quam Ennius ſuadam, alij leporem interpretantur. 26 In verbo Latrare metaphora nota eſt à canibus, & ſignificat ineptè clamare & vociferari. Sic Cicero in Bruto, Latrant quidam oratores, nõ loquuntur. Ad clepſydram autem iubebat Rhetor diſcipulos ſuos declamare, id eſt, præſcribebat eis certum tempus, quod clepſydra definiebabatur. 27 Pericles ab Anaxagora phyſico cruditus, exercitationem mentis à reconditis abſtruſisq; rebus ad cauſſas forenſes popularesque traduxerat: hunc Socrates in Phædro cæteris oratoribus præſtitiſſe ait, quòd eloquentiam rerum ſcientia cumulaſſet. 28 Critias vnus fuit ex triginta tyrannis: Alcibiadem verò impietatis accuſatum damnatumque Athenienſes velut impium & nefandum hominem abſentem execrati ſunt. Lege Plutarchum. 29 Dion Syracuſanus ſuaſu Platonis iuniorem Dionyſium tyrannum regno expulit, & patriam ſuam in libertatem vindicauit. 30 Timotheus Athenienſis adeò bellica laude & felicitate præſtitit, vt pictores fortunam ei aſſidentem pingerent, & vrbes retibus incluſas porrigentem: quod tamen ille iniquo animo ferebat, nec fortunæ, ſed virtuti res à ſe geſtas aſcribi volebat. Hic cùm belli laude non inferior fuiſſet, quàm Conon pater, ad eam laudem, doctrinę & ingenij gloriam adiecit, vt ait Cicero 1. Offic. 31 Epaminundas Thebanus philoſophiæ ſtudio longè modeſtior quàm cæteris rebus factus eſt, vt ait Plutarchus in vita Pelopidæ: in eo virtutes imperatoriæ elucebant, ſcientia militaris, fortitudo, comitas, modeſtia, authoritas: itaque ſummus vnus totius Græciæ habitus eſt.

In vita Periclis.

Plutarchus in vita Sylla.

32 Xenophon non tantummodo Ageſilaum inſtituit regem Lacedæmoniorum, ſed etiam librum de laudibus eius compoſuit, vnde Plutarchus magna ex

parte

parte tranſtulit hiſtoriam ſuam de Ageſilao. 33 Diogenes Laërtius Philolaum Crotoniatam inter diſcipulos Architæ ponit, cuius librum de rebus phyſicis ædi tum Plato, quum in Siciliam veniſſet ad Dionyſium, emiſſe dicitur 40. minis, atque exinde Timæum tranſcripſiſſe. 34 Pythagoras Samius quum videret patriam ſuam à Polycrate tyranno occupari, in eam partem Italiæ venit, quæ eſt ver ſus Siciliam circa Metapontum, & quum trecentis ferè diſcipulis clarus habitus eſt, qui adeò Rempubl. adminiſtrarunt, vt meritò *ἀριστοκρατία* videretur. Lege Laërtium. 35 Idem ſcribit Cicero Tuſcul. 1. Ariſtoteles vir ſummo ingenio, ſcientiæ copia quum motus eſſet Iſocratis rhetoris gloria, dicere etiam cœpit, adoleſcentes docere, & prudentiam cum eloquentia iungere: Iſocrates verò non tam rerum ciuilium ſcientiam docebat, quàm rationem quandam ornatè & numeroſè dicendi, qua de cauſſa Craſſus inanem ſermonis elegantiam appellat, id eſt, ſine rerum ſcientia: neq; tamen iure Iſocrates reprehendi poteſt, quia præcipua eius profeſſio erat in Rhetorica elocutione & actione. 36 Citatur Græcus verſus à Quintil. cap. 1. lib. 3. Laërtius autem refert vſurpatum fuiſſe de Xenocrate, qui tum academiam Platonis tenebat. Cùm enim Ariſtoteles poſt longam deambulationem diſcipulos in ſchola frequentes adeſſe videbat, ſedens vſurpabat hunc verſiculum,

αἰσχρὸν σιωπᾶν, καὶ Ξενοκράτη ἐᾶν λέγειν.

Turpe tacere, & Xenocratem pati dicere.

37 Philippus Macedonum rex (vt ait Plutarchus) ſcholam & gymnaſium in Nymphæo circa Miezam oppidum conſtituit, vbi ad noſtram vſque ætatem Ariſtotelis ſedes marmoreæ & vmbracula, & ambulationes viſuntur: à quo Ariſtotele Alexander non tantùm ethicam & politicam, ſed etiam occultam & magis arduam diſciplinam percepit in contemplatione rerum poſitam, quæ quidem in vulgus non proferebatur. Item Iliadem Homeri, & multa alia poëmata Ariſtotele interprete perdidicit. 38 Neutro modo rectè nominabitur vel orator à copia rerum, vel philoſophus ab elegantia ſermonis: ſed qui vtramque virtutem adeptus fuerit, vtroque nomine poterit appellari, alia tamen atque alia ratione, vt philoſophus à ſcientia rerum philoſophicarum, orator ab ornatu orationis: nec enim hoc probari poteſt: vt ſi quis philoſophus ſit, idemque orator, propterea facultas vtriuſq; artis vna & eadem appellatione indifferenter exprimatur. 39 Hactenus Craſſus digreſſus eſt: Cotta attentus auditor ad extremum digreſſionem confert in epilogum duabus (vt opinor) de cauſſis, & vt intelligatur quamobrem Craſſus tam longa digreſſione vſus ſit, & vt capita digreſſionis facilius animo & memoriæ ſubiiciantur. 40 Allegorica ſimilitudo ſumitur à nautis, qui quum è portu ſoluunt, plerunque æſtu quodam ventorum & tempeſtate à terra procul in mare abripiuntur: ita Craſſus quum de ornatu orationis dicere inſtituiſſet, repente æſtu quodā ingenij in diſputationē de philoſophia delatus eſt. 41 Metaphora eſt à rebus ſpiſſis & denſis, in quas oculus penetrare nō poſſit: & hoc Cotta ſignificat, ſi difficilis eſſet Academicorum philoſophia, ſe tamen velle eam percipere. 42 Cæſar repetit dictum illud Craſſi: Res quidem ſe mea ſententia ſic habet, vt niſi quod quiſque citò potuerit, nunquam omnino poſſit perdiſcere.

43 Sulpitius ſimulat ſe philoſophiam contemnere, vt Craſſum reuocet ad inſtitutum munus de præceptis ornatæ & aptæ orationis. Hic igitur reditus eſt à laude philoſophiæ ad reliquas duas elocutionis virtutes, ornatum & decorum.

[1] Tum Craſſus, Peruulgatas res requiris, inquit, & tibi non incognitas Sulpiti. Quis enim de iſto genere non docuit? non inſtituit? non etiam ſcriptum reliquit? Sed geram mo-

rem, & ea duntaxat quæ mihi nota ſunt, breuiter exponam tibi. Cenſebo tamen ad eos qui authores & inuentores ſunt harum ſanè minutarum rerum, reuertendum. Omnis igitur oratio conficitur ex verbis: quorum primùm nobis ratio ſimpliciter videnda eſt, deinde coniunctè. Nam eſt quidam ornatus orationis, qui ex ſingulis verbis eſt: alius, qui ex continuatis coniunctiſq; conſtat. [2] Ergo vtemur verbis aut ijs quæ propria ſunt & certa quaſi vocabula rerum, penè vnà nata cum rebus ipſis: aut ijs quæ transferuntur, & quaſi alieno in loco collocantur: aut ijs quæ nouamus & facimus ipſi. In proprijs eſt igitur verbis illa laus oratoris, vt abiecta atque obſoleta fugiat, lectis atque illuſtribus vtatur, in quibus plenum quiddam & ſonans ineſſe videatur. Sed in hoc verborum genere propriorum delectus eſt quidam habendus, atque is aurium quodam iudicio ponderandus: in quo conſuetudo etiam bene loquēdi valet plurimùm. [3] Etiam hoc, quod vulgò de oratoribus ab imperitis dici ſolet, Bonis is verbis, aut aliquis non bonis vtitur: non arte aliqua perpenditur, ſed quodam quaſi naturali ſenſu iudicatur. in quo non magna laus eſt vitare vitium. quanquam id eſt magnum: verùm hoc quaſi ſolum quoddam atq; fundamentum eſt, verborum vſus & copia bonorum: ſed quid ipſe ædificet orator, & in quo adiungat artem, id eſſe à nobis quærendum atque explicandum videtur. [4] Tria ſunt igitur in verbo ſimplici quæ orator afferat ad illuſtrandam atque exornandam orationem: aut inuſitatum verbum, aut nouatum, aut tranſlatum. Inuſitata ſunt priſca ferè ac vetuſta, & ab vſu quotidiani ſermonis iam diu intermiſſa: quæ ſunt poetarum licentiæ liberiora, quàm noſtra: ſed tamen rarò habet etiam in oratione poeticū aliquod verbum

dignitatem. Neq. enim illud fugerim dicere, vt Cælius, Qua tempeſtate Pœnus in Italiam venit: nec prolem aut ſobolem, aut effari, aut nuncupari, aut vt tu ſoles Catule, non rebar, haud opinabar: & alia multa, quibus loco poſitis, grandior atq; antiquior oratio ſæpe videri ſolet. [5] *Nouantur autē verba, quæ ab eo qui dicit ipſo gignuntur ac fiunt, vel coniungendis verbis, vt hæc,*

Tum pauor ſapientiam mihi omnem ex animo expectorat,

Num non vis huius me verſutiloquas malitias.

Videtis enim & verſutiloquas & expectorat, ex coniunctione facta eſſe verba, non nata. Vel ſæpe ſine coniunctione verba nouantur, vt, Ille ſenſus diſertus, indigenitalis; vt,

Baccarum vbertate incurueſcere.

[6] *Tertius ille modus transferendi verbi latè patet, quem neceſſitas genuit inopia coacta & anguſtijs, pòſt autem delectatio iucunditáſque celebrauit. nam vt veſtis frigoris depellendi cauſſa reperta primò, pòſt adhiberi cœpta eſt ad ornatum etiam corporis, & dignitatem: ſic verbi tranſlatio inſtituta eſt inopiæ cauſſa, frequentata delectationis.* [7] *nam gemmare vites, luxuriem eſſe in herbis, lætas ſegetes, etiam ruſtici dicunt.* [8] *Quod enim declarari vix verbo proprio poteſt, id tranſlato cùm eſt dictum, illuſtrat id quod intelligi volumus, eius rei quam alieno verbo poſuimus, ſimilitudo. Ergo hæ tranſlationes quaſi mutuationes ſunt, cū quod non habeas, aliunde ſumas. Illæ paulò audaciores, quæ non inopiam indicant, ſed orationi ſplendoris aliquid accerſunt: quarum ego quid vobis aut inueniendi rationem, aut genera ponam? Similitudinis eſt ad verbum vnum contra-*

ſta breuitas: quod verbum in alieno loco tanquam in ſuo poſitum ſi agnoſcitur, delectat: ſi ſimile nihil habet, repudiatur. [9] *Sed ea transferri oportet, quæ aut clariorem faciunt rem, vt illa omnia,*

—Inhorreſcit mare,
Tenebræ conduplicantur, noctisque & nimbûm occæcat nigror,
Flamma inter nubes coruſcat, cœlum tonitru contremit,
Grando miſta imbri largifluo ſubita præcipitans cadit,
Vndiq; omnes venti erumpunt, ſæui exiſtunt turbines,
Feruet æſtu pelagus.

Omnia ferè, quò eſſent clariora, tranſlatis per ſimilitudinem verbis dicta ſunt. [10] *Aut quò ſignificetur magis res tota ſiue facti alicuius, ſiue conſilij: vt ille qui occultantem conſultò ne id quod ageretur, intelligi poſſet, duobus tranſlatis verbis ſimilitudine ipſa indicat:*

Quandoquidem iſte circumueſtit dictis, ſepit ſedulo.

[11] *Nonnunquam etiam breuitas tranſlatione conficitur, vt illud, Si telum manu fugit: Imprudentia teli emiſſi breuius proprijs verbis exponi non potuit, quàm eſt vno ſignificata tranſlato.* [12] *Atque hoc in genere perſæpe mihi admirandum videtur quid ſit, quòd omnes tranſlatis & alienis magis delectatur verbis, quàm proprijs & ſuis. nam ſi res ſuum nomen, & proprium vocabulum non habet, vt* [13] *pes in naui, vt* [14] *nexum quod per libram agitur,* [15] *vt in vxore diuortium: neceſſitas cogit, quod non habeas, aliunde ſumere:*

ſed

ſed in ſuorum verborum maxima copia tamen homines aliena multò magis, ſi ſunt ratione translata, delectant. Id accidere credo vel quòd ingenij ſpecimẽ eſt quoddam, tranſilire ante pedes poſita, & alia longè repetita ſumere: vel quòd is qui audit, aliò ducitur cogitatione, neque tamen aberrat, quæ maxima eſt delectatio: vel quòd ſingulis verbis res ac totum ſimile conficitur: vel quòd omnis tranſlatio, quæ quidem ſumpta ratione eſt, ad ſenſus ipſos admouetur, maximè oculorum, qui eſt ſenſus acerrimus. [16] *Nam & odor vrbanitatis, & mollitudo humanitatis, & murmur maris, & dulcedo orationis, ſunt ducta à cæteris ſenſibus: illa verò oculorum multò acriora, quæ ponunt penè in conſpectu animi quæ cernere & videre non poſſumus.* [17] *Nihil eſt enim in rerum natura, cuius nos non in alijs rebus poſſimus vti vocabulo & nomine. Vnde enim ſimile duci poteſt (poteſt autem ex omnibus) indidem verbum vnum, quod ſimilitudinem continet, tranſlatum, lumen affert orationi.* [18] *quo in genere primùm fugienda eſt diſſimilitudo,*

[19] Cœli ingentes fornices.

Quamuis ſphæram in ſcenam (vt dicitur) attulerit Ennius, tamen in ſphæra fornicis ſimilitudo non poteſt ineſſe.

Viue Vlyſſes dum licet,
Oculis poſtremum lumen radiatum rape.

Non dixit cape, non pete, haberet enim moram ſperantis diutius eſſe ſeſe victurum: ſed rape. hoc verbum eſt ad id aptatum quod antè dixerat, dum licet. [20] *Deinde videndum ne longè ſimile ſit ductum. Syrtim patrimonij, ſcopulum libentius dixerim. Charybdim bonorum, voraginem potius. facilius enim ad ea quæ viſa, quàm ad illa quæ audita ſunt, mentis oculi feruntur.* [21] *Et quoniam hæc vel ſumma laus*

eſt verbi transferendi, vt ſenſum feriat id quod tranſlatum ſit, fugienda eſt omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos qui audiunt, trahet ſimilitudo. Nolo morte dici Africani caſtratam eſſe Rempubl. Nolo ſtercus curiæ dici Glauciam. quamuis ſit ſimile, tamen eſt in vtroque deformis cogitatio ſimilitudinis. [12] *Nolo eſſe aut maius quàm res poſtulet. Tempeſtas comeſſationis. aut minus, Comeſſatio tempeſtatis. Nolo eſſe verbum anguſtius id quod tranſlatum ſit, quàm fuiſſet illud proprium, ac ſuum.*

Quídnam eſt obſecro, quòd te adiri abnutas?

Melius eſſet, vetas, prohibes, abſterres: quoniam ille dixerat,

Illico iſtic

Ne contagio mea bonis, vmbráve obſit.

[13] *Atque etiam ſi vereare, ne paulò durior tranſlatio eſſe videatur, mollienda eſt præpoſito ſæpe verbo: vt ſi olim M. Catone mortuo pupillum ſenatum quis relictum diceret, paulò durius: ſin, vt ita dicam, pupillum, aliquantò mitius eſt. Etenim verecunda debet eſſe tranſlatio, vt deducta eſſe in alienum locum, non irruiſſe: atque vt precariò, non vi veniſſe videatur.* [14] *Modus autem nullus eſt florentior in ſingulis verbis, nec qui plus luminis afferat orationi.* [15] *Nam illud quod ex hoc genere profluit, non eſt in vno verbo tranſlato, ſed ex pluribus continuatis connectitur, vt aliud dicatur, aliud intelligendum ſit:*

—Neque me patior
Iterum ad vnum ſcopulum & telum claſſem Achiuûm offendere.

Atque illud,

Erras, erras: nam exultantem te, & præfidentem tibi

Repri-

Reprimentvalidæ legum habenæ, atque impe
rij inſiſtent iugo.

Sumpta re ſimili, verba eius rei propria deinceps in rem aliam (vt dixi) transferuntur. Eſt hoc magnum ornamētum orationis, in quo obſcuritas fugienda eſt. [26] *Etenim ex hoc genere fiunt ea quæ dicuntur ænigmata. Non eſt autem in verbo modus hic, ſed in oratione, id eſt, in continuatione verborum.* [27] *Ne illa quidem traductio atq; immutatio in verbo quandam fabricationem habet, ſed in oratione,*

Africa terribili tremit horrida terra tumultu.

Pro Afris eſt ſumpta Africa. neq; factum verbum eſt, vt,

—Mare ſaxifragis vndis. *neq; tranſlatum, vt*

Mollitur mare.

ſed ornandi cauſſa proprium proprio commutatum.

DeſineRoma tuos hoſteis.—

—Teſtes ſunt campi magni.

Grauis eſt modus in ornatu orationis, & ſæpe ſumendus: ex quo genere hæc ſunt, Martem belli eſſe communem, Cererem pro frugibus, Liberum appellare pro vino, Neptunum pro mari, Curiam pro ſenatu, Campum pro comitijs, Togam pro pace, Arma ac tela pro bello. Quo item in genere & virtutes & vitia pro ipſis in quibus illa ſunt, appellantur, Luxuries quam in domum irrupit, &, Quò auaritia penetrauit, aut, Fides valuit, Iuſtitia confecit. Videtis profectò genus hoc totum, quum inflexo commutatoq; verbo res eadem enuntiatur ornatius, [28] *cui ſunt finitima illa minus ornata, ſed tamē non ignorāda, cùm intelligi volumus aliquid aut ex parte totum, vt pro ædificijs cùm parietes aut tecta dicimus: aut ex toto partem, vt cùm vnam turmam equitatum populi Romani dicimus: aut ex vno plures,*

At Romanus homo, tamen etſi res bene ge-
ſta eſt,
Corde ſua trepidat.

Aut quum ex pluribus intelligitur vnum,

Nos ſumus Romani, qui fuimus Rutili.

Aut quocunq; modo, non vt dictum eſt, in eo genere intelligitur, ſed vt ſenſum eſt. [29] *Abutimur ſæpe etiam verbo, non tam eleganter, quàm in transferendo: ſed etiam ſi licentius, tamen interdum non impudenter: vt quum grandem orationem pro magna, minutum animum pro paruo dicimus. Verùm illa videtíſne eſſe non verbi, ſed orationis, quæ ex pluribus, vt expoſui, tranſlationibus conexa ſunt?* [30] *Hæc autem quæ aut immutata eſſe dixi, aut aliter intelligenda ac dicerentur, ſunt tranſlata quodammodo.*

1 Ornatus rhetorum ſpectatur in ſingulis verbis, & in coniunctis: ſed tamen commodius diuidetur in tropum & figuram, quæ ſunt eius veræ ſpecies, quàm in ſingula verba & in coniuncta, quæ ſunt ſubiecta, circa quæ verſatur ornatus. 2 Verbis ſingulis tres oratoriæ virtutes attribuuntur, proprietas, pro qua paulò pòſt vetuſtas reponetur, tropus & nouitas: in propriis verbis laudat imprimis εὐφωνία. id eſt, vocalitas, quæ præcipua laus eſt in numeris, qua maximè aures afficiuntur & recreantur. 3 Craſſus probat teſtimonio vulgi naturalem quendam eſſe verborum delectum, quia vulgus ſine arte iudicat quæ bona verba oratorum ſint, & quę non bona. 4 Repetit diuiſionem verborum ſingulorum, vno tamē membro immutato: nam pro verbo proprio nunc ponit inuſitatum atq; priſcum: verbum tamen hoc ipſo quod inuſitatum & priſcum eſt, rhetoricam laudem nullam meretur, tametſi ipſa antiquitas admirationis aliquid habeat: ſed ſi in eo fuerit εὐφωνία, aut tropus aliquis, tum quidem laudatur non tam propter vetuſtatem, quàm propter numerum, qui aurium iudicio perpendiiur, vel propter inſignem & iucundam mutationem ſignificationis: & exempla quæ à Cicerone citantur, non tam ob antiquitatem placent, quàm ob εὐφωνίαν, vt tempeſtate, proles, ſoboles, effari, nuncupari, non rebar, haud opinabar, plena verba ſunt, atque bene ſonantia.. 5 Vt de priſcis verbis, ſic de nouis iudicandum eſſe arbitror, non idcircò eſſe oratoria, quia noua ſint, ſed ſi in his fuerit εὐφωνία, aut tropus aliquis, tum oratoria dici poſſe. Nouitas igitur ſi tropo aut εὐφωνία caret, elocutionis oratoriæ virtus non eſt. Cæterùm Craſſus duos modos facit nouandorum verborum, vnum per compoſitionem (quale eſt verbum expectorat & verſutiloquas) alterum ſine compoſitione, vt verbum indigenitalis ab indigena, & incuruelcere ab incuruo deductum, in quibus verbis ſi quid placet, propter εὐφωνίαν aut tranſlationem placet. 6 Craſſus nomen ſpeciei ponit pro genere, id eſt, tranſlationem pro tropo, imitatus Ariſtotelem in Rhetoricis: & duos fi-

nes

nes proponit,propter quos repertus eſt in verbis tropus, neceſſitatem ac delectationem: & vtrumque declarat ſimilitudine veſtium. 7 Gemmare vites dicuntur,quum oculos primò emittunt,metaphora à gemmis,lapillis pretioſis,quibus oculis in vite ſimillimus eſt. Luxuries in herbis eſt, quum ſeminis abundantia ipſas ſuffocat. Lætæ ſegetes ſunt fœcundæ & vberes, & quaſi colonis arridentes: in vtroque verbo metaphora eſt ab animantibus, illic, quum cibo, aut potu, aut aliis rebus nimium diffluunt: hic,quum lætitiam vultu aut aliis ſignis oſtendũt.

8 Craſſus perſequitur vtrumque propoſitum finem,atque interea definit primum genus tropi, id eſt,metaphoram,quum verbum ſimilitudinis cauſſa à propria ſignificatione in aliam mutatur, qui tropus omnium clariſſimus & nobiliſſimus eſt,quia non tantùm rem declarat,ſed cogitatione & argumento ſimilitudinis illuſtrat,vt quum audis gemmare vites, non ſolùm intelligis oculum illum,qui primùm à vite educitur,ſed etiam accipis ſimilitudinem eius oculi cum gemma lapide pretioſo. 9 Tres modi metaphoræ diſtinguuntur: primus fit per energiam, qualis eſt Pacuuiana deſcriptio tempeſtatis ex multis illuſtribus metaphoris. 10 Secundus modus nihil differt à primo, aut ſaltem ſub primo comprehenditur,quia quantò magis ſignificanter res dicitur,tantò clarior & illuſtrior efficitur: itaque tranſlatio quæ rem maximè ſignificabit, etiam rem maximè illuſtrabit. 11 Tertius modus in ſe habet energiam, vt in verbo Fugit, metaphora eſt illuſtris ſumpta ab animantibus,quæ è manibus elapſæ celeriter pedibus feruntur,cui fugæ paratur improuiſa & ſubita teli emiſſio, & ita oratores interdum loquuntur in excuſationibus, Telum manu fugit, id eſt, proiectum de induſtria nó eſt,ſed per imprudentiam excidit è manibus & euolauit. 12 Craſſus proponit quæſtionem, cur homines malint vti verbis tranſlatis, quàm propriis: & hanc ſoluit quatuor modis, quia tranſlatio perſæpe eſt à vulgari ſermone remotior: quia iucunda eſt incluſæ in verbo ſimilitudinis cogitatio: quia res per metaphoram breuiter ſignificatur: quia tranſlatio ſæpe ferit ſenſus, id eſt, ſæpe ſumitur ex his rebus, quæ ſub ſenſus cadunt. 13 Nautæ pedem in naui dicũt, pro infimo veli fune, quo velum ipſum tenditur: & ſic loquuntur, quia nomen proprium non habent. Virgil. lib. 5. Aeneid.

Vna omnes fecêre pedem.

Id eſt, infimam partem veli conſtanter & firmiter ligarunt. 14 Nexum propriè eſt ligatio, & per metaphoram ciuilis obligatio, qua corpus etiam vt pignus afficitur: hæc olim fiebat per æs & libram,adhibitis ſeptem ciuibus puberibus,& eò quia dicebatur libripens. 15 Diuortium propriè dicitur digreſſio ab inſtituto itinere: & per metaphoram diſtractio matrimonij inter virum & vxorem.

16 Odor ab olfactu transfertur,mollitudo à tactu,murmur ab auditu, dulcedo à guſtatu: ſed metaphora ſumpta ab his rebus,quæ oculis cernuntur, eſt clarior & illuſtrior,quia magis nos excitant & commouent ad intelligendum, quæ videmus,quàm quæ reliquis ſenſibus percipimus. 17 Vt ſimilitudo eſt argumentum maximè commune,ita rhetorica tranſlatio latiſſimè patet,quia ex omnibus rebus ſenſibilibus & non ſenſibilibus ſumi poteſt. 18 Quinque vitia metaphoræ notantur,ſi diſſimilis,ſi longè petita,ſi turpis, ſi maior, quàm par ſit, ſi minor: quæ fugienda ſunt,quia nullum adferunt ornatum orationi, ſed eam potius dehoneſtant. 19 Zonæ cœleſtes nó habent ſpeciem fornicis,quia ſunt vndique rotundæ: fornix autem ſurgit à rectis lateribus: itaque Craſſus nó probat illud Ennianum,

Cæli ingentes fornices.

quia nihil ſit ferè ſimile inter rem quæ propriè dicitur,& inter rem quæ μεταφορικῶς ſignificatur. 20 Scopulus ad quem ſæpe naues affliguntur,clariorē præ ſe fert intelligentiam,quàm Syrtis: quia ille ſub oculos cadit,hæc non cadit: itaque mauult Craſſus appellare hominē prodigum Scopulum patrimonij, quàm

Syrtis,quia ille ſub oculos cadit, hæc non cadit: itaque mauult Craſſus appellare hominem prodigum Scopulum patrimonij, quàm Syrtim: itemque voraginem bonorum,quàm Charybdim,quia vorago latius intelligitur. Cicero pro Seſtio,Tu meo periculo gurges & vorago patrimonij helluabere? Cicero tamẽ Antonium in Philippicis Charybdim μεταφορικῶς appellauit. 21 Ariſtoteles libro tertio præcipit, vt tranſlationes à rebus pulchris ducamus τὰς δὲ μεταφορὰς ἐντεῦθεν οἰστέον ἀπὸ καλῶν ἢ τῇ φωνῇ, ἢ τῇ δυνάμει, ἢ τῇ ὄψει, ἢ ἄλλῃ τινὶ αἰσθήσει. διαφέρει δ' εἰπεῖν, οἷον ῥοδοδάκτυλος ἠώς, μᾶλλον ἢ φοινικοδάκτυλος· ἢ ἔτι φαυλότερον ἐρυθροδάκτυλος. Craſſus etiam nunc admonet, vt turpem & obſcœnam metaphoram fugiamus, vt caſtrare Rempublicam, vt Glauciam ſtercus curiæ,quibus verbis propriè licet vti in arte medica, vel ruſtica, vt caſtrare pecus, ſtercorare agrum: ſed ea transferre ad cæteras res non licet, quia cogitationẽ inducunt obſcœnam. 22 Cùm dicimus,tempeſtas comeſſationis, pro intempeſtiua crapula,in verbo,tempeſtas,metaphora eſt grandior,q̃ res poſtulet,quia ſumitur à magnis procellis aquarũ, quæ longè ſuperant crapulam corporis. Cùm autem dicimus,comeſſatio tempeſtatis,id eſt,magna inundatio,quæ terrã abſorbet,in verbo,comeſſatio,metaphora eſt minor & exilior, quàm par ſit,quia ducitur à crapulis nocturnis, quæ longè tenuiores ſunt magnis illis inundationibus aquarum:vtrumq; igitur eſt vitioſum:ſi tamen de induſtria per hyperbolem idipſum facias,non erit vitioſum: vt ſi magnum hominem gigantem dixeris, aut ſi paruulum,pigmæum,neuter tropus diſplicebit. 23 Fabius,Si quid(ait)periculoſius finxiſſe videbimur,quibuſdam remediis præmuniendum eſt,vt ita dicam, ſi libet dicere quodammodo (permitte mihi ſic) quod ita in his quæ licentius tranſlata erunt,proderit,quæ non tutò dici poſſunt,vt quem deum(vt ita dicam) inter homines putant. 24 Metaphora ſi conferatur cum aliis tropis gratia & venuſtate reliquis antecellit,quia ex ſimilitudinis comparatione habet ſignificationem rei maximè & iucundam & illuſtrem: itaque veluti gemma in oratione ſplendeſcit: huic proxima eſt ironia propter collatione dſſimilitudinis: reliqui duo tropi,Metonymia & Synecdoche,quia nullam comparationem in ſignificatione incluſam continent, idcircò minus florentes & ornati ſunt: at verò ſplendor ille & ornatus metaphoræ qualis & quãtus ſit, niſi in contextu ſermonis intelligi & probari non poteſt: vt rectè Fabius admonuit cap.3. lib.8. Idemque eſt iudicãdum de reliquis tropis, qui cùm excellant in ſingulis verbis, tamen cuiuſmodi ſint,in continuatione apparent. 25 Allegoria non eſt nouus tropus,& à metaphora diuerſus: quia nihil aliud eſt,quàm metaphora multiplicata:nihil autem attinet ad artis rationem,an cuiuſq; generis tropus ſemel dicatur, an verò in oratione multiplicetur:& quemadmodum ſi Ironia frequẽs ſit, aut Metonymia, aut Synecdoche,nõ propterea fit nouum tropi genus, ſic multæ continuatæ metaphoræ nouam ſpeciem non gignent. 26 Ænigma ſi fit ex verbis propriis,tropus non eſt:ſi ex tranſlatis,ſub genere tranſlationis comprehenditur. 27 Metonymia tropus eſt,cùm ex cauſſis effecta,ex ſubiectis adiuncta,contráue,ſignificamus:qui quidem tropus eſt in verbo ſimplici à propria ſignificatione in aliam mutato,ſed gratia eius non intelligitur niſi in oratione, vt ſi verbum Africa, ſimpliciter dicatur,tropus in eo non agnoſcitur,ſi ponatur in oratione,vt Africa tremuit, ſtatim agnoſcitur: quia Africa dicitur pro Afris: Craſſus Metonymiæ ſpecies non deſcribit, ſed tantùm exemplis vtitur. Differt hic tropus à Metaphora, quia in Metonymia comparatio nulla eſt, in Metaphora ſimilitudo ſemper eſt.

28 Tertium tropi genus eſt Synecdoche, ſiue intellectio, cùm ex parte totum ſignificatur,vt paries pro tota domo: aut ex toto pars,vt equitatus pro turma. Reliquæ duæ ſpecies,quas Craſſus deſcribit,in ſuperiores illas recidunt: vnũ enim rationem habet partis; ſicut plures totius. 29 Catachreſis non conſtituit nouam & à cæteris diſtinctam ſpeciem tropi, quia aliàs metaphora eſt, vt ædificare

equum,

equum, pro conſtruere: grandis oratio, pro magna: minutus animus, pro paruo. Aliàs Synecdoche, vt parricida pro interfectore: nec ſi tropus eſt paulò durior aut liberior, ſequitur etiam vt antecedentibus generibus ſubiectus non ſit: poſſunt enim omnium generum tropi paulò licentius fingi, idque imprimis eſt poetis conceſſum. 30 Craſſus videtur reliquos tropos ad tranſlationē reuocare, cùm tamen Metonymia & Ironia & Synecdoche à Metaphora plurimùm diſtent, nec eius rationem participent: quia nihil ſimile ex ſimili traducunt: verùm nomine tranſlationis fortaſſe abutitur, ad ſignificandum omnem tropum, ſicut Ariſtoteles fecit in Rhetoricis.

[1] *Ita fit, vt omnis ſingulorum verborum virtus atq; laus tribus exiſtat ex rebus, ſi aut vetuſtum verbum ſit, quod tamen conſuetudo ferre poſſit: aut factum vel coniunctione, vel nouitate, in quo item eſt auribus conſuetudiniq; parcendum: aut tranſlatum, quod maximè tanquam ſtellis quibuſdam notat & illuminat orationem. Sequitur continuatio verborum, quæ duas res maximè, collocationē primùm, deinde modum quendam formamq; deſiderat.* [2] *Collocationis eſt componere & ſtruere verba ſic, vt néue aſper eorum concurſus, néue hiulcus ſit, ſed quodammodo coagmentatus & læuis:* [3] *in quo lepidè ſoceri mei perſona luſit is qui elegantiſſimè id facere potuit: Lucilius,*

Quàm lepidè lexeis compoſtæ, vt teſſerulæ omnes.

Arte pauimento atq; emblemate vermiculato.

quæ quum dixiſſet in Albutium illudens, ne à me quidem abſtinuit.

Craſſum habeo generum, ne rhetoricoterō' tu ſiś.

Quid ergo iſte Craſſus, quoniam eius abuteris nomine, quid efficit? Idem illud ſcilicet, vt ille voluit, & ego vellem, melius aliquantò quàm Albutius. verùm in me quidem luſit ille, vt ſolet. Sed eſt tamen collocatio conſeruanda verborum, de qua loquor, quæ iunctam orationem efficit, quæ cohærentem, quæ lenem, quæ æquabiliter fluentē. Id aſſeque-

quemini, ſi verba extrema cum conſequentibus primis ita iungetis, vt neue aſperè concurrant, neue vaſtius diducantur: [4] Hanc diligentiam ſubſequitur modus etiam & forma verborum: quod iam vereor ne huic Catulo videatur eſſe puerile. Verſus enim veteres illi in hac ſoluta oratione propemodum, hoc eſt numeros quoſdam nobis eſſe adhibendos putauerunt. Interſpirationis enim, non defatigationis noſtræ, neq; librariorum notis, ſed verborum & ſententiarum modo interpunctas clauſulas in orationibus eſſe voluerunt: [5] idq; princeps Iſocrates inſtituiſſe fertur, vt conditam antiquorum dicendi conſuetudinem, delectationis atq; aurium cauſſa (quemadmodum ſcribit diſcipulus eius Naucrates) numeris adſtringeret. [6] Namque hæc duo Muſici, qui erant quondam idem poetæ, machinati ad voluptatem ſunt, verſum atq; cantum: vt & verborum numero, & vocum modo, delectatione vincerent aurium ſatietatem. Hæc igitur duo, vocis dico moderationem & verborum concluſionem, quoad orationis ſeueritas pati poſſet, à poetica ad eloquentiam traducenda duxerunt: [7] in quo illud eſt vel maximum, quòd verſus in oratione ſi efficitur coniunctione verborum, vitium eſt, & tamen eam coniunctionem ſicuti verſum numeroſè cadere, & quadrare, & perfici volumus: [8] neq; eſt ex multis res vna quæ magis oratorem ab imperito dicendi, ab ignaroq; diſtinguat, quàm quòd ille rudis incondite fudit quantum poteſt, & id quod dicit, ſpiritu non arte determinat: orator autem ſic illigat ſententiam verbis, vt eam numero quodam complectatur, & adſtricto, & ſoluto. Nam cùm vinxit modis, & forma relaxat, & liberat immutatione ordinis, vt verba neque alligata ſint quaſi certa aliqua lege verſus, neq; ita ſoluta vt vagentur. [9] Quonam

*nam igitur modo tantum munus inſiſtemus, vt arbitremur
nos hanc vim numeroſè dicendi conſequi poſſe? Non eſt res
tam difficilis, quàm neceſſaria. Nihil eſt enim tam tenerũ,
neq; tam flexibile, neq; quod tam facile ſequatur, quocunq;
ducas, quàm oratio. ex hac verſus, ex eadem diſpares nume
ri conficiuntur: ex hac hæc etiam ſoluta varijs modis, mul-
torumq́; generum oratio. Non enim ſunt alia ſermonis, alia
contentionis verba: neque ex alio genere ad vſum quotidia-
num, alio ad ſcenam pompamq́; ſumuntur, ſed ea nos quum
iacentia ſuſtulimus è medio, ſicut molliſſimam ceram ad no
ſtrum arbitrium formamus & fingimus. Itaq; tum graues
ſumus, tum ſubtiles, tum medium quiddam tenemus. ſic in-
ſtitutam noſtram ſententiam ſequitur orationis genus: idq́;
ad omnem rationem, & aurium voluptatẽ, & animorum
motum mutatur & vertitur. [10] Sed vt in pleriſque rebus
incredibiliter hoc natura eſt ipſa fabricata, ſic in oratione,
vt ea quæ maximam vtilitatem in ſe continerent, eadem ha
berent plurimùm vel dignitatis, vel ſæpe etiam venuſtatis.
incolumitatis ac ſalutis omnium cauſſa videmus hunc ſta-
tum eſſe huius totius mundi atq; naturæ, rotundum vt cæ-
lum, terraq́; vt media ſit, eaq́; ſua vi nutuq́; teneatur: Sol vt
circumferatur, vt accedat ad brumale ſignum, & inde ſen-
ſim aſcẽdat in diuerſam partem: vt luna acceſſu & receſſu
ſuo Solis lumen accipiat: vt eadem ſpatia quinque ſtellæ diſ-
pares motu curſuq́; conficiant. hac tantam habent vim, vt
paulum immutata cohærere non poſſint: tantam pulchritu
dinem, vt nulla ſpecies ne excogitari quidem poſſit orna-
tior. Referte nunc animum ad hominum vel etiam cætera-
rum animantium formam & figuram. nullam partem cor
poris ſine aliqua neceſſitate affictam, totamq́; formam quaſi*

perfectam reperietis arte, non caſu. Quid in arboribus? in quibus non truncus, non rami folia ſunt deniq; niſi ad ſuam retinendam conſeruandamq; naturam: nuſquam tamen eſt vlla pars niſi venuſta. Linquamus naturam, artéſque videamus. Quid tam in nauigio neceſſarium, quàm latera, quàm carinæ, quàm prora, quàm puppis, quàm antennæ, quàm vela, quàm mali, quàm reliqua? quæ tamē hanc habent in ſpecie venuſtatem, vt non ſolùm ſalutis, ſed etiam voluptatis cauſſa inuenta eſſe videantur. Columnæ & templa & porticus ſuſtinent: tamen habent non plus vtilitatis, quàm dignitatis. Capitolij faſtigium illud, & cæterarum ædium, non venuſtas, ſed neceſſitas ipſa fabricata eſt. Nam cùm eſſet habita ratio quemadmodum ex vtraq; parte tecti aqua delaberetur, vtilitatem templi, faſtigij dignitas conſecuta eſt: vt etiam ſi in cœlo Capitolium ſtatueretur, vbi imber eſſe non poſſet, nullam ſine faſtigio dignitatem habiturum fuiſſe videatur. " *Hoc in omnibus item partibus orationis euenit, vt vtilitatem ac propè neceſſitatem ſuauitas quædam ac lepos conſequatur. Clauſulas enim, atque interpuncta verborum, animæ intercluſio, atq; anguſtiæ ſpiritus attulerunt. Id inuentum eſt ita ſuaue, vt ſi cui ſit infinitus ſpiritus datus, tamē eum perpetuare verba nolimus. Id enim auribus noſtris gratum eſt inuentum, quod hominum lateribus nō tolerabile ſolùm, ſed etiam facile eſſe poſſit. Longiſſima eſt igitur complexio verborum quæ volui vno ſpiritu poteſt. ſed hic naturæ modus eſt, artis alius.* 11 *Nam cùm ſint numeri plures, iambum & trochæum frequentem ſegregat ab oratore Ariſtoteles, Catule, veſter: qui natura tamen incurrunt ipſi in orationem ſermonemq; noſtrum: ſed ſint inſignes percuſſiones eorum numerorum, & minuti pedes.*

13 *Qua-*

[13] *Quare primùm ad heroum nos dactyli & anapæſti & ſpondæi pedem inuitat, in quo impunè progredi licet duos duntaxat pedes, aut paulò plus, ne planè in verſum, aut ſimilitudinem verſuum incidamus. Aliæ ſunt geminæ, quibus hi tres heroi pedes in principia continuandorum verborum ſatis decorè cadunt.* [15] *Probatur autem ab eodem illo maximè pæan: qui eſt duplex. nam aut à longa oritur, quàm tres breues conſequuntur, vt hæc verba, deſinite, incipite, comprimite. aut à breuibus deinceps tribus extrema producta atq; longa, ſicut illa ſunt, domuerunt, ſonipedes. Atq; illi philoſopho ordiri placet à ſuperiore pæane, poſteriore finire. eſt autem pæan hic poſterior non ſyllabarum numero, ſed aurium menſura (quod eſt acrius iudicium & certius) par ferè cretico, qui eſt ex longa, & breui, & longa: vt,*

Quid petam præſidi', aut exequar? quóue nũc. *A quo numero exorſus eſt Fannius,* Si Quirites minas illius. *Hunc ille clauſulas aptiorẽ putat, quas vult longa plerunq; ſyllaba terminari.* [16] *Neq; verò hæc tam acrem curam diligentiamq; deſiderant, quàm eſt illa poetarum, quos neceſſitas cogit, & ipſi numeri ac modi, ſic verba verſu includere, vt nihil ſit ne ſpiritu quidem minimo breuius aut longius quàm neceſſe eſt.* [17] *Liberior eſt oratio, & planè vt dicitur, ſic & eſt verè ſoluta, non vt fugiat tamen, aut erret, ſed vt ſine vinculis ſibi ipſa moderetur. Namq; ego illud aſſentior Theophraſto, qui putat orationẽ, quæ quidem ſit polita atq; facta quodammodo, non adſtrictè, ſed remiſsius numeroſam eſſe oportere.* [18] *Etenim ſicut ille ſuſpicatur, ex illis modis quibus hic vſitatus verſus efficitur, poſt anapæſtus procerior quidam numerus effloruit: inde ille licentior & diuitior fluxit dithyrambus, cuius membra, & pedes, vt ait*

idem, ſunt in omni locupleti oratione diffuſa. [19] *Et ſi numeroſum eſt id in omnibus ſonis atque vocibus, quod habet quaſdam impreſſiones, & quod metiri poſſumus interuallis æqualibus, rectè genus hoc numerorum, dummodo ne continuum ſit, in orationis laude ponetur.* [20] *Nam ſi rudis & indocta putanda eſt illa ſine interuallis loquacitas perennis & profluens, quid eſt aliud cauſſæ cur repudietur, niſi quòd hominum aures vocem natura modulantur ipſa? quod fieri, niſi ineſt numerus in voce non poteſt. numerus autem in continuatione nullus eſt. diſtinctio, & æqualium & ſæpe variorum interuallorum percuſſio numerum cõficit:* [21] *quem in cadentibus guttis, quòd interuallis diſtinguuntur, notare poſſumus: in amni præcipitante non poſſumus.* [22] *Quòd ſi continuatio verborum hæc ſoluta multò eſt aptior atque iucundior, ſi eſt articulis membriſq; diſtincta, quàm ſi continuata ac producta, verba illa modificata eſſe debebunt: quæ ſi in extremo breuiora ſunt, infringitur ille quaſi verborum ambitus. ſic enim has orationes conuerſiones Græci nominant. Quare aut paria eſſe debent poſteriora ſuperioribus, extrema primis: aut, quod etiam eſt melius & iucundius, longiora.*

1 Epilogus concludit tres oratorias laudes in verbis ſingulis, vetuſtatem, nouitatem, & tropum, atque inde tranſitus fit ad coniuncta verba, quorum virtutes duas tantùm Craſſus proponit, collocationem & numerũ, & tamen tertiam deinceps exponit, videlicet colorem & habitum orationis. At verò dialecticæ methodi leges violantur, cùm non omnia complecteris, quę in arte dictutus es, ſed partem vnam aut plures in propoſitione omittis. 2 Collocationis duæ ſunt leges, ne ſit aſper concurſus conſonantium: ne ſit frequens hiatus vocalium: quæ quidem leges compoſitionem orationis admodum ſuauem efficiunt: neque tamen in oratione ſemper obſeruandæ ſunt, quia nonnunquam aures aſperitate & hiatu delectantur: vt, Video autem quàm ſit odioſum habere iratum eundem, & armatum. Et Cicero in Oratore vetat, ne id fiat operosè, nam eſſet cùm infinitus, tum puerilis labor: quod apud Lucilium ſcitè exagitat in Albutio Scæuola. 3 Lucilius in Satyris Scæuolam inducit illudentem Tito Albutio nimium operæ & ſtudii ponentem in collocatione verborum: locus autem eſt ex ſimili, vbi oratio Albutii emblemati vermiculato comparatur, id eſt, variè diſtincto, & multis teſſerulis inſititiis ornato. 4 Numerus quid ſit, non definitur: eſt autem figura,

per

per quam oratio ſuauiter & modulatè componitur. Principiò Craſſus diſputat de authore numeri oratorij Iſocrate, & de cauſſa inuentionis, quæ eſt aurium delectatio. 5 Cicero in Bruto, Iſocrates (ait) intellexit etiam in ſoluta oratione, dum verſum effugeres, modum tamen & numerum quendam oportere ſeruari: ante hunc enim verborum quaſi ſtructura, & quædam ad numerum concluſio nulla erat, aut ſi quando erat, non apparebat eam dedita opera eſſe quæſitam. Idem in Oratore perfecto, Qui Iſocratem maximè mirantur, hoc in eius ſummis laudibus ferunt, quòd verbis ſolutis numeros primus adiunxerit: cùm enim videret oratores cum ſeueritate audiri, poëtas autem cum voluptate, tum dicitur numeros ſecutus, quibus etiam in oratione vteremur, cùm iucunditatis cauſſa, tum vt varietas occurreret ſatietati: quod ab his verè quadam ex parte, non totum dicitur: nam neminem in eo genere ſcientius verſatum Iſocrate confitendum eſt, ſed princeps inueniendi fuit Thraſymachus, cuius omnia nimis extant ſcripta numeroſè. 6 Origo numeri oratorij repetitur à verſibus poëtarum & cantu muſicorum, quorum exemplo numeroſum aliquid in oratione ſoluta oratores obſeruarunt, & apta vocis moderatione pronuntiarunt. 7 Ariſtoteles capite 8. libri 3. ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μή· ποίημα γὰρ ἔσται· ῥυθμὸν δὲ μὴ ἀκριβῶς· τοῦτο δὲ ἔσται, ἐὰν μέχρι του ᾖ. Oportet orationem habere numerum, ſed non metrum: poëma enim erit: numerum autem non accuratè: hoc autem accidet, ſi aliquatenus in oratione ſit. Cicero in Oratore, Ariſtoteles verſum in oratione vetat eſſe, numerum iubet. 8 Hæc diſſimilitudo oſtendit, quid interſit inter artis peritum & ignarum: artis cognitio, exempli grat. a; in numeris docet verba aptè collocare, vt ea ſint quàm ſuauiſſimis vocibus, vt ipſa concinnitas verborum conficiat orbem ſuum, vt periodus numeroſè & aptè cadat. ignorantia artis incond.tam & rudem facit orationem. 9 Numerus oratorius variè laudatur, quòd facilis ſit, quòd vtilis, quòd venuſtus: facilitas numeroſè dicendi declaratur metaphorica ſimilitudine ceræ: vt enim cera, ſic oratio facilè fingitur & formatur. Nam in tribus dicendi generibus poſſunt eadem verba vſurpari, ſed collocatio & conformatio orationis pro rerum grauitate aut humilitate, alia atq; alia fuerit. 10 Craſſus docet ex ſimilium inductione vtilitatem in numeris dignitati & venuſtati eſſe adiunctam: Vt mundus ad ſummam hominum vtilitatem factus omnium pulcherrimus eſt, vt in animantibus & plantis partes neceſſariæ formam habent honeſtam, vt in nauigiis, in ædificiis omnià quæ ſunt neceſſaria, eadem ſunt venuſta: ita hoc accidit in oratione, vt vtilitatem dignitas & lepos conſequatur. 11 Apodoſis ſimilitudinis concluditur de vtilitate & venuſtate numerorum, & exornatur ab adiunctis interpunctionibus, quæ neceſſitatis gratia inuentæ ſunt in oratione, vt in ſingulis interſpiraremus: at iiſdem adiuncta eſt ſumma delectatio: delectat enim maximè periodus ex ternis aut quaternis membris, vt poſtea dicetur. 12 Craſſus non definit numerum, neque diuidit in duo genera: vnum ſtrictius, quod appellatur metrum: alterum paulò liberius in oratione ſoluta: neque partes numeri, id eſt, pedes explicat, ſed tantùm ex Ariſtotelis authoritate docet, qui pedes aptè & decorè incidant in orationem ſolutam, in quibus Iambum & Trochæum frequentes eſſe non vult: Dactylum verò & Spondæum, & Anapæſtum, & duos Pæanas, & Creticum in oratoriis numeris laudat: præcipua tamen obſeruatio huius artis eſt, vt cùm vitaueris in oratione ſoluta verſum integrum, & in principio orationis principium carminis, & in fine finem, tibi liceat ex quibuſlibet pedibus numerum, ſed tamen pro conditione rei, moderatum & temperatum efficere. Fabius etiam non probat hunc pe- *Cap.4. lib.9*
dum delectum. Miror (inquit) in hac opinione doctiſſimos homines fuiſſe, vt alios pedes ita eligerent, alios damnarent, quaſi vllus eſſet, quem non ſit neceſſe in oratione deprehendi. 13 Ariſtoteles cap. 8. lib. 3. ὁ δ᾽ ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν, διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες·

δεῖ δὲ σεμνοτέραν γενέσθαι, καὶ ἐκστῆσαι· ὁ δὲ τροχαῖος κορδακικώτερος, δηλοῖ δὲ τὰ τετράμετρα· ἔστι γὰρ τροχερὸς ῥυθμὸς τὰ τετράμετρα. Iambus eſt ipſe ſermo multitudinis, ideoque maximè ex omnibus verſibus iambicos dicunt: oportet tamen grauiorem eſſe. Trochæus enim eſt magis aptus tripudiis, quod tetrametri verſus indicant: ſunt enim tetrametri volubilis numerus. 14 De Heroo Ariſtoteles ita ſcribit lib. 3. Rhetor. τῶν δὲ ῥυθμῶν, ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς, καὶ λεκτικὸς, καὶ ἁρμονίας δεόμενος. ex numeris autem grauis eſt Herous, & elegans, & harmoniam quærens. hunc Craſſus non vult in oratione ſoluta continuari, ne faciat verſum, aut partem verſus. 15 De Pæane verba ſunt Ariſtotelis eodẽ capite, ὁ δὲ παιὰν ληπτέος, ἀπὸ μόνου γὰρ οὐκ ἔστι μέτρον τῶν ῥηθέντων· ὥστε μάλιστα λανθάνειν. Sumendus eſt pæan, ex quo nullus fit verſus: itaque maximè latet. 16 Dictum eſt ex Ariſtotelis authoritate de pedibus, qui orationi ſolutæ conueniunt: ſequitur differentia inter compoſitionem ſolutæ orationis & carminis. Carminis enim certis pedibus, certo loco, & certa lege collocationis conſtat: oratio ſoluta multò liberior eſt, & quantum poteſt à poëmatis ſimilitudine refugit: furatur enim à poëmate voluptatẽ, nec tamẽ ſigna deprehẽdi vult. 17 Antapodoſis comparationis confirmaẽ tribus argumẽtis, quorũ primum eſt ab authoritate Theophraſti.

18 Ex dactylo & ſpondæo qui verſum Heroicũ faciunt, fluxit Anapæſtus illinc per conuerſionẽ, hinc per reſolutionẽ prioris ſyllabæ longæ in duas breues, pòſt etiam dithyrambus numerus liberior, qui omnes pedes admittit: hic canebaẽ in honorẽ Bacchi, qui & dithyrãbus dicitur, quia per duas portas in lucẽ exiit, vnam Semeles matris, alterã femoris Iouis. 19 Secundum argumentũ ſumitur à muſicarum vocũ ſimilitudine ad numeroſam compoſitionẽ orationis: qua ſimilitudine hæc vocabula, numerus, impreſſio, interuallũ, à muſicis transferuntur, vt numerus ſit iucunda ex pedum collocatione modulatio: impreſſio decurſo ſpatio, quaſi fixũ veſtigium: interuallũ ſpatium, quo numerus excurrit. 20 Tertium argumentũ eſt à repugnãtibus: Oratio ſine interuallo & numero repudiãda eſt: ergo diſtinctio & interuallorũ percuſſio in oratione ſummam gratiam habent, vt Catilinaria 1. Quod ego prætermitto, & facilè patior ſileri, ne in hac ciuitate tanti facinoris immanitas aut nõ extitiſſe, aut nõ vindicata eſſe videaẽ: numerus hic efficitur diſtinctione membrorum, & interuallorũ percuſſione. 21 Proximus locus declaratur ſimilitudine: Vt in ſtillicidiis guttæ numerari poſſunt, quia per interuallum decidunt, in fluuiis nõ poſſunt, quia perenni fluxu labuntur: ſic aures orationẽ, quæ certis interuallis diſtinguitur, iucundè accipiunt continuatam & ſine interuallis nõ accipiunt. 22 In periodis membra & inciſa debẽt eſſe vel paria: vt, Conferte hanc pacem cum illo bello: huius prætoris aduentum, cum illius imperatoris victoria: huius cohortẽ impuram, cum illius exercitu inuicto: huius libidines cum illius continentia, ab illo qui cœpit, conditas: ab hoc qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas. Hic membra in antitheſi paria ſunt. vel poſteriora ſuperioribus ſæpe ſunt longiora: qđ magis Craſſus probat: vt, Legum miniſtri magiſtratus, legum interpretes iudices: legum denique idcircò omnes ſerui ſumus, vt liberi eſſe poſſimus: poſtremũ membrũ antecedentib. eſt longius.

[1] *Atque hæc quidem ab iis philoſophis, quos tu maximè diligis, Catule, dicta ſunt. quòd eò ſæpius teſtificor, vt authoribus laudandis ineptiarum crimen effugiam.* [2] *Quarum tandem? inquit Catulus: aut quid diſputatione iſta afferri poteſt elegantius, aut omnino dici ſubtilius? At enim*

vereor,

vereor, inquit Craſſus, ne hæc aut difficiliora iſtis ad perſequendum eſſe videantur, aut quia non traduntur in vulgari iſta diſciplina, nos ea maiora ac difficiliora videri velle videamur. Tum Catulus, Erras, inquit, Craſſe, ſi aut me, aut horum quenquam putas à te hæc opera quotidiana & peruagata expectare. iſta quæ dicis, dici volumus, neq; tam dici, quàm iſto dici modo: neq; tibi hoc pro me ſolùm, ſed pro his omnibus ſine vlla diſputatione reſpondeo. Ego verò, inquit Antonius, inueni tandem, quem negaram in eo quem ſcripſi libello me inueniſſe, eloquentem: ſed eo ne te laudandi quidem cauſſa interpellaui, ne quid de hoc tam exiguo ſermonis tui tempore, verbo vno meo diminueretur.[3] Hanc igitur, Craſſus inquit, ad legem cùm exercitatione, tum ſtylo, qui & alia, & hoc maximè ornat ac limat, formanda vobis oratio eſt. neq; tamẽ hoc tanti laboris eſt, quãti videtur: nec ſunt hæc rhythmicorum ac muſicorum acerrima norma dirigenda: & efficiẽdum eſt illud modò vobis, ne fluat oratio, ne vagetur, ne inſiſtat interius, ne excurrat longius, vt membris diſtinguatur, vt conuerſiones habeat abſolutas.[4] Neq; ſemper vtendum eſt perpetuitate & quaſi conuerſione verborum, ſed ſæpe carpenda membris minutioribus oratio eſt, quæ tamen ipſa membra ſunt numeris vincienda. Neq; vos pæan, aut herous ille conturbet: ipſi occurrent orationi, ipſi inquam ſe offerent, & reſpondebunt non vocati. conſuetudo modò illa ſit ſcribendi atq; dicendi,[5] vt ſententiæ verbis finiantur, eorumq; verborum iunctio naſcatur à proceris numeris ac liberis, maximè heroo, & pæane priore, aut cretico: ſed variè diſtinctéque conſidat. Notatur enim maximè ſimilitudo in conquieſcendo: & ſi primi & poſtremi illi pedes ſunt hac ratione ſeruati, medij poſſunt latere:[6] modò

ne circuitus ipſe verborum ſit aut breuior quàm aures expectent, aut longior quàm vires atq; anima patiatur. [7] *Clauſulas autem diligentius etiam ſeruãdas eſſe arbitror, quàm ſuperiora, quòd in his maximè perfectio atq; abſolutio iudicatur. Nam verſus æquè prima & media & extrema pars attenditur, qui debilitatur in quacunq; ſit parte titubatum. In oratione autem prima pauci cernunt, poſtrema pleriq; quæ quoniam apparent, & intelliguntur, varianda ſunt: ne aut animorum iudicijs repudientur, aut aurium ſatietate.* [8] *Duo enim aut tres ſunt ferè extremi ſeruandi & notandi pedes, ſi modò non breuiora & præciſa erunt ſuperiora: quos aut chorios, aut heroos, aut alternos eſſe oportebit, aut in pæane illo poſteriore, quẽ Ariſtoteles probat, aut ei pari cretico. Horum viciſſitudines efficient, vt neq; ij ſatientur qui audient faſtidio ſimilitudinis, nec nos id quod faciemus, opera dedita facere videamur.* [9] *Quòd ſi Antipater ille Sidonius, ille quem tu probè Catule meminiſti, ſolitus eſt verſus hexametros, aliosq; varijs modis atq; numeris fundere ex tempore, tantumq; hominis ingenioſi ac memoris valuit exercitatio, vt cùm ſe mente ac voluntate conieciſſet in verſum, verba ſequerentur: quantò id facilius in oratione, exercitatione & conſuetudine adhibita cõſequemur?* [10] *Illud autem ne quis admiretur, quónam modo hæc vulgus imperitorum in audiendo notet, cùm in omni genere, tum in hoc ipſo magna quædam eſt vis incredibiliſq; naturæ. Omnes enim tacito quodam ſenſu ſine vlla arte aut ratione, quæ ſint in artibus ac rationibus recta ac praua dijudicant: idq; quum faciunt in picturis, & in ſignis, & in alijs operibus, ad quorum intelligentiam à natura minus habent inſtrumenti, tum multis oſtendunt magis in verborum, numerorum,*

merorum, vocumq́ iudicio, quòd ea ſunt in communibus infixa ſenſibus, neq; earum rerum quenquam funditus natura voluit eſſe expertem. Itaq; non ſolùm verbis arte poſitis mouẽtur omnes, verùm etiam numeris ac vocibus. [11] *Quotus enim quiſq; eſt qui teneat artem numerorum ac modorum? At in his ſi paulùm modò offenſum eſt, vt aut contractione breuius fieret, aut productione longius, theatra tota reclamant. Quid hoc, non idem fit in vocibus, vt à multitudine & populo non modò caterua atq; conuentus, ſed etiam ipſi ſibi ſinguli diſcrepantes eijciantur?* [12] *Mirabile eſt, cùm plurimũ in faciendo interſit inter doctum & rudem, quàm nõ multum differat in iudicando. Ars enim cùm à natura profecta ſit, niſi naturam moueat ac delectet, nihil ſanè egiſſe videatur.* [13] *Nihil eſt autem tam cognatum mentibus noſtris, quàm numeri atque voces,* [14] *quibus & excitamur, & incendimur, & lenimur, & langueſcimus, & ad hilaritatẽ & ad triſtitiam ſæpe deducimur:* [15] *quorum illa ſumma vis carminibus eſt aptior, & cantibus, non neglecta, vt mihi videtur, à Numa rege doctiſſimo, maioribusq́; noſtris, vt epularum ſolennium fides ac tibiæ, Saliorumq́; verſus indicãt, maximè autem à Græcia vetere celebrata: quibus vtinam, ſimilibusq́; de rebus diſputari, quàm de puerilibus his verborum tranſlationibus maluiſſetis. Verùm vt in verſu vulgus, ſi eſt peccatum, videt: ſic ſi quid in noſtra oratione claudicat, ſentit: ſed poetæ non ignoſcit, nobis concedit. tacitè tamẽ omnes non eſſe illud quod diximus, aptum perfectumq́;, cernunt. Itaq; illi veteres, ſicut hodiè etiam nonnullos videmus, cùm circuitum & quaſi orbem verborum conficere non poſſent, (nam id quidem nuper vel poſſe vel audere cœpimus) terna, aut bina, aut nonnulli ſingula etiam verba dicebant: qui in*

illa infantia naturali illud quod aures hominum flagitabant, tenebant tamen: vt & illa eſſent paria quæ dicerent, & æqualibus interſpirationibus vterentur.

1 Craſſus ingenuè fatetur hanc doctrinam de numeris Ariſtotelicam eſſe, & Theophraſticã: & in rhetorũ ſcholis minimè iſto modo tractari ſolere. 2 Hæc interpellatio ponitur vice cuiuſdam concluſionis, vbi cùm Craſſus laudatur, Cicero ipſe in aliena perſona laudatur, qui primus è Latinis & numerum docuit, & orationibus ſuis celebrauit. 3 Craſſus perſequitur doctrinam & vſum numeri in oratione ſoluta, & perfacilem eſſe diſputat: argumentum eſt à diſſimilibus: Non vt rhythmicorum numeri, & muſicorum modi acerrimam normam requirunt, ita & oratorum. Apodoſis tres habet faciles cautiones in oratione ſeruandas, ne fluat oratio ſine vllis numeris, ne ſit nimis curta, ne excurrat longius.

4 Non ſemper dicendum eſt concluſè, ſed interdum cæſim & membratim: nihil enim eſt tam numeroſum (vt ait Cicero) quàm quod minimè apparet, & valet plurimùm: ex hoc genere eſt illud Craſſi, Miſſos faciant patronos: ipſi prodeant: cur clandeſtinis conſiliis nos oppugnant? cur de perfugis noſtris copias comparant contra nos? Item illud Ciceronis, O mulieris ſcelus incredibile, & præter hanc vnam in omni vita inauditum! O libidinem effrænatam & indomitam! ô audaciam ſingularem: non timuiſſe, ſi minus vim deorum, hominumque famam, at illam ipſam noctem faceſq; illas nuptiales: nõ limen cubiculi, non cubile filiæ, non parietes deniq; ipſos ſuperiorum teſtes nuptiarũ: perfregit & proſtrauit omnia cupiditate & furore: vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. *Pro Cluentio.* 5 Fabius lib. 9. cap. 4. Verbo (ait) ſenſum cludere multo (ſi compoſitio patiatur) optimum eſt: in verbis enim ſermonis vis ineſt: at ſi id aſperum erit, cedat hæc ratio numeris: vt apud Græcos Latinoſq; oratores frequẽtiſſimè: vt Philip. 2. Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauſeras, vt tibi neceſſe eſſet in populi Romani conſpectu vomere poſtridie. 6 Hoc ex Ariſtotele ſumptum eſt. *δεῖ δὲ καὶ τὰ κῶλα, καὶ τὰς περιόδους, μήτε μειούρους εἶναι μήτε μακράς· τὸ μὲν γὰρ μικρὸν προσπταίειν πολλάκις ποιεῖ τὸν ἀκροατήν. ἀνάγκη γὰρ ὅταν ἔτι ὁρμῶν ἐπὶ τὸ πόῤῥω, καὶ τὸ μέτρον, οὗ ἔχει ἐν ἑαυτῷ ὅρον, ἀντισπασθῇ παυσαμένου, οἷον προσπταίειν γίνεσθαι διὰ τὴν ἀντίκρουσιν· τὰ δὲ μακρὰ ἀπολείπεσθαι ποιεῖ, ὥσπερ οἱ ἐξωτέρω ἀποκάμπτοντες τοῦ τέρματος. ἀπολείπουσι γὰρ καὶ οὗτοι τοὺς συμπεριπατοῦντας.* Id eſt, Neq; membra, neque periodos curtas & longas eſſe oportet: breue ſiquidem ſæpe facit vt auditor quaſi offendat & hæreat. Cùm enim quiſpiam longè proſpicit, & mediocritatem intuetur, nec tamen ſibi terminum præfixit, cùm ſubitò retrahitur, neceſſe eſt eum quaſi hærere ob repulſionem, longa verò ſic auditorem fugiunt, ſicut qui metam prætereunt: relinquunt enim & deambulantes. 7 Idẽ præceptum eſt in Oratore perfecto, Plerique cenſent cadere tantùm numeroſè oportere, terminariq; ſententiam: eſt autem vt id maximè deceat, non id ſolùm: ponendus eſt enim ille ambitus, non abiciendus. Quare cùm aures extremum ſemper expectent, in eoq; acquieſcant, id vacare numero non oportet, ſed ad hunc exitum tamen à principio ferri debet verborum illa comprehenſio, & tota à capite fluere, vt ad extremum veniens ipſa conſiſtat: id autem bona diſciplina exercitatis, qui & multa ſcripſerint, & quæcunq; etiam ſine ſcripto dicerent, ſimilia ſcriptionum effecerint, non erit difficillimum. 8 In exitu clauſulæ non ſolùm pes vltimus, ſed retrorſum proximus, atq; etiam tertius ab vltimo notandus & obſeruandus eſt: in his locis probatur à Craſſo chorei, heroi, pæan poſterior, & creticus: omnes

tamen

tamen pedes in fine clauſulæ deprehendi poſſunt, nedum hi quos ex Ariſtotele Craſſus approbat: præcipua autē lex erit,vt nec plures ſyllabas numeroſas,quàm ſex obſeruaueris,néue pauciores quàm tres: pedes omnium generum in clauſulis occurrent: ſed Cicero videtur illos Ariſtotelicos de induſtria frequenter adhibuiſſe:vt Catilinaria 1.dichoreus eſt,In te conferri peſtem iſtam, quam tu in nos omnes iamdiu machinaris. Item,Sic hic morbus qui eſt in Republica,releuatus iſtius pœna,vehementius viuis reliquis ingraueſcet. Creticus & dactylus,vt Catilinaria 2. Eructant ſermonibus ſuis cædem bonorum,atque vrbis incendia. Choreus & Creticus, vt Catilinariā 2. Nulla iam pernicies à monſtro illo & prodigio mœnibus ipſis intra mœnia comparabitur. Pæan quartus & Spondæus,vt Catilinaria 2. Vt quàm vrbem pulcherrimam,florentiſſimam,potentiſſimamq́ue eſſe voluerunt, hanc omnibus hoſtium copiis terra mariq́; ſuperatis à perditiſſimorum ciuium nefario ſcelere defendant. 9 Craſſus concludit facilitatem exercitationis oratoriæ à minori ad maius: Antipater poëta vſu conſecutus eſt, vt ex tempore multos optimos verſus faceret: quantò igitur facilius eſt exercitato oratori numeroſè dicere? 10 Excurſus eſt in communem locum,quomodo indocti homines numeros in oratione animaduertant: qui quidem locus diſputatur ex cauſſis naturalibus: ſyllogiſmus eſt ſimplex primi generis, Omnia quæ ſunt in artibus,etiam ab indoctis natura duce diiudicari poſſunt: Numerus arte traditur: Quare de numero etiam indocti iudicare poſſunt. Propoſitio declaratur à minori ad maius. 11 Altera probatio eſt ab exemplis ſpecialibus: Si hiſtrio offendit in numeris,exploditur: Si malè ſymphoniaci aut tibicines cantant,eiiciuntur: ergo natura duce vulgus de numeris & vocibus rectè iudicat. 12 Idem locus latius diſputatur à Cicerone in Bruto. Hoc tamen intereſt inter doctum & rudem,primùm quòd ille certius iudicat adhibita ratione,nec vnquam fallitur: hic cæco tantùm naturæ iudicio iudicat,& interdum ea quæ minimè recta ſunt,approbat: deinde verò,vt doctus & rudis perinde iudicant, non tamē perinde dicendi & faciendi facultate pollét. 13 Hinc Ariſtoxenus dicebat,animum noſtrum eſſe harmoniam:& Plato ex muſicis numeris animæ ſubſtantiam in Timæo componit. 14 Numeris excitamur,vt pro lege Manilia, Maiores veſtri ſæpe mercatoribus & nauiculatoribus iniurioſius tractatis bella geſſerunt: vos tot ciuium Romanorum millibus vno nuntio, atq; vno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? Totus hic locus eſt valde numeroſus ad excitandum populum Romanum contra Mithridatem. Iiſdem numeris lenimur: vt pro Ligario, Nihil eſt tam populare,q̃ bonitas: nulla de virtutibus tuis plurimis nec gratior,nec admirabilior miſericordia eſt: homines enim ad deos nulla re propius accedunt,q̃ ſalute hominibus danda: nihil habet fortuna tua maius, q̃ vt poſſis: nec natura tua melius,q̃ vt velis conſeruare quamplurimos: his verbis numeroſè deuinctis Cæſarem lenit iratum Ligario. Interdum etiam ad hilaritatem numerus deducit: vt pro Roſcio Comœdo, Nónne ipſum caput & ſupercilia penitus abraſa olere malitiam,& clamare calliditatē videntur? Nónne ab imis vnguibus vſq; ad verticem ſummū, ſi quā coniecturā adfert hominibus tacita corporis figura,ex fraude,fallaciis,mendaciis,cōſtare totus videtur? qui idcircò capite & ſuperciliis ſemper eſt raſis,ne vllum pilum viri boni habere dicatur. Cicero auditoribus riſum mouit in Cerram,hac numeroſa dictione. Interdum ad triſtitiam numerus deducit: vt,O me miſerum! ô me infelicem! reuocare tu me in patriā Milo potuiſti per hos: ego te per eoſdem retinere non potero? 15 Numa Salios duodecim Marti Gradiuo legit,& per vrbem ire,canentes carmina cum tripudiis ſolenniq́; ſaltatu iuſſit,vt author eſt Liuius. Craſſus etiam ait fides & tibias Romę in epulis ſolennibus,quæ in honorem deorum fiebant,adhiberi ſolitas. Græci ſummā eruditionem ſitam cenſebant in neruorum vocumq́; cantibus: igitur & Epaminondas princeps Græciæ fidibus præclarè cecinisſe dicitur: Themiſtoclesq́; aliquot ante annos,cùm in epulis recuſaret lyram,habitus eſt indoctior. Cic. Tuſcul. 1.

[1] *Expoſui ferè, vt potui, quæ maximè ad ornatum orationis pertinere arbitrabar. dixi enim de ſingulorum laude verborum, dixi de coniunctione eorum, dixi de numero atq; forma. Sed ſi habitum etiam orationis, & quaſi colorē aliquem requiritis, eſt plena quædam, & tamen teres & tenuis, & non ſine neruis ac viribus, & ea quæ particeps vtriuſq; generis quadam mediocritate laudatur.* [2] *His tribus figuris inſidere quidam venuſtatis nō fuco illitus, ſed ſanguine diffuſus debet color. Tum deniq; nobis hic orator ita conformādus eſt & verbis & ſententijs,* [3] *vt quemadmodum qui vtuntur armis aut palæſtra, non ſolùm ſibi vitandi aut feriendi rationem eſſe habendam putant, ſed etiam vt cum venuſtate moueantur: ſic verbis quidem ad aptam compoſitionē & condecentiam, ſententijs verò ad grauitatem orationis vtatur, vt ij qui in armorum tractatione verſantur. Formātur autem & verba, & ſentētiæ penè innumerabiles: quod ſatis ſcio notum eſſe vobis: ſed inter conformationem verborum & ſententiarum hoc intereſt, quòd verborum tollitur, ſi verba mutaris: ſententiarum permanet, quibuſcunq; verbis vti velis.* [4] *Quod quidem vos etſi facitis, tamen admonendos puto, ne quid eſſe aliud oratoris putetis, quod quidem ſit egregium atq; mirabile, niſi in ſingulis verbis illa tria tenere, vt tranſlatis vtamur frequenter, interdumq; factis, rarò autem etiam peruetuſtis. In perpetua autē oratione, cùm & coniunctionis lenitatem, & numerorum quam dixi rationem tenuerimus, tum eſt quaſi luminibus diſtinguenda & frequentāda omnis oratio ſententiarum atq; verborum. Nam & commoratio vna in re permultū mouet, & illuſtris explanatio, rerumq; quaſi gerantur, ſub aſpectum penè ſubiectio, quæ & in exponenda re plurimùm valet, & ad illuſtrandum id*

quod

quod exponitur,& ad amplificandum: vt iis qui audient, illud quod augebimus, quantum efficere oratio poterit, tantum eſſe videatur: & huic cõtraria ſæpe præciſio eſt, & plus ad intelligendum quàm dixeris ſignificatio, & diſtinctè concisa breuitas & extenuatio, & huic adiūncta illuſio, à præceptis Cæſaris non abhorrens, & ab re non longa digreſſio: in qua cùm fuerit delectatio, tum reditus ad rem aptus & concinnus eſſe debebit: propoſitióque quid ſis dicturus, & ab eo quod eſt dictum, ſeiunctio, & reditus ad propoſitum, & iteratio, & rationis apta concluſio: tum augendi minuendiue cauſſa, veritatis ſuperlatio atq; traiectio, & rogatio, atque huic finitima quaſi percontatio, expoſitióque ſententiæ ſuæ: tum illa, quæ maximè quaſi irrepit in hominum mentes, alia dicentis ac ſignificãtis diſſimulatio: quæ eſt periucunda, cùm in oratione, non contẽtione, ſed ſermone tractatur. deinde dubitatio, tum diſtributio, tum correctio vel antè vel pòſt quàm dixeris, vel cùm aliquid à te ipſo reiicias. Præmunitio eſt etiam ad id quod aggrediare, & reiectio in alium: communicatio, quæ eſt quaſi cum iis ipſis apud quos dicas, deliberatio: morum ac vitæ imitatio vel in perſonis, vel ſine illis, magnum quoddam ornamẽtum orationis & aptum ad animos conciliandos vel maximè, ſæpe autem etiam ad commouendos. Perſonarum ficta inductio, vel grauiſſimum lumen augendi: deſcriptio, erroris inductio, & in hilaritatẽ impulſio: antè occupatio: tum duo illa, quæ maximè mouent, ſimilitudo & exemplum: digeſtio, interpellatio, contẽtio, reticentia, commendatio: vox quædam libera, atq; etiam effrenatior augendi cauſſa: iracundia, obiurgatio, promiſſio, deprecatio, obſecratio, declinatio breuis à propoſito, nõ vt ſuperior illa digreſſio, purgatio, conciliatio, læſio, optatio, atq; execra-

tio. His ferè luminibus illuſtrant orationem ſententiæ. [6] *Orationis autem ipſius tanquam armorum eſt vel ad vſum comminatio, & quaſi petitio, vel ob venuſtatem ipſa tractatio. Nam & geminatio verborum habet interdum vim, leporem aliàs: & paulùm immutatum verbum atq; deflexum, & eiuſdem verbi crebra tum à primo repetitio, tum in extremum conuerſio: & in eadem verba impetus, & cõcurſio, & adiunctio, & progreſsio, & eiuſdem verbi crebrius poſiti quædam diſtinctio, & reuocatio verbi, & illa quæ ſimiliter deſinunt, aut quæ cadunt ſimiliter, aut quæ paribus paria referuntur, aut quæ ſunt inter ſe ſimilia. Eſt etiam gradatio quædã, & conuerſio, & verborũ concinna tranſgreſsio, & contrarium, & diſſolutũ, & declinatio, & reprehenſio, & exclamatio, & imminutio, & quod in multis caſibus ponitur, & quod de ſingulis rebus propoſitis ductum refertur ad ſingula, & ad propoſitum ſubiecta ratio, & item in diſtributis ſuppoſita ratio & permiſsio, & rurſum alia dubitatio & improuiſum quiddam, & dinumeratio, & alia correctio, & diſputatio, & quod continuatum, & interruptum, & imago, & ſibi ipſi reſponſio, & immutatio, & diſiunctio, & ordo, & relatio, & digreſsio, & circunſcriptio.* [7] *Hæc enim ſunt ferè, atq; horũ ſimilia, vel plura etiam eſſe poſſunt, quæ ſententijs orationem, verborumq; conformationibus illuminent. Quæ quidem te Craſſe video, inquit Cotta, quod nota eſſe nobis putes, ſine definitionibus, & ſine exemplis effudiſſe.* [8] *Ego verò, inquit Craſſus, ne illa quidem quæ ſuprà dixi, noua vobis eſſe arbitrabar, ſed voluntati veſtrũ omnium parui. His autem de rebus Sol me ille admonuit vt breuior eſſem, qui ipſe iam præcipitans, me quoq; hæc præcipitem penè euoluere coegit. Sed tamen huius generis demonſtratio*

eſt

eſt & doctrina ipſa vulgaris, vſus autem grauiſsimus, & in hoc toto dicendi ſtudio difficillimus.

1 Craſſus epilogo cõcludit, quæ de virtutibus ſingulorũ verborum & coniunctorum dixit, & tranſit ad hábitũ orationis triplicẽ, grauẽ, medium, ſubtilem: quę diuiſio non ſumitur ex rhetoricis ornamentis, ſed ex rebus ipſis, quæ dicuntur, quæ ſunt graues, mediæ, ſubtiles. His tribus exiſtimat conformationes orationis communiter ineſſe, qua de cauſſa conformationũ genera ſummatim proponit nudis nominibus, ſine definitionibus & exemplis: vbi etiam plures non figuræ pro rhetoricis figuris, q̃ veræ figuræ nominãtur: idq; (vt opinor) ex inſtituto Græcorum, apud quos Cic. hãc enumerationem legerat. 2 Allegoria eſt à venuſtis corporibus, quorũ alia fucum habent & adulterinũ colorẽ, alia verum & natiuũ. Fab. cap. 3. lib. 8. Sit ornatus virilis, fortis, & ſanctus, nec effœminatam læuitatem, nec fuco eminentẽ colorem amet: ſanguine & viribus gaudeat. 3 Similitudo ſumitur à militibus & palæſtritis, quorũ illi ad vim depugnant, hi ad venuſtatem & voluptatem ſpectantium: ſic figuræ διανοίας plus habent grauitatis ad commouendum, figuræ λέξεως plus venuſtatis ad delectandum. 4 Craſſus ſummatim repetit oratorias laudes verborũ ſingularũ & coniunctorum: illic tres, nouitatem, vetuſtatem, tropum: hic collocationem & numerũ: qui tamen numerus ſpecies eſt figuræ, de qua mox dicturus eſt: itaq; ſpeciem à genere ſeparauit. 5 Cicero doctrinæ viam nullã ſequitur: nec enim figuram διανοίας partitur in pauca genera, neq; generibus ſuas ſpecies ſubiicit, ſicut methodus doctrinæ poſtulat, ſed in turba proponit 48. figuras διανοίας, ex quibus 34. rhetoricæ conformationis ſpeciẽ nullam habent, ſed quædã ſunt membra dialecticæ virtutis, vt illuſtris explanatio, propoſitio, concluſio rationis, diſtributio in partes, ſimilitudo, exemplum, deſcriptio, digeſtio, contentio, expoſitio ſententiæ: reliqua ſunt communia adiuncta orationis, quæ interdũ figuris permiſcentur: interdum ſine vlla figura dicuntur, vt cõmoratio, præciſio, emphaſis, diſtinctè conciſa breuitas, extenuatio, illuſio, ſeiunctio ab eo quod dictũ eſt, iteratio dictorũ, ſuperlatio, percontatio, ironia, reiectio criminis à ſe, præmunitio, reiectio in alium, inductio erroris, impulſio in hilaritatẽ, interpellatio, commendatio, iracũdia, obiurgatio, promiſſio, purgatio, cõciliatio. 6 Craſſus tranſit ad figurã λέξεως, id eſt, orationis, & eius duplicem vſum ſtatuit, vnũ grauitatis ad mouendum: alterũ venuſtatis ad delectandum: antea tamen docuit in figuris ſententiarũ grauitatem, in figuris verborum concinnitatem ineſſe, & iis duabus differentiis duo genera diſtinxit. Cæterùm multæ in verbis figuræ nominantẽ, quæ figuræ λέξεως nõ ſunt: vel quia mutatis verbis permanẽt, vel quia dialecticæ membra quædã ſunt, aut communia adiuncta orationis: vt contrarium, diſſolutũ, exclamatio, imminutio, relatum ad ſingula, ad propoſitum ſubiecta ratio, permiſſio, improuiſum, enumeratio, diſputatio, continuatio, interruptum, imago, ſibi ipſi reſponſio, immutatio, diſiunctio, ordo, digreſſio, circumſcriptio: quæ omnia tam longè à figuris λέξεως abſunt, vt earum nullam ſpeciem & ideam referant. 7 Si in figuris ſententiarum & verborũ plura adhuc genera eſſe poſſunt, Craſſus artem & doctrinam figurarum non deſcripſit: artis enim proprium eſt, nullum genus rei propoſitæ ſubiectum prætermittere. 8 Craſſus duobus modis excuſat doctrinæ ſuæ breuitatem, & quòd res ſit omnibus nota, & quòd temporis anguſtiæ eum breuiorem eſſe cogant.

[1] Quamobrem quoniam de ornatu omni orationis, ſi non ſunt omnes patefacti, at certè commonſtrati loci: nunc quid

aptum ſit, hoc eſt, quod maximè deceat in oratione, videamus: [2] *quanquã id quidem perſpicuum eſt, non omni cauſſæ, nec auditori, neq; perſonæ, neq; tempori congruere orationis vnum genus. Nam & cauſſæ capitis alium quendam verborum ſonum requirunt, alium rerum priuatarum atq; paruarum: & aliud dicendi genus deliberationes, aliud laudationes, aliud iudicia, aliud ſermones, aliud cõſolatio, aliud obiurgatio, aliud diſputatio, aliud hiſtoria deſiderat. Refert etiam qui audiant, ſenatus, an populus, an iudices: frequentes, an pauci, an ſinguli: & quales ipſi quoque oratores, qua ſint ætate, honore, authoritate debet videri: tempus, pacis, an belli: feſtinationis, an otij. Itaq; hoc loco nihil ſanè eſt quod præcipi poſſe videatur, niſi vt figuram orationis plenioris & tenuioris, & item illius mediocris, ad id quod agimus accommodatam deligamus: ornamẽtis iiſdem vti ferè licebit, aliàs contẽtius, aliàs ſummiſſius. omniáq; in re poſſe quod deceat facere, artis & naturæ eſt: ſcire quid, quãdoq; deceat, prudẽtiæ.*

1 Hactenus de tertia virtute elocutionis dictum eſt, quæ ſola propriè & verè dicitur elocutionis virtus: nam Latinitas, perſpicuitas, & decorum, virtutes ſunt orationis, & magnæ quidem virtutes, ſed tamẽ oratoriæ non ſunt: decorum itaq; reſtat, cuius ſi generalis aliqua doctrina tradi poſſit, ea dialectica fuerit in regulis ſyllogiſmorum, non autem rhetorica: vt ſi quis iudicio & ſyllogiſmo valeat, is intelligere poterit, quid in quaq; re deceat, & quid nõ deceat. 2 Craſſus tres regulas de elocutionis decoro tradit: prima eſt de accommodando genere orationis ad cauſſam, perſonam, & tempus: quæ regula dialectico iudicio maximè nititur. Altera monet figuras rhetoricas omnium generũ dicendi eſſe communes, ſed aliàs plenius ſonare, aliàs ſummiſſius, aliàs temperatius: quod quidem diligenter animaduertendum eſt: nec enim hanc veritatem perpetuò Cicero ſequi videtur, ſed genera dicendi figurarum generibus diſtinguere. Tertia tametſi vera eſt, tamẽ accuratiore eget explicatione: nam ſingularium & ſpecialium artium decorũ ſuum & ſpeciale eſt, vt grammaticæ grammaticũ, rhetoricæ elocutionis & actionis rhetoricũ: generale verò & cõmune omnis decori documentũ, ſi cuiuſquam eſt diſciplinæ, logicæ diſciplinæ eſt, quæ ſola generale iudiciũ & omnium artium commune poſſidet: facultas autem ipſa in ſingulis artibus decorè & aptè agendi naturæ eſt, & artis exercitatione confirmatæ: ſcire verò quid, & quando deceat, eſt communis prudentiæ, quæ vſu magis, quàm præceptis paratur.

[1] *Sed hæc ipſa omnia perinde ſunt, vt aguntur. Actio inquam in dicendo vna dominatur. Sine hac ſummus orator*

tor eſſe in numero nullo poteſt, mediocris hac inſtructus ſummos ſæpe ſuperare. Huic primas dediſſe Demoſthenes dicitur, cùm rogaretur quid in dicendo eſſet primum: huic ſecundas, huic tertias. Quò mihi melius etiam illud ab Aeſchine dictum videri ſolet, [2] *qui cùm propter ignominiam iudicij ceſſiſſet Athenis, & ſe Rhodum contuliſſet, rogatus à Rhodijs legiſſe fertur orationem illam egregiam, quam in Cteſiphontem contra Demoſthenem dixerat. qua perlecta petitum eſt ab eo poſtridie vt legeret illam etiam quæ erat contrà à Demoſthene pro Cteſiphonte edita: qua cùm ſuauiſſima & maxima voce legiſſet, admirantibus omnibus, Quantò, inquit, magis admiraremini, ſi audiſſetis ipſum? Ex quo ſatis ſignificauit quantum eſſet in actione, qui orationem eandem, aliam eſſe putaret authore mutato. Quid fuit in Graccho, quem tu Catule melius meminiſti, quod me puero tantopere ferretur?* [3] *Quò me miſer conferam? Quò vertam? in Capitoliúmne? at fratris ſanguine redũdat. An domum? matrémne vt miſeram lamentantemq́ue videam & abiectam? Quæ ſic ab illo acta eſſe conſtabat, oculis, voce, geſtu, inimici, vt lachrymas tenere non poſſent.* [4] *Hæc eò dico pluribus, quòd genus hoc totum oratores, qui ſunt veritatis ipſius actores, reliquerunt, imitatores autem veritatis hiſtriones occupauerunt. Ac ſine dubio in omni re vincit imitationem veritas: ſed ea ſi ſatis in actione efficeret ipſa per ſeſe, arte profectò non egeremus: verùm quia animi permotio, quæ maximè aut declarãda, aut imitanda eſt actione, perturbata ſæpe ita eſt, vt obſcuretur, atq; penè obruatur: diſcutienda ſunt ea quæ obſcurant: & ea quæ ſunt eminentia & prompta ſumenda.* [5] *Omnis enim motus animi ſuum quendam à natura habet vultum & ſonum & ge-*

ſtum: totumq; corpus hominis, & eius omnis vultus, omnesq; voces, vt nerui in fidibus, ita ſonant, vt à motu animi quoq; ſunt pulſæ. Nā voces, vt chordæ ſunt intentæ, quæ ad quémque tactum reſpondeant, [6] acuta, grauis: cita, tarda: magna, parua: quas tamen inter omnes eſt ſuo quoq; in genere mediocris. Atq; etiam illa ſunt ab his delapſa plura genera, lene, aſperum, contractum, diffuſum, continenti ſpiritu, intermiſſo, fractum, ſciſſum, flexo ſono, attenuatum, inflatum. Nullum eſt enim horum ſimilium generum, quod non arte ac moderatione tractetur. hi ſunt actori, vt pictori, expoſiti ad variandum colores. Aliud enim vocis genus iracundia ſibi ſumat, acutum, incitatum, crebrò incidens:

[7] Impius hortat̃ me frater, vt meos malis miſer.
Manderem natos.—

& ea quæ tu dudum Antoni protuliſti,

[8] Segregare abs te auſus,— *&*,
[9] Ecquis hoc animaduertit?
Vincîte.— & Atreus ferè totus.

Aliud miſeratio ac mœror, flexibile, plenum, interruptum, flebili voce:

[10] Quò nunc me vertam? quod iter incipiam ingredi?
Domum paternámne, ánne ad Peliæ filias?

& illa,

[11] O pater! ô patria! ô Priami domus!

& quæ ſequuntur,

Hæc omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam euitari.

Aliud metus, demiſſum, & hæſitans, & abiectum:

Multi' modis ſum circumuentus, morbo, exi-

lio,

lio, atque inopia:
Tum pauor ſapientiam mihi omnem ex animo expectorat,
Alter terribilem minitatur vitæ cruciatum & necem:
Quæ nemo eſt tam firmo ingenio, & tanta confidentia,
Quin refugiat timido ſanguen, atq; exalbeſcat metu.

Aliud vis, contentum, vehemens, imminens, quadam incitatione grauitatis:

Iterum Thyeſtes Atreum attractum aduenit,
Iterum iam aggreditur me, & quietũ exuſcitat.
Maior mihi moles, maius eſt miſcendũ malum,
Qui illius acerbum cor contundam & comprimam.

Aliud voluptas, effuſum, lene, tenerum, hilaratum ac remiſſum:

Sed mihi cùm retulit coronam ob collocandas nuptias,
Tibi ferebat: cùm ſimulabat ſeſe alteri dare,
Tum ad te ludibũda doctè & delicatè detulit.

Aliud moleſtia, ſine commiſeratione graue quiddam, & vno preſſu ac ſono obductum:

Qua tempeſtate Paris Helenam innuptis iunxit nuptiis,
Ego tum grauida expletis iam ferè ad pariendum menſibus:
Per idem tempus Polydorum Hecuba partu poſtremo parit.

[12] *Omnes autem hos motus ſubſequi debet geſtus,non hic ver
ba exprimẽs ſcenicus, ſed vniuerſam rem & ſentẽtiam non
demonſtratione, ſed ſignificatione declarans, laterum infle-
xione hac forti ac virili,non ab ſcena & hiſtrionibus,ſed ab
armis,aut etiam à palæſtra. Manus autẽ minus arguta,di-
gitis ſubſequens verba,non exprimens. Brachium procerius
proiectũ quaſi quoddam telum orationis. Supploſio pedis in
contentionibus aut incipiendis,aut finiendis. Sed in ore ſunt
omnia. In eo autẽ ipſo dominatus eſt omnis oculorum. quo
melius noſtri illi ſenes,qui perſonatũ ne Roſcium quidem ma
gnopere laudabant.* [13] *Animi eſt enim omnis actio,& ima
go animi vultus eſt,indices oculi. Nam hæc eſt vna pars cor
poris,quæ,quot animi motus ſunt, tot ſignificationes & com
mutationes poſſit efficere. Neq; verò eſt quiſquam, qui ea-
dem contuens efficiat.* [14] *Theophraſtus quidem Tauriſcum
quendam dixit actorem auerſum ſolitum eſſe dicere: qui in
agendo contuẽs aliquid,pronuntiaret. Quare oculorum eſt
magna moderatio.* [15] *Nam oris non eſt nimiũ mutanda ſpe
cies,ne aut ad ineptias,aut ad prauitatẽ aliquã deferamur.
Oculi ſunt quorũ tum intẽtione,tum remiſſione,tum conie-
ctu,tum hilaritate,motus animorum ſignificemus aptè cum
genere ipſo orationis. Eſt enim actio quaſi ſermo corporis:
quo magis menti congruens eſſe debet. Oculos autẽ natura
nobis,vt equo & leoni ſetas, caudam, aures, ad motus ani-
morum declarandos dedit. Quare in hac noſtra actione ſe-
cundùm vocem vultus valet: is autem oculis gubernatur.*
[16] *Atq; in iis omnibus quæ ſunt actionis, ineſt quædam vis à
natura data: quare etiam hac imperiti,hac vulgus,hac de-
niq; barbari maximè commouentur. Verba enim neminem
mouet,niſi eum qui eiuſdem linguæ ſocietate coniunctus eſt:*

ſenten-

ſententiæq; ſæpe acutæ, nō acutorum hominum ſenſus præteruolant: actio, quam præ ſe motum animi fert, omneis mouet. iiſdem enim omnium animi motibus concitatur, & eos iiſdem notis & in aliis agnoſcūt, & in ſe ipſi iudicant. [17] *Ad actionis autē vſum atq; laudem, maximam ſine dubio partem vox obtinet: quæ primū eſt optanda nobis, deinde quæcunq; erit, ea tuenda. De quo illud iam nihil ad hoc præcipiendi genus, quemadmodum voci ſeruiatur: equidem magnopere cenſeo ſeruiendum.* [18] *Sed illud videtur ab huius noſtri ſermonis officio non abhorrere, quòd, vt dixi paulò antè, pluribus in rebus quod maximè eſt vtile, id neſcio quo pacto etiam decet maximè. Nam ad vocem in dicendo obtinendam nihil eſt vtilius quàm crebra mutatio, nihil pernicioſius quàm effuſa ſine intermiſſione contentio. Quid? ad aures noſtras, & actionis ſuauitatem, quid eſt viciſſitudine & varictate & commutatione aptius?* [19] *Itaque idem Cracchus (quod potes audire Catule ex Licinio cliente tuo literato homine, quem ſeruum ſibi ille habuit ad manum) cum eburneola ſolitus eſt habere fiſtula qui ſtaret occultè poſt ipſum, cùm concionaretur, peritum hominem, qui inflaret celeriter eum ſonum quo illum aut remiſſum excitaret, aut à contentione reuocaret. Audiui mehercule, inquit Catulus, & ſæpe ſum admiratus hominis cùm diligentiam, tum etiam doctrinam & ſcientiam.* [20] *Ego verò, inquit Craſſus: ac doleo quidem illos viros in eam fraudem in Repub. eſſe delapſos. quanquam ea tela texitur, & ea incitatur in ciuitate ratio viuendi, ac poſteritati oſtenditur, vt eorū ciuium quos noſtri patres non tulerunt, iam ſimiles habere cupiamus. Mitte obſecro, inquit, Craſſe, Iulius ſermonem iſtum, & te ad Cracchi fiſtulam refer, cuius ego nondum planè ra-*

*tionem intelligo. [21] In omni voce, inquit Craſſus, eſt quid-
dam medium. ſed ſuum cuiq; voci. hinc gradatim aſcendere
vocem, vtile & ſuaue eſt. Nam à principio clamare, agreſte
quiddam eſt: & illud idem ad firmandum eſt vocem ſalu-
tare. deinde eſt quiddam contentionis extremum, quod ta-
mē inferius eſt, quàm acutiſsimus clamor, quo te fiſtula pro-
gredi non ſinet, & tamen ab ipſa contentione reuocabit. Eſt
item contrà quiddam in remiſsione grauiſsimum, quoq; tan
quam ſonorum gradibus deſcenditur. Hæc varietas, & hic
per omnes ſonos vocis curſus, & ſe tuebitur, & actioni affe-
ret ſuauitatem: ſed fiſtulatorem domi relinquetis, ſenſum hu
ius conſuetudinis vobiſcum ad forum deferetis. [22] Edidi quæ
potui, non vt volui, ſed vt me temporis anguſtiæ coegerunt.
ſcitum eſt enim, cauſſam cōferre in tempus, cùm afferre plu
ra ſi cupias, non queas. Tu verò, inquit Catulus, collegiſti o-
mnia, quantum ego poſſum iudicare, ita diuinitùs, vt non à
Græcis didiciſſe, ſed eos ipſos hæc docere poſſe videare. Me
quidem iſtius ſermonis participem factum eſſe gaudeo, [23] ac
vellem vt meus gener ſodalis tuus Hortenſius affuiſſet: quem
quidem ego confido omnibus iſtis laudibus, quas tu oratione
complexus es, excellentē fore. Et Craſſus, Fore dicis? inquit:
ego verò eſſe iam iudico, & tum iudicaui, cùm me Conſule
in ſenatu cauſſam defendit Africæ: nuperq; etiā magis cùm
pro Bithyniæ rege dixit. quamobrem rectè vides Catule. ni-
hil enim iſti adoleſcenti neq; à natura, neq; à doctrina deeſſe
ſentio. quo magis eſt tibi Cotta, & tibi Sulpiti vigilandum
ac laborandum: [24] non enim ille mediocris orator veſtræ
quaſi ſuccreſcit ætati, ſed & ingenio peracri, & ſtudio fla-
grāti, & doctrina eximia, & memoria ſingulari. cui quan
quam faueo, tamen illum ætati ſuæ præſtare cupio: vobis ve*

rò il-

rò illum tantò minorem præcurrere vix honeſtum eſt. Sed iam ſurgamus, inquit, noſq́ curemus, & aliquando ab hac contentione diſputationis animos noſtros curamq́ laxemus.

1 Pronuntiatio, eſt apta conceptæ elocutionis enuntiatio, cuius laudes primùm Craſſus celebrat: deinde artem & doctrinam tradit: pronuntiatio laudatur duobus teſtimoniis, Demoſthenis & Aeſchinis, & exemplo C. Gracchi. 2 Aeſchines accuſauit Cteſiphontem, quòd contra leges in publico Demoſthenem coronaſſet: quo iudicio victus ceſſit Athenis: & Rhodum profectus ibi rhetoricam docere cœpit: Rhodiiſq; poſtulantibus orationem ſuam contra Cteſiphontem, itemq; Demoſthenis pro Cteſiphonte recitauit. 3 Verba ſunt C. Gracchi in concione mortem Tiberij fratris triſt. & luctuoſa voce lugentis. 4 Actionis laus concluditur, addita breui reprehenſione oratorum, qui hanc exercitationem negligunt: & tranſitus fit ad doctrinam, quam Craſſus neceſſariam eſſe probat à repugnantibus: Natura & veritas per ſe ad agendū ſatis non eſt: ergo arte & præceptis inſtruenda eſt. 5 Actio ſiue pronuntiatio (vtrumq; enim pro eodem dicitur) diuiditur in tres partes, vultum, ſonum & geſtum: quarum duæ ad oculos perueniunt, vultus & geſtus: tertia ad aures, ſonus: ſed vultus ſub geſtu comprehendi poterat: & in quibuſdam rhetoricis comprehenditur. Primum & generale artis huius præceptū eſt, vt vultus vocis & geſtus in agendo tot mutationes fiant, quot ſunt affectuum & cogitationum animi: & ſingulis cogitationibus affectibuſq; accommodetur ſuū genus & vocis, & vultus, & geſtus: quod præceptū declaratur ſimilitudine fidium: vt enim organorum chordæ ad tactum digitorum & plectri variè reſpondent: ita vox, vultus, geſtus, affectum & pulſum animi conſequantur neceſſe eſt. 6 Diſtinctiones vocis ſumunt vel ex quantitate, vt ſit magna, parua, mediocris: vel ex qualitate, vt ſit cita, tarda, mediocris: acuta, grauis, mediocris. Itemque lenis, aſpera: contracta, diffuſa: emiſſa continenti ſpiritu, emiſſa ſpiritu intermiſſo: fracta, ſciſſa, flexibilis, attenuata, inflata: quibus, quando, & quemadmodum oporteat vti: proprium eſt rhetoricæ artis explicare: itaq; Craſſus pro varietate affectuum genera vocis diſtinguit, & exemplis poëtarum illuſtrat. 7 Thyeſtes iratus ſic apud Ennium loquitur: nam Ennius tragœdiam cōpoſuit, quæ inſcripta erat, Thyeſtes. 8 Antonius matutino ſermone citauit verſus Pacuuij poëtæ ex Tragœdia Teucro, vbi Telamon iracundè obiurgat Teucrum reuerſum à bello Troiano ſine Aiace fratre. 9 Actius ſcripſit tragœdiam Atreum nomine, in qua tota Atreus iracundè loquitur contra Thyeſtem fratrem ſuum. 10 Verſus hi ſunt ex Ennij Medea, vbi Medea ſpreta ab Iaſone, luget vicem ſuam. 11 Verſus ſunt ex Hecuba Ennij, & in Tuſculanis etiam citantur.

12 Hactenus Craſſus docuit rhetoricam artē mutandæ & conformādæ vocis pro variis animorum motibus, iracundia, miſeratione, metu, vi, voluptate, moleſtia. Sequitur ratio geſtus, quæ iubet ſpectare motū vel vniuerſi corporis, vel partium quarundā minus eminentium: nec verò hic generatim geſtus omnis rhetoricus informat: nam cùm hiſtriones in ſcena venuſtè agūt, rhetoricè & oratoriè agunt, ſed tantū is, qui oratori politico in tractatione ciuilium cauſſarū conuenit. De geſtu totius corporis hæc ſola cautio eſt, vt ne ſit hiſtrionicus: hiſtrio enim videtur in geſtu penè nimius eſſe, & rem ipſam in ſcena geſtu magis demonſtrare, q̄ verbis ſignificare conatur: quæ tamē geſticulatio hiſtrionem nō dedecet: at politicus orator truncum illum corporis non tam actuosè, neq; tam hiſtrionicè mouebit. Atq; hic geſtus eſt vniuerſus & generalis: ſpecialis autem notat in quatuor partibus corporis, lateribus, manibus, brachio, pedibus, vt laterum motus ſit fortis & virilis, vt manus minus argutæ ſint: nam quidam rem ipſam prius geſtu aliquo manu repræſentant, quàm verbis explicent, quòd in oratore politico fuerit

vitioſiſſimum:vt brachium ſit non incuruatum ad pectus,ſed longius diductum
& proiectum à corpore,ad ſignificandum impetum oratoriæ contentionis:vt pes
interdum ſupplodat in contẽtionibus incipiendis aut finiendis. 13 De tribus
partibus rhetoricæ actionis duæ ſunt explicatæ, vox & geſtus: vultus ſupereſt, id
eſt, habitus quidam oris & oculorum, motum animi maximè declarans, vt oris
figura & color & lineamenta ipſa ſignificant nos eſſe triſtes vel hilares, iratos vel
placatos,erectos aut humiles,meticuloſos vel confidentes: idemq́; iudicium ha-
bitat in oculis. Cic.in Orat.perfect.Vt imago animi eſt vultus,ſic oculi iudices,
quorum & hilaritatis & viciſſim triſtitiæ modum res ipſæ,de quibus agitur,tem-
perabunt. 14 Hoc exemplum eſt vitioſæ actionis in motu oculorũ:nam Tau-
riſcus ille hiſtrio, de quo ſcribit Theophraſtus, ineptè auertebat oculos ab his, a-
pud quos agebat. 15 In agendo ſpecies & dignitas oris diligentiſſimè eſt con-
ſeruanda,cauendumq́; ne aut os vaſtè diducatur,aut deformiter torqueatur: ſic
Craſſus Teſtio Penario illuſit mentum in dicendo intorquenti: tum vt diceret,
ſi quid vellet,cum nucem fregiſſet.Lambere quoque labra, & mordere deforme
eſt,vt ait Fabius: cùm etiam in efferendis verbis modicus eorum eſſe debeat mo
tus. 16 Craſſus probat in geſtu & vultu maiorem vim ineſſe, quàm in voce:
idque per collationem diſſimilium effectorum:quòd geſtus apud omnes gentes
idem ſit,verba eadem non ſint: & quòd ſententiæ acutæ plerunque homines he
betes non moueant,geſtus verò moueat. 17 Ad pronuntiandum vocis boni-
tas primùm nobis optanda eſt,vt ſit firma & ſuauis,vt liberalis,vt enucleata,vt fau
ces integræ ſint, id eſt,molles & læues, quarum vitio frangitur, & exaſperatur, &
obſcuratur,& ſcinditur vox,vt ait Fabius: deinde eadem nobis tuenda eſt ambu-
latione,vnctione,continentia, facili ciborum digeſtione: ſed ars tuendæ vocis ad
rhetoras non pertinet,verùm ad medicos,& ad phonaſcos,qui olim Romæ erant
magiſtri exercendæ vocis. 18 Hoc præceptum Craſſi rhetoricum eſt de muta
tione & inflexione vocis pro conditione rerum & affectuum: nam eadem & per-
petua vocis contentio vitioſiſſima eſt:idq́; vitium appellatur à Græcis *μονοτονία*,
Lib.11. vt ait Fabius,id eſt,vna quædam ſpiritus & ſoni intentio:vt ſi dicamus omnia cla
moſè,quod inſanum eſt: aut intra loquendi modum, quod motu caret:aut ſum-
miſſo murmure,quo etiam debilitatur omnis intentio. 19 Præceptum pro-
Cap.10. lib.1 ximum illuſtratur exemplo Caij Gracchi, cui concionanti, vt ait Fabius, conſi-
ſtens poſt eum muſicus,fiſtula quam *τονάριον* vocant, modos,quibus deberet in-
Cap.11. lib.1. tendi,miniſtrabat.Is fiſtulator,vt ait Gellius,in circunſtantibus ſtabat occultius,
qui fiſtula breui ſenſum grauiuſculum ſonum inſpiraret ad deprimendum ſe-
dandumq́; impetũ vocis eius. 20 Digreſſiuncula eſt Craſſi in querimoniam
ſui temporis,in quo ſenſim excitabantur ſeditiones inter Marium & Syllam,quę
poſtea magnam perniciem Reipubl. attulerunt. 21 Craſſus declarat vſum fi-
ſtulæ Gracchanæ,prohibetq́;,ne vel grauiſſimo ſono vocis vtamur,quia cùm vix
audiatur,animos audientium excitare non poteſt:vel acutiſſimo,quia cùm ſit im
Lib.11. modicæ claritatis,& ſupra modum,neq; inflecti,neque intendi poteſt, vt ait Fa-
bius. Medius itaque modus probandus eſt, in quo tres ſonorum gradus diſtin-
guuntur,grauis,acutus,& temperatus. 22 Tertius dialogus concluditur laude
Craſſi, cuius primæ partes fuerunt in hac diſputatione, & Q.Hortenſij, cuius
exemplo Cotta & Sulpitius excitantur ad eloquentiæ ſtudium. 23 Horten-
ſius L.Craſſo Q.Mutio Scęuola Coſs.primùm in foro dixit,& apud hos quidem
Conſules:& cùm eorum qui adfuerunt,tum ipſorum Conſulum,qui omnes in-
telligentia anteibant,iudicio diſceſſit probatus,vt ait Cicero in Bruto:Tum Hor
tenſius agebat annum ætatis ſuæ decimumoctauum, cùm cauſſam defendit A-
fricæ contra Prætores:poſtea etiã dixit pro Nicomede rege Bithyniæ. 24 Cot
ta & Sulpitius decem annis Hortenſio maiores erant,vt ſcribit Cic.in Bruto.

FINIS.

M. Tullij Ciceronis

AD C. TREBATIVM Iuriſconſultum Topica,

AVDOMARI TALAEI prælectionibus explicata.

AD

CAROLVM BORBONIVM Cardinalem Vindocinum.

AMplitudo non ſolùm generis ac nominis tui, ſed multò magis bonitatis & virtutis tuæ excuſare factum ſtudiumq; meum debebit, ſi te fortè importunius adeam, & tibi non admiranda aulicæ pompæ fercula, ſed ſcholaſtica puerilis otij penè crepundia nunc offeram: etenim, vt ait ille,

Offendunt nunquam thura preceſq; Iouem:

ſed quò quiſque maior eſt, eò ſe facilius ab omnibus obſeruari coliq; patitur. Magnæ tibi ſunt opes, multi ſunt honores, Regum & ſummorum Pontificum iudiciis tibi delati: Abbas, Epiſcopus, Archiepiſcopus, Cardinalis factus es. Stemmata generis & nobilitatis tuæ quid recenſeam, cùm Franci omnes familiæ tuæ tam vicinam coronam videamus, vt è Valeſio capite, in quo nunc alma reſidet, in nullum poſsit, niſi Borbonium caput excidere? Hæc in te omnia magna ſunt, ſed bonitas & comitas his omnibus bonis multò maior: ampliſſimas habes opes, ſed tua liberalitate tamen longè minores: teſtes ſunt, qui tua benignitate tam multi fruuntur: maximos habes honores, ſed magnificentia tua tamẽ inferiores: teſtes ſunt qui per te quotidie ad honorificas magnarum rerum curationes appellantur. Clariſsimum, & ſupra quod in terris maius non eſt, regium genus habes: at animi tui ſingularis humanitas & gratia, fortunæ & parentum patrimonium non eſt: cœleſte & diuinum donum eſt. Quare quanto tam multis, tamque eximiis bonis excellentior es, tantò mihi ad te liberiorem aditum ſpero, teque liberalius quicquid eſt, quo tibi obſeruantiam noſtram ſignificare volumus, accepturum confido. Superioribus proximis diebus diſcipulis meis Topica Ciceronis expli-

caui, in eiſque non ſolùm quid author ille de topica arte ſentiret, omni diligentiæ ratione expoſui, ſed etiam quàm propriè, diſtinctè, verè, vtiliter eam docuiſſet, dialectico ſyllogiſmo perpendi atque æſtimaui: & illam dialecticæ lucem ac veritatem (quam frater meus Petrus Ramus ex Ariſtotelicis tenebris maxima literarum felicitate liberauit) in iudicio & ordine rerum conſiderando adhibui, vt lectores, cùm in magnorum hominum commentationes inciderint, animaduertant, quæ vera & commoda ſint, & in his induſtriam feliciter exerceant, non quicquid legerint, ſine delectu protinus arripiant, & in his miſerè operam oleumque perdant. Hoc liberum philoſophandi genus primùm in rhetoricis artibus definiendis, in Academicis poſtea Ciceronis quæſtionibus, deinde in Ariſtotelis ethico de felicitate ſic exercui: & in oratoriis Ciceronis dialogis exercere inſtitui: vt quemadmodum in mathematicis artibus pro demonſtratione nullius hominis, ſed firmæ rationis duntaxat authoritas ſpectatur: ſic mihi non Ariſtotelis modò, non Ciceronis ſententia, ſed multò magis ipſarum rerum veritas, & publica honeſtorum ſtudiorum vtilitas proponatur. Quamobrem, Cardinalis illuſtriſsime & generoſiſsime, hoc leuidenſe videlicet noſtrum munus eſt: quod ſi tibi placuiſſe percepero, dabis animum ad pleraſque alias honeſtę diſciplinæ partes illuſtrandas alacriorem. Vale.

Datum Lutetiæ 6. Cal. Nouemb.

M. D. L.

PRÆFATIO AVDOMARI TA-læi in Topica Ciceronis.

Cicero Topica ad C. Trebatium Iuriſconſultum ſcripſit, ſenior iam & vſu maturior, quàm cùm cætera de his artibus opera ſcripſiſſet: multóq; plus Iudicij adhibuit, quàm in Oratorijs libris antè ſcriptis adhibuiſſet. Nam cùm Topicam argumentorum doctrinam cum rhetoiicis artibus Rhetorum (quos audierat) more in rhetoricis libris variè confudiſſet, eam poſtea cognitis proprijs artium finibus iudicio maturiore & accuratiore diſtinxit, & à rhetorica ſeparauit, & dialecticæ propriam & legitimam fecit. Deinde cùm multas & varias, & ſeparatas topicas artes in varijs quæſtionum generibus, & partibus orationis ſigillatim deſcripſiſſet, vt alia eſſet inuentio propria ſingulorum generum quæſtionis, alia propria ſingularum partium orationis, tandem aliquando ſe quodammodo collegit, viditq; vnam eſſe generalem & communem omnibus rebus explicandis, argumentorum doctrinam, & omnia quæ minutatim de quæſtionibus & partibus orationis præciperentur, facilius & commodius generalibus illis decretis & admonitis explicari: quod cùm ſapienter animaduertiſſet Cicero, teneri tamen non potuit, quin ad extremam Topici huius operis partem in multitudinem ſpecialium & ſingularium artium Topicarum recideret, & non contentus vna illa generali Topicæ inuentionis doctrina, multas & varias in generibus quæſtionum & partibus orationis ſpeciales inuentiones adiungeret: neque verò id ſolùm fecit, ſed etiam generalem illam argumentorum doctrinam fruſtrà & inutiliter bis propoſuit, cùm ſecunda explicatio ſine prima parem & eundem fructum haberet. Itaque in ματαιοτεχνίαν incidit Cicero: quia ſi primam locorum enumerationem, & totam de quæſtione & partibus orationis doctrinam detraxeris, ars ipſa Topica Ciceronis non minus completa & apta & perfecta remanebit.

M. Tullij Ciceronis

AD C. TREBATIVM Iuriſconſultum Topica.

M[1]Aiores non res ſcribere [2] ingreſſos, C. Trebati, & ijs libris, quos breui tempore ſatis multos edidimus, digniores, è curſu ipſo reuocauit voluntas tua. Quum enim mecum in Tuſculano eſſes, & in bibliotheca ſeparatim vterque noſtrum ad ſuum ſtudium libellos quos vellet, euolueret, incidiſti in Ariſtotelis topica quædam, quæ ſunt ab illo [3] pluribus libris explicata. Qua inſcriptione commotus, continuò à me eorum librorum ſententiam requiſiſti. Quam tibi cùm expoſuiſſem, [4] diſciplinam inueniendorum argumentorum, vt ſine vllo errore ad eam rationem via perueniremus ab Ariſtotele inuenta, libris illis contineri: [5] verecundè tu quidem, vt omnia, ſed tamen vt facilè cernerem te ardere ſtudio, mecum vt tibi illa traderem, egiſti. Cùm autem ego te, non tam vitandi laboris mei cauſſa, quàm quòd intereſſe tua arbitrarer, vel vt eos per te ipſe legeres, vel vt totam rationem à doctiſſimo quodam rhetore acciperes, hortatus eſſem: vtrumque, vt à te audiebam, es expertus: ſed à libris te [6] obſcuritas reiecit: rhetor autem ille, magnus vt opinor, Ariſtotelica ſe ignorare reſpondit. Quod quidem minimè ſum admiratus, eum philoſophum rhetori non eſſe cognitum, [7] qui ab ipſis philoſophis præter admodum paucos ignoretur. Quibus eò minus ignoſcendum eſt, quòd non modo rebus ijs quæ ab illo di-

ctæ

ſtæ & inuentæ ſunt, allici debuerunt: ſed [8] *dicendi quoq; incredibili quadam cùm copia, tum etiam ſuauitate.* [9] *Non potui igitur tibi ſæpius hoc roganti, & tamen verenti ne mihi grauis eſſes (facilè enim id cernebam) debere diutius, ne* [10] *ipſi iuris interpreti fieri videretur iniuria. Etenim cùm tu mihi meiſq; multa ſæpe* [11] *cauiſſes, veritus ſum, ne ſi ego grauarer, aut ingratum id, aut ſuperbum videretur.* [12] *Sed dum fuimus vnà, tu optimus es teſtis quàm fuerim occupatus. Vt autem à te diſceſſi in Græciam proficiſcens, cùm opera mea* [13] *nec Reſpublica, nec amici vterentur, nec honeſtè inter* [14] *arma verſari poſſem, ne ſi tutò id quidem mihi liceret: vt veni* [15] *Veliam, tuaq; & tuos vidi, admonitus huius* [16] *æris alieni, nolui deeſſe ne tacitæ quidem flagitationi tuæ. Itaque hæc, cùm mecum libros non haberem,* [17] *memoria repetita, in ipſa nauigatione conſcripſi,* [18] *tibiq; ex itinere miſi, vt mea diligentia mandatorum tuorum, te quoq;, etſi admonitore non eges, ad memoriam noſtrarum rerum excitarem. Sed iam tempus eſt ad id quod inſtituimus, accedere.*

1 Cicero ſolet in principiis librorum ſuorum aliquid de ratione ſcriptionis & nuncupationis præfari: ne temerè vel opus inſtituiſſe, vel perſonam minus idoneam, in cuius nomine appareat, elegiſſe videatur. Proponit autem initio quæſtionem vniuerſi operis à Trebatio profectam, quídnam ſit topica Ariſtotelis doctrina: quæ interrogatio Trebatij, cauſſa eſt, qua Cicero ad ſcribendum hoc topicum opus impulſus fuit. 2 Allegoria à viatoribus ſumpta, qui vt è via, quam ingreſſi ſunt, reuocantur, ſic cùm Cicero magnum ſpacium in philoſophia decurriſſet, multis iam libris ea de re editis, ex hoc philoſophico curſu ad dialecticas artes ethicis & phyſicis artibus minores, hortatu Trebatij reuocatus fuit.

3 Diogenes Laërtius in indice librorum Ariſtotelis recenſet terminos topicorum ſeptem, & de his, quæ ante locos ſunt, librum vnum, & topicorum ad definitiones libros duos: qui numerus cum octo libris topicis, qui Ariſtoteli paſſim tribuuntur, non conſentit: atque horum octo topicorum tantùm abeſt, vt Cicero ſententiam aſſecutus ſit, vt ne vlla quidem in parte ſecutus eſſe videatur: quemadmodum in ſingulis præceptis explicabimus. Itaque vel octo libri topici, quos in manibus habemus, Ciceroni ad imitandum propoſiti non fuerunt ; vel Cicero in hac Præfatione falsò pollicetur id, quod in hoc libro non præſtabit. Hoc enim affirmare auſim, ſi topicos Ariſtotelis octo libros cum Ciceronianis topicis comparemus, duabus aut tribus definitionibus exceptis, nihil præterea omnino Ari-

ſtotelicum eſſe: & doctrinam topicam Ciceronis ab Ariſtotelis topica diſciplina longè diuerſam & differentem tradi. 4 Topica diſciplina definitur ars argumentorum: & eius vtilitas oſtenditur à fine, vt deſcriptis & notatis argumentorum generibus probationes rerum ſine errore facilius & certius inueniantur: quam tamen certam & generalem doctrinam octo libri topici, qui ad Ariſtotelem referuntur, magno errore confundunt: quia non ad omnes cõmuniter quæſtiones, ſed ad quatuor genera ſcholaſticorum problematum de accidente, genere, proprio, definitione duntaxat accommodantur. 5 Hic per mimeſim quandam decorum petitionis in Trebatio, & conceſſionis in Cicerone exprimitur, ne aut impudenter aliquid poſtulatum, aut audacter conceſſum videatur. Cicero duas primùm cauſſas non concedendi fingit: lege, inquit, per teipſum topicam Ariſtotelis artem: vel cognoſce ex aliquo rhetore: quibus duæ contrariæ cauſſæ opponuntur à Trebatio: Non potui (inquit) per meipſum intelligere: nec potuit mihi rhetor explicare. 6 Duæ ſunt in Ariſtotelicis libris principes obſcuritatis cauſſæ, ſi antiquis credamus, affectatio & mutilatio: citatur enim à Gellio Ariſtotelis ad Alexandrum epiſtola, vbi gloriatur Commentarios ſuos intelligi non poſſe, niſi ab his, qui eum domi audierint: & Themiſtius ait furoris eſſe ſimile, ſi quis ſperet ſe ex Ariſtotelis libris Ariſtotelis ſententiam conſequi: & Ammonius interpres in logicis ait, Ariſtotelem de induſtria obſcuritati ſtuduiſſe, vt profanos & inertes à lectione librorum ſuorum auerteret: à quibus tamen tribus authoribus longè diſſentio: neque Ariſtotelem arbitror tam iniquum ſibi fuiſſe, tamque nihil de vera laude cogitaſſe, vt de induſtria quæ ſentiebat ſcribendo celare voluerit: ſed eum nõ potuiſſe facilius & planius ſcribere quàm ſcripſit, exiſtimo. De mutilatione verò meminit Strabo libro 13. refertque Apellíconem Teium cùm Ariſtotelis libros tineis & ſitu corruptos emiſſet, ipſasq; corroſiones emendare vellet, multis verbis mutilatos, & variis mendis refertos edidiſſe: his itaque duabus de cauſſis Ariſtoteles σκότινος, id eſt, obſcurus putatur. 7 Notabis ex hoc loco, quòd etiam hiſtoriæ illorum temporum declarant, Ariſtotelem tum magis nominatum, quàm lectum aut cognitum fuiſſe: in omnibus enim ferè ſcholis Academici vel Stoici vigebant: & ſi qui erant Peripatetici, ſua, non Ariſtotelis decreta docebant, præſertim cùm vel Ariſtotelis libros non haberent, vel ſuis commentationibus plus tribuerent. 8 Cicero in Lucullo ait Ariſtotelem flumen aureum orationis fundere: & in Oratoriis libris, multisq; aliis paſſim tribuit ei copiam dicendi, non tam quòd ita de Ariſtotele iudicaret, quàm vt eum effusè & hyperbolicè laudaret. Fuit enim Cicero laudum vel alienarum prodigus, vt ait Plutarchus. In Ariſtotele porrò videmus magnã rerum copiam, ſed inanem plerunq; & ſuperuacuam in cumulandis & diſceptandis vanis quæſtionibus, quæ loquacitati potius quàm eloquentiæ tribuenda eſt: verborum autem ſiccitatem & ariditatem ſummam videmus: & ſi quid ſuauitatis eſt in his libris, qui extant, in ipſa rerum ſcientia eſt, non in vlla dicendi virtute. 9 Cicero concludit rationẽ conceſſionis, & confirmat ex factis Trebatij: Tu mihi, meiſque ſæpe cauiſti: non potui igitur tibi quod petis, diutius negare. 10 Paronomaſia ſumpta ex contrariis. 11 Iureconſultus cauere dicitur, qui conſultoribus formulam paciſcendi, aut contrahendi, aut litigandi præſcribit, ne ſuam cauſſam vel conditionem deteriorem faciant. Sic lib. 7. ad Trebatium, Tu qui cæteris cauere didiciſti, ne in Britania ab eſſedariis decipiaris, caueto. 12 Excuſatur dilatio tardioris huius operis ab vrbanis occupationibus: & ſubiicitur occaſio oblata Ciceroni ad ſcribẽdum ex circunſtantiis loci & perſonarum. 13 Interfecto Iulio Cæſare, quum Marcus Antonius Conſul Senatus authoritatem negligeret, Cicero qui ius habebat liberæ legationis, in Græciam ire conſtituit, ea mente, vt Calendis Ianuarij cùm Hircius & Panſa conſulatum inituri eſſent, Romæ adeſſet. Vide primam Philippicam, & librum 16. epiſtolarum ad Atticum. 14 Antonius ſimulato metu aduerſariorum impetrauit à Senatu cuſtodiam

corporis: qua deinde Senatum ipſum oppreſſit imitatus Piſiſtratum & Dionyſium,& alios tyrannos. 15 Velia oppidum Lucaniæ,vt ait Ptolemæus:hanc vocat Plinius Heliam: Strabo Hyelam: nomen inuenit ἀπὸ τῆς ἕλους,id eſt,à palude,qua cingitur: vbi aſpiratio in Latina voce vertitur in u vocalem. 16 Aes alienum,vt ait Vlpianus,eſt quod nos aliis debemus: æs ſuum eſt,quod nobis alij debent. Hac itaque metaphora Cicero ſignificat hoc opus & munus Trebario debitum. 17 Cicero indicat hanc commentationem extemporalem & Ariſtotelicam eſſe. Nos verò in ſingulis locis demonſtrabimus multa Ariſtotelis topicæ diſciplinæ parum congruentia tum Ciceroni in mentem veniſſe: ſic enim facilius intelligetur quid in hoc opere Ariſtotelicum ſit, & quid non ſit. 18 Cicero libro 7.Epiſtolarum,Eum librum, ait, tibi miſi Rhegij ſcriptum, quàm pleniſſimè res illa ſcribi potuit.

C[1]*VM omnis ratio diligens diſſerendi duas habeat partes,*[2] *vnam inueniendi, alteram iudicandi: vtriuſque princeps, vt mihi quidem videtur, Ariſtoteles fuit: Stoici autem in altera elaborauerunt, iudicandi enim vias diligenter perſecuti ſunt, eam ſcientiam quam Dialecticen appellant. Inueniendi verò artem, quæ Topice dicitur, quæq;*[3] *ad vſum potior erat, & ordine naturæ certè prior, totam reliquerunt. Nos autem, quoniam in vtraq; ſumma vtilitas eſt, & vtramq; ſi erit otium, perſequi cogitamus, ab ea quæ prior eſt, ordiemur.*[4] *Vt igitur earum rerum, quæ abſconditæ ſunt, demonſtrato & notato loco facilis inuentio eſt, ſic cùm peruestigare argumentum aliquod volumus, locos noſſe debemus. Sic enim appellatæ ab Ariſtotele ſunt hæ quaſi ſedes, è quibus argumenta promuntur.*[5] *Itaq; licet definire locum eſſe argumenti ſedem:*[6] *argumentum autem rationem, quæ rei dubiæ faciat fidem.*[7] *Sed ex his locis in quibus argumenta incluſa ſunt, alij in eo ipſo, de quo agitur, hærent: alij aſſumuntur extrinſecùs. In ipſo, tum ex toto, tum ex partibus eius, tum ex nota, tum ex ijs rebus quæ quodammodo affecta ſunt ad id de quo quæritur. Extrinſecùs autem ea ducuntur, quæ abſunt, longéq; diſiuncta ſunt.*

1 Cicero profitetur ſe ex Ariſtotelis ſententia topicam artem deſcripturum: itemque κριτικὴν, id eſt, iudiciariam, ſi otium fuerit: atque in hac propoſitione prima & generalis definitio dialecticæ & diuiſio comprehenditur: doctrina enim non ſolùm rationem & viam, ſed etiam diligentem & accuratã rationem viamq́; id eſt, methodum tradit. Diuiſionem verò dialecticæ in τοπικὴν & κριτικὴν Fabius lib. 5. indicat vulgò receptam & probatam fuiſſe: quæ tamen imperfecta & manca eſt: quia præter inuentionem & iudicium methodus etiam dialecticæ tribuitur. Itaq; perfectius dialectica diuideretur in inuentionem & diſpoſitionem: vt in diſpoſitione contineatur nõ ſolùm ſyllogiſmus, quo iudicium fit, ſed etiam methodus, qua rerum perpetuus ordo deſcribitur.

Quid Ariſtoteles de definitione & partitione artis dialecticæ?

Libri logicæ Ariſtotelicæ neque definitionem generalem & primam habent, neque partitionẽ in τοπικὴν & κριτικὴν: neque ſeparatim docent præcepta: quę ſunt inuentionis: itemque ſeorſum ea quæ ſunt iudicij: neq; partitionis huius propoſitæ viam omnem ſequuntur, ſed inuentionis & iudicij præcepta variè & confusè veritate & vtilitate neglecta perturbant. Itaque Cicero primam & generalem artis huius informationem ex Ariſtotelicis logicis non habet: videturque Cicero in his topicis non Ariſtotelem, ſed Peripatetici cuiuſdam, vt Staſeæ, vel Piſonis, vel Cratippi commentarium imitatus, apud quem hanc dialecticam doctrinam legiſſet. 2 Ariſtoteles in vtraque parte dialecticæ princeps fuit, quia quamuis confusè & perturbatè, plura tamẽ ſcripſit, quàm cæteri philoſophi: Stoici enim qui plurimùm in dialecticis ſtudij poſuerũt, iudicandi tantùm vias perſecuti ſunt: inuentionis locos & præcepta non attigerunt. Idem ſcribit Cic. lib. 2. de Finib. Cùm duæ ſint artes, quibus perfectè ratio & oratio compleatur, vna inueniendi, altera differendi: hanc poſteriorem & Stoici & Peripatetici, priorem autem illi egregiè tradiderunt, hi ne attigerunt quidem. Nam è quibus locis quaſi theſauris argumenta depromerentur, veſtri ne ſuſpicati quidem ſunt: ſuperiores autem artificio & via tradiderunt. 3 Inuentio, id eſt topica facultas in pueris prius exiſtit, quàm iudicium: & ordine doctrinæ prius explicari debet: quàm iudicium, id eſt ſyllogiſmus. an verò topica doctrina ad vſum ſit potior, quàm iudiciaria ſyllogiſmi regula, quæri & dubitari poteſt, præſertim cùm ſyllogiſmo & æſtimatione rerum maior & diuinior animi virtus oſtendatur, quàm inuentione: multoq́; maius & potius ſit ſapienter iudicare, quàm facilè & ſubtiliter inuenire.

4 Accedit ad explicationem inuẽtionis dialecticæ, cuius præcepta more Græcorum τόπους, id eſt, locos, appellat: idq́ue per metaphoram, quę ſimilitudine planius ab eo declaratur: ſed tamen hæc ſimilitudo obſcurior eſt. nam cùm præceptiones argumentorum, vt definitiones & partitiones loci per metaphoram dicantur, videtur tamẽ hæc ſimilitudo aliud locum, aliud præceptum de argumento ſignificare: & certè topica doctrina nulla facta loci mentione ſimplicius & facilius definiri primùm potuit ars inueniendi argumenti: deinde genera & ſpecies argumentorum via & ordine explicari debuerunt. Ac ne quis exiſtimet hãc nommetainis phoram ad primam partem dialecticæ artis tantùm pertinere, cæterarum etiam artium præcepta loci poſſunt nominari: omnes enim artes inuentiones quædam ſunt, vt ait Plato in Menone, quia docent aliquid inuenire.

5 Locus definitur argumenti ſedes, μεταφορικῶς, id eſt ars, quæ docet, quid ſit argumentum, & quæ ſint argumentorum genera, vt cùm de re aliqua differendum ſit, iis præceptis admonitus ſcias, vnde argumenta petenda ſint. 6 Hoc intereſt inter locum & argumentum, quod inter artem & aliquid arte deſcriptũ: locus enim eſt præceptum de argumento: argumentum verò eſt ipſa probatio, quæ adhibetur ad explicandam quæſtionem: cuius quidem argumenti genera ſumma & prima in dialecticis præceptis, quos vocant τόπους, deſcribuntur, & ex-

plican-

plicantur. *Quid Ariſtoteles de loci & argumenti definitione?*

In logicis libris qui extant, nihil. 7 Prima locorum diuiſio in inſitos & extrinſecùs aſſumptos falſa & inepta eſt: non enim loci, id eſt, præcepta inuentionis hærent in quæſtione, aut extrinſecùs aſſumuntur, ſed argumenta ipſa. Itaque clarior eſſet diuiſio, ſi nomine argumenti hoc pacto fieret. Argumentorum alia in eo de quo agitur, hærent: alia extrinſecùs aſſumuntur: argumentum enim eſt propria materies, quam topica doctrina præceptis ſuis explicare debet.

Quid Ariſtoteles de locorum diuiſione?

In Rhetoricis libris non locos, ſed probationes diuidit in ἐντέχνους & ἀτέχνους, id eſt, artificiales & expertes artis: à quo quidem Cicero in hac partitione generali non diſſentit, ſed in reliquis minoribus ſectionibus cum Ariſtotele non conſentit. In logicis autem Ariſtotelicis nulla talis eſt locorum partitio in internos & externos.

[1] Sed ad id [2] totum, de quo diſſeritur, tum definitio adhibetur, quæ quaſi inuolutum euoluit id de quo quæritur. Eius argumenti talis eſt formula: Ius ciuile eſt æquitas conſtituta ijs, qui eiuſdem ciuitatis ſunt, ad res ſuas obtinendas. Eius autem æquitatis vtilis eſt cognitio: vtilis eſt ergo iuris ciuilis ſcientia. [3] Tum partium enumeratio, quæ tractatur hoc modo, Si neque cenſu, neque vindicta, nec teſtamento liber factus eſt, non eſt liber: neque eſt vlla earum rerum: non eſt igitur liber. [4] Tum notatio, cùm ex vi verbi argumentum aliquod elicitur, hoc modo, Cùm lex Aelia Sentia aſſiduo vindicem aſſiduum eſſe iubeat, locupletem iubet locupleti. Locuples enim aſſiduus, vt ait Aelius, appellatus ab ære dando. [5] Ducuntur etiam argumenta ex ijs rebus quæ quodammodo affectæ ſunt ad id de quo quæritur. Sed hoc genus in plures partes diſtributum eſt. Nam alia coniugata appellamus, alia ex genere, alia ex formula, alia ex ſimilitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex adiunctis, alia ex antecedentibus, alia ex conſequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex cauſſis, alia ex effectis, alia ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum. [6] Coniugata dicuntur, quæ ſunt ex verbis generis eiuſdem. Eiuſdem autem generis verba ſunt, quæ orta ab

A A

vno, variè commutantur, vt ſapiens, ſapienter, ſapientia. hæc verborum συζυγία dicitur, ex qua huiuſcemodi eſt argumentum, Si compaſcuus ager eſt, ius eſt compaſcere. [7] A genere ſic ducitur, Quoniam argentum omne mulieri legatum eſt, non poteſt ea pecunia, quæ numerata domi relicta eſt, non eſſe legata. Forma enim à genere, quoad ſuum nomen retinet, nunquam ſeiungitur. Numerata autem pecunia nomen argenti retinet, legata igitur videtur. [8] A forma generis, quam interdum partem licet nominare, hoc modo, Si ita Fabiæ pecunia legata eſt à viro, ſi ei viro materfamiliâs eſſet: ſi ea in manum viri non conuenerat, nihil debetur. Genus eſt vxor. eius duæ formæ: vna matrumfamiliâs, earum quæ in manum conuenerunt: altera earum, quæ tantummodo vxores habentur. Qua in parte cùm fuerit Fabia, legatum ei non videtur. [9] A ſimilitudine, hoc modo, Si ædes exeſæ corruerunt, vitiúmve fecerunt, quarum vſuſfructus legatus eſt, hæres reſtituere non debet, nec reficere: non magis quàm ſeruum reſtituere, ſi is cuius vſuſfructus legatus eſt, deperiſſet. [10] A differentia, Non ſi vxori vir legauit omne argentum quod ſuum eſſet, idcirco quæ in nominibus fuerunt, legata ſunt. Multum enim differt, in arcáne poſitum ſit argentum, an in tabulis debeatur. [11] Ex contrario autem ſic, Non debet ea mulier, cui vir bonorum ſuorum vſumfructum legauit, cellis vinarijs & olearijs plenis relictis, putare id ad ſe pertinere. Vſus enim non abuſus legatus eſt. Ea ſunt inter ſe contraria. [12] Ab adiunctis, Si ea mulier teſtamẽtum fecit, quæ ſe capite nunquam diminuit, non videtur ex edicto Prætoris ſecundùm eas [13] tabulas poſſeſſio dari. adiungitur enim, vt ſecundùm ſeruorum, ſecundùm exulum, ſecundùm puerulorum tabu

las

tabulis poſſeſsio videatur ex edicto dari. Ab antecedentibus autem & conſequentibus, & repugnantibus hoc modo: [14] Ab antecedẽtibus, Si viri culpa factum eſt [15] diuortium, etſi mulier nuntium remiſit, tamen pro liberis manere nihil oportet. A conſequentibus, Si mulier cùm fuiſſet nupta cum eo quicum connubij ius non eſſet, nuntium remiſit: quoniam qui nati ſunt, patrem non ſequuntur, pro liberis manere nihil oportet. [16] A repugnantibus, Si paterfamiliàs vxori ancillarum vſumfructum legauit à filio, neque à ſecundo hærede legauit, mortuo filio mulier vſumfructum non amittet. Quod enim ſemel teſtamento alicui datum eſt, id ab eo inuito cui datum eſt, auferri non poteſt. Repugnat enim, rectè accipere, & inuitum reddere. Ab efficientibus cauſis hoc modo, Omnibus eſt ius parietem [17] directum ad parietem communem adiungere, vel ſolidum, vel fornicatum. [18] At ſi quis in pariete communi demoliendo [19] damni infecti promiſerit, non debebit præſtare quod fornix vitij fecerit. Non enim eius vitio qui demolitus eſt, damnum factum eſt, ſed eius operis vitio, quod ita ædificatum eſt, vt ſuſpendi non poſsit. [20] Ab effectis rebus, hoc modo, Quum mulier viro in manum conuenit, omnia quæ mulieris fuerunt, viri fiunt dotis nomine. [21] Ex comparatione autem omnia valent, quæ ſunt eiuſmodi, Quod in re maiore valet, valeat in minore: [22] vt ſi in vrbe fines non reguntur, neq; aqua in vrbe arceatur. Item contrà, Quod in minore valet, valeat in maiore. licet idem exemplum conuertere. Item, Quod in re pari valet, valeat in hac, quæ par eſt: vt [23] quoniam vſus authoritas fundi biennium eſt, ſit etiam ædiũ. At in lege ædes nõ appellãtur, & ſunt cæterarũ omniũ, quarũ annuus eſt vſus: valeat æquitas, quæ parib. in

cauſsis paria iura deſiderat. [24] *Quæ autem extrinſecùs aſſumuntur, ea maximè ex authoritate ducuntur. Itaque Græci tales argumentationes* ἀτέχνους *vocant, id eſt, artis expertes: vt ſi ita reſpondeas,* [25] *Quoniam Publius Scæuola id ſolum eſſe ambitus ædium dixerit, quod parietis communis tegendi cauſſa tectum proijceretur, ex quo in tectum eius ædeis qui protexiſſet, aqua deflueret, id tibi ius videri.*

1 Locorum, quæ ſequitur, enumeratio dupliciter vitioſa eſt: primùm quia redundans: hac enim detracta nihilominus perfecta eſſet reliqua topica doctrina: deinde quia argumenta legitimo ordine non diſponuntur: in omni ſiquidem doctrina ratio ipſa & veritas præcipit, vt à prioribus natura & antiquioribus ordiamur: at cauſſarum, & effectorum, & reliquorum ſimplicium argumentorum natura prior eſt, & antiquior definitione: definitio enim ex his efficitur: & definiendi ratio niſi hæc prius intellecta ſint, intelligi non poteſt. Itaque argumenta hoc ordine proponenda & declaranda erant, vt ſimplicia præcederent, & ex antecedentibus conſequentia intelligerentur, vt ſunt cauſſæ, facta, ſubiecta, adiuncta, diſſentanea, comparata, notatio, coniugatio, diuiſio, definitio, teſtimonium. 2 Argumentum quod totam rei, de qua agitur, vim explicat, triplex eſt, definitio, partium enumeratio, & notatio. Exemplum definitionis pertinet ad laudem iuris ciuilis: ſyllogiſmus eſt ſimplex primi generis:

Cognitio æquitatis conſtitutæ his, qui ſunt eiuſdem ciuitatis, ad res ſuas obtinendas eſt vtilis:

Scientia iuris ciuilis eſt cognitio æquitatis cõſtitutæ his, qui ſunt eiuſdem ciuitatis, ad res ſuas obtinendas:

Scientia igitur iuris ciuilis eſt vtilis.

Quod autem attinet ad exempla earum legum, quæ citabuntur à Cicerone, in vniuerſum hoc meminerimus, quamuis in Pandectis Iuſtiniani aliquid earum ſimile reperiatur, eaſdem tamen omnino leges non inueniri: præſertim cùm minimè citentur in Pandectis Iuſtiniani veteres illi Iuriſconſulti, qui ante Ciceronem, vel tempore Ciceronis fuerint: ſed hi qui poſt Ciceronem ſub Imperatoribus vixerint. 3 Hoc argumentum eſt ex loco diuiſionis, vbi ex partibus negatis totum negatè concluditur: ſyllogiſmus eſt connexus primi modi. Seruus autem tribus modis olim domini voluntate aſſequebatur libertatem, aliàs cenſu, cùm nomen eius inſcribebatur in tabulis cenſoriis: tunc enim & ciuis Romanus fiebat, & liber: aliàs vindicta, cùm apud Prætorem capite raſo percuſſus manumittebatur: aliàs teſtamento patrisfamiliàs iubentis ſeruum ſuum fieri liberum. De manumiſſionibus multa ſcribuntur libro 40. Digeſtorum. 4 Probat ex etymologia nominis (Aſſiduus) lege Aelia Sentia dandum eſſe vindicem locupletem locupleti, id eſt, ſponſorem & fideiuſſorem, & aſſertorem, vt quidam interpretantur, quaſi hac lege ſancitum eſſet, vt locuples locupleti clienti in iudicio adeſſet, & locupletis cauſſam vindicandam ſuſciperet: Gellius tamen cap. 10. lib. 16. hãc legem non Aeliam Sentiam nominat, ſed ait fuiſſe legem duodecim tabularum his verbis ſcriptam:

Aſsiduus vindex aſsiduus eſto:

Proletario ciui quiuis volet vindex eſto.

Atque aſſiduus, ait, in duodecim tabulis & pro locuplete, & facilè munus faciente di-

te dictus eſt ab aſſibus, id eſt,ære dando,cùm id tempora Reipublicæ poſtularēt: aut à muneris pro familiari copia faciendi aſſiduitate. 5 Argumenta ad quæſtionem affecta, id eſt, non planè totam naturam rei de qua agitur, explicantia diuiduntur in tredecim ſpecies: quæ vt propoſitæ ſunt,exemplis illuſtrantur: ſed hic modus loquendi, Argumenta ducuntur ex rebus affectis,ex forma,ex genere,ex contrariis,licèt obſcurus ſit,Latinus tamen eſt & vſitatus: hoc enim genere loquendi ſignificatur, Argumentum affectum eſſe ad aliquam partem quæſtionis, eſſe geuus, eſſe formam, eſſe contrarium : quomodo dicimus hominem eſſe ex genere animalium,& Ciceronem eſſe è Romanis, id eſt,hominem eſſe animal, & Ciceronem eſſe Romanum. 6 Coniugata in dialecticis dicitur per metaphoram ſumptam à bobus ſub eodem iugo ſemel deuinctis: eaque ſub eodem themate poſita,vt ſub verbo ſapere,ſapiens,ſapienter,ſapientia. Quanquam ipſum etiam thema coniugatum dicitur eſſe iis, quæ ab eo deducuntur: vt compaſcere & compaſcuus. 7 Enthymema primum fit ex propoſitione & complexione:

Omne argentum legatum eſt mulieri:
Ergo pecunia numerata eſt eidem legata.

Quod enthymema illuſtratur theoremate dialectico : Species à genere nunquā ſeiungitur: quod huic quæſtioni parum congruit : ſpecies enim perpetuò genus affirmatè concludit:nō item genus ſpeciem,niſi ſumatur vniuersè:deinde aſſumptio additur cum iterata complexione:

Pecunia numerata eſt argentum:
Hæc igitur mulieri legata eſt.

Citatur tamen in Pandectis lib.34.tit.2. Vlpianus aliter ſentiens: Cùm aurum, inquit,& argentum legatum eſt,quicquid auri argentiq; relictum eſt, legato continetur,ſiue factum,ſiue infectum ſit. Pecuniam autem ſignatam placet eo legato non contineri. Item paulò pòſt, An cui omne argentum legatum eſt,ei nummi quoque legati eſſe videantur,quæritur: & ego puto non contineri: non facilè enim quiſquam argenti numero nummos computat. 8 Quæſtio eſt, an ratione eius teſtamenti [*Fabiæ legata pecunia eſt à viro,ſi ea materfamiliàs eſſet*] Pecunia Fabiæ legata ſit : quæ refutatur duobus modis, primùm definitione matrisfamiliàs:

Fabia non conuenit in manum mariti:
Propterea materfamiliàs non eſt.

Deinde à contrario,

Fabia tantùm eſt vxor.
Non igitur materfamiliàs:
Nec ideò ei pecunia legata eſt.

In hoc autem exemplo Cicero deceptus eſt: non enim à ſpecie ducitur argumentum,quamuis generis ſpecies numerentur:argumentum enim à ſpecie dicimus, cùm ex ſpecie genus concluditur & probatur:quod hic non fit. 9 Hic ex ſimili ſimile demonſtratur: Non reſtituitur ſeruus vſuſructu legatus,ſi periit: neque igitur ædes vſufructu legatæ,ſi corruerint,reſtitui debent à fructuario:de quibus ita ſcriptum eſt in Pandectis lib.7. Quoniam omnis fructus rei ad fructuarium pertinet, reficere quoque eum ædes per arbitrium cogi Celſus lib.18.D.geſt.ſcribit,hactenus tamen,vt ſarta tecta habeat: ſi qua tamen vetuſtate corruiſſent,neutiquam cogi reficere. 10 In hoc exemplo diſſimilia ſunt,argentum ſuum,& argentum quod eſt in credito: & ſic loquitur Vlpianus in Pandect.lib.34.Argento omni legato quod ſuum eſſet, ſine dubio non debetur id, quod in credito eſt: hoc ideò quia non videtur ſuum eſſe, quod vindicari non poſſit. 11 Argumentum ex contrariis hoc modo tractatur: Vſus omnium bonorum legatus eſt vxori: non igitur abuſus, qualis eſt vini & olei, quæ vtendo conſumuntur : eſt enim propriè vſusfructus,ius rebus vtendi fruendi ſalua rerum ſubſtantia. Vlpianus ta

men & Caius aiunt legari poſſe vſumfructum earum rerum, quæ vtendo conſumuntur: ſed ea conditione, vt à fructuario quæratur cautio, vt ſi moriatur, aut capite minuatur, eiuſdem qualitatis res reſtituatur: aut rebus æſtimatis certæ pecuniæ nomine caueatur: Lege lib. 7. Pandectarum. 12 Cicero diſputat, mulieri, quæ eſt in tutorum poteſtate, non eſſe ius teſtandi: argumentum autem non eſt ab adiunctis, vt ipſe putat, ſed ab inductione trium parium, ad quartum par demonſtrandum. Non poteſt ſeruus teſtari, neque exul, neque puer: neque igitur mulier capite non diminuta: id eſt, quæ non mutauit ſtatum & familiam, ſed adhuc manet in tutela & poteſtate parētum, vel cognatorum: quam antiquæ leges teſtari vetabant, propter infirmitatem conſilij, vt Cicero teſtis eſt in oratione pro Murena. 13 Tabulæ teſtamentum ſignificant: vnde bonorum poſſeſſiones ſecundùm tabulas, & contra tabulas dicuntur. 14 Antecedentia, conſequentia, & repugnantia ſicut à Cicerone vſurpantur, non ſunt nomina argumentorum, ſed ſyllogiſmorum, vt poſtea planius intelligetur. Itaque in hac topica doctrina tradi non debebant, ſed in ſecunda parte dialecticæ, quæ eſt de regulis ſyllogiſmorum. 15 Diuortium vel à diuerſitate mentium dictum eſt, vt ait Caius: vel quia in diuerſas partes eunt, qui diſtrahunt matrimonium. In repudiis autem & renuntiationibus comprobata ſunt hæc verba: Res tuas tibi habeto. Item hæc, Res tuas tibi agito. Vide lib. 24. Digeſt. 16 Hæc repugnantia ſic ſe habent, Mulier legitimo teſtamento accepit vſumfructum ancillarum: ſecundus igitur hæres huic inuitæ non poteſt auferre. Eſt autem vſusfructus ancillarum, quantum ex opera & miniſterio earum conquiri poteſt: nam partus ancillæ non eſt in fructu, propter dignitatem hominis, cuius gratia cætera ſunt in fructu. 17 Vide num hìc verba quædam tranſpoſita ſint, & ita legendum ſit: Omnibus eſt ius parietem ſolidum ad parietem communem adiungere, vel directum, vel fornicatum: vt paries directus & paries fornicatus contrario nomine inter ſe opponantur. 18 Si in demoliendo communi pariete fornicatus vicini tui paries ei adiunctus corruerit, non debes damnum præſtare, etiam ſi ante demolitionem prætoria ſtipulatione promiſeris damni infecti: idque probatur ex remotione cauſſæ: Tu non es cauſſa, cur fornicatus paries vitium fecerit: non igitur damnum præſtare debes. 19 Damnum infectum, eſt damnū non factum, quod futurum veremur, vt ait Caius libro 39. Pandectar. 20 Hoc exemplum probat bona matrisfamiliâs ad virum dotis nomine pertinere: argumentum eſt a facto matrisfamiliâs, quod eſt conueniſſe in manum viri. Huc facit Vlpianus libro 23. D. geſt. Dotis fructus ad maritum pertinere debere æquitas ſuggerit: cùm enim onera matrimonij ſubeat, æquum eſt etiam eum fructus percipere. Et alibi, Dotis cauſſa data accipere debemus ea, quæ in dotem dantur. Cæterùm ſi res dentur in ea, quæ Græci παράφερνα dicunt, quæq; Galli Peculium appellant, videamus an ſtatim efficiantur mariti. Et putem ſi ſic dentur, vt fiant, effici mariti: cùm diſtractum fuerit matrimonium, non vindicari oportere, ſed condici, nec dotis actione peti, vt diuus Marcus Imperator noſter cū patre reſcripſit. 21 In hoc comparationis loco Cicero adhibet communes regulas ex ipſorum locorum definitionibus ſumptas, quales vulgò appellantur in ſcholis maximæ propoſitiones. 22 Actio de finibus regundis non pertinet ad res vrbanas: nec igitur actio arcēdæ aquæ ad eaſdem pertinet. Agitur de finibus regendis, cùm oritur controuerſia de terminandis agris ruſticis, qui ſunt inter ſe confines: agitur de aqua arcenda, cū prohibere volumus ne aqua, quæ de alieno venit agro, nocens excipiatur finibus noſtris, neq; patimur eam per noſtra ſpatia meare. Cæterùm ſi ædificio vel oppido aqua noceat, ceſſat hæc actio: ſed tum licebit agere generali actione de fluminibus, de ſtillicidiis arcendis: lege lib. 39. Pandect. Et quoniam maius eſt iudicium de finibus regendis, q̄ de aqua arcenda ex maiori negato minus negatè concluditur. Vtraque tamen hæc actio interdum valet in rebus vrbanis: itaque licebit hoc exemplum ita conuertere, vt ex affirmatione minoris affir

matio maioris concludatur hoc modo: Aqua in vrbe arcetur, fines igitur etiam in vrbe regantur. 23 Probat ædes vſucapi biennio, quia fundus biennio vſucapitur: fundus igitur cum ædibus, vt par cum pari comparatur: quia vtraq; res eſt immobilis. Tale eſt illud pro Cecinna, Lex iubet vſum & authoritatem fundi eſſe biennium: at vtimur eodem iure in ædibus, quæ in legibus nō appellantur. Porrò lege duodecim tabularum res mobilis vno, immobilis duobus annis vſucapiebatur: ſed vſucapionis tempus eſt ab Imperatoribus ampliatum, vt videbis lib. 7. Codicis. 24 Cicero diſtinctius & apertius hic loquitur, quàm in prima partitione, vbi locos extrinſecùs aſſumptos dicebat: melius enim argumenta dicuntur extrinſecùs aſſumpta. Cæterùm argumentationes hìc vocat argumenta & probationes: cùm tamen argumentatio potius ſit argumenti diſpoſitio, q̃ argumentum: Ariſtoteles 1. lib. Rhetorico ad Theodecten probationes expertes artis definit, quæ non inueniuntur à nobis, ſed cùm extra ſint, aſſumūtur, vt teſtes, cruciatus, ſcripta: quæ definitio falſa eſt: quia ſi orator, id eſt, cauſſidicus hāc primam partem dialecticæ teneat, præceptis huius artis tam adiuuabitur ad inuenienda teſtimonia, q̃ reliqua argumentorum genera: & litigator nō minus ſæpe cauſſas & effecta defert ad oratorem, q̃ teſtimonia. 25 Quæſtio eſt, An liceat tibi communem parietem tecto latius proiecto tegere: quæ definitione ambitus ædium per authoritatem Scæuolæ confirmata probatur. Scæuola enim definiebat ambitum ædium, quantum communis parietis tegendi gratia tectum proiiceretur: ſed ea tamen cautione, vt ſtillicidium non in vicini, ſed in tuum tectum dependeat, & aqua non in vicini, ſed in tuam partem recipiatur.

[1] *His igitur locis qui ſunt expoſiti, ad omne argumentum reperiendum tanquam elementis quibuſdam ſignificatio & demonſtratio datur.* [2] *Utrum igitur hactenus ſatis eſt? Tibi quidem tam acuto & tam occupato puto. Sed quoniam auidum hominem ad has diſcēdi epulas recepi, ſic accipiam, vt reliquiarum ſit potius aliquid, quàm te hinc patiar non ſatiatum diſcedere. Quando ergo vnuſquiſque eorum locorum quos expoſui, ſua quædam membra habet, ea quàm ſubtiliſſimè perſequamur:* [3] *& primùm de ipſa definitione dicatur.* [4] *Definitio eſt oratio, quæ id quod definitur, explicat quid ſit.* [5] *Definitionum autem duo ſunt genera prima. Unum earum rerum quæ ſunt: alterum earum, quæ intelliguntur. Eſſe ea dico, quæ cerni tangíve poſſunt: vt fundum, ædes, parietem, ſtillicidium, mancipium, pecudem, ſuppellectilem, penus, cætera. quo ex genere quædam interdum nobis definienda ſunt. Non eſſe rurſus ea dico, quæ tangi demonſtraríve non poſſunt: cerni tamē ani-*

M. Tullij Ciceronis

AD C. TREBATIVM Iuriſconſultum Topica.

M[1]Aiores non res ſcribere[2] ingreſſos, C. Trebati, & ijs libris, quos breui tempore ſatis multos edidimus, digniores, è curſu ipſo reuocauit voluntas tua. Quum enim mecum in Tuſculano eſſes, & in bibliotheca ſeparatim vterque noſtrum ad ſuum ſtudium libellos quos vellet, euolueret, incidiſti in Ariſtotelis topica quædam, quæ ſunt ab illo [3] pluribus libris explicata. Qua inſcriptione commotus, continuò à me eorum librorum ſententiam requiſiſti. Quam tibi cùm expoſuiſſem, [4] diſciplinam inueniendorum argumentorum, vt ſine vllo errore ad eam rationem via perueniremus ab Ariſtotele inuenta, libris illis contineri: [5] verecundè tu quidem, vt omnia, ſed tamen vt facile cernerem te ardere ſtudio, mecum vt tibi illa traderem, egiſti. Cùm autem ego te, non tam vitandi laboris mei cauſſa, quàm quòd intereſſe tua arbitrarer, vel vt eos per te ipſe legeres, vel vt totam rationem à doctiſſimo quodam rhetore acciperes, hortatus eſſem: vtrumque, vt à te audiebam, es expertus: ſed à libris te [6] obſcuritas reiecit: rhetor autem ille, magnus vt opinor, Ariſtotelica ſe ignorare reſpondit. Quod quidem minimè ſum admiratus, eum philoſophum rhetori non eſſe cognitum, [7] qui ab ipſis philoſophis præter admodum paucos ignoretur. Quibus eò minus ignoſcendum eſt, quòd non modo rebus ijs quæ ab illo di-

ctæ

cta & inuentæ ſunt, allici debuerunt: ſed [8] dicendi quoq; incredibili quadam cùm copia, tum etiam ſuauitate.[9] Non potui igitur tibi ſæpius hoc roganti, & tamen verenti ne mihi grauis eſſes (facile enim id cernebam) debere diutius, ne [10] ipſi iuris interpreti fieri videretur iniuria. Etenim cùm tu mihi meiſq; multa ſæpe [11] cauiſſes, veritus ſum, ne ſi ego grauarer, aut ingratum id, aut ſuperbum videretur. [12] Sed dum fuimus vnà, tu optimus es teſtis quàm fuerim occupatus. Ut autem à te diſceſſi in Græciam proficiſcens, cùm opera mea [13] nec Reſpublica, nec amici vterentur, nec honeſtè inter [14] arma verſari poſſem, ne ſi tutò id quidem mihi liceret: vt veni [15] Veliam, tuaq; & tuos vidi, admonitus huius [16] æris alieni, nolui deeſſe ne tacitæ quidem flagitationi tuæ. Itaque hæc, cùm mecum libros non haberem, [17] memoria repetita, in ipſa nauigatione conſcripſi, [18] tibiq; ex itinere miſi, vt mea diligentia mandatorum tuorum, te quoq;, etſi admonitore non eges, ad memoriam noſtrarum rerum excitarem. Sed iam tempus eſt ad id quod inſtituimus, accedere.

1 Cicero ſolet in principiis librorum ſuorum aliquid de ratione ſcriptionis & nuncupationis præfari: ne temerè vel opus inſtituiſſe, vel perſonam minus idoneam, in cuius nomine appareat, elegiſſe videatur. Proponit autem initio quæſtionem vniuerſi operis à Trebatio profectam, quidnam ſit topica Ariſtotelis doctrina: quæ interrogatio Trebatij, cauſſa eſt, qua Cicero ad ſcribendum hoc topicum opus impulſus fuit. 2 Allegoria à viatoribus ſumpta, qui vt è via, quam ingreſſi ſunt, reuocantur, ſic cùm Cicero magnum ſpacium in philoſophia decurriſſet, multis iam libris ea de re editis, ex hoc philoſophico curſu ad dialecticas artes ethicis & phyſicis artibus minores, hortatu Trebatij reuocatus fuit.

3 Diogenes Laërtius in indice librorum Ariſtotelis recenſet terminos topicorum ſeptem, & de his, quæ ante locos ſunt, librum vnum, & topicorum ad definitiones libros duos: qui numerus cum octo libris topicis, qui Ariſtoteli paſſim tribuuntur, non conſentit: atque horum octo topicorum tantùm abeſt, vt Cicero ſententiam aſſecutus ſit, vt ne vlla quidem in parte ſecutus eſſe videatur: quemadmodum in ſingulis præceptis explicabimus. Itaque vel octo libri topici, quos in manibus habemus, Ciceroni ad imitandum propoſiti non fuerunt: vel Cicero in hac Præfatione falsò pollicetur id, quod in hoc libro non præſtabit. Hoc enim affirmare auſim, ſi topicos Ariſtotelis octo libros cum Ciceronianis topicis comparemus, duabus aut tribus definitionibus exceptis, nihil præterea omnino Ari-

ſtotelicum eſſe: & doctrinam topicam Ciceronis ab Ariſtotelis topica diſciplina
longè diuerſam & differentem tradi. 4 Topica diſciplina definitur ars argu-
mentorum: & eius vtilitas oſtenditur à fine, vt deſcriptis & notatis argumento-
rum generibus probationes rerum ſine errore facilius & certius inueniantur:
quam tamen certam & generalem doctrinam octo libri topici, qui ad Ariſtote-
lem referuntur, magno errore confundunt: quia non ad omnes cõmuniter quæ-
ſtiones, ſed ad quatuor genera ſcholaſticorum problematum de accidente, gene-
re, proprio, definitione duntaxat accommodantur. 5 Hìc per mimeſim quan-
dam decorum petitionis in Trebatio, & conceſſionis in Cicerone exprimitur, ne
aut impudenter aliquid poſtulatum, aut audacter conceſſum videatur. Cicero
duas primùm cauſſas non concedendi fingit: lege, inquit, per teipſum topicam
Ariſtotelis artem: vel cognoſce ex aliquo rhetore: quibus duæ contrariæ cauſſæ
opponuntur à Trebatio: Non potui (inquit) per meipſum intelligere: nec po-
tuit mihi rhetor explicare. 6 Duæ ſunt in Ariſtotelicis libris principes obſcu-
ritatis cauſſæ, ſi antiquis credamus, affectatio & mutilatio: citatur enim à Gellio
Ariſtotelis ad Alexandrum epiſtola, vbi gloriatur Commentarios ſuos intelligi
non poſſe, niſi ab his, qui eum domi audierint: & Themiſtius ait furoris eſſe ſi-
mile, ſi quis ſperet ſe ex Ariſtotelis libris Ariſtotelis ſententiam conſequi: & Am
monius interpres in logicis ait, Ariſtotelem de induſtria obſcuritati ſtuduiſſe, vt
profanos & inertes à lectione librorum ſuorum auerteret: à quibus tamen tri-
bus authoribus longè diſſentio: neque Ariſtotelem arbitror tam iniquum ſibi
fuiſſe, tamque nihil de vera laude cogitaſſe, vt de induſtria quæ ſentiebat ſcriben
do celare voluerit: ſed eum nõ potuiſſe facilius & planius ſcribere quàm ſcripſit,
exiſtimo. De mutilatione verò meminit Strabo libro 13. refertque Apelliconem
Teium cùm Ariſtotelis libros tineis & ſitu corruptos emiſſet, ipſasq; corroſiones
emendare vellet, multis verbis mutilatos, & variis mendis refertos edidiſſe: his
itaque duabus de cauſſis Ariſtoteles σκοτεινὸς, id eſt, obſcurus putatur. 7 No
tabis ex hoc loco, quòd etiam hiſtoriæ illorum temporum declarant, Ariſtote-
lem tum magis nominatum, quàm lectum aut cognitum fuiſſe: in omnibus e-
nim ferè ſcholis Academici vel Stoici vigebant: & ſi qui erant Peripatetici, ſua,
non Ariſtotelis decreta docebant, præſertim cùm vel Ariſtotelis libros non habe-
rent, vel ſuis commentationibus plus tribuerent. 8 Cicero in Lucullo ait Ari
ſtotelem flumen aureum orationis fundere: & in Oratoriis libris, multisq; aliis
paſſim tribuit ei copiam dicendi, non tam quòd ita de Ariſtotele iudicaret, quàm
vt eum effusè & hyperbolicè laudaret. Fuit enim Cicero laudum vel alienarum
prodigus, vt ait Plutarchus. In Ariſtotele porrò videmus magnã rerum copiam,
ſed inanem plerunq; & ſuperuacuam in cumulandis & diſceptandis vanis quæ-
ſtionibus, quæ loquacitati potius quàm eloquentiæ tribuenda eſt: verborum au-
tem ſiccitatem & ariditatem ſummam videmus: & ſi quid ſuauitatis eſt in his li-
bris, qui extant, in ipſa rerum ſcientia eſt, non in vlla dicendi virtute. 9 Cice-
ro concludit rationẽ conceſſionis, & confirmat ex factis Trebatij: Tu mihi, meiſ-
que ſæpe cauiſti: non potui igitur tibi quod petis, diutius negare. 10 Paronó-
maſia ſumpta ex contrariis. 11 Iureconſultus cauere dicitur, qui conſultori-
bus formulam paciſcendi, aut contrahendi, aut litigandi præſcribit, ne ſuam cauſ
ſam vel conditionem deteriorem faciant. Sic lib. 7. ad Trebatium, Tu qui cæte-
ris cauere didiciſti, ne in Britania ab eſſedariis deciparis, caueto. 12 Excuſatur
dilatio tardioris huius operis ab vrbanis occupationibus: & ſubiicitur occaſio
oblata Ciceroni ad ſcribẽdum ex circunſtantiis loci & perſonarum. 13 Inter-
fecto Iulio Cæſare, quum Marcus Antonius Conſul Senatus authoritatem ne-
gligeret, Cicero qui ius habebat liberæ legationis, in Græciam ire conſtituit, ea
mente, vt Calendis Ianuarij cùm Hircius & Panſa conſulatum inituri eſſent, Ro
mæ adeſſet. Vide primam Philippicam, & librum 16. epiſtolarum ad Atticum.
14 Antonius ſimulato metu aduerſariorum impetrauit à Senatu cuſtodiam

corporis:

corporis: qua deinde Senatum ipſum oppreſſit imitatus Piſiſtratum & Dionyſium,& alios tyrannos. 15 Velia oppidum Lucaniæ,vt ait Ptolemæus:hanc vocat Plinius Heliam: Strabo Hyelam : nomen inuenit ἀπὸ τοῦ ἕλους, id eſt,à palude,qua cingitur: vbi aſpiratio in Latina voce vertitur in u vocalem. 16 Aes alienum,vt ait Vlpianus,eſt quod nos aliis debemus: æs ſuum eſt,quod nobis alij debent. Hac itaque metaphora Cicero ſignificat hoc opus & munus Trebatio debitum. 17 Cicero indicat hanc commentationem extemporalem & Ariſtotelicam eſſe. Nos verò in ſingulis locis demonſtrabimus multa Ariſtotelis topicæ diſciplinæ parum congruentia tum Ciceroni in mentem veniſſe: ſic enim facilius intelligetur quid in hoc opere Ariſtotelicum ſit, & quid non ſit. 18 Cicero libro 7.Epiſtolarum,Eum librum, ait, tibi miſi Rhegij ſcriptum, quàm pleniſſimè res illa ſcribi potuit.

[1] CUM omnis ratio diligens diſſerendi duas habeat partes, [2] vnam inueniendi, alteram iudicandi: vtriuſque princeps, vt mihi quidem videtur, Ariſtoteles fuit: Stoici autem in altera elaborauerunt, iudicandi enim vias diligenter perſecuti ſunt, eam ſcientiam quam Dialecticen appellant. Inueniendi verò artem, quæ Topice dicitur, quæq; [3] ad vſum potior erat, & ordine naturæ certè prior, totam reliquerunt. Nos autem, quoniam in vtraq; ſumma vtilitas eſt, & vtramq;, ſi erit otium, perſequi cogitamus, ab ea quæ prior eſt, ordiemur. [4] Ut igitur earum rerum, quæ abſconditæ ſunt, demonſtrato & notato loco facilis inuentio eſt, ſic cùm peruestigare argumentum aliquod volumus, locos noſſe debemus. Sic enim appellatæ ab Ariſtotele ſunt hæ quaſi ſedes, è quibus argumenta promuntur. [5] Itaq; licet definire locum eſſe argumenti ſedem: [6] argumentum autem rationem, quæ rei dubiæ faciat fidem. [7] Sed ex his locis in quibus argumenta incluſa ſunt, alij in eo ipſo, de quo agitur, hærent: alij aſſumuntur extrinſecùs. In ipſo, tum ex toto, tum ex partibus eius, tum ex nota, tum ex ijs rebus quæ quodammodo affectæ ſunt ad id de quo quæritur. Extrinſecùs autem ea ducuntur, quæ abſunt, longeq; diſiunctæ ſunt.

1 Cicero profitetur ſe ex Ariſtotelis ſententia topicam artem deſcripturum: itemque κριτικὴν, id eſt, iudiciariam, ſi otium fuerit: atque in hac propoſitione prima & generalis definitio dialecticæ & diuiſio comprehenditur: doctrina enim non ſolùm rationem & viam, ſed etiam diligentem & accuratã rationem viamq́; id eſt, methodum tradit. Diuiſionem verò dialecticæ in τοπικὴν & κριτικὴν Fabius lib. 5. indicat vulgò receptam & probatam fuiſſe: quæ tamen imperfecta & manca eſt: quia præter inuentionem & iudicium methodus etiam dialecticæ tribuitur. Itaq; perfectius dialectica diuideretur in inuentionem & diſpoſitionem: vt in diſpoſitione contineatur nõ ſolùm ſyllogiſmus, quo iudicium fit, ſed etiam methodus, qua rerum perpetuus ordo deſcribitur.

Quid Ariſtoteles de definitione & partitione artis dialecticæ?

Libri logicæ Ariſtotelicæ neque definitionem generalem & primam habent, neque partitionẽ in τοπικὴν & κριτικὴν: neque ſeparatim docent præcepta: quę ſunt inuentionis: itemque ſeorſum ea quæ ſunt iudicij: neq; partitionis huius propoſitæ viam omnem ſequuntur, ſed inuentionis & iudicij præcepta variè & confusè veritate & vtilitate neglecta perturbant. Itaque Cicero primam & generalem artis huius informationem ex Ariſtotelicis logicis non habet: videturque Cicero in his topicis non Ariſtotelem, ſed Peripatetici cuiuſdam, vt Staſeæ, vel Piſonis, vel Cratippi commentarium imitatus, apud quem hanc dialecticam doctrinam legiſſet. 2 Ariſtoteles in vtraque parte dialecticæ princeps fuit, quia quamuis confusè & perturbatè, plura tamẽ ſcripſit, quàm cæteri philoſophi: Stoici enim qui plurimùm in dialecticis ſtudij poſuerũt, iudicandi tantùm vias perſecuti ſunt: inuentionis locos & præcepta non attigerunt. Idem ſcribit Cic. lib. 2. de Finib. Cùm duæ ſint artes, quibus perfectè ratio & oratio compleatur, vna inueniendi, altera diſſerendi: hanc poſteriorem & Stoici & Peripatetici, priorem autem illi egregiè tradiderunt, hi ne attigerunt quidem. Nam è quibus locis quaſi theſauris argumenta depromerentur, veſtri ne ſuſpicati quidem ſunt: ſuperiores autem artificio & via tradiderunt. 3 Inuentio, id eſt topica facultas in pueris prius exiſtit, quàm iudicium: & ordine doctrinæ prius explicari debet: quàm iudicium, id eſt ſyllogiſmus. an verò topica doctrina ad vſum ſit potior, quàm iudiciaria ſyllogiſmi regula, quæri & dubitari poteſt, præſertim cùm ſyllogiſmo & æſtimatione rerum maior & diuinior animi virtus oſtendatur, quàm inuentione: multóq; maius & potius ſit ſapienter iudicare, quàm facilè & ſubtiliter inuenire.

4 Accedit ad explicationem inuẽtionis dialecticæ, cuius præcepta more Græcorum τόπους, id eſt, locos, appellat: idque per metaphoram, quę ſimilitudine planius ab eo declaratur: ſed tamen hæc ſimilitudo obſcurior eſt: nam cùm præceptiones argumentorum, vt definitiones & partitiones loci per metaphoram dicantur, videtur tamẽ hæc ſimilitudo aliud locum, aliud præceptum de argumento ſignificare: & certè topica doctrina nulla facta loci mentione ſimplicius & facilius definiri primùm potuit ars inueniendi argumenti: deinde genera & ſpecies argumentorum via & ordine explicari debuerunt. Ac ne quis exiſtimet hãc nommetainis phoram ad primam partem dialecticæ artis tantum pertinere, cæterarum etiam artium præcepta loci poſſunt nominari: omnes enim artes inuentiones quædam ſunt, vt ait Plato in Menone, quia docent aliquid inuenire.

5 Locus definitur argumenti ſedes, μεταφορικῶς, id eſt ars, quæ docet, quid ſit argumentum, & quæ ſint argumentorum genera, vt cùm de re aliqua diſſerendum ſit, iis præceptis admonitus ſcias, vnde argumenta petenda ſint. 6 Hoc intereſt inter locum & argumentum, quod inter artem & aliquid arte deſcriptũ: locus enim eſt præceptum de argumento: argumentum verò eſt ipſa probatio, quæ adhibetur ad explicandam quæſtionem: cuius quidem argumenti genera ſumma & prima in dialecticis præcéptis, quos vocant τόπους, deſcribuntur, & explican-

plicantur.

Quid Ariſtoteles de loci & argumenti definitione?

In logicis libris qui extant, nihil. 7 Prima locorum diuiſio in inſitos & extrinſecùs aſſumptos falſa & inepta eſt: non enim loci, id eſt, præcepta inuentionis hærent in quæſtione, aut extrinſecùs aſſumuntur, ſed argumenta ipſa. Itaque clarior eſſet diuiſio, ſi nomine argumenti hoc pacto fieret. Argumentorum alia in eo de quo agitur, hærent: alia extrinſecùs aſſumuntur: argumentum enim eſt propria materies, quam topica doctrina præceptis ſuis explicare debet.

Quid Ariſtoteles de locorum diuiſione?

In Rhetoricis libris non locos, ſed probationes diuidit in ἐντέχνους & ἀτέχνους, id eſt, artificiales & expertes artis: à quo quidem Cicero in hac partitione generali non diſſentit, ſed in reliquis minoribus ſectionibus cum Ariſtotele non conſentit. In logicis autem Ariſtotelicis nulla talis eſt locorum partitio in internos & externos.

[1] Sed ad id [2] totum, de quo diſſeritur, tum definitio adhibetur, quæ quaſi inuolutum euoluit id de quo quæritur. Eius argumenti talis eſt formula: Ius ciuile eſt æquitas conſtituta ijs, qui eiuſdem ciuitatis ſunt, ad res ſuas obtinendas. Eius autem æquitatis vtilis eſt cognitio: vtilis eſt ergo iuris ciuilis ſcientia. [3] Tum partium enumeratio, quæ tractatur hoc modo, Si neque cenſu, neque vindicta, nec teſtamento liber factus eſt, non eſt liber: neque eſt vlla earum rerum: non eſt igitur liber. [4] Tum notatio, cùm ex vi verbi argumentum aliquod elicitur, hoc modo, Cum lex Aelia Sentia aſſiduo vindicem aſſiduum eſſe iubeat, locupletem iubet locupleti. Locuples enim aſſiduus, vt ait Aelius, appellatus ab ære dando. [5] Ducuntur etiam argumenta ex ijs rebus quæ quodammodo affecta ſunt ad id de quo quæritur. Sed hoc genus in plures partes diſtributum eſt. Nam alia coniugata appellamus, alia ex genere, alia ex formula, alia ex ſimilitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex adiunctis, alia ex antecedentibus, alia ex conſequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex cauſſis, alia ex effectis, alia ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum. [6] Coniugata dicuntur, quæ ſunt ex verbis generis eiuſdem. Eiuſdem autem generis verba ſunt, quæ orta ab

vno, variè commutantur, vt ſapiens, ſapienter, ſapientia. hæc verborum συζυγία dicitur, ex qua huiuſcemodi eſt argumentum, Si compaſcuus ager eſt, ius eſt compaſcere. [7] A genere ſic ducitur, Quoniam argentum omne mulieri legatum eſt, non poteſt ea pecunia, quæ numerata domi relicta eſt, non eſſe legata. Forma enim à genere, quoad ſuum nomen retinet, nunquam ſeiungitur. Numerata autem pecunia nomen argenti retinet, legata igitur videtur. [8] A forma generis, quam interdum partem licet nominare, hoc modo, Si ita Fabiæ pecunia legata eſt à viro, ſi ei viro materfamiliàs eſſet: ſi ea in manum viri non conuenerat, nihil debetur. Genus eſt vxor. eius duæ formæ: vna matrumfamiliàs, earum quæ in manum conuenerunt: altera earum, quæ tantummodo vxores habentur. Qua in parte cùm fuerit Fabia, legatum ei non videtur. [9] A ſimilitudine, hoc modo, Si ædes exeſæ corruerunt, vitiúmve fecerunt, quarum vſusfructus legatus eſt, hæres reſtituere non debet, nec reficere: non magis quàm ſeruum reſtituere, ſi is cuius vſusfructus legatus eſt, deperiſſet. [10] A differentia, Non ſi vxori vir legauit omne argentum quod ſuum eſſet, idcircò quæ in nominibus fuerunt, legata ſunt. Multum enim differt, in arcáne poſitum ſit argentum, an in tabulis debeatur. [11] Ex contrario autem ſic, Non debet ea mulier, cui vir bonorum ſuorum vſumfructum legauit, cellis vinarijs & olearijs plenis relictis, putare id ad ſe pertinere. Vſus enim non abuſus legatus eſt. Ea ſunt inter ſe contraria. [12] Ab adiunctis, Si ea mulier teſtamẽtum fecit, quæ ſe capite nunquam diminuit, non videtur ex edicto Prætoris ſecundùm eas [13] tabulas poſſeſſio dari. adiungitur enim, vt ſecundùm ſeruorum, ſecundùm exulum, ſecundùm puerulorum tabulas

tabulæ poſſeſſio videatur ex edicto dari. Ab antecedentibus autem & conſequentibus, & repugnantibus hoc modo: [14] Ab antecedentibus, Si viri culpa factum eſt [15] diuortium, etſi mulier nuntium remiſit, tamen pro liberis manere nihil oportet. A conſequentibus, Si mulier cùm fuiſſet nupta cum eo quicum connubij ius non eſſet, nuntium remiſit: quoniam qui nati ſunt, patrem non ſequuntur, pro liberis manere nihil oportet. [16] A repugnantibus, Si paterfamiliàs vxori ancillarum vſumfructum legauit à filio, neque à ſecundo hærede legauit, mortuo filio mulier vſumfructum non amittet. Quod enim ſemel teſtamento alicui datum eſt, id ab eo inuito cui datum eſt, auferri non poteſt. Repugnat enim, rectè accipere, & inuitum reddere. Ab efficientibus cauſis hoc modo, Omnibus eſt ius parietem [17] directum ad parietem communem adiungere, vel ſolidum, vel fornicatum. [18] At ſi quis in pariete communi demoliendo [19] damni infecti promiſerit, non debebit præſtare quod fornix vitij fecerit. Non enim eius vitio qui demolitus eſt, damnum factum eſt, ſed eius operis vitio, quod ita ædificatum eſt, vt ſuſpendi non poſſit. [20] Ab effectis rebus, hoc modo, Quum mulier viro in manum conuenit, omnia quæ mulieris fuerunt, viri fiunt dotis nomine. [21] Ex comparatione autem omnia valent, quæ ſunt eiuſmodi, Quod in re maiore valet, valeat in minore: [22] vt ſi in vrbe fines non reguntur, neq; aqua in vrbe arceatur. Item contrà, Quod in minore valet, valeat in maiore. licet idem exemplum conuertere. Item, Quod in re pari valet, valeat in hac, quæ par eſt: vt [23] quoniam vſus authoritas fundi biennium eſt, ſit etiam ædiũ. At in lege ædes nõ appellãtur, & ſunt cæterarũ omniũ, quarũ annuus eſt vſus: valeat æquitas, quæ parib. in

cauſſis paria iura deſiderat. [24] *Quæ autem extrinſecùs aſſumuntur, ea maximè ex authoritate ducuntur. Itaque Græci tales argumentationes ἀτέχνους vocant, id eſt, artis expertes: vt ſi ita reſpondeas,* [25] *Quoniam Publius Scæuola id ſolum eſſe ambitus ædium dixerit, quod parietis communis tegendi cauſſa tectum proijceretur, ex quo in tectum eius ædeis qui protexiſſet, aqua deflueret, id tibi ius videri.*

1 Locorum, quæ ſequitur, enumeratio dupliciter vitioſa eſt: primùm quia redundans: hac enim detracta nihilominus perfecta eſſet reliqua topica doctrina: deinde quia argumenta legitimo ordine non diſponuntur: in omni ſiquidem doctrina ratio ipſa & veritas præcipit, vt à prioribus natura & antiquioribus ordiamur: at cauſſarum, & effectorum, & reliquorum ſimplicium argumentorum natura prior eſt, & antiquior definitione: definitio enim ex his efficitur: & definiendi ratio niſi hæc prius intellecta ſint, intelligi non poteſt. Itaque argumenta hoc ordine proponenda & declaranda erant, vt ſimplicia præcederent, & ex antecedentibus conſequentia intelligerentur, vt ſunt cauſſæ, facta, ſubiecta, adiuncta, diſſentanea, comparata, notatio, coniugatio, diuiſio, definitio, teſtimonium. ☙

2 Argumentum quod totam rei, de qua agitur, vim explicat, triplex eſt, definitio, partium enumeratio, & notatio. Exemplum definitionis pertinet ad laudem iuris ciuilis: ſyllogiſmus eſt ſimplex primi generis:

> Cognitio æquitatis conſtitutæ his, qui ſunt eiuſdem ciuitatis, ad res ſuas obtinendas eſt vtilis:
>
> Scientia iuris ciuilis eſt cognitio æquitatis cõſtitutæ his, qui ſunt eiuſdem ciuitatis, ad res ſuas obtinendas:
>
> Scientia igitur iuris ciuilis eſt vtilis.

Quod autem attinet ad exempla earum legum, quæ citabuntur à Cicerone, in vniuerſum hoc meminerimus, quamuis in Pandectis Iuſtiniani aliquid earum ſimile reperiatur, eaſdem tamen omnino leges non inueniri: præſertim cùm minimè citentur in Pandectis Iuſtiniani veteres illi Iuriſconſulti, qui ante Ciceronem, vel tempore Ciceronis fuerint: ſed hi qui poſt Ciceronem ſub Imperatoribus vixerint. 3 Hoc argumentum eſt ex loco diuiſionis, vbi ex partibus negatis totum negatè concluditur: ſyllogiſmus eſt connexus primi modi. Seruus autem tribus modis olim domini voluntate aſſequebatur libertatem, aliàs cenſu, cùm nomen eius inſcribebatur in tabulis cenſoriis: tunc enim & ciuis Romanus fiebat, & liber: aliàs vindicta, cùm apud Prætorem capite raſo percuſſus manumittebatur: aliàs teſtamento patrisfamiliâs iubentis ſeruum ſuum fieri liberum. De manumiſſionibus multa ſcribuntur libro 40. Digeſtorum. 4 Probat ex etymologia nominis (Aſſiduus) lege Aelia Sentia dandum eſſe vindicem locupletem locupleti, id eſt, ſponſorem & fideiuſſorem, & aſſertorem, vt quidam interpretantur, quaſi hac lege ſancitum eſſet, vt locuples locupleti clienti in iudicio adeſſet, & locupletis cauſſam vindicandam ſuſciperet: Gellius tamen cap. 10. lib. 16. hâc legem non Aeliam Sentiam nominat, ſed ait fuiſſe legem duodecim tabularum his verbis ſcriptam:

> *Aſſiduus vindex aſſiduus eſto:*
>
> *Proletario ciui quiuis volet vindex eſto.*

Atque aſſiduus, ait, in duodecim tabulis & pro locuplete, & facilè munus faciente di-

re dictus eſt ab aſſibus, id eſt, ære dando, cùm id tempora Reipublicæ poſtularēt: aut à muneris pro familiari copia faciendi aſſiduitate. 5 Argumenta ad quæſtionem affecta, id eſt, non planè totam naturam rei de qua agitur, explicantia diuiduntur in tredecim ſpecies: quæ vt propoſitæ ſunt, exemplis illuſtrantur: ſed hic modus loquendi, Argumenta ducuntur ex rebus affectis, ex forma, ex genere, ex contrariis, licèt obſcurus ſit, Latinus tamen eſt & vſitatus: hoc enim genere loquendi ſignificatur, Argumentum affectum eſſe ad aliquam partem quæſtionis, eſſe genus, eſſe formam, eſſe contrarium: quomodo dicimus hominem eſſe ex genere animalium, & Ciceronem eſſe è Romanis, id eſt, hominem eſſe animal, & Ciceronem eſſe Romanum. 6 Coniugata in dialecticis dicũtur per metaphoram ſumptam à bobus ſub eodem iugo ſemel deuinctis: eaque ſub eodem themate poſita, vt ſub verbo ſapere, ſapiens, ſapienter, ſapientia. Quanquam ipſum etiam thema coniugatum dicitur eſſe iis, quæ ab eo deducuntur: vt compaſcere & compaſcuus. 7 Enthymema primum fit ex propoſitione & complexione:

Omne argentum legatum eſt mulieri:
Ergo pecunia numerata eſt eidem legata.

Quod enthymema illuſtratur theoremate dialectico: Species à genere nunquā ſeiungitur: quod huic quæſtioni parum congruit: ſpecies enim perpetuò genus affirmatè concludit: nō item genus ſpeciem, niſi ſumatur vniuersè: deinde aſſumptio additur cum iterata complexione:

Pecunia numerata eſt argentum:
Hæc igitur mulieri legata eſt.

Citatur tamen in Pandectis lib. 34. tit. 2. Vlpianus aliter ſentiens: Cùm aurum, inquit, & argentum legatum eſt, quicquid auri argentiq; relictum eſt, legato continetur, ſiue factum, ſiue infectum ſit. Pecuniam autem ſignatam placet eo legato non contineri. Item paulò pòſt, An cui omne argentum legatum eſt, ei nummi quoque legati eſſe videantur, quæritur: & ego puto non contineri: non facilè enim quiſquam argenti numero nummos computat. 8 Quæſtio eſt, an ratione eius teſtamenti [*Fabiæ legata pecunia eſt à viro, ſi ea materfamiliàs eſſet*] Pecunia Fabiæ legata ſit: quæ refutatur duobus modis, primùm definitione matrisfamiliâs:

Fabia non conuenit in manum mariti:
Propterea materfamiliâs non eſt.

Deinde à contrario,

Fabia tantùm eſt vxor.
Non igitur materfamiliâs:
Nec ideò ei pecunia legata eſt.

In hoc autem exemplo Cicero deceptus eſt: non enim à ſpecie ducitur argumentum, quamuis generis ſpecies numerentur: argumentum enim à ſpecie dicimus, cùm ex ſpecie genus concluditur & probatur: quod hìc non fit. 9 Hìc ex ſimili ſimile demonſtratur: Non reſtituitur ſeruus vſufructu legatus, ſi perit: neque igitur ædes vſufructu legatæ, ſi corruerint, reſtitui debent à fructuario: de quibus ita ſcriptum eſt in Pandectis lib. 7. Quoniam omnis fructus rei ad fructuarium pertinet, reficere quoque eum ædes per arbitrum cogi Celſus lib. 18. Digeſt. ſcribit, hactenus tamen, vt ſarta tecta habeat: ſi qua tamen vetuſtate corruiſſent, neutiquam cogi reficere. 10 In hoc exemplo diſſimilia ſunt, argentum ſuum, & argentum quod eſt in credito: & ſic loquitur Vlpianus in Pandect. lib. 34. Argento omni legato quod ſuum eſſet, ſine dubio non debetur id, quod in credito eſt: hoc ideò quia non videtur ſuum eſſe, quod vindicari non poſſit. 11 Argumentum ex contrariis hoc modo tractatur: Vſus omnium bonorum legatus eſt vxori: non igitur abuſus, qualis eſt vini & olei, quæ vtendo conſumuntur: eſt enim propriè vſusfructus, ius rebus vtendi fruendi ſalua rerum ſubſtantia. Vlpianus ta

matio maioris concludatur hoc modo: Aqua in vrbe arcetur, fines igitur etiam in vrbe regantur. 23 Probat ædes vſucapi biennio, quia fundus biennio vſucapitur: fundus igitur cum ædibus, vt par cum pari comparatur: quia vtraq; res eſt immobilis. Tale eſt illud pro Cecinna, Lex iubet vſum & authoritatem fundi eſſe biennium: at vtimur eodem iure in ædibus, quæ in legibus nõ appellantur. Porrò lege duodecim tabularum res mobilis vno, immobilis duobus annis vſucapiebatur: ſed vſucapionis tempus eſt ab Imperatoribus ampliatum, vt videbis lib.7. Codicis. 24 Cicero diſtinctius & apertius hìc loquitur, quàm in prima partitióne, vbi locos extrinſecùs aſſumptos dicebat: melius enim argumenta dicuntur extrinſecùs aſſumpta. Cæterùm argumentationes hic vocat argumenta & probationes: cùm tamen argumentatio potius ſit argumenti diſpoſitio, q̃ argumentum: Ariſtoteles 1. lib. Rhetorico ad Theodecten probationes expertes artis definit, quæ non inueniuntur à nobis, ſed cùm extra ſint, aſſumũtur, vt teſtes, cruciatus, ſcripta: quæ definitio falſa eſt: quia ſi orator, id eſt, cauſſidicus hãc primam partem dialecticæ teneat, præceptis huius artis tam adiuuabitur ad inuenienda teſtimonia, q̃ reliqua argumentorum genera: & litigator nõ minus ſæpe cauſſas & effecta defert ad oratorem, q̃ teſtimonia. 25 Quæſtio eſt, An liceat tibi communem parietem tecto latius proiecto tegere: quæ definitione ambitus ædium per authoritatem Scæuolæ confirmata probatur. Scæuola enim definiebat ambitum ædium, quantum communis parietis tegendi gratia tectum proiiceretur: ſed ea tamen cautione, vt ſtillicidium non in vicini, ſed in tuum tectum dependeat, & aqua non in vicini, ſed in tuam partem recipiatur.

[1] *His igitur locis qui ſunt expoſiti, ad omne argumentum reperiendum tanquam elementis quibuſdam ſignificatio & demonſtratio datur.* [2] *Vtrum igitur hactenus ſatis eſt? Tibi quidem tam acuto & tam occupato puto. Sed quoniam auidum hominem ad has diſcẽdi epulas recepi, ſic accipiam, vt reliquiarum ſit potius aliquid, quàm te hinc patiar non ſatiatum diſcedere. Quando ergo vnuſquiſque eorum locorum quos expoſui, ſua quædam membra habet, ea quàm ſubtiliſſimè perſequamur:* [3] *& primùm de ipſa definitione dicatur.* [4] *Definitio eſt oratio, quæ id quod definitur, explicat quid ſit.* [5] *Definitionum autem duo ſunt genera prima. Vnum earum rerum quæ ſunt: alterum earum, quæ intelliguntur. Eſſe ea dico, quæ cerni tangíve poſſunt: vt fundum, ædes, parietem, ſtillicidium, mancipium, pecudem, ſuppellectilem, penus, cætera. quo ex genere quædam interdum nobis definienda ſunt. Non eſſe rurſus ea dico, quæ tangi demonſtraríve non poſſunt: cerni tamẽ ani-*

ne id quidem ſatis eſt. Quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit. abeſt etiam nunc. Qui capite non ſunt diminuti. hoc fortaſſe ſatis eſt. Nihil enim video Scæuolam Pontificem ad hanc definitionem addidiſſe. Atq; hæc ratio valet in vtroq; genere definitionum, ſiue id quod eſt, ſiue id quod intelligitur, definiendum eſt. [12] Partitionum autem & diuiſionum genus quale eſſet, oſtendimus: ſed quid inter ſe differant, planius dicendum eſt. In partitione quaſi membra ſunt: vt corporis, caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, & cætera. In diuiſione formæ ſunt, [13] quas Græci ἰδέας vocant: noſtri, ſi qui hæc fortè tractant, ſpecies appellant, non peſſimè id quidem, ſed inutiliter ad mutandos caſus in dicendo. Nolim enim, ne ſi Latinè quidem dici poſſit, ſpecierum & ſpeciebus dicere, & ſæpe his caſibus vtendum eſt: at formis & formarum velim. Cùm autem vtroq; verbo idem ſignificetur, commoditatem in dicendo non arbitror negligendam. Genus & formam definiunt hoc modo, [14] Genus eſt notio ad plures differentias pertinens. Forma eſt notio, cuius differentia ad caput generis, & quaſi fontem referri poteſt. [15] Notionem appello quod Græci tum ἔννοιαν, tum πρόληψιν dicunt. Ea eſt inſita & antè percepta cuiuſque formæ cognitio enodationis indigens. Formæ igitur ſunt hæ, in quas genus ſine vllius prætermiſſione diuiditur: vt ſi quis ius in legem, morem, æquitatem diuidat. [16] Formas qui putat idem eſſe quod partes, confundit artem, & ſimilitudine quadam conturbatus, nō ſatis acutè, quæ ſint ſecernenda, diſtinguit. [17] Sæpe etiam definiunt & oratores, & poetæ per tranſlationem verbi ex ſimilitudine cum quadam ſuauitate. Sed ego à veſtris exemplis niſi neceſſariò non recedam. [18] Solebat igitur Aquilius collega & familiaris meus cùm de littoribus

quòd ab hoſtibus manu capiantur, vt ſcriptum eſt lib.1.Digeſt. In lege Aquilia de damno iniuria dato, pecudis appellatione neque feræ beſtiæ continentur, neque canes: ſed tantùm quadrupedes, quæ gregatim habentur, quales ſunt equi, muli, aſini, oues, boues, capræ, ſues: nam & hi gregatim paſcuntur. Pomponius Supellex, ait, eſt domeſticum patrisfamiliæ inſtrumentum, quod neque argento auróue facto vel veſti adnumeratur. Item Paulus ait, Supellectile legata hæc continentur, menſæ, trapezophora, delphica, ſubſellia, ſcamna, lecti etiam inargentati, culcitræ, toralia, mappæ villoſæ, vaſa aquaria, pelues, aquiminaria, candelabra, lucernæ, trullæ: item vaſa ænea vulgaria, id eſt, quæ non propriè eſſent loco attributa: præterea capſæ, armaria: ſed ſunt qui rectè putant capſas & armaria ſi librorum aut veſtium, aut armorum gratia parata ſint, non eſſe in ſupellectile, quia ne hæ quidem ipſæ res, quibus attributæ eſſent, ſupellectilis inſtrumento cederent. Labeo ait originem fuiſſe ſupellectilis, quòd olim his qui in legationem proficiſcerentur, locari ſolerent, quæ ſub pellibus vſui forent: lege lib.33.Digeſt. Penu legata contineri, quæ eſui potuique ſunt. Quintus Mutius ſcripſit lib.2.iuris ciuilis: vt, Oleum, vinum, garum, muriam, mel, acetum, triticum, hordeum, legumé: in cella penuaria, carbones, ligna, thus, ceram, vnguentum, chartas epiſtolares, odores, vaſa penuaria, ſine quibus penus haberi rectè non poteſt: lege 33.Digeſt. Ex rebus incorporeis, quas vulgus putat non eſſe, quia non cadunt ſub viſum, aut tactum, pleræque etiam definiuntur à Iureconſultis, vt à Modeſtino definitur vſucapio, adiectio dominij per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti: vide librum 41.Digeſtorum. & Tutela, vt ait Seruius, eſt vis ac poteſtas in capite libero conſtituta ad tuendum eum, qui per ætatem ſua ſponte ſe defendere nequit, iure ciuili data & permiſſa. Paulus libro 26.Digeſtorum, Gens in familia eſt eiuſdē originis & nominis ſocietas nulla diminutione capitis interrupta, vt gens Claudiorum, gens Scipionum, gens Valeriorum. Agnatio, eſt coniunctio per virilis ſexus cognationem. 6 Hæc definitionis partitio eſt imperfecta, vt ipſe Cicero paulò poſt indicat, cùm ait, Sunt & alia genera definitionum: ſed ad huius libri inſtitutum illa nihil pertinent. Definitio fit per partitionem, cùm omnia membra colligimus & enumeramus ad rem propoſitam explicandam: per diuiſionem, cùm omnes formas complectimur ad explicandum genus. multis verò præterea modis definitio fieri poteſt, vt ex genere & proprietate, ex communium frequentia, ex contrariis, ex ſimilibus, ex cæteris argumentis inſitis.

7 Eodem ferè modo Papinianus lib.1.Digeſt. Ius ciuile definit, quod ex plebiſcitis, ſenatuſconſultis, decretis principum, authoritate prudentium venit: ſed Ciceronis definitio latius patet ad res quoque iudicatas, & ad ius non ſcriptum, quod verſatur in conſuetudine & æquitate, quæ ſeueritatem iuris mitius interpretatur. Hanc definitionem Pomponius explicat 1.lib.Digeſt. de origine iuris, Lex eſt generale iuſſum populi aut plebis rogante magiſtratu, vt ait Capito apud Gellium lib.10. Senatuſconſultum eſt, quod ſenatus decreuit: nam quia difficile plebs conuenire cœpit, populusq́; multò difficilius, in tanta turba hominū, neceſſitas ipſa curam Reipub. ad ſenatum deduxit. Ita cœpit ſenatus ſe interponere: & quicquid conſtituiſſet, obſeruabatur: idq́; ius appellabatur Senatuſconſultum. Res iudicata, vt ait Modeſtinus lib.42.Digeſt. eſt, quæ finem controuerſiarū, pronuntiatione iudicis accipit, quod vel condemnatione, vel abſolutione contingit. Iuriſperitorum authoritas nata eſt ex prudentia reſpondendi: nam legibus duodecim tabularum latis euenire cœpit, vt interpretatio deſideraret prudentium authoritatem, neceſſariamque diſputationem fori. Edicta magiſtratuum ſunt vt prætorū, qui iura reddebant, & vt ſcirent ciues quod ius de qua re quiſq; dicturus eſſet, ſeq; præmunirent, edicta proponebant, quæ ius honorarium conſtituerūt. Mos, eſt conſuetudo, quæ, vt ait Vlpianus, pro iure & lege in his quæ non ex ſcripto deſcendſit, obſeruari ſolet. Aequitas eſt, cùm quid præter legem ſcriptam, vel morem communis vtilitatis gratia ſtatuitur: nam benignius leges interpretandæ

ſunt,quò voluntas earum conſeruetur. Vide lib.1.Digeſt. 8 Definitur abalienatio per duas abalienandi ſpecies, quarum vna fiebat nexu: id eſt, imaginaria venditione,adhibitis quinque teſtibus, & eo,qui dicebatur libripens: vbi emptor eiuſmodi verba proferebat, Aio hoc eſſe meum iure Quiritum, emptum hoc ære: deinde libram percutiebat,& æs dabat venditori,tanquam pretium. Altera erat ceſſio in iure apud Prætorem, cùm præſentibus partibus emptori rem vindicanti prætor addicebat. Ius enim interdum locus appellatur apud Prætorem, in quo ius redditur,vt ſcriptū eſt lib.1.Digeſt. 9 Hoc falſum eſt, quia proprium eſt topicæ diſciplinæ, omnia definiendi genera declarare: nec ad vllius præterea artis inſtitutum doctrina definitionis ſpectat. 10 Hoc præcipit Ariſtotel.cap. 14.lib.2.poſteriorum analyticorum,vt ad inueſtigandam rei propoſitæ definitionem multa communia ſumātur, ex quibus tandem aliquid efficiatur proprium. Hoc item præcipit ante Ariſtotelem Plato in Ciuili iure,& in Theetheto:& Cicero in Partitionibus idem præceptū adhibuit,Non dubium eſt,inquit,quin definitio declaretur genere & proprietate quadam, aut communium frequentia, ex quibus proprium quid ſit,eluceat. 11 Caius,Nihil aliud,inquit,eſt hæreditas, quàm ſucceſſio in vniuerſum ius,quod defunctus habuit. Pecuniæ autem verbum,vt ait Vlpianus, nō ſolùm numeratam pecuniam continet,verùm omnem omnino pecuniam, id eſt,omnia corpora: nam corpora quoque pecuniæ appellatione contineri nemo eſt qui ambigat.Lege lib.50.Digeſt. 12 Ad illuſtrandam doctrinam definiendi partitio diſtinguitur à diuiſione:quòd illic totum integrum in membra, hìc totum generale in ſpecies diſtribuatur: quæ diſtinctio melius traderetur in genere argumēti topici, vbi de partium enumeratione agitur. In omni ſiquidem arte ſingula genera ſuis præceptis ſuo loco & ordine diſtinctis explicanda ſunt:alioqui confunditur & perturbatur legitima ordinis diſpoſitio. 13 Plato & Ariſtoteles cùm de generis parte loquuntur,hanc propriè vocant εἶδος. Ideæ autem nomine communiter ſignificant,vel omnem notionem & generalem,& ſpecialem,vt exemplar æternum earum rerum, quæ natura conſtant. Itaque videtur Cicero parum diligenter in veterum philoſophorum libris ſignificationem huius nominis, Idea, obſeruaſſe. 14 Genus apud Dialecticos ſignificat aliàs notionem generalem,aliàs rem notione generali comprehenſam: cumq; definitur notio ad plures differentias pertinens, differentiæ per metonymiam dicētur pro rebus differentibus,& id intelligi poteſt ex 1.lib.de Orat. cùm ait,Genus id eſſe,quod ſui ſimiles communione quadam, ſpecie autem differentes duas aut plures complectitur partes: & Ariſtoteles in Topicis, Genus,ait, eſt, quod de pluribus ſpecie differētibus in quæſtione quid eſt dicitur: Forma autem eſt notio ſpecialis, cuius differentia ad genus refertur: differentia enim ſpeciei, vt aiunt philoſophi,de poteſtate generis educitur: quia differentia ſpecialis, ſicut ipſa ſpecies, ſub genere comprehenditur. 15 In Lucullo & Tuſculana prima ἔννοιαν, id eſt,notionem interpretatur,& πρόληψιν anteceptam animo rei quandam informationem,ſiue anticipationem, ſiue prænotionem: atq; hoc verbum ab Epicuro nouatum eſſe,cùm nemo antea ita nominaſſet. Porrò hæc interpretatio ducta eſt ex Menone Platonis,vbi Socrates diſputat fieri nullo modo poſſe, vt à pueris tot tantarumque rerum inſitas & quaſi conſignatas in animis notiones haberemus, niſi animus antequam corpus intraſſet, in rerum cognitione viguiſſet. 16 Plato in ciuili docet nomen partis latiùs patere,quàm formę: cuius verba ſunt, Veruntamen hoc diligenter obſeruato, ne exiſtimes ex me vnquam aliquid certum non audiuiſſe. So. Quale iſtud? Ho. Speciem & partem inter ſe differre. So. Quomodo? Ho. Quicquid eſt alicuius ſpecies, eiuſdem pars quoq; ſit,neceſſe eſt,cuius ſpecies eſſe dicatur: partem verò eſſe ſpeciem non eſt neceſſe. 17 Ariſtoteles lib.2.topico tranſlationem probat ad diſputandum: ad definiendum verò lib.6.non probat quòd tranſlatio ſit obſcura: nec tamen à Cicerone diſſentit: quia ille de accuratis & philoſophicis, hic de oratoriis & poeticis

ticis,id eſt,vulgaribus,& minus accuratis definitionibus loquitur. 18 Celſus, Littus,ait,eſt,quouſque maximus fluctus à mari peruenit: idque Marcum Tullium aiunt,cùm arbiter eſſet,primum conſtituiſſe. Iabolenus lib.50.D.geſt.Littus publicum eſt eatenus, quà maximè fluctus exæſtuat. Aquilius autem littus definiebat,quà fluctus eluderet,id eſt,quaſi ludẽdo ſpatiaretur.Metaphora ſumpta à gladiatoribus, qui cùm vicerint, eludere ſolent. 19 Adoleſcentia definitur flos ætatis per metaphoram ſumptam ab arboribus & herbis,quæ prius floreſcunt,quàm fructus ædant.Et Cic.2.Philip.ſic ait,Grata ætatis flore, non ſpecie virtutis collecta.Et Virgil.lib.7.Aeneid.

Ante vrbem pueri, & primæuo flore iuuentus
Exercentur equis.

20 Senectus definitur occaſus vitæ per metaphoram ſumpta à die,qui paulatim definit eſſe,cùm Sol in occaſum vergit.

Quid de Ciceroniana doctrina definitionis ex Ariſtotele ſumptum eſt?

Quod à Cicerone definitur,definitio oratio, quæ id quod definitur, explicat quid ſit, hoc Ariſtotelicum eſt: quod præcipitur à Cicerone, vt definitio inueſtigetur colligẽdis multis communibus,ex quibus aliquid proprium fiat,hoc item Ariſtotelicum eſt: diuiſiones autem geminæ,quarum vna eſt earum rerum quæ ſunt, vel quæ non ſunt: altera quæ fit partitione vel diuiſione, itemque ratio poëtica & oratoria definiendi per tranſlationem,in Ariſtotelis logicis libris nuſquam ſunt.

Quod ad definitiones attinet, hactenus: reliqua videamus. [1] Partitione autem ſic vtẽdum eſt, nullam vt partem relinquas: vt ſi partiri velis [2] tutelas, inſcienter facias ſi vllam prætermittas. At ſi [3] ſtipulationum aut iudiciorum formulas partiare,non eſt vitioſum in re infinita prætermittere aliquid. Quod idem in diuiſione vitioſum eſt. Formarum enim certus eſt numerus, quæ cuique generi ſubijciantur: partium diſtributio ſæpe eſt infinitior,tanquam riuorum à fonte deductio. Itaq; in oratorijs artibus quæſtionis genere propoſito,quod eius formæ ſint,ſubiungitur abſolutè: [4] at cùm de ornamentis verborum ſententiarumq; præcipitur, quæ vocantur σχήματα, non fit idem. Res enim eſt infinitior, vt ex hoc quoq; intelligatur quod velimus inter partitionem & diuiſionem intereſſe. Quanquam enim vocabula propè idem valere videantur, tamẽ quia res differebant, nomina rerum diſtare voluerunt.

1 Secundum genus argumenti inſiti, quod adhibetur ad totum, eſt partium enumeratio: cuius doctrinam paulò antè oſtendimus in præceptis definitionis vitioſè confuſam & perturbatam eſſe. Huius autem argumenti Cicero duplicem vſum demonſtrat, vnum partitionis, alterum diuiſionis, vt in partitione ſi membra finita ſint, omnia numerentur: ſin infinita, non omnia numerentur: in diuiſione autem quoniam certus eſt, vt ille putat, formarum numerus, quæ cuiq; generi ſubiectæ ſunt, nulla omnino ſpecies prætermittatur: quod præceptum Ciceronis aliqua ex parte verum eſt, & aliqua ex parte falſum: nam aliquando ad declarandum totum ſatis eſt vnicam partem proponere: ad concludẽdum verò plenè & perfectè totum, neceſſe eſt omnes partes ſiue membra, ſiue ſpecies ſint, enumerare, nec vllam omnino prætermittere. 2 Exemplū de tutela præcepto non conuenit: quia tutela nō cadit in partitionem, ſed in diuiſionem. Diuiditur enim in teſtamẽtariam & legitimam, vt genus in ſpecies. 3 Exempla de ſtipulatione & formulis iudiciorum neq; itêm quadrant, quia ſtipulatio non diuiditur in membra, ſed in ſpecies: quæ ſunt apud Iureconſultos numero quatuor, iudicialis, prætoria, conuentionalis, & communis. Item formulæ iudiciorum diuiduntur, nō in membra, ſed in ſpecies, quæ ſunt numero duæ: alia enim actio in rem, quæ vendicatio dicitur: alia in perſonam, quæ condictio nominatur. 4 Exemplum de ſchematis falſum eſt: ſpecies enim hìc ſunt, non partes, id eſt, membra: & ſpecies certo numero comprehenſæ ſunt: licèt fortaſſe nondum ſatis explicatæ fuerint: neque enim res eſſe incipiunt, cùm inueniuntur, ſed multæ ſunt, quæ à nobis ignorantur.

Quid de doctrina diuiſionis ex Ariſtotele ſumptum eſt?

Nihil, neque enim vlla mentio non dico in topicis, ſed ne in reliquo quidem logico organo de tali vſu partitionis & diuiſionis facta eſt.

[1] Multa etiam ex notatione ſumuntur. Ea eſt autem quum ex vi nominis argumentum elicitur, quam Græci ἐτυμολογίαν vocant, id eſt, verbum ex verbo, veriloquium. Nos autem nouitatem verbi non ſatis apti fugientes, genus hoc notationem appellamus, quia ſunt verba rerum notæ. [2] Itaq; hoc idem Ariſtoteles σύμβολον appellat, quod Latinè eſt nota. Sed cùm intelligitur quid ſignificetur, minus laborandum eſt de nomine. Multa igitur in diſputando notatione eliciuntur ex verbo: [3] vt cùm quæritur, poſtliminium quid ſit, non dico quæ ſint poſtliminij: nã id caderet in diuiſione, quæ talis eſt, Poſtliminio redeũt hæc, homo, nauis, mulus clitellarius, equus, equa quæ fræna recipere ſolet. Sed cùm ipſius poſtliminij vis quæritur, & verbũ ipſum notatur: in quo Seruius noſter (vt opinor) nihil putat eſſe notãdum, niſi poſt: & liminium illud, productionem eſſe verbi vult, vt in finitimo

finitimo, legitimo, ædítimo, non plus ineſſe timum, quàm in meditullio tullium. Scæuola autem P. filius iunctum putat eſſe verbum, vt ſit in eo & poſt, & limen: [4] *vt quæ à nobis alienata ſunt, cùm ad hoſtem peruenerint, & ex ſuo tanquam limine exierint, dein cùm redierint pòſt ad idem limen, poſtliminio videantur rediſſe.* [5] *Quo in genere etiam Mancini cauſſa defendi poteſt, poſtliminio rediſſe, deditum non eſſe, quoniam non ſit receptus. Nam neq; deditionem, neq; donationem ſine acceptione intelligi poſſe.*

1 Tertium argumentum inſitum, quod ad totum adhibetur, Græci vocant ἐτυμολογίαν: Cicero notationem & notam, nominibus quidem rectè, ſed ratione ab hoc inſtituto dialectico alieniſſima: non enim hìc agitur de vocabulis, quę ſunt notæ rerum, ſed de interpretatione vocabulorum: &, vt Fabius loquitur, de originatione nominum. 2 Hoc item conſectarium vitioſè in hunc locum detorquetur: nam cùm Ariſtotel. lib. 1. de interpretatione ait, nomina eſſe σύμβολα, non id agit, quod nunc à Cicerone agitur, vt aliquod argumenti genus exquirat, ſed vt doceat notiones in animis noſtris impreſſas eſſe notas & indices rerum, voces notionum, ſcripturas vocum: hoc autem loco quærimus notationem nominum, non rerſi. 3 Exemplum notationis in verbo (poſtliminium) duabus contrariis authoritatibus illuſtratur, Seruij Sulpitij, & Q. Mutij Scæuolæ. Quorũ ille (poſtliminium) à præpoſitione (Pòſt) tantũ deducit: hic verò à (Pòſt) & (Limen) cui Feſtus adſtipulatur, cùm ait, Poſtliminio receptus eſt, ſi qui extra limina, hoc eſt, extra terminos prouinciæ captus fuerat, rurſus ad propria reuertit. 4 Paulus lib. 49. Digeſt. Poſtliminium, ait, eſt ius amiſſæ rei recipiendæ ab extraneo, & in ſtatum priſtinum reſtituendæ, inter nos & liberos populos, regesq; moribus & legibus conſtitutum. Nam quod bello amiſimus, aut etiam citra bellum, hoc ſi rurſus recipiamus, dicimur poſtliminio recipere. Idq; naturali æquitate introductum eſt, vt qui per iniuriam ab extraneis detinebatur, is vbi in fines ſuos rediiſſet, priſtinum ius ſuum reciperet. 5 Hoc poſtremum nihil ad propoſitum notationis locũ attinet: ſed argumentum eſt à relatis: C. Hoſtilius Mancinus acceptus à Numantinis non fuit: neq; igitur deditus fuit: datum enim & acceptũ inter ſe relata ſunt. Cicero ſimiliter in oratione pro Cecinna diſputat Mancinum poſtliminio rediiſſe: Quid, quem pater patratus, aut ſuus pater, populúſve vendidit, quo iure amittit ciuitatem? vt religione ciuitas ſoluatur, ciuis Romanus traditur: qui cùm eſt acceptus, eſt eorum, quibus eſt deditus: ſi nõ accipiunt, vt Mancinum Numantini, retinet integram cauſſam, & ius ciuitatis. Pomponius tamen idipſum negat, & ait de eo legem eſſe latam, vt ciuis eſſet Romanus, & beneficio legis non poſtliminij eum præturã poſtea geſſiſſe: lege lib. 50. Digeſt.

Quid Cicero de doctrina notationis ex Ariſtotelis topicis aſſumpſit?

Ariſtoteles in topicis velut aliud agens dat aliquam ſignificationem huius topicæ probationis, quam tamen neq; nominatim, neq; generatim definiuit, & ad problema de accidẽte ſpecialiter aſtrinxit. Verba eius ſunt libro ſecundo topico: Ἔτι τὸ ἐπιχειρεῖν μεταφέροντα τοὔνομα ἐπὶ τὸ λόγον, ὡς μάλιστα προσήκειν ἐκλαμ

βάνειν, ἢ ὡς κεῖται τοὔνομα. οἷον εὔψυχον μὴ τὸν ἀνδρεῖον, καθάπερ κεῖται, ἀλλὰ τὸν εὖ τὴν ψυχὴν ἔχοντα, καθάπερ καὶ εὔελπιν τὸν ἀγαθὰ ἐλπίζοντα. Ὁμοίως δὲ καὶ εὐδαίμονα οὗ ἂν ὁ δαίμων ᾖ σπουδαῖος. καθάπερ Ξενοκράτης φησὶν εὐδαίμονα εἶναι τὸν τὴν ψυχὴν ἔχοντα σπουδαίαν. ταύτην γὰρ ἑκάστου εἶναι δαίμονα. Id eſt, Atque etiam licet argumentari ſumendo orationem pro nomine, cùm eam ſumere magis conueniat, quàm nomen ipſum: vt, εὔψυχον, non fortem, vt vulgò dicitur, ſed τὸν εὖ τὴν ψυχὴν ἔχοντα, id eſt, bene animo affectum: quemadmodũ & εὔελπιν, id eſt, fidentem τὸν ἀγαθὰ ἐλπίζοντα, id eſt, bona ſperantem. Item εὐδαίμονα, cuius δαίμων, id eſt, animus ſit bonus, quemadmodum Xenocrates ait εὐδαίμονα eſſe, τὸν τὴν ψυχὴν ἔχοντα σπουδαίαν, id eſt, eum qui animum habeat bonum: eum enim vnicuique deum eſſe. Itaque ſatis conſtat, topicam Ariſtotelis doctrinam Ciceroni ad imitandum propoſitam non fuiſſe, cùm Ariſtoteles more Ciceronis hoc argumentum neque definiat, neque commune omnium quæſtionum explicandarum faciat.

[1] *Sequitur is locus qui conſtat ex ijs rebus, quæ quodammodo affectæ ſunt ad id de quo ambigitur, quem modò dixi in plures partes diſtributum: cuius primus eſt locus ex coniugatione, quam Græci* συζυγίαν *vocant: finitimus notationi, de qua modò dictum eſt: vt ſi aquam pluuiam eam modò intelligeremus, quam imbri collectam videremus, veniret Mutius, qui, quia coniugata verba eſſent pluuia & pluendo, diceret omnem aquam oportere arceri, quæ pluendo creuiſſet.*

1 Hactenus dictum eſt de tribus argumentis inſitis, quæ totam rem propoſitam continent & arguunt: nam definitio totam rei definitæ naturam, & partium enumeratio totam rem diuiſam, & notatio totam nominis originẽ arguit, & demonſtrat. Sequuntur deinceps argumenta, quæ non plenè & perfectè totam rei, de qua agitur, naturam declarant: & idcircò dicuntur à Cicerone quodammodo affecta ad id, de quo ambigitur: quorum tredecim genera in prima enumeratione propoſuit. Coniugata autem quæ ſunt primi generis, idcircò non definiuntur, quòd antea definita fuerint, ſed tantùm exemplo illuſtrantur: Omnis aqua pluuia eſt arcenda: ergo omnis aqua quæ pluendo creuit, arcenda eſt. In quo exemplo Pluuia & Pluere coniugata quidem ſunt, ſed tamen argumentum eſt fallax, quia in enuntiatione falſa ponitur: non enim omnis aqua pluuia arcenda eſt, vt conſtat ex libro 39. Digeſt. ſed ea tantùm, quæ damnum dabit. Aquam autem pluuiam, vt ait Vlpianus, dicimus, quæ de cœlo cadit, atque imbri excreſcit, ſiue per ſe hæc aqua cœleſtis noceat, vt Tubero ait, ſiue cum alia miſta.

Vtrum Cicero topicam Ariſtotelis ſententiam de coniugatis expreßit?

Cicero nominibus cum Ariſtotele non conſentit, quia Ariſtoteles lib. 2. topico vocat σύστοιχα & συστοιχίας, quæ Cicero, σύζυγα & συζυγίας: Doctrina autem & præ-

& præceptis non multum diſſentit: nam tametſi Ariſtoteles σύστοιχα & πτώσεις, id eſt, cognata & caſus, quæ Cicero comprehendit vno coniugatorum nomine diſtinguit, vt exempli gratia nomina hæc, Sapiens & Sapientia coniugata ſint, aduerbium autem Sapienter caſus, eodem tamen loco ſtatim caſus etiam vult appellari coniugata, & horum nominum ſignificationem confundit, cuius tamen loci vſum non docuit generalem, & omnium quæſtionum communem: ſed ad problema ſcholaſticum retulit. verba Ariſtotelis aſcribā ex libro ſecundo topico: Πάλιν ἐπὶ τῶν συστοίχων, καὶ ἐπὶ τῶν πτώσεων, καὶ ἀναιροῦντα, καὶ κατασκευάζοντα. λέγεται δὲ σύστοιχα μὲν τὰ τοιάδε, οἷον τὰ δίκαια καὶ ὁ δίκαιος τῇ δικαιοσύνῃ, καὶ τὰ ἀνδρεῖα καὶ ὁ ἀνδρεῖος τῇ ἀνδρείᾳ· ὁμοίως δὲ καὶ τὰ ποιητικὰ καὶ τὰ φυλακτικὰ, σύστοιχα ἐκείνου ἐστὶν ὧν ἐστὶ φυλακτικὰ ἢ ποιητικὰ, οἷον ὑγιεινὰ ὑγιείας, καὶ τὰ εὐεκτικὰ εὐεξίας. τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. σύστοιχα μὲν οὖν τὰ τοιαῦτα εἴωθε λέγεσθαι· πτώσεις δὲ, οἷον τὸ δικαίως, καὶ ἀνδρείως, καὶ ὑγιεινῶς, καὶ εὐεκτικῶς, καὶ ὅσα τοῦτον τὸν τρόπον λέγεται. δοκεῖ δὲ καὶ τὰ κατὰ τὰς πτώσεις σύστοιχα εἶναι. οἷον τὸ μὲν δικαίως τῇ δικαιοσύνῃ, τὸ δὲ ἀνδρείως τῇ ἀνδρείᾳ. σύστοιχα δὲ λέγεται τὰ κατὰ τὴν αὐτὴν συστοιχίαν ἅπαντα. οἷον δικαιοσύνη, δίκαιος, δίκαιον, δικαίως. δῆλον οὖν ὅτι ἑνὸς ὁποιουοῦν δειχθέντος τῶν κατὰ τὴν αὐτὴν συστοιχίαν ἀγαθοῦ ἢ ἐπαινετοῦ, καὶ τὰ λοιπὰ πάντα δεδειγμένα ἔσται, οἷον εἰ ἡ δικαιοσύνη τῶν ἐπαινετῶν, καὶ ὁ δίκαιος, καὶ τὸ δίκαιον, καὶ τὸ δικαίως τῶν ἐπαινετῶν. ῥηθήσεται δὲ τὸ δικαίως καὶ ἐπαινετῶς κατὰ τὴν αὐτὴν πτῶσιν. ἀπὸ γὰρ τοῦ ἐπαινετοῦ καθάπερ τὸ δικαίως ἀπὸ τῆς δικαιοσύνης. Id eſt, Item licet ex cognatis & caſibus confirmare & infirmare: dicuntur autem cognata, quæ ſunt eiuſmodi, vt iuſtitiæ iuſta & iuſtus, fortitudinis fortia & fortis: Itemque ea quæ efficiunt, aut conſeruant, cognata ſunt eius quam efficiunt & conſeruant, τὸ ὑγιεινὰ ὑγιείας καὶ τὰ εὐεκτικὰ εὐεξίας, eademq́; eſt ratio de cæteris. atque hæc cognata appellari ſolent. Caſus autem vt iuſtè & fortiter & ὑγιεινῶς & εὐεκτικῶς, & quæ ad hunc modum dicuntur. Caſus etiam videntur eſſe ex genere cognatorum, vt iuſtè cognatum eſt iuſtitiæ, & fortiter fortitudini. Cognata autem dicuntur, quæ ſunt eiuſdem cognationis & affinitatis: vt, Iuſtitia, iuſtus, iuſtum, iuſtè. Itaque ſi quid eorum quæ ſunt eiuſdem cognationis, bonum vel laudabile eſſe demonſtraueris, cōſtat etiam reliqua omnia demonſtrata eſſe eiuſmodi: vt ſi iuſtitia eſt laudabilis, eadem ratione iuſtus erit, & iuſtum, & iuſtè ex rebus laudabilibus: dicetur etiam quod iuſtè fit, laudabiliter fieri ex eodem caſu, quoniam laudabiliter à laudabili ortum eſt, quemadmodum iuſtè à iuſtitia. Hæc Ariſtoteles. vnde ſatis apparet Ciceronem topicam coniugatorum doctrinam mutuatum non eſſe, cùm neque iiſdem nominibus vtatur, quibus Ariſtoteles: neque tam anguſtè tractet eum locum, quàm arctè & ſpecialiter Ariſtoteles in topicis ſuis tractauit.

[1] Cùm autem à genere ducetur argumentum, non erit neceſſe id vſque à capite [2] arceſſere: ſæpe etiam citra licet, dummodo ſuprà ſit quod ſumitur, quàm id ad quod ſumitur: vt aqua pluuia, vltimo genere ea eſt, quæ de cælo veniens creſcit imbri, ſed propriore loco, in quo quaſi ius arcendi continetur, genus eſt aqua pluuia nocens: eius generis for

ma, loci vitio, & manu nocens: [3] *quarum altera iubetur ab arbitro coerceri, altera non iubetur.* [4] *Commodè etiam tractatur hæc argumentatio quæ ex genere ſumitur, cùm ex toto perſequare partes, hoc modo,* [5] *Si dolus malus eſt cùm aliud agitur, aliud ſimulatur: enumerare licet quibus id modis fiat: deinde in eorum aliquem, id quod arguas dolo malo factum, includere: quod genus argumenti in primis firmum videri ſolet.*

1 Genus & ſpecies hoc loco definiri & explicari coniunctè, ſicut relatorum natura poſtulat, debuerant: non autem antea in definitionis doctrina permiſceri, & conturbari: nunc verò de generis vſu duntaxat exempla ponuntur: & de ſpecie & ſpeciei vſu ad concludendum genus nihil omnino dicitur. Cæterùm duplex vſus generis proponitur hoc loco, & declaratur exemplis: primus eſt in diuiſione generis in ſpecies: vbi tamen nullum eſt proprium argumentum generis, quia in hoc exemplo Ciceronis nulla ſpecies ex genere concluditur & demonſtratur.

2 Arceſſere à capite genus, eſt ſummum genus, quod eſt à re propoſita remotum, exquirere: ſic in Tuſculanis ducere à capite dicitur: metaphora autem ſumpta eſt ab aquæ ductibus 3 Lib. 39. Digeſt. Sabinus & Caſſius opus manu factum in hanc venire actionē aiunt, niſi ſi quid agri colendi cauſſa fiat. Sulcos tamen aquarios, qui Græcè ἴλικας appellantur, ſi quis faciat, aquæ pluuiæ arcendę actione eum teneri: idem autem ſi aqua naturaliter decurrat, aquæ pluuiæ arcendæ actionem ceſſare: quòd ſi facto opere aqua in ſuperiorem partem repellatur, aut in inferiorem deriuetur, aquæ pluuiæ arcendæ actionem competere. Et paulò pòſt, Illud huic applicandum eſt, nunquam competere hāc actionem, cùm ipſius loci natura nocet. Nam, vt verius quis dixerit, non aqua, ſed loci natura nocet. In ſumma puto ita demùm aquæ pluuiæ arcendæ actionem locum habere, ſi aqua pluuia, vel quæ pluuia creſcit, noceat non naturaliter, ſed opere facto: niſi agri colendi cauſſa id factum ſit. Imbre autem creſcere eam aquam, quæ colorem mutaret, vel increſceret. 4 Secundus vſus generis, vt præcipit Cicero, conſtat ex enumeratione formarum: quæ tamen nihil ad generis argumentū facit: nam poſito genere ſi ſpeciem vel vnicam concluſeris, perinde erit, ac ſi omnes enumeraueris. Ac ſi quis hunc locum Ciceronis diligentius expendat, intelliget non hic argumentum vllum eſſe à genere ad concludendam ſpeciem, ſed à definitione generis ad affirmandum ipſum genus de ſpecie: vt,

Cùm aliud ſimulatur, aliud agitur, dolus malus eſt:

At cùm quis peierat, vt alterum fallat, tum aliud agitur, aliud ſimulatur:

Ergo cùm quis alterius fallendi gratia peierat, tum dolus malus eſt.

Vides, vt in hoc genere definitio doli mali argumentum fit, quo genus in concluſione de ſpecie affirmatè concluditur, neq; ex genere ſpecies demonſtret? 5 Vlpianus lib. 4. Digeſt. Dolum malum ita definit Seruius, machinationē quandam alterius decipiendi cauſſa, cùm aliud ſimulat, aliud agitur: Labeo autem ait ſine ſimulatione id agi, vt quis circumueniatur, poſſe & ſine dolo malo aliud agi, aliud ſimulari: ſicuti faciunt qui per eiuſmodi diſſimulationē ſeruāt, & tuentur vel ſua, vel aliena: itaq; ipſe ſic definit, dolum malum eſſe omnē calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumueniendū, fallendum, decipiendum alterū adhibitam.

Quid

Quid Cicero in doctrina generis & ſpeciei ex Ariſtotelis topicis mutuatus eſt?

Genus ab Ariſtotele & Cicerone diſſimili quadam ratione definitur, ab illo quidem quod de pluribus ſpecie differentibus in quæſtione quid eſt, enunciatur: ab hoc verò notio ad plures differentias pertinens: & Ariſtoteles in topicis non id agit, vt genus doceat eſſe argumentum topicum, ſed vt tradat probabilia præcepta, quibus aliquid probetur genus eſſe, vel non eſſe: Cicero autem docere instituit, quis ſit vſus generis ad concludendam & demonſtrãdam ſpeciem. Itaque ille de genere, vt in quæſtionem cadit, hic de genere, vt argumentum eſt, & vt adhibetur ad explicandam quæſtionem, præcipit: vt nemini dubium eſſe poſſit, quin topicum Ciceronis inſtitutum ab Ariſtotelis topica doctrina de genere plurimùm diſcrepet.

[1] Similitudo ſequitur, [2] quæ latè patet, ſed oratoribus & philoſophis magis quàm vobis. [3] Etſi enim omnes loci ſunt omnium diſputationum ad argumenta ſuppeditanda, tamen alijs diſputationibus abundantius occurrunt, alijs anguſtius. Itaque genera tibi nota ſint: vbi autem his vtare, quæſtiones ipſæ te admonebunt. [4] Sunt enim ſimilitudines, quæ ex pluribus collationibus perueniunt quò volunt, hoc modo, Si tutor fidem præſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaris, ſi qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator. Hæc ex pluribus perueniens quò vult, appellatur inductio, quæ Græcè [5] παραγωγὴ nominatur: qua plurimùm eſt vſus in ſermonibus [6] Socrates. Alterum ſimilitudinis genus collatione ſumitur, cùm vna res vni, par pari comparatur, hoc modo, [7] Quemadmodum ſi in vrbe de finibus controuerſia eſt, quia fines magis agrorum videntur eſſe quàm vrbis, finibus regundis adigere arbitrũ nõ poſſis: ſic ſi aqua pluuia in vrbe nocet, quoniam res tota magis agrorũ eſt, aquæ pluuiæ arcendæ adigere non poſſis arbitrum. [8] Ex eodem ſimilitudinis loco etiam exempla ſumũtur, vt Craſſus in Curiana cauſſa exemplis plurimis vſus eſt, agens de eo qui teſtamẽto ſic hæredem inſtituiſſet, vt ſi filius natus eſſet in decem menſibus, isq́ mortuus prius quàm in ſuã tutelam veniſſet,

ſecundus hæres hæreditatem obtinuiſſet, quæ commemoratio exemplorum valuit, eaq; vos in reſpondendo vti multum ſoletis. [9] *Ficta etiam exempla ſimilitudinis habent vim: ſed ea oratoria magis ſunt, quàm veſtra, quanquam vti etiam vòs ſoletis, ſed hoc modo: Finge mancipio aliquem dediſſe id quod mancipio dari non poteſt, num idcircò id eius factum eſt, qui accepit? aut num is qui mancipio dedit, ob eam rem ſe vlla re obligauit?* [10] *In hoc genere oratoribus & philoſophis conceſſum eſt, vt muta etiam loquantur, vt mortui ab inferis excitentur, aut aliquid quod fieri nullo modo poſſit, augendæ rei gratia dicatur, aut minuendæ, quæ hyperbole dicitur, & multa mirabilia alia. Sed latior eſt* [11] *campus illorum, eiſdem tamen ex locis (vt antè dixi) & in maximis & in minimis quæſtionibus argumẽta ducuntur.* [12] *Sequitur ſimilitudinem differentia, rei maximè contraria ſuperiori: ſed eſt eiuſdem diſſimile & ſimile inuenire. Eius generis hæc ſunt. Non quemadmodum quod mulieri debeas, rectè ipſi mulieri ſine tutore authore ſoluas: ita quod aut pupillæ aut pupillo debeas, rectè poſſis eodem modo ſoluere.*

1 Similitudo quartũ genus argumenti affecti non definitur à Cicerone, cùm tamen omnis doctrinæ ratio poſtulet, vt initio res ea de qua agitur, explicetur quid ſit: itaque primùm definiri debuit ſimilitudo rerum in eadem qualitate collatio, deinde in ſua genera diuidi. 2 Similitudo latè patet, quia in omni diſputatione frequentiſſimum habet vſum, & ex omnibus rerum generibus depromi poteſt: ſed ea magis oratoribus & philoſophis, quàm iureconſultis: quia philoſophi docere volunt, oratores etiam monere & delectare, quod maximè ſimilibus efficitur: iuriſconſulti autem iubere, & imperare, & quaſi ſententiam pronuntiare, quod magis authoritatis nutu, quàm ſimilibus efficitur. 3 Præcepta topicę inuentionis deſcribunt certa genera argumentorum; in quibus omnes omnium diſputationum probationes continentur: aliis verò quæſtionibus tractandis argumenta abundantiùs, aliis anguſtiùs occurrunt. 4 Similitudinis duo genera deſcribuntur, vnum multiplex, cùm ex multis ſimilibus aliquid ſimile concluditur: alterum ſimplex, cùm ex vno ſimili alterum ſimile demonſtratur: prioris generis exemplum eſt de fidelitate procuratoris, vbi ex quatuor ſimilibus quintum ſimile demonſtratur & arguitur. Cicero in oratione pro Quinto Roſcio Comœdo de fide tutoris, ſocij, & eius qui fiduciam accepit, id eſt, qui aliquid emit ea lege & fide interpoſita, vt vendenti aliquãdo reuendat, ita loquitur, Si qua ſunt priuata iudicia ſummæ exiſtimationis, & penè dicam, capitis, tria hæc ſunt, fiduciæ,

tutelæ, ſocietatis: æquè enim perfidioſum & nefarium eſt fidem frangere, quæ continet vitã: & pupillũ fraudare, qui in tutelam peruenit: & ſocium fallere, qui ſe in negotio coniunxit. De fide in mandatis præſtanda, pro Roſcio Amerino: In priuatis rebus, ait, ſi quis rem mandatam nõ modò malitioſius geſſiſſet, ſui quæſtus aut commodi cauſſa, verùm etiam negligentius, eum maiores ſummum admiſiſſe dedecus exiſtimabant: itaque mandati conſtitutum eſt iudicium non minus turpe, quàm furti: credo propterea quòd quibus in rebus ipſi intereſſe non poſſumus, in his operæ noſtræ vicaria fides amicorum ſupponitur: quam qui lædit, oppugnat omnium commune præſidium, & quãtum in ipſo eſt, deturbat vitæ ſocietatem. 5 Nonnulli legunt ἐπαγωγὴ, non προσαγωγὴ, quòd ita Fabius ſcribat libro 5. Hoc eſt ex eo genere, quod ἐπαγωγὴν Græci vocant, Cicero inductionem. 6 Socrates, vt ex Platonis & Xenophontis libris conſtat, in diſſerendo & cum doctis, & cum indoctis captare ſolebat ſimilitudines ex rebus corporatis, & ſub ſenſum cadentibus, & maximè notis & illuſtribus ad demonſtrãdum res occultas in philoſophia, & à ſenſibus longè remotas: in eoq; genere argumenti maximè excelluit Socraticæ ſapientiæ demonſtratio. 7 Probat hoc exemplo arbitrum de aqua arcenda in vrbe non dari: argumentum eſt ſimile: quod arbiter de finibus in vrbe regendis non detur. vtrunque enim iudicium propriè pertinet ad res ruſticas, non vrbanas. 8 Non tamen omnia exempla ſimilia ſunt, vt rectè docet Fabius lib. 5. ſed aliàs diſſimilia, aliàs quantitate pari vel impari collata, aliàs ſpecies rerum generaliter propoſitarum. Craſſus autem in cauſſa Curiana non ſolùm exorſus eſt à ſimili, cùm ita diceret, vt adoleſcens qui in littore ambulans ſcalmum reperiſſet, ob eam rem ædificare cœpit, ſic Scæuolam ex vno ſcalmo captionis centumuirale iudicium hæreditatis effeciſſe, ſed plurima quoque exempla commemorauit ſimilium cauſſarum, in quibus hæredes ſubſtituti viciſſent in iudicio, & hæreditatem adiiſſent. Citatur hoc exemplum cauſſæ Curianæ etiam in Bruto Ciceronis, & libro 1. & 2. de Oratore, & in oratione pro Cecinna. 9 Ficta quoque exempla ex omnibus argumentorum generibus ſumi poſſunt, atque in hoc Ciceronis exemplo animaduertendum eſt ſimilitudinis vim ſatis expreſſam non eſſe, argumentumq; videri ſpeciale potius, quàm ſimile: vt Si quis abalienauit id quod abalienare iure non potuit, nihil egit. Si hoc modo concludatur, argumentum erit à ſpecie ad genus: & iureconſulti ſolent ad interpretandam generalem legem fingere aliquod exemplum ſpeciale, quod ipſi ſpeciem vocant. 10 De duabus oratoriis virtutibus Proſopopœia & Hyperbole. Proſopopœia teſtimonium fictum potius, quàm vllum ſimile continet: vt in prima oratione in Catilinam ſumma totius fictionis eſt, vt Catilina exeat ex vrbe, quia patria iubet: & pro Cælio inducitur Appius cæcus obiurgans Clodiam proteruam mulierem & libidinoſam, vbi præcipuum argumentum eſt authoritas perſonæ. Hyperbole autem cùm tropus eſt, habet aliquid ſimile in verbo incluſum: vt apud Virgilium,

Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina.

Verbum (Volaret) tranſlatum eſt ab auibus per hyperbolicam ſimilitudinem, augendi curſus gratia. Multæ etiam ſunt hyperbolicæ amplificationes non à ſimili, ſed à minori ad maius: vt pro Muræna, Quod fretum, quem Euripum tot fluctus tantas tam varias habere putatis agitationes, quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio comitiorum? Sententia collationis eſt, Perturbationes maris magnæ ſunt: at perturbationes comitiorum multò maiores. 11 Campus metaphoricè dicitur pro materia, in qua exercemur: pro Muræna, Nullum ſors campum dedit, in quo excurrere virtus, cognoſciq; poſſit. & in Lucullo, Cùm ſit campus, in quo exultare poſſit oratio, cur eam in tantas anguſtias, & in dumeta Stoicorum compellitis?

Eſtne Cicero in doctrina ſimilitudinis æmulus topicorum Ariſtotelis?

Ariſtotel. 1. topico admonet vtilem eſſe ſimilitudinis conſiderationem ad diſputandas dialecticas, vt vocat, quæſtiones de accidente, genere, proprio, definitione: ideoque in aliis libris hunc locum ſæpius adhibuit, vbi docet quibus modis vnumquodq; problema probari vel improbari poſſit: ſed neq; generalem ſimilitudinis vſum conſiderat, neq; genera ſimilitudinis, quæ ſunt apud Ciceronem, explicat, neq; de exemplis veris aut fictis vllam mentionem facit. Itaq; quòd ad ad hoc genus argumenti attinet, Cicero non videtur Ariſtotelem, quem imitaretur, ſibi propoſitum habuiſſe. 12 Differentia ſiue diſſimilitudo quintum genus argumenti affecti non definitur à Cicerone: cùm tamé in præceptis artium tradendis definitio prætermiſſa grauiter reprehendi ſoleat. Definienda igitur primùm fuit differentia collatio rerum in diuerſa qualitate: vt ſi hoc proponatur, Non licet pupillo rem debitam ſine authoritate tutoris perſoluere: hoc poteſt illuſtrari à diſſimili: Mulieri quidem licet, quod debeas, ſine tutore authore ſoluere: at pupillo non licet. Pupillus enim, vt ait Celſus, in ea ætate nec velle, nec nolle, niſi appoſita tutoris authoritate creditur: mulieres autem quamuis olim fuerint in tutorum poteſtate, iureconſulti tamen inuenerunt genera tutorũ, quę poteſtate mulierum continerentur: vt ait Cicero pro Murena, Atq; hoc genus argumenti non ſolùm vſu & tractatione frequens, ſed etiam varium & multiplex eſt: multis enim & variis modis diſſimilia inter ſe conferuntur. In ſumma autem vt ſimilitudinis, ita diſſimilitudinis duo genera ſunt: vnum ſimplex, alterum multiplex: illud cùm ex diſſimili diſſimile demonſtratur, vt conſtat exemplo ſuperiori: Hoc, cùm multa diſſimilia inter ſe comparantur: vt actione 4. in Verrem, Conferte hanc pacem cum illo bello, huius prætoris aduentum cum illius imperatoris victoria, huius cohortem impuram cum illius inuicto exercitu, huius libidines cum illius continẽtia: ab illo qui cepit, conditas, ab hoc qui conſtitutas accepit, captas fuiſſe dicetis Syracuſas.

Quid Ariſtoteles in topicis de differentia?

Differentiam in quatuor inſtrumentis dialecticis ponit Ariſtoteles libro primo topico, eamque non ſolùm opponit ſimilitudini, ſed vtilem quoque docet eſſe ad ſyllogiſmos de eodem & diuerſo, quòd hac ratione probemus aliquid idem eſſe, vel non eſſe: & ad cognoſcendum quid ſit: quòd rerum naturas & eſſentias differentiis diſtinguamus: præterea autem de diſſimilitudine nihil tradit Ariſtoteles: quæ præcepta quum Cicero in his topicis ſilentio prætereat, nihil videtur Ariſtotelicum eſſe ſecutus. Adde etiam quòd hunc locum, ſicut reliquos omnes, ad ſolam diſputationem problematis refert, non ad omnem rerum omnium explicationem.

[1] Deinceps locus eſt qui à contrario ducitur. Contrariorum autem genera ſunt plura. [2] Unum eorum quæ in eodem genere plurimùm differunt: vt ſapientia, ſtultitia. Eodem autem genere dicũtur, quibus propoſitis occurrunt tanquam è regione quædam contraria, vt celeritati tarditas, non debilitas. ex quibus contrarijs argumẽta talia exiſtunt, Si ſtultitiam fugimus, ſapientiam ſequamur: & bonitatem, ſi malitiam. Hæc quæ ex eodem genere contraria ſunt, appellantur

lantur aduerſa. [3] *Sunt enim alia contraria, quæ priuãtia licet appellemus Latinè, Græcè appellãtur* στερητικά. *Præpoſitio enim In, priuat verbum ea vi quam haberet ſi In præpoſitum non fuiſſet: vt dignitas, indignitas: humanitas, inhumanitas, & cætera generis eiuſdem.* [4] *Quorum tractatio eſt eadem quæ ſuperiorum quæ aduerſa dixi.* [5] *Nam alia quoq; ſunt contrariorum genera, velut ea quæ cum aliquo conferuntur, vt duplum, ſimplum: multa, pauca: longum, breue: maius, minus.* [6] *Sunt etiam valde contraria alia, quæ appellantur negantia: ea* ἀποφατικὰ *Græci, contraria aientibus:* [7] *vt, ſi hoc eſt, illud non eſt. Quid enim opus exemplo eſt? tantùm intelligatur argumento quærendo,* [8] *contrariis omnibus contraria non conuenire.*

1 Sextum genus argumenti affecti non definitur: contraria autem ſunt, quæ de eodem ſimul affirmari nõ poſſunt, certaq; lege diſſident vnũ ab vno, aut ſummum à duobus: quorum quatuor ſunt genera, id eſt, quatuor ſpecies, Aduerſa, Priuantia, Relata, Contradicẽtia: quæ diuiſio ex categoriis Ariſtotelis ſumpta videri poteſt. 2 Aduerſa duobus modis tractãtur, vno cùm ex vnius affirmatione concluditur alterius negatio, vt Aethiops niger eſt: non igitur albus: quod contra nõ fit, niſi aduerſa medio careant: vt, Sanus eſt, non igitur æger: vel, Sanus non eſt: æger igitur eſt. Altero modo cùm aduerſa aduerſorum redduntur conſequentia: vt, Stultitia fugienda eſt, Sapientia igitur ſequẽda. Quale eſt iſtud Cic. Tuſc. 5. Quid cùm fatentur ſatis magnam vim eſſe in vitiis ad miſeram vitam, nónne fatendum eſt eandem vim in virtute eſſe ad beatam vitam? contraria enim ſunt, contrariorum conſequentia. 3 Contraria ſecundi generis Græcè dicuntur στερητικὰ à verbo στερέω, id eſt, priuo, Latinè priuãtia, à priuatione altera parte oppoſitionis, cui opponitur habitus: differuntque ab aduerſis, quia ſub eodem genere nõ ſunt: priuatio enim, quæ nihil eſt, in nullo genere ponitur. Priuãtia itaq; ſunt cõtraria, habitũ, habitusq; priuationem ſignificãtia: vt lux & tenebræ. Quod autem Cic. præcipit de præpoſitione, In, priuationẽ in verbo efficientẽ, id cùm in propoſitis exemplis, tum in multis aliis falſum eſt: Inhumanitas enim nõ ſignificat abſolutè priuationẽ & negationem humanitatis, ſed habitũ quendam vitioſum humanitati contrariũ: nec indignitas eſt priuatio dignitatis, ſed dignè facto aduerſum factũ: quo fit vt illa priuantia nõ ſint, ſed aduerſa: & multa priuãtia ſine præpoſitione, In, ſignificantẽ, vt cæcitas, tenebræ, paupertas. 4 Priuãtia tractantẽ dupliciter, ſicut aduerſa, vel ab affirmatione vnius ad negationẽ alterius, vt Græcus eſt: Non igitur vidẽs. Vel cùm illis conſequẽtia contraria redduntur, vt Viſus eſt in bonis: Cæcitas igitur in malis. 5 Cõtraria tertij generis ſunt τὰ πρός τι, Latinè relata, quæ ſe mutua naturalis relationis affectione complectuntur: eaq; duplicẽ habent vſum: aliàs enim ſumuntur, vt amica & conſentanea, vt Quaternarius numerus eſt duplus ad binarium: ergo binarius numerus eſt ſimplus ad quaternariũ: quod argumẽti genus ex cõtrariis nõ eſt: aliàs vt inimica & diſſentanea tractantur, cũ ex vnius affirmatione concluditur alterius negatio: vt Quater-

narius ad binarium duplus eſt: Non igitur ad binarium ſimplus eſt. 6 Contraria quarti generis appellant Latinè contradicẽtia: Græcè duobus nominibus καταφατικὰ & ἀποφατικὰ, id eſt, aientia & negantia: quorum alterum ait quid, alterum negat idem: quæ duobus modis conſiderantur: aliàs in verbis ſingulis, vt bonũ non bonum: aliàs in enuntiatis altero affirmante, altero negante idem: vt, Omnis voluptas eſt bonum: Nulla voluptas eſt bonum. 7 In hoc exemplo nullum eſt contradictionis veſtigium: quia non ſignificatur idem de eodem affirmari & negari: ſed Cicero videtur hoc ſignificare voluiſſe, de duobus contradicentibus ſi vnum verum ſit, alterum verum non eſſe. 8 Hæc regula ſic intelligenda eſt, Nulli contrario contrarium conuenit: quæ ſumitur ex definitione contrariorum, quæ nec de ſe, nec de eodem tertio ſimul affirmari poſſunt.

Quid de contrarijs Cicero ex Ariſtotelis topicis aſſumpſit?

Nomina tantùm contrariorum: nam in topicis contraria tantùm nominãtur & non definiuntur: & ſæpiſſimè quidem nominantur, vt ex his admoneamur quid ſit, aut quid non ſit, vel accidens, vel genus, vel proprium, vel definitio: quod hìc Cicero non fecit, neque facere voluit. Contrariorum autem genera definiuntur in categoriis eodem modo, quo in his topicis à Cicerone explicantur. Itaque Cicero categorias Ariſtotelis potius quàm topica ſecutus eſſet.

[1] Ab adiunctis autem poſui equidem exemplum paulò antè, multa ſcilicet adiungi, quæ ſuſcipienda eſſent, ſi ſtatuiſſemus ex edicto Prætoris ſecundùm eas tabulas poſſeſſionem dari, quas is inſtituiſſet, cui teſtamenti factio nulla eſſet. [2] Sed locus hic magis ad coniecturales cauſſas, quæ verſantur in iudicijs, valet, cùm quæritur quid aut ſit, aut euenerit, aut futurum ſit, aut quid omnino fieri poſſit. Ac loci quidem ipſius forma talis eſt. [3] Admonet autem hic locus, vt quæratur quid ante rem, quid cum re, quid poſt rem euenerit. [4] Nihil hoc ad ius, ad Ciceronem inquiebat Gallus noſter, ſi quis ad eum tale quid retulerat, vt de facto quæreretur. [5] Tu tamen patiere nullum à me artis inſtitutæ locum præteriri: ne ſi nihil niſi quod ad te pertineat, ſcribendum putaris, nimium te amare videare. [6] Eſt igitur magna ex parte locus hic oratorius, non modo non iuriſconſultorum, ſed ne philoſophorum quidem. [7] Ante rem enim quæruntur, quæ talia ſunt, Apparatus, colloquia, locus, cõſtitutum conuiuium. Cum re autem, pedum crepitus, ſtrepitus hominum, corporum vmbræ, & ſi quid eiuſmodi. At poſt rem, rubor,

rubor, pallor, titubatio, & ſi qua alia ſigna conturbationis, & conſcientiæ: præterea reſtinctus ignis, gladius cruentus, cæteraq́ quæ ſuſpicionem facti poſſunt mouere.

1 Adiunctum ſeptimum genus argumenti affecti non definitur: exemplum autem ex ſuperiore enumeratione repetitur, quod tamen docuimus nõ eſſe ab adiunctis, ſed à comparatione parium. 2 Adiuncta plurimùm quidẽ ad cauſſas coniecturales valent, & ad probãdam quæſtionem facti in cauſſis forenſibus: quanquam etiam ad reliquas omnes quæſtiones & ſpeciales, & generales, non ſolùm in ciuilibus cauſſis, ſed in omni diſputatione tractandas & explicandas adiuncta valent. 3 Hæc admonitio non eſt adiunctorum propria: quia omnia argumenta diſſentaneis & diſſimilibus exceptis, vel antecedunt rem, de qua agitur, vel ſunt cum re ipſa, vel rem ſequuntur. 4 Hoc pro formula Romani iudicij verum eſt: quia iureconſulti quæſtiones de iure & qualitate rerum, oratores verò, id eſt, actores cauſſarum ciuilium, quæſtiones facti tractabant, & excutiebant. 5 Hic locus indicat artem topicam omnium rerum & omnium hominum communem tradi: quamuis ad vnum Trebatium iuriſconſultum ſcribatur. 6 Hic adiunctorum locus tam communis eſt omnium rerum & hominum, quàm communes ſunt reliqui loci dialecticæ inuentionis: nec magis oratorum eſt, quàm philoſophorum & reliquorum hominum. Nam & medici ad iudicandum de ſanitate aut morbo, & generibus medicamentorum maximè adiunctis vtuntur: & aſtrologi hoc argumento, de pluuia & ſerenitate diuinant: & phyſici de elementis cæteriſque naturis philoſophãtur per qualitates eis adiunctas. Itaque hic locus (pace Ciceronis) tam familiaris eſt philoſophorum, quàm oratorũ. 7 Exempla ſunt ad illuſtrandam ſuperiorem diuiſionem adiunctorum, quæ dicuntur à rhetoribus ſigna probabilia & veriſimilia, quæ vel factum antecedũt, vel ſunt in facto, vel factum ſequuntur.

Quid Cicero de adiunctis ex Ariſtotelis topicis aſſumpſit?

Nihil: Ariſtoteles enim in topicis nuſquam adiuncta diuidit in ea quæ rem antecedunt, quæ ſunt cum re, & quæ rem ſequuntur: neque de adiunctorum vſu admonet, quòd ea magis oratorum ſint, quàm iureconſultorum, aut philoſophorum: neque diſtinguit adiuncta ab antecedentibus & conſequentibus, quòd illa non ſemper eueniant, hæc verò ſemper & neceſſariò eueniant. Itaque doctrina Ciceronis de adiunctis nihil Ariſtotelicum habet.

1 *Deinceps eſt locus dialecticorum proprius ex conſequentibus, & antecedentibus, & repugnantibus: qui etiam ab adiunctis longè diuerſus eſt. Nam adiuncta, de quibus paulo antè dictum eſt, non ſemper eueniunt: conſequentia autem ſemper. Ea enim dico conſequentia, quæ rem neceſſariò conſequuntur. Itemq́ & antecedentia & repugnantia. Quicquid enim antecedit quamque rem, id cohæret cum re neceſſariò: & quicquid repugnat, id eiuſmodi eſt, vt cohæ-*

rere nunquam poſſit. Cùm tripartitò igitur diſtribuatur locus hic, in conſecutionem, anteceſſionē, repugnantiam: [2] reperiendi argumēti locus ſimplex eſt, tractandi triplex. Nam quid intereſt cùm hoc ſumpſeris, pecuniam numeratam mulieri deberi, cui ſit omne argentum legatum: vtrum hoc modo concludas argumētum? Si pecunia ſignata argentum eſt, legata eſt mulieri: eſt autem pecunia ſignata argentum: legata igitur. An illo modo? Si numerata pecunia non eſt legata, non eſt numerata pecunia argētum: eſt autem numerata pecunia argentū, legata igitur eſt. An illo modo? Non & legatum argentum eſt, & nō eſt legata numerata pecunia: legatum autem argentum eſt, legata igitur numerata pecunia eſt. [3] Appellant autem Dialectici eam concluſionem argumenti, in qua cùm primum ſumpſeris, conſequitur id quod annexū eſt, primū concluſionis modum. [4] Cùm id quod annexum eſt, negaris, vt id quoque cui fuerit annexum, negandum ſit: ſecūdus appellatur concludendi modus. [5] Cùm autem aliqua coniuncta negaris, & his alia negatio rurſus adiungitur, & ex his primum ſumpſeris, vt quod relinquitur, tollendum ſit: is tertius appellatur cōcluſionis modus. [6] Ex hoc illa rhetorum ſunt ex contrarijs concluſa, quæ ipſi enthymemata appellant: non quòd non omnis ſententia proprio nomine enthymema dicatur, ſed vt Homerus propter excellentiam commune poetarum nomen efficit apud Græcos ſuum, ſic cùm omnis ſententia enthymema dicatur, quia videtur ea quæ ex cōtrarijs cōficiatur, acutiſſima, ſola propriè nomē commune poſſidet. Eius generis hæc ſunt, Hunc metuere, alterum in metu non ponere. Eam quam nihil accuſas, damnas: Bene quam meritam eſſe autumas, dicis malè mereri. Id quod ſcis, prodeſt, nihil id quod neſcis, obeſt.

obeſt. Hoc diſſerendi genus attingit omnino veſtras quoque in reſpõdendo diſputationes, ſed philoſophorum magis, quibus eſt cum oratoribus illa ex repugnantibus ſententijs communis concluſio, quæ à dialecticis tertius modus, à rhetoribus enthymema nuncupatur. [7] *Reliqui dialecticorum modi plures ſunt, qui ex diſiunctionibus conſtãt: Aut hoc, aut illud: hoc autem, nõ igitur illud. Itemq́; Aut hoc, aut illud: non autem hoc, illud igitur. Quæ concluſiones idcircò ratæ ſunt, quòd in diſiunctione plus vno verum eſſe non poteſt. Atq; ex ijs concluſionibus, quas ſuprà ſcripſi: prior quartus, poſterior quintus à dialecticis modus appellatur.* [8] *Deinde addunt coniunctionũ negantium, ſic, Non & hoc, & illud: hoc autem, nõ igitur illud. hic modus eſt ſextus.* [9] *Septimus autem, Non & hoc, & illud: non autem hoc, illud igitur. Ex his modis concluſiones innumerabiles naſcuntur: in quo eſt ferè tota dialectica.* [10] *Sed ne eæ quidem quas expoſui, ad hanc inſtitutionem neceſſariæ.*

1 Octauum, nonum. & decimum, genera argumenti affecti à Cicerone ponuntur antecedens, conſequens, repugnans: atq; hic triplex locus dialecticorum proprius eſſe dicitur, vel quòd à dialecticis horum argumentorum formulæ & tractationes explicentur: vel quòd à ſolis dialecticis hæc argumenta in diſſerendo vſurpentur: quorum primum, quamuis ſit ita, ſimpliciter tamen & imperitè à Cicerone dicitur. Nam quum tota topica doctrina dialecticorum ſit, ridiculum eſt vnum quendam eius artis locum, & non omnes omnino proprios facere: ſecundum autem planè falſum eſt, quia non ſolùm à dialecticis ſcholaſticis, ſed etiam à cæteris philoſophis, & non philoſophis, eiuſmodi concluſiones ad diſputandum adhibentur. Porrò antecedentium & conſequentium præceptis in arte topica nihil admodum proficitur: quia quicquid antecedit neceſſariò, & conſequitur neceſſariò, id alijs generibus argumentorum melius explicatur. Definitio enim neceſſariò rem definitam antecedit, & conſequitur, ſicut partes totum, & notatio nomen, & genus vniuerſum ſpecies omnes, & ſpecies genus. Hæc autem argumenta melius & facilius locis alijs exponuntur, quàm nomine antecedentium, vel conſequentium. Repugnantium autem locus in topica arte neceſſarius eſt, ſi modò diſtinguatur à contrariis, vt contraria certa lege, & certo numero repugnantia nulla certa lege, nec certo numero diſſentiant: quam diſtinctionem Cicero non exprimit, ſed contraria cum repugnantibus confundit. 2 Non eſt vnus & ſimplex locus reperiendi argumenti ab antecedentibus, conſequentibus, & repugnantibus: nam antecedere neceſſariò, & conſequi neceſſariò, & repugnare neceſſariò, tres diuerſæ rationes & præceptiones ſunt, ideoque tres diuerſi loci: nec ſequitur ſi idem argumentum varijs modis

tractari & concludi poſſi:, ideò locos iſtos nõ eſſe ratione & præceptis diſtinctos.

3 Tres regulæ de tribus generibus concluſionum veræ quidem ſunt,& vtiles, ſed tamen à topica doctrina alienæ: & quarum proprius locus eſt in ſecunda parte dialecticæ,cùm agitur de coniunctis ſyllogiſmis: præcepta autem artium non ſatis eſt vera eſſe & vtilia,niſi etiam ſuo quæque loco & ordine tradantur,& explicentur: vt, In Grammatica arte vitioſum eſſet,ſi quis in etymologia regulas de ſyntaxi confunderet & permiſceret. Quinetiam videtur in hac confuſione Cicerò quid dialecticum iudicium eſſet,ignorare: nam cùm topicam doctrinam,non Criticam hoc libro tradere inſtituat,& ſyllogiſmus dialectici iudicij regula ſit,in regulis topicis Criticas regulas ſine iudicio confundit. Primus autem concluſionis modus, quem hic Cicero definit, Syllogiſmus eſt connexus primi modi, vbi ſumitur & retinetur antecedens, vt quod ei annexum eſt, retineatur. Sumere autem antecedens eſt, id quod in pronuntiato connexo primum erat, in aſſumptione ponere,affirmatum,ſi affirmabitur,vel negatum,ſi negabatur: vt,

Si virtus eſt res diuina, vir bonus eſt quidam deus:
Sed virtus eſt res diuina:
Itaque vir bonus eſt quidam deus.

4 Secundus modus eſt ſyllogiſmus connexus ſecundi modi, vbi negatur ſecundum,vt negetur primum: Negare autem hìc Cicero vſurpat pro verbo,Tollere,id eſt,aſſumere contrarium: & id quidem contrarium,quod conſequēti parte connexæ propoſitionis contradicit ſumma contradictione, qualis eſt propria, vel ſpecialis: vt,

Si Socrates à iudicibus damnandus eſt,iniuſtus eſt:
Sed Socrates non eſt iniuſtus:
Non igitur damnandus à iudicibus.

5 Tertius modus fit ex negātia copulatæ pronuntiationis,vbi retinetur vnum ad reliquum tollendum: nihil verò intereſt ad hūc concluſionis modum, vtrum pars aliqua copulationis ſeorſum negetur, an ſingulæ affirmentur:quia vtrobiq; manet conſtantia ratiocinationis:vt,

Non & Socrates currit,& non mouetur:
Sed Socrates currit:
Ergo mouetur.

Item,

Non & Socrates currit,& quieſcit:
Sed Socrates currit:
Ergo Socrates non quieſcit.

6 Cicero enthymemata rhetorum ex contrariis refert ad tertium concluſionis modum ex negantia copulatæ pronuntiationis: ac primùm ſignificationem nominis declarat:enthymema enim propriè ſignificat omnem ſententiam mente conceptā, vt ait Fabius l.b.5.qui etiam hoc Græcum nomen Latinè vertit commentum & commentationem: ζυνθετικῶς autem ſumitur ſpeciatim pro ea ſententia, quæ fit ex contrariis: qui tropus declaratur ſimilitudine ab Homero ſumpta: Vt enim poëtæ nomen generale interdum pro ſolo Homero à Græcis vſurpatur, ita enthymema nomen commune interdum ſpecialiter accipitur pro ea tantùm ſententia quæ fit ex contrariis : exempla verò quæ à Cicerone proponuntur,in hunc tertium modum concludi poſſunt: Primum hoc modo,

Non & hunc metuis,& alterum in metu non ponis:
Sed hunc metuis:
Ergo alterum in metu ponis:

In quo exemplo non eſt enthymema ex veris contrariis, quia hæc duo non diſſentiunt,hunc metuere, & alterum non metuere: Secundum ſic concluditur,

Non & eam nihil accuſas,& damnas:
Sed eam nihil accuſas:

Non

Non igitur eam damnas.

Tertium ſic,

Non & eam bene meritam eſſe autumas,& dicis malè mereri:
Sed eam bene meritam eſſe autumas:
Non igitur dicis eam malè mereri.

Quartum ſic,

Non & id quod ſcis prodeſt,& quod neſcis non obeſt:
Sed id quod ſcis,prodeſt:
Ergo id quod neſcis, obeſt.

7 Cicero proſequitur alieno quoq; loco ſyllogiſmũ diſiunctum : cuius duos modos explicat: primum,in quo vnum retinetur ad alterum tollendum:qui modus tantùm firmus eſt,cùm omnes partes diſiunctionis affirmantur: vt,

Aut dies eſt,aut nox:
At dies eſt:
Non igitur nox.

Nam ſi diſiunctionis pars altera negetur,ſyllogiſmus erit inconſequens: vt,

Aut decem poterunt,aut vnus non poterit:
At decem poterunt:
Vnus igitur poterit.

Antecedentibus veris concluſio falſa ſequitur, Secundus modus tollit vnum, vt reliquum retineat: vt,

Aut morte parricida dignus eſt,aut vita:
Non autem vita:
Morte igitur.

8 Hic ſextus modus non debuit à tertio diſtingui : ſed ex his duobus vnus & idem effici debuit: Nam cùm propoſita negantia veræ copulationis pars vna retinetur ad reliquam tollendam ſyllogiſmus eſt conſtans: nec intereſt ad concludendum, an partes copulationis affirmentur omnes, an earum aliqua negetur.

9 Septimus concluſionis modus, qui à Cicerone deſcribitur, fallax eſt, & inconſequens: nam ſi ita dixeris,

Non & albus homo eſt & niger:
At non eſt albus:
Ergo niger.

Vitiosè concluſeris: quia antecedentibus partibus veris concluſio falſa ſequitur.

10 Cicero hìc indicat ſe regulas ſyllogiſmorum tractaſſe, à topica doctrina alienas.

Quid Cicero de antecedentibus, conſequentibus, & repugnantibus ex Ariſtotelis topicis aſſumpſit?

Neq; definitiones horum argumentorum, neq; tractationes : vt enim omnes topici libri legantur,nuſquam hæc tria argumenta definita reperientur: Nec verò etiam ſeptem concluſionũ modos expoſuit Ariſtoteles, quos hìc Cicero perſequitur: tantùm attigit lib.2.topicọ ſecundum modum connexum ex inuerſione conſequentis:quem tamen non tanquam ſyllogiſmum propoſuit:vt,

Si homo,animal:
Non animal:
Non igitur homo.

Itaque hi tres loci ex Ariſtotelis topica doctrina deſcripti non ſunt.

¹ *Proximus eſt locus rerum efficientium,quæ cauſſæ appellantur: deinde rerum effectarum ab efficientibus cauſis.*

Harum exempla, vt reliquorum locorum paulò antè poſui, & quidem ex iure ciuili: ſed hæc patent latius. Cauſſarum igitur genera duo ſunt. Vnum, quod vi ſua id quod ſub ea ſubiectum eſt, certè efficit, vt ignis accendit. Alterum, quod naturam efficiendi non habeat, ſed ſine quo effici non poſſit: vt ſi quis æs cauſſam ſtatuæ velit dicere, quòd ſine eo non poſſit effici. [2] *Huius generis cauſſarum, ſine quo non efficitur, alia ſunt quieta, nihil agentia, ſtolida quodammodo, vt locus, tempus, materia, ferramenta, & cætera generis eiuſdem. Alia autem præcurſionem quandam adhibent ad efficiendum, & quædam afferunt per ſe adiumenta, etſi non neceſſaria: vt amori congreſſio cauſſam attulerit, amor flagitio.* [3] *Ex hoc genere cauſſarum ex æternitate pendentium fatum à Stoicis nectitur.* [4] *Atq; vt earum cauſſarum ſine quibus effici non poteſt, genera diuiſi, ſic etiam efficientium diuidi poſſunt. Sunt enim aliæ cauſſæ quæ planè efficiant, nulla re adiuuante: aliæ quæ adiuuari velint:* [5] *vt ſapientia efficit ſapientes ſola per ſe: beatos efficiat nécne ſola per ſe, quæſtio eſt.* [6] *Quare cùm in diſputationem inciderit cauſſa efficiens aliquid neceſſariò, ſine dubitatione licebit quod efficitur ab ea cauſſa concludere. Cùm autem erit talis cauſſa, vt in ea non ſit efficiendi neceſſitas, neceſſaria concluſio non ſequitur. Atque illud quidem genus cauſſarum quod habet vim efficiendi neceſſariam, errorem afferre non ferè ſolet: hoc autem ſine quo non efficitur, ſæpe conturbat. Non enim ſi ſine parentibus filij eſſe non poſſunt, propterea cauſſa fuit in parentibus gignendi neceſſaria. Hoc igitur ſine quo non fit, ab eo in quo certè fit, diligenter eſt ſeparandum.* [7] *Illud enim eſt tanquam.*

Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus

Cæſæ cecidiſſent abiegnæ ad terram trabes. [7]

Niſi enim cecidiſſent abiegnæ ad terram trabes, Argo illa facta non eſſet: nec tamen fuit in his trabibus efficiendi vis neceſſaria. [8] At cũ in Aiacis nauim criſpiſulcans igneum fulmen iniectum eſt, inflammatur nauis neceſſariò. [9] Atq; etiam eſt cauſſarum diſsimilitudo, quòd aliæ ſunt vt ſine vlla appetitione animi, ſine voluntate, ſine opinione, ſuum quaſi opus efficiant, [10] velut omne intereat, quod ortum eſt, Aliæ autem aut voluntate efficiunt, [11] aut perturbatione animi, aut habitu, aut natura, aut arte, aut caſu. Voluntate, vt tu cùm hunc libellum legis. Perturbatione, vt ſi quis euentum horum temporum timeat. Habitu, vt facile & citò iraſcatur. Natura, vt vitium in dies creſcat. Arte, vt bene pingat. Caſu, vt proſperè nauiget. Nihil horũ ſine cauſſa, nec quicquã omnino, ſed huiuſmodi cauſſæ nõ neceſſariæ. [12] Omnium autẽ cauſſarum in alijs ineſt conſtantia, in alijs non ineſt. In natura & in arte conſtantia eſt, in cæteris nulla. Sed tamen earum cauſſarum quæ non ſunt conſtantes, aliæ ſunt perſpicuæ, aliæ latẽt. Perſpicuæ ſunt, quæ appetitionem animi iudiciumq; tangunt. Latent, quæ ſubiectæ ſunt fortunæ. Cùm enim nihil ſine cauſſa fiat, hoc ipſum eſt fortunæ, euentus obſcura cauſſa, quæ latenter efficit. [13] Etiam ea quæ fiunt, partim ſunt ignorata, partim voluntaria. Ignorata, quæ neceſsitate effecta ſunt: voluntaria, quæ cõſilio. [14] Quæ autẽ fortuna, vel ignorata, vel voluntaria. Nam iácere telum, voluntatis eſt: ferire quẽ nolueris, fortunæ. [15] Ex quo aries ille ſubijcitur in veſtris actionibus, Si telum manu fugit magis quàm iecit. [16] Cadunt enim in ignorationem atq; in imprudentiam perturbationes animi: quæ quanquam ſint voluntariæ (obiurgatione enim & admonitione deijciũtur)

tamen habent tantos motus, vt ea quæ voluntaria ſunt, aut neceſſaria interdum, aut certè ignorata videantur. [17] *Toto igitur loco cauſſarum explicato, ex earum differentia in magnis quidem cauſsis vel oratorum, vel philoſophorum magna argumentorum ſuppetit copia. In veſtris autem ſi non vberior, at fortaſſe ſubtilior. Priuata enim iudicia maximarum quidem rerum, in iuriſconſultorum mihi videntur eſſe prudentia. Nam & adſunt multum, & adhibentur in conſilio, & patronis diligentibus ad eorum prudentiam confugientibus* [18] *haſtas miniſtrant. In omnibus igitur ijs iudicijs,* [19] *in quibus ex fide bona eſt additum, plurimus earum vſus eſt. Ubi verò etiam, vt inter bonos bene agi oportet, in primiſq;* [20] *in arbitrio rei vxoriæ, in quo eſt quid æquius melius, parati eſſe debent. Illi enim dolum malum, illi fidem bonam: illi æquum bonum, illi quid ſocium ſocio, quid eum qui negotia aliena curaſſet, ei cuius ea negotia fuiſſent, quid eum qui mandaſſet; eúmve cui mandatum eſſet, alterum alteri præſtare oporteret, quid virum vxori, quid vxorem viro, tradiderunt. Licebit igitur diligenter cognitis argumentorum locis, non modò oratoribus & philoſophis, ſed iuris etiã peritis copioſè de conſultationibus ſuis diſputare.* [21] *Coniunctus huic cauſſarũ locus loco ille eſt, qui efficitur ex cauſsis. Ut enim cauſſa quid ſit effectum indicat, ſic quod effectum eſt, quæ fuerit cauſſa demõſtrat.* [22] *Hic locus ſuppeditare ſolet oratoribus & poetis, ſæpe etiã philoſophis, ſed ijs qui ornatè & copioſè loqui poſſunt, mirabilẽ copiam dicendi: cùm denuntiant quid ex quaq; re ſit futurum. Cauſſarum enim cognitio, cognitionem euentorum facit.*

1 Vndecimum & duodecimum argumenta effecta ſunt cauſſæ & effectus, quæ coniunctè explicantur, præterea quòd relata ſunt, & alterum ex altero facilius intelligitur. Sed tamen Cicero neque generatum cauſſam definit, neque in

quatuor

quatuor veras ſpecies finem,formam,efficientem,materiam Ariſtotelis more diſtribuit. Cauſſarum autem diuiſionem bipertitam tripliciter inſtituit, primùm in eas quæ ſua vi aliquid efficiunt,& in eas ſine quibus res non efficitur: vt in animalibus forma ſua vi nutrit, auget, alterat, conſeruat: materia verò ſua vi nihil efficit,ſed tamen eſt eiuſmodi,vt ſine ea neq; nutritio, neque incrementum,neque alteratio, neque conſeruatio & ſalus animalium exiſtere poſſit. 2 Cauſſæ ſecundi generis priore loco diuiduntur in ſtolidas,in quibus falsò numerantur locus & tempus: quia potius rerum circumſtantiæ, quàm cauſſæ ſunt:& in præcurrentes non tamen neceſſarias, vt congreſſio præcedit amorem, neque tamen eſt neceſſaria cauſſa amoris. 3 Fatum nectitur à Stoicis ex omnibus cauſſis & neceſſariis, & nõ neceſſariis inter ſe colligatis, & ex omni æternitate fluentibus: vt nihil aliud ſit fatum, quàm perpetua ſeries cauſſarum inter ſe cohærentium, cùm cauſſam cauſſa præcedit, & conſequitur, & cauſſa cauſſæ annectitur ſempiterna ſerie: quæ fatalis perpetuitas à Stoicis inducta prorſus anilis & impia eſt: quia libertatem agendi noſtris animis eripit, vt conſtat ex diſputatione Ciceronis de Fato,in qua ipſe cum multis philoſophis etiam labitur. 4 Cauſſæ prioris generis, quæ ſua vi efficiunt, poſteriore loco diſtribuuntur in abſolutas & adiuuantes. 5 Sapientia hic Stoicorum more dicitur pro perfecta virtute : vt lib. 1.de Legib.Ratio quum adoleuit,atque perfecta eſt, nominatur ritè ſapientia: vnde ſapiens à Cicerone in philoſophia ſæpe dicitur pro viro bono,& virtutibus cumulato. Vtrum autem ſapientia ſola per ſe beatos efficiat,néne, magna quæſtio eſt inter Peripateticos & Stoicos : quorum hi virtutem ſe ipſa contentam eſſe ad bene beateq; viuendum defendunt: illi verò non putant eam ſine opibus & commodis corporis ad beatam vitam ſatis ſolam,& per ſe valere:lege libros Ciceronis de Finibus bonorum & malorum. 6 Regulæ adhibentur de concluſione & iudicio cauſſarum,vt ex neceſſariis neceſſarius effectus, & ex nõ neceſſariis non neceſſarius concludatur: quæ regula in inuentionis arte ſunt inutiles, & plerumque etiam fallaces : quia nullum eſt argumenti genus tam neceſſarium , ex quo vitiosè & captiosè concludi nõ poſſit. 7 Hoc exemplum ſumptum eſt ex Ennij Medea, & ab Ennio tranſlatum ex Medea Euripidis : vbi ancilla conqueritur de miſeriis dominæ ſuæ:quarum cauſſam ait fuiſſe arbores in Pelio monte cæſas,ex quibus facta eſt Argo nauis:ſed minus ſimpliciter & imperitè argumentatur : quia in eiuſmodi ſtupida & inerti materia nulla fuit neceſſitas efficiendæ nauis: ac multò minus arbores cauſſæ fuerunt,cur Medea erraret:ſed ipſius Medeæ voluntas in cauſſa fuit. Hoc exemplum ſæpe citatur à Cicerone,vt in veteri Rhetorico, in oratione pro Cælio,libro 3.de Natura deorum,& in libro de Fato.

8 Hoc exemplum non omnino conuenit: non enim fulmen neceſſaria cauſſa eſt deflagrationis: licet aliquando comburat:quia fieri poſſit vt nauis fulmine tacta non comburatur,præſertim ſi maior ſit vis reſiſtẽdi in materia,quàm agendi in ignito fulmine. Pallas autem fulmine perdidit nauim Aiacis Olei, propterea quòd ille Caſſandram filiam Priami in eius templo violarat: qua de re Virgilius lib.1.Aeneid.

—Palláſne exurere claſſem
Argiuûm,atque ipſos potuit ſubmergere Ponto,
Vnius ob noxam,& furias Aiacis Oilei?
Ipſa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem,
Diſiecitq; rates, euertitq; æquora Ponto.

9 Secunda cauſſæ diſtributio valde confuſa eſt,& indiſtincta: nam hæc partitio huc ſpectabat, vt quædam cauſſæ non ſponte efficerent, quædam verò ſponte : ſed res tota hic conturbatur : nam in cauſſis ſpontaneis numeratur fortuna, quæ tamẽ nihil habet conſilij & voluntatis. 10 Propoſuit hoc exemplum pro cauſſa naturaliter agente : nam omnes effectus naturales conſilij & voluntatis

expertes ſunt, vt in rebus inanimis, & in ſtirpibus: arbores enim ſuapte natura ſine conſilio flores emittunt, & frondes & fructus. Ciceronis tamen exemplum parum conuenit præcepto, quia ortus non eſt cauſſa interitus, ſed partes rei naturalis, quæ caducæ ſunt & mortales. 11 Enumeratio eſt vitioſa: vitioſum ſiquidem eſt, vt ait Cicero, partem in toto numerare: quod tamen hic facit: voluntas enim comprehendit perturbationem, & habitum, & artem, & naturam: quia actiones quæ ab his proficiſcuntur, voluntariæ ſunt. 12 Tertia cauſſæ diſtributio ſequitur in conſtantem & non conſtantem: illa ratos & ſimiles, & eiuſdem quaſi naturæ effectus inſtituit, vt natura & ars: nam ex equo equus gignitur, non homo: & ex homine homo, non equus: & ars in ſuis operibus eſt æmula naturæ: hæc verò varios & diſſimiles gignit effectus, vt voluntas hominis, quæ modis propemodum infinitis conuertitur: & fortuna, quæ varios & diſſimiles euentus efficit. 13 Effecta diuiduntur accommodatè ad proximam diſtributionem cauſſarũ. 14 Quæ à fortuna ſunt, minimè voluntaria ſunt: nam ſicut fortuna eſt expers conſilij & voluntatis, ita etiam euentus fortuitus: & iactus quidem teli voluntarius eſt: percuſſio autem eius, quem nolebas, omnino expers eſt voluntatis & conſilij. 15 Metaphora eſt à machinis bellicis, quibus veteres vtebantur ad quatiendos muros: Aries igitur in actionibus eſt grauis aliqua ratio ad expugnandum aduerſarium: qualis hæc fortaſſe poſſit eſſe ad excuſandam imprudentiam emiſſi teli, quòd idipſum manu effugerit, magis quàm iactum fuerit.

16 Actiones quæ à perturbationibus oriuntur dolore, lætitia, ſpe, metu, videntur eſſe quodammodo neceſſariæ & coactæ: quòd tanta ſit vis perturbationum, vt rationem de ſua ſede & poteſtate deturbent, eamque quaſi victam & inuitam parére cogant. Ideoque Ariſtoteles libro 3. Ethicorum diſputat, eiuſmodi actiones videri quaſi mixtas: vt ſi quis iuſſu tyranni patrem necauerit, metus videtur cum ad mortem patri inferendam coëgiſſe, cùm tamen reuera talis effectus voluntarius ſit: quia poterat non occidere: neque poteſt eſſe tanta vis perturbationis, vt homini libertatem agendi quæ velit, eripiat. 17 Expoſita triplici cauſſarum diuiſione ſequitur admonitio de earum vſu, qui cùm ſit oratorum & philoſophorum, tum etiam ad iureconſultos pertinere probatur, quia cùm reſpondent de iure in ciuilibus controuerſiis, hoc genus argumenti maximè ponderant & examinãt: qui locus illuſtratur aliquot exemplis actionũ forenſium. 18 Haſtæ metaphoricè dicuntur pro firmis argumentis: qualia ſæpe iureconſulti ſuppeditant oratoribus: vt Cicero libro primo de Oratore ait, A quo cùm amentatas haſtas acceperit, ipſe eas oratoris lacertis, viribuſq; torquebit. 19 Iudicia bonæ fidei ſunt actiones, in quibus maior æquitatis, quàm ſtricti iuris ratio habetur: nam bona fides interdum pro æquo bono dicitur. Actiones bonæ fidei ſunt, vt tutelæ, ſocietatis, mandati, commodati, depoſiti, rei vxoriæ, hercíſcundæ familiæ, ex empto & vendito, ex locato & conducto, & multæ aliæ eiuſdem generis, quæ in priuatis iudiciis ex æquo bono diſceptantur. 20 Arbitrium rei vxoriæ eſt, quando poſt diuortium de dote controuerſia oritur. 21 Effectorum cum cauſſis magna eſt cognatio: hæc enim nomina mutuæ ſunt relationis, & ſeſe mutuò interpretantur: Effecta igitur definienda ſunt, quæ de cauſſis exiſtunt: quæ tot modis diuiduntur, quot modis antea diuiſæ ſunt cauſſæ. 22 Cicero videtur de effectorum vſu velle præcipere, ſed tamen hæc præceptio perſpicuam & manifeſtã de cauſſis habet intelligẽtiam: cùm enim denuntiamus quid ex quaq; re futurum ſit, tum argumentamur à cauſſis ad effecta, non ab effectis ad cauſſas.

Quid Cicero in doctrina cauſſarum & effectorum ex Ariſtotelis topicis mutuatus eſt?

Tres ſunt apud Cic. principes diuiſiones cauſſarum, prima in efficientem ſua vi, & non efficientem ſua vi: ſecunda in non ſpontaneam, & ſpontaneam: tertia in conſtantem, & non conſtantem: quarũ nulla eſt in topicis Ariſtotelis in quibus

bus licèt locus ab efficientibus & effectis aliquando nominetur, ſine tamen definitionum & diuiſionum doctrina, id eſt, ſine arte omnino dialectica nominatur. Nec etiam cauſſarum vſus communis omnium quæſtionum tractandarum demonſtratur ab Ariſtotele, ſed ad diſputationes problematũ ſolùm refertur: itaq; Cicero in explicandis cauſſis & effectis topicam Ariſtotelis artem non imitatur.

[1] Reliquus eſt comparationis locus, cuius genus, & exemplum ſuprà poſitum eſt, vt cæterorum: nunc explicanda tractatio eſt. Comparantur igitur ea quæ aut maiora, aut minora, aut paria dicuntur: in quibus ſpectantur hæc, numerus, ſpecies, vis, quædam etiam ad res aliquas affectio. Numero ſic comparabuntur, [2] vt plura bona paucioribus bonis anteponantur, pauciora mala malis pluribus, diuturniora bona breuioribus, longè & latè peruagata anguſtis, ex quibus plura bona propagentur, quæq; plures imitentur, & faciant. Specie autem comparantur, vt anteponantur quæ propter ſe expetenda ſunt, ijs quæ propter aliud: & vt innata atque inſita, aſſumptis & aduentitijs: integra contaminatis: iucunda, minus iucũdis: honeſta ipſis etiam vtilibus: procliuia, laborioſis: neceſſaria, non neceſſarijs: ſua, alienis: rara, vulgaribus: deſiderabilia, ijs quibus facile carere poſsis: perfecta, inchoatis: tota, partibus: ratione vtentia, rationis expertibus: voluntaria, neceſſarijs: animata, inanimatis: naturalia, non naturalibus: artificioſa non artificioſis. Vis autem in comparatione ſic cernitur, Efficiens cauſſa grauior, quàm nõ efficiens: quæ ſeipſis contenta ſunt, meliora quàm quæ egent alijs: quæ in noſtra, quàm quæ in aliorum poteſtate ſunt: ſtabilia, incertis: quæ eripi non poſſunt, ijs quæ poſſunt. Affectio autem ad res aliquas eſt huiuſmodi: principum commoda maiora, quàm reliquorum: itemq; quæ iucundiora, quæ pluribus probata, quæ ab optimo quoq; laudata. [3] Atq; vt hæc in cõparatione meliora, ſic deteriora quæ ijs ſunt cõtraria. [4] Parium autẽ comparatio nec elationem

habet, nec ſubmiſſionem: eſt enim æqualis. Multa autem ſunt, quæ æqualitate ipſa comparantur, quæ ita ferè concluduntur. Si conſilio iuuare ciues, & auxilio, æqua in laude ponendum eſt: pari gloria debent eſſe ij qui conſulunt, & ij qui defendunt. at quod primum eſt: quod ſequitur igitur.

1 Decimumtertium & vltimum genus argumenti affecti eſt comparatio, quę non definitur à Cicerone: definiri autem debuit conuenienter huic inſtituto collatio rerum in quantitate. Cæterùm diuiditur in tria genera, maiorum, minorum, parium: quæ quidem illuſtrantur quadruplici genere circumſtantiarum, in quibus conſideratur ratio comparationis. 2 Hæ ſententiæ quæ pro exemplis adhibentur, probabiles & populares magis, quàm certæ & neceſſariæ ſunt, & in rebus diuerſæ ſpeciei plerunque fallunt: nam vel vnicum bonum pluribus bonis interdum anteponitur: vt, Vna ſcientia præſtat omnibus diuitiis. Interdum tamen adhibentur, & valent ad diſputandum probabiliter de rebus propoſitis. Numero igitur comparantur hæc, vt plura bona paucioribus anteponantur: vt, Iuſtum eſſe, & fortem, & temperantem melius eſt, quàm tantummodo fortem eſſe. & pauciora mala pluribus anteponantur: vt, Iactura decem aureorum iacturæ omnium bonorum. & diuturna breuioribus: vt, Fundus fructibus fundi. & longè peruagata anguſtis: vt, Cœlum priuato vnius loci fundo. & ex quibus plura bona propagantur: vt, Academia Pariſienſis reliquæ vrbi. & quæ plures imitantur: vt, Ariſtotelis doctrinam plures imitantur, quàm Platonis. Hoc tamen exemplum magis probabile, quàm verum eſt. Specie comparantur, vt anteponantur propter ſe expetenda his, quæ propter aliud expetuntur: vt, Virtus diuitiis, felicitas virtuti ſecundùm Ariſtotelem. Innata aſſumptis: vt, Bona animi, bonis fortunæ. Integra cõtaminatis: vt, Tota domus partibus eius diſſectis & diuulſis. Iucunda minus iucundis: vt, Voluptates animi, voluptatibus corporis. Honeſta vtilibus: vt, Amicitia honeſta amicitiæ quæſtuoſæ. Procliuia laborioſis: vt, Vita monachorum, vitæ ruſticorum. Neceſſaria non neceſſariis: vt, Cibus veſti. Sua alienis: vt, Propriæ opes alienis. Rara vulgaribus: vt, Peregrinis regionibus aduecta his, quæ domi naſcuntur. Deſiderabilia his, quibus facilè carere potes: vt, Vita voluptatibus. Perfecta inchoatis: vt, Domus perfecta, domui inchoatæ. Tota partibus: vt, Corpus manui aut pedi. Ratione carentia, ratione vtentibus: vt, Homo beſtiæ. Voluntaria neceſſariis: vt, Actiones voluntariæ actionibus coactis & violentis. Animata inanimatis: vt, Homo lapidi. Naturalia non naturalibus: vt, Vox naturalis voci fictæ. Artificioſa non artificioſis. vt, Cantus muſicus, ruſtico. Vis in comparatione cernitur, vt efficiens cauſſa anteponatur nõ efficienti, vt forma materiæ. Ex ſeipſis contenta his, quæ egent alio: vt, Deus homini, Summum bonum diuitiis. Et quæ ſunt in noſtra poteſtate his, quæ ſunt extra noſtram poteſtatem: vt, Voluntas benefaciendi, benefacto. Et ſtabilia incertis: vt, Scientia opinioni. Et quæ eripi non poſſunt his, quæ poſſunt: vt, Bona animi, bonis corporis. Affectio ad res aliquas eſt eiuſmodi: vt, Principum commoda maiora ſunt, quàm reliquorum: vt, Regnare maius eſt, quàm aliquem ſubiectum regno magiſtratum gerere. Item quæ iucũdiora: vt, Voluptas animi quàm corporis. Et quæ pluribus probata: vt, Secta Peripateticorũ pluribus placet, quàm Stoicorum. Et quæ ab optimo quoque laudata: vt, Ab optimo quoq; magis laudata virtus eſt, quàm diuitiæ. Atque in his probabilibus ſententiis incluſa eſt collatio quædam minorum cum maioribus: nam cùm ita loquimur, plura bona ſunt anteponenda paucioribus: collationis ea vis eſt: vt, pauciora quidem bona valeant, & probentur, ſed tamen plura bona magis valeant, & probentur. 3 Si propoſitis exemplis

exempla contraria ſumantur, deteriora comparabuntur minus malis, & magis fugienda minus fugiendis, vt plura mala pauciori bus malis poſtponãtur: vt ſcelus, & paupertas, & morbus, & infamia magis fugienda ſunt, quàm ſola paupertas: eademq́ue ratio valebit in reliquis exemplis. 4 Collatio parium eſt cùm ex quantitate pari, par, & æqualis quãtitas approbatur: vt Philippica ſecunda, Quorum eſt facinus commune, cur nõ erit præda communis? In exemplo autem Ciceronis iuuare conſilio, & iuuare auxilio, non videntur eſſe paria conſulentibus & defendentibus: ſed coniugata, aut effecta: & quamuis iuuare conſilio, & iuuare auxilio inter ſe paria ſint, quæſtioni tamen de qua agitur, minimè paria ſunt: atque hoc exemplum in gratiam Trebatij & Ciceronis appoſitum eſt, quorum alter conſilio, alter auxilio ciues adiuuabat: ſyllogiſmus connexus eſt primi modi, vbi retinetur antecedens ad retinendum conſequens.

Quid Cicero de comparatione ex Ariſtotelis topicis aſſumpſit?

Non diuiſionem primam in comparationem maiorum, minorum, parium: quamuis enim in topicis Ariſtotelicis frequens commemoratio fiat maiorum & minorum, nuſquam tamen comparatio in tria genera diuiditur. Neque item Ariſtoteles docuit quatuor eſſe res, in quibus ſpectatur vis collationis, numerũ, ſpeciem, vim & affectionem: ſed lib. 3. topico quædam probabilia præcepta ad diſſerendum de rebus magis aut minus expetendis, aut fugiendis, ſublata huius diuiſionis luce confusè cumulauit, nec ad generalem de omnibus rebus differendi vſum, ſed ad morales quæſtiones accommodauit. Itaque vt in ſuperioribus ferè locis omnibus, ſic in hoc poſtremo nullum veſtigium Ariſtotelicæ inſtitutionis & doctrinæ apparet: ſed imitatio potius eſt aliorum Græcorum Philoſophorum, vt Philonis, & Cratippi, quorum libros Cicero ſtudiosè lectitabat.

[1] Perfecta eſt omnis argumentorũ inueniendorum præceptio, vt cùm profectus ſis à definitione, à partitione, à notatione, à coniugatis, à genere, à forma, à ſimilitudine, à differentia, à contrarijs, ab adiunctis, à conſequentibus, ab antecedentibus, à repugnantibus, à cauſſis, ab effectis, à comparatione maiorum, minorum, parium: nulla præterea ſedes argumenti quærenda ſit. [2] Sed quoniam ita à principio diuiſimus, vt alios locos diceremus in eo ipſo, de quo ambigitur, hærere, de quibus ſatis eſt dictum: alios aſſumi extrinſecùs: de ijs pauca dicamus, [3] etſi ea nihil omnino ad veſtras diſputationes pertinent: ſed tamen totam rem perficiamus, quandoquidem cœpimus. Neq; enim tu is es, quem nihil niſi ius ciuile delectet: & quoniam ad te hæc ita ſcribuntur, vt etiam in aliorũ manus ſint ventura, detur opera, vt quamplurimùm ijs quos recta ſtudia delectant, prodeſſe poſſimus.

[4] *Hæc ergo argumentatio quæ dicitur artis expers, in teſtimonia poſita eſt. Teſtimonium autem nunc dicimus omne quod ab aliqua re externa ſumitur ad faciendam fidem.* [5] *Perſona autem nō qualiſcunque teſtimonij pondus habet: ad faciendam enim fidem authoritas quæritur. Sed authoritatem aut natura, aut tempus affert. Naturæ authoritas in virtute ineſt maximè. In tempore autem multa ſunt quæ afferant authoritatem, ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, vſus, neceſſitas, concurſio etiam nonnunquam rerū fortuitarum. Nam & ingenioſos, & opulentos, & ætatis ſpatio probatos, dignos quibus credatur putant: non rectè fortaſſe: ſed vulgi opinio mutari vix poteſt, ad eamq́ omnia dirigunt, & qui iudicant, & qui exiſtimant. qui enim his rebus quas dixi excellunt, ipſa virtute videntur excellere. Sed reliquis quoq́ rebus, quas modò numeraui, quanquam in iis nulla ſpecies virtutis eſt, tamen interdum confirmatur fides, ſi aut ars quædam adhibetur (magna enim eſt vis ad perſuadendum ſcientiæ) aut vſus. Plerunque enim creditur iis qui experti ſunt.* [6] *Facit etiam neceſſitas fidem, quæ cùm à corporibus, tum ab animis naſcitur. Nam & verberibus torti, & igni fatigati quæ dicunt, ea videtur veritas ipſa dicere: & quæ à perturbationibus animi ſunt, dolore, cupiditate, iracundia, metu, quia neceſſitatis vim habent, afferunt authoritatem & fidem. Cuius generis etiam illa ſunt, ex quibus nonnūquam verum inuenitur, pueritia, ſomnus, imprudentia, vinolentia, inſania. Nam & pueri ſæpe iudicauerūt aliquid, ad quid pertineret ignari: & per ſomnum, vinū, inſaniam, multa ſæpe patefacta ſunt. Multi etiam in res odioſas imprudentes inciderunt: vt Stalerio nuper accidit, qui ea locutus eſt bonis viris ſubauſcultantibus, pariete interpoſito,*

quibus

quibus patefactis, in iudiciumq́ prolatis, rei capitalis iure damnatus eſt. [7] *Huic ſimile quiddã de Lacedamonio Pauſania accepimus. Concurſio autem fortuitorum talis eſt, vt ſi interuentum eſt caſu cùm aut ageretur aliquid quod proferendum non eſſet, aut diceretur. In hoc genere etiam illa eſt in* [8] *Palamedem coniecta ſuſpicionũ proditionis multitudo. quod genus refutare interdum veritas vix poteſt.* [9] *Huius etiam generis eſt fama vulgi, quoddam multitudinis teſtimonium.* [10] *Quæ autem virtute fidem faciunt, ea bipartita ſunt: ex quibus alterum natura valet, alterum induſtria. Deorum enim virtus natura excellit, hominum autem induſtria. Diuina hæc ferè ſunt teſtimonia. Primùm orationis: oracula enim ex eo ipſo appellata ſunt, quòd ineſt in his deorum oratio. Deinde rerum in quibus inſunt quaſi opera diuina quædam. Primùm ipſe mundus, eiusq́ omnis ordo & ornatus: deinceps aerei volatus auium, atq́ cantus: deinde eiuſdem aeris ſonitus & ardores: multarumq́ rerum in terra portenta, atq́ etiam per exta inuenta præſenſio: à dormientibus quoq́ multa ſignificata viſis. quibus ex locis ſumi interdum ſolent ad fidem faciendam teſtimonia deorũ.* [11] *In homine virtutis opinio valet plurimùm. Opinio autẽ eſt, non modò eos virtutem habere qui habeant, ſed eos etiam qui habere videantur. Itaq́ quos ingenio, quos ſtudio, quos doctrina præditos vident, quorumq́ vitam conſtantem & probatam, vt Catonis, Lælij, Scipionis, aliorúmque plurium, rentur eos eſſe quales ſe ipſi velint. Nec ſolùm eos cenſent tales eſſe, qui in honoribus populi, atque in Republica verſantur: ſed & oratores, & philoſophos, & poetas, & hiſtoricos, ex quorum & dictis & ſcriptis ſæpe authoritas petitur ad faciendam fidem.*

1 Prima pars topicæ inuentionis, quæ eſt de argumentis inſitis, peroratur & concluditur epilogo ſedecim generum, quorum tria diximus eſſe ex toto, & reliqua tredecim affecta ad id de quo quæritur. 2 Tranſitio à locis inſitis ad aſſumptos. 3 Imò verò totum ius ciuile in teſtimonijs iureconſultorum ferè poſitum eſt: vt nulla ratio ſine legis authoritate apud eos firma ſit. 4 Hactenus de argumentis inſitis dictum e!t: ſequitur argumẽtum extrinſecùs aſſumptum, quod ſumitur non ex altera parte quæſtionis, ſicut inſitum, ſed ex authoritate alicuius perſonæ, vel diuinæ, vel humanæ, quæſtionem ipſam affirmantis vel negantis: vt ſi quis affirmet artes eſſe laudabiles, quia Ouidius dixit,

Artibus ingenuis quæſita eſt gloria multis.

Ex affirmatione Poëtæ affirmatur quæſtio: Item ſi quis neget quenquam eſſe in vita beatum, quia idem Poëta ſcripſit,

—Diciq; beatus

Ante obitum nemo, ſupremaq; funera debet.

Ex negatione Poëtæ, in quo eſt authoritas, quæſtio negatè concluditur. Hoc argumenti genus Ariſtoteles & Cicero & Quintilianus appellant artis expers, quod ab oratore, id eſt, cauſidico forenſi nõ inueniatur, ſed à litigatore ad eum deferatur: non rectè quidem, nec verè, ſicut antea docuimus: quia poteſt orator teſtimónia poëtarum & philoſophorum, & aliorum clarorum hominum ad explicãdam cauſſam per ſe inuenire, vt Cicero citat interdum in orationibus ſuis verſus poëtarum, & apophthegmata illuſtrium virorũ: & tam inſita, quàm inſita argumenta ad oratorem à litigatore deferuntur. Itaque hac ratione inſita dicerẽtur aſſumpta. Dicatur autem (ſi placet) hoc argumẽtum expers artis, quia per ſe minimum habeat artis, id eſt, probationis ad faciendam fidem: nõ enim quia aliquid quis dixit, idcircò protinus verum eſt: ſed authoritas teſtimonij aliis argumentis inſitis exploranda eſt. 5 Perſona non qualiſcunque teſtimonij pondus habet: neque enim in iudiciis corrupto teſti, aut periuro, aut irato, aut maleuolo creditur: neque in philoſophia imperitis hom nibus, & rerum cauſſas ignorantibus: neque in artibus opificum, non expertis: neque vlla in re mendaci & impoſtori. Ad fidem igitur teſtimonij quæ faciunt, duo à Cicerone deſcribuntur, tempus & natura: quæ diuiſio ex aliquo Græculo authore deſumpta eſt, & parum accuratè facta v:detur: quia natura etiam continetur in tempore, in quo notantur octo res, quæ aũferunt authoritatem perſonis, ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, vſus, neceſſitas, concurſio fortuitorum. Creditur enim nonnunquam ingenioſis, vt olim Chryſippo & Carneadi in philoſophia: creditur opulentis, vnde prouerbium, Teſtis locuples, & author locuples, id eſt, bonus, & grauis, & fidelis: creditur hominibus ætatis ſpatio probatis, vt ſenibus in adminiſtranda Republ. non rectè fortaſſe creditur his ſemper, quia poteſt ingenioſus interdum mentiri, vt Sinon ille Virgilianus: & opulentus, vt Vlyſſes: & ætatis ſpatio probatus, vt M. Antonius, qui diſſimulauit mores ſuos: deinde Rempubl. inuaſit. Creditur etiam his, qui ſcientia & vſu in aliqua arte verſati ſunt, vt in ſanandis morbis docto & experto medico, in ædificiis conſtruendis perito & exercitato architecto: quales olim fuerunt Athenis Philo & Hermodorus. 6 Neceſſitas hìc dicitur vis quædam quaſi neceſſariò ad fatendum verum homines impellens: eaque ſumitur aliâs ex corporibus, aliâs ex animis. Prioris generis ſunt tormenta & quæſtiones, quales olim de ſeruis habebantur occultioris veritatis eruendæ gratia: poſterioris ſunt hæc, vt in pueris impotentia rationis: itaque dicunt omnia, quæ ſciunt: & in hominibus cuiuſque ætatis vehementiores animorum motus, iracundia, dolor, metus, qui videntur interdum homines quaſi cogere, vt verum dicant, quod perturbationibus vacui non dicerẽt: & ebrietas vim neceſſariam ſimiliter adfert. vide Prouerbium, In vino veritas. & ea quæ homines loquuntur in ſomniis, vel in inſania, magnum pondus habent: nam cùm tum ex ſua quaſi poteſtate exiiſſe videan-

videantur, quicquid audierint, aut viderint, aut aliquo alio modo cognouerint, ſine fuco & mendacio promere & eloqui putantur. 7 Pauſanias Lacedæmoniorum dux Cleombroti filius crimine proditionis & defectionis ad Xerxem Regem Perſarum accuſatus, quum deſcendiſſet in locum ſubterraneum, oraretq́ue Argilium, cui literæ ad Artabarzum præfectum Xerxis dederat, nequid euulgaret, ab Ephoris Lacedæmoniis auditus eſt, iuſſusq́ue comprehendi, in templum Palladis confugit, ſed denudato tecto, clauſisq́ue ianuis, & adhibitis cuſtodibus, cùm hinc exire non poſſet, fame & inedia conſumptus eſt. lege Thucydidem libro primo belli Peloponneſiaci. 8 Vlyſſes Palamedis odio flagrans, vt ei mortem doloſè moliretur, cõfinxit epiſtolam nomine Priami ſcriptam, vbi Priamus proditionis gratias agebat Palamedi, & ſecretum auri pondus tranſmiſſum eſſe ſcribebat. Quam epiſtolam cùm Vlyſſes captiuo cuidam dediſſet, iuſſit eum per ſeruos clàm interfici, & in tentorio Palamedis ſepeliri, atque ibidem recondi aliquod auri pondus: atque interea epiſtolam ad Agamemnonem Regem defert, qua perlecta in conſilio Græcorum, repertoq́ue ſeruo, & auro in tentorio Palamedis, ipſe Palamedes quamuis innocentiſſimus, & minimè conſcius proditionis fuiſſet, tamen damnatus & ſaxis obrutus fuit. Concurſio igitur rerum fortuitarum valuit contra Palamedem, & ad faciendam fidem apud Græcos principes magnum pondus habuit. 9 Fama eſt publicus ſermo de re quapiam, cui plerumque creditur: non rectè fortaſſe, ſed tamen hi ſunt hominum mores, vt quod multorum ſermonibus iactatum eſt, idipſum protinus verum eſſe iudicent, cùm tamen ſæpe fama mentiatur: quæ eſt, vt ait Poeta,

Tam ficti prauiq; tenax, quàm nuntia veri.

Et hoc commune eſt omnium teſtimoniorum, quæ ab hominibus proficiſcuntur: de quibus hactenus à nobis dictum eſt, vt per ſe parum fidei & probationis habeant, & ex his multò plura falſa, quàm vera reperiantur, præſertim in ætate, opibus, fortuna, neceſſitate, & concurſione rerum fortuitarum. 10 Hactenus expoſiti ſunt teſtimoniorum loci, qui ſumuntur ex tempore: ſequuntur hi, qui ex natura & virtute ducuntur: vnde duo ſunt teſtimoniorum genera, diuinum & humanum: ex illo genere primùm ſunt oracula, id eſt, deorum voces, qui olim vatum & ſacerdotum ſuorum ſpiritu & lingua loqui putabantur, vt Pythius Apollo Delphis, & Iuppiter Hammon in deſertis Libyæ: deinde teſtimonia ex diuinis operibus ſumpta, quibus veteri ſuperſtitionis errore dij voluntates ſuas hominibus ſignificare credebantur: vnde exorta ſunt multa genera diuinationis: vnum ex mundo & ornatu mundi, id eſt, aſtris, ex quibus olim Chaldæi & Babylonij de euentu rerum futurarum multa diuinabant. Alterum ex aërio volatu auium & cantu, quod appellatur auſpicium & augurium: nam & veteres auium ſignificationibus plurimùm obtemperabant: & Auguralis diſciplina ſanctiſſimè ab his colebatur: & libri Augurales qui hanc diuinandi ſcientiam tradebant, perſcripti erãt. Tertiũ ex aëris ſonitu & ardoribus, id eſt, tonitru & fulminibus: quod etiam abuſiuè dicitur augurium: quia veteres Augures etiam de cœlo ſeruare, & Ioue tonante aut fulminante obnuntiare ſolebant. Quartum ex multis rerum in terra portentis & prodigiis, quorũ interpretationibus etiam ſacri præerant Augures: vt cùm audiebatur pluiſſe vel ſanguinem, vel lapides, aut aëre ſereno ſonitum armorum increpuiſſe, aut portentum aliquod natum eſſe, quid hæc & ſimilia portenderent & ſignificarent, Augures quaſi diuino ſpiritu admoniti interpretari credebantur. Quintum ex præſenſione per exta: nam cùm victimæ immolabantur, aderant aruſpices, & inſpectis animaliũ viſceribus, bonos aut malos euentus denuntiabãt: ſic Spurina cũ animalis cor nõ inueniſſet, Cæſarem admonuit, vt caueret Idus Martias. Sextum ex viſis, quæ dormientibus obuciuntur, quæ qui interpretarentur, olim vocabantur coniectores & arioli: vt cum Cyro dormienti Sol ad pedes viſus eſſet, eumq; ter appetiuiſſe fruſtrà manibus Cyri ſibi videretur, cùm Sol ipſe elaberetur, Magi reſponderunt ex triplici appetitione Solis triginta annos Cyrum regnaturũ eſſe portendi: quod ita contigit. 11 Humanum

teſtimonium quod ſumitur ex opinione virtutis, dupliciter conſideratur, aliâs in publica, aliâs in priuata perſona: in publica, vt ſi quis probet virtutem præmiis honoris eſſe excitandam, quia Cato Senior dixerit, Qui honorem virtuti non tribuat, eum virtutem à iuuétute auferre: in priuata, vt ſi quis doceat iuſtitiam eſſe colendam, quia Virgilius poëta ſcripſerit,

Diſcite iuſtitiam moniti, & ne temnite diuos.

Quid Cicero de teſtimonijs ex Ariſtotelis topica doctrina aſſumpſit?

Nihil. Neque enim apud Ariſtotelem in topicis teſtimonium ita definitur: neque eius authoritas vel ex tempore, vel ex natura docetur aſſumi: neq; ea quæ in tempore aut natura faciunt authoritatem, numerantur, & explicantur: itaque cognitis ſingulis huius topicæ doctrinæ præceptis, & cum Ariſtotelis topica inſtitutione collatis, ſubductiſque rationibus, & vltrò citroque habitis, valde mirandum eſt Ciceronem initio huius operis recipere, & polliceri Trebatio ſe explicaturum topicam ſententiam Ariſtotelis, cùm in hoc toto libro, exceptis pauculis admodum præceptiunculis, quas etiam Cicero ex alio authore mutuari potuit, nihil Ariſtotelicum eſſe videatur: niſi fortè Cicero alios Ariſtotelis topicos libros in manibus habuit, atque hi qui nomine Ariſtotelis paſſim leguntur in ſcholis, nomen & authoritatem ementiuntur.

[1] *Expoſitis omnibus argumentandi locis, illud primùm intelligendum eſt, nec vllam eſſe diſputationem, in quam non aliquis locus incurrat:* [2] *nec ferè omnes locos incidere in omnem quæſtionem: & quibuſdam quæſtionibus alios, quibuſdam eſſe alios aptiores locos.* [3] *Quæſtionum duo ſunt genera: alterum infinitum, alterum definitum. Definitum eſt quod ὑπόθεσιν Græci, nos cauſſam: infinitum, quod θέσιν illi appellant, nos propoſitum poſſumus nominare. Cauſſa certis perſonis, locis, temporibus, actionibus, negotijs cernitur, aut in omnibus, aut in pleriſq; eorum: propoſitum autem in aliquo eorum, aut in pluribus, nec tamen in maximis.* [4] *Itaque propoſitum pars cauſſæ eſt. Sed omnis quæſtio earum aliqua de re eſt, quibus cauſſæ continentur, aut vna, aut pluribus, aut nonnunquam omnibus.* [5] *Quæſtionum autem, quacunq; de re ſint, duo ſunt genera: vnum cognitionis, alterum actionis. Cognitionis ſunt hæ, quarum finis eſt ſcientia, vt ſi quæratur,* [6] *à naturáne ius profectum ſit, an ab aliqua quaſi conditione hominum & pactione. Actionis*

nis autem huiuſmodi exempla ſunt: [7] Sítne ſapientis ad Rempublicam accedere. [8] Cognitionis quæſtiones tripartitæ ſunt, cùm an ſit, aut quid ſit, aut quale ſit, quæritur. Horum primum coniectura, ſecundum definitione, tertium iuris & iniuriæ diſtinctione explicatur. [9] Coniecturæ ratio in quatuor partes diſtributa eſt: quarum vna eſt cùm quæritur, ſítne aliquid: altera, vnde ortum ſit: tertia, quæ id cauſſa effecerit: quarta, in qua de mutatione rei quæritur, ſit nécne: ſic, [10] Ecquidnam honeſtum ſit, ecquid æquum reuera, an hæc tantùm in opinione ſint. Unde autem ſit ortum, [11] vt cùm quæritur, natura, an doctrina poſſit effici virtus. Cauſſa autem efficiens ſic, vt cùm [12] quæritur quibus rebus eloquentia efficiatur. De commutatione ſic: [13] Poſſítne eloquentia cõmutatione aliqua cõuerti in infantiam. [14] Cùm autem quid ſit quæritur, notio explicãda eſt, & proprietas, & diuiſio, & partitio. Hæc enim ſunt definitioni attributa. Additur etiam deſcriptio, quam Cræci καταγραφὴν vocant. Notio ſic quæritur, [15] ſítne id æquum, quod ei qui plus poteſt, vtile eſt. Proprietas ſic, [16] in hominémne ſolum cadat, an etiam in belluas ægritudo. Diuiſio, & eodem pacto partitio, [17] ſic, Triáne genera bonorum ſint. Deſcriptio, [18] qualis ſit auarus, [19] qualis aſſentator, cæteraq; eiuſdem generis, in quibus natura & vita deſcribitur. [20] Cùm autem quæritur quale quid ſit, aut ſimpliciter quæritur, aut comparatè. Simpliciter, expetendáne ſit gloria. Comparatè, præponendáne ſit diuitijs gloria. Simplicium tria genera ſunt, de expetẽdo fugiendoq; de æquo & iniquo, de honeſto & turpi. Comparationum autem duo, vnum de eodem & alio, alterum de maiore & minore. De expetendo & fugiendo huiuſmodi, [21] Si expetẽdæ diuitiæ, ſi fugien-

da paupertas. De æquo & iniquo, [22] *æquúmne ſit vlciſci, à quocumq́; iniuriam acceperis. De honeſto & turpi,* [23] *honeſtúmne ſit pro patria mori. Ex altero autem genere quod erat bipartitum, vnum eſt de eodem & alio: vt ſi quæratur,* [24] *quid interſit inter amicum & aſſentatorem,* [25] *regem & tyrannum. Alterum de maiore & minore:* [26] *vt ſi quæratur, eloquentiáne pluris ſit, an iuris ciuilis ſcientia.* [27] *De cognitionis quæſtionibus hactenus. Actionis reliquæ ſunt, quarum duo ſunt genera, vnũ ad officium, alterum ad motum animi vel gignendum vel ſedandum, planéve tollendum. Ad officium ſic, vt cùm quæritur, ſuſcipiendíne ſint liberi. Ad mouẽdos animos, cùm fiunt cohortationes ad defendendam Rempublicam ad gloriam, & ad laudem. quo ex genere ſunt querelæ, incitationes, miſerationesq́; flebiles: rurſumq́;* [28] *oratio tum iracundiam reſtinguens, tum metum eripiens, tum exultantem lætitiam comprimens, tum ægritudinem abſtergens. Hæc cùm in propoſitis quæſtionibus genera ſint: eadem in cauſſas transferuntur.*

1 Tota ars topica generibus argumentorum rectè & accuratè deſcriptis continetur: de quæſtione autem quæ ſequitur, grauis eſt error Ciceronis, vel Græcorũ potius, vnde doctrinã quæſtionis aſſumpſit: Nec enim de quæſtione præcipit, quod præcipiendum erat: & quod præcipiendum non erat, præcipit: Nam ad topicæ artis vſum docere oportebat duas partes quæſtionis antecedentem & conſequentem, & quæſtionem totam conſiderandam eſſe: vt ex partibus quæſtionis argumenta inſita, & ex tota quæſtione aſſumpta depromantur: quod Cicero in his topicis non docet: verùm præcipit quæ genera quæſtionis, & quæ generum ſpecies, & quæ tractatio ſingulis generibus conueniat: quæ omnia de quæſtione & quæſtionis vſu præcepta in hac arte ſuperuacua ſunt, & aliena: quia ars generalis & vniuerſa nullam ſpecialem materiæ ſibi ſubiectæ diuiſionem requirit: vt in Grammatica, quæ eſt ars de omnibus rebus ſcribendi & loquendi, non diuidimus res, de quibus ſcribendum, aut loquendum ſit: in Arithmetica & Geometria, quæ ſunt artes res omnes numerandi & metiendi non diuidimus res, quæ numerandæ aut metiendæ ſunt, vt homines, pecudes, veſtes, agros, fundos, nummos, & reliquas eiuſmodi innumerabiles & infinitas. Dialectica autem inuentio, de qua Cicero ſe præcipere profitetur, tota generalis & vniuerſa eſt: quia dialectica eſt de omnibus rebus diſſerendi doctrina. Itaque in topica arte ſubiecta materies ad diſſerendum, id eſt, quæſtio in tot genera & ſpecies diuidi non debuit. 2 Antiqui Rhetores, quos Cicero ſequitur, idcircò quæſtionem in multa & varia genera diſtribuerunt, quòd exiſtimarent certis

tis quæſtionibus certos & proprios locos accommodari, non omnes omnibus: quæ opinio valide illos decepit: omnium ſiquidem rerum quæ ad diſſerendum proponuntur cauſſæ, & effecta, & adiuncta, & contraria, & comparata, & coniugata, & notatio, & diuiſio, & definitio, & teſtimonia quæri poſſunt: quorum argumentorum quæ inueniri, aut non inueniri debeant, aut poſſint, non tam iſta Græca quæſtionum doctrina demonſtrabit, quàm ipſius topicæ artis cum re de qua agitur, collatio: vt ſi quæratur de pace, ex perluſtratione & conſideratione locorum, videbis quæ argumenta quæſtioni tuæ conueniant, & quæ non conueniant: nam & cauſſæ pacis, & effecta, & adiuncta, & comparata, & contraria, & alia multa occurrent: notatio foraſſe non occurret: eodemque modo faciendum eſt in cæteris propoſitis quæſtionibus. 3 Quæſtio diuiditur ex enuntiationis ſimilitudine in duas ſpecies, theſin & hypotheſin: vt enim enuntiatio, ſic quæſtio alia communis eſt, alia ſpecialis: vt ſi communiter quæratur, ſitne ſapientis accedere ad Rempublicam, theſis eſt: ſin adhibitis propriis perſonæ, & loci, & temporis circumſtantiis, quæratur, ſitne Catonis ſapientis Romæ Cæſare Conſule verſari in Republica, hypotheſis eſt.

4 Cicero in Partitionibus oratoriis idem ſcribit, Quare quum de cauſſa dixero, in qua eſt propoſitum, de vtraque dixero: ſed non intelligo cur quæſtionem generalem partem quæſtionis propriæ & ſpecialis faciat: non enim ſi genus partem ſpeciei declarat, idcircò theſis eſt in hypotheſi: quia nec theſis eſt genus hypotheſeos, nec hypotheſis theſeos: ſunt enim duæ ſpecies inter ſe contrariæ: nec verò ſequitur ſi quæſtio ſpecialis & propria ad communem reuocetur, vt ideò theſis in hypotheſi contineatur: ſed idipſum totum contrà eſt: quia hæc reuocatio eò ſpectat, vt ex genere, id eſt, ex toto & continente ſpecies quæ pars eſt, & in genere comprehenſa, probetur & arguatur, vt ſi generaliter probatum fuerit, tyrannicidas eſſe præmiis & honoribus afficiendos, licebit hinc ſpecialiter & propriè probare & concludere, Bruto & Caſſio, qui tyranoctoni fuerunt, præmium & honorem eſſe tribuendum. 5 Diuiſio theſeos in θεωρητικὴν & πρακτικὴν ſumitur ex vniuerſæ philoſophiæ genere, quæ in cognitionem & actionem diuiditur, vt docet Socrates apud Platonem in Politico.

6 Cicero libro primo de Legibus non à Prætoris edicto, vt plerique aiunt, neque à duodecim tabulis, vt ſuperiores, ſed penitus ex intima philoſophia iuris diſciplinam hauriendam putat: & eorum qui ius ciuile tradunt, ignorationem potius iuris eſſe litigioſam, quàm ſcientiam. Itaque fontem iuris ciuilis cenſet eſſe legem, id eſt, rationem ſummam inſitam in natura, quæ iubet, quæ facienda ſunt, prohibetque contraria: & Ariſtoteles primo Politico diſputat ius gentium, niſi iuri naturali reſpondeat, nullum ius eſſe: & Plato in libris de Republica ius ex iuſtitiæ natura petendum eſſe. 7 Plato in Epiſtola ad Dionem, Enimuero, inquit, hæc affirmo: ſi quis ægrotanti & parua ratione victus vtenti de valetudine recuperanda præcipiat, nónne id in primis eſt neceſſarium, vt victum commutet, & parere ſapienti contraria ſuadeat? recuſanti verò nihil omnino conſulat? Hoc enim qui faciat, & virum & medicum arbitrabor: qui verò contrà fecerit, eum & ignauum, & medicæ artis imperitum iudicabo. Simillima verò germanaq; res eſt in ciuitate, ſiue princeps eius vnus, ſiue plures fuerint. Nam ſi recta ratione Reſpublica decéter adminiſtretur, & de rebus vtilibus deliberetur, ſapientis eſt talibus ciuibus conſilium dare. At cùm ciues iter ab illa recta Republica deuium tenuerint, eiuſque veſtigiis inſiſtere & ingredi noluerint, principique ſuo denuntiauerint, vt Rempublicam miſſam faciat, neque attingat, aut paratam ſibi mortem proponat, iuſſerintq; vt eorum libidinibus & cupiditatibus inſeruiat, viamque doceat, qua & facillimè & celerrimè quod velint, aſſequantur, hunc, inquam, Reipublicæ rectorem, qui hæc patiatur, nequaquam virum putabo: contrà verò, qui fecerit, verum principem nominabo. 8 Hæc diuiſio manca & imperfecta eſt: quia multa cognitionis gratia generatim quæruntur,

quæ non cadunt in hæc genera: vt, Vbi naſcitur thus? Quo tempore arbores fron deſcunt? Quantus eſt elephas? 9 Coniectura diuiditur in quatuor partes, diuiſione valde ridicula: quia prima pars eadem eſt cum toto: cùm enim quæritur an ſit, & ſitne aliquid, vnum & idem quæritur, nec quicquam intereſt: ſecunda autem & tertia confunduntur: quia cauſſa efficiens eſt origo rei. 10 Et honeſtum & æquum, ſi de his verè loquamur, natura conſtant, non hominum opinione mutantur. 11 Ariſtotel. lib. 2. de Moribus, exiſtimat virtutem tribus rebus perfectam eſſe, natura, doctrina, & exercitatione: Plato autem in Menone cenſet eam nobis diuinitùs dari, nec vllos eſſe, tradendæ virtutis præceptores. 12 Eloquentia tribus modis efficitur, ſicut cæteræ hominis virtutes, natura, doctrina, & exercitatione. 13 Meſſala Coruinus orator in ſenectute adeò repueraſcere cœpit, vt nominis ſui oblitus ſit. 14 Quæſtioni definitionis ſubiiciuntur notio, id eſt, genus, quod in definitione primùm ſolet adhiberi, & proprietas, qua res ſuis finibus clauditur, & diuiſio & partitio per quas interdum res definitur, vt antè Cicero docuit, & deſcriptio, id eſt, rudis & adumbrata rei explicatio, quæ fit non ex cauſſis internis, & rem conſtituentibus, ſed ex accidentiis externis: nec tamen ſequitur, ſi hæc ad definiendum pertineant, vt ſint partes vel ſpecies quæſtionis: & exempla Ciceronis malè accommodantur. Nam cùm quæris, an ægritudo ſit hominis propria, an tria ſint genera bonorum, coniecturæ quæſtio eſt, non definitionis: nec ſequitur ſi hæ quæſtiones definitionibus explicari poſſint: vt definitionis ſint: quia quæſtio coniecturalis, & quæſtio qualitatis etiam definitionibus poſſunt explicari. 15 Traſymachus apud Plat. lib. 1. de Republ. definit iuſtitiam & iuſtum id, quod ei qui plus poteſt, vtile eſt: quæ definitio falſa eſt: & à Socrate refutatur. 16 Cic. Tuſcul. 3. Propriè, inquit, vt ægrotatio in corpore, ſic ægritudo in animo nomen habet non ſeiunctum à dolore: vbi ægritudinem propriam hominum facit. 17 Ariſtoteli & Peripateticis tria genera bonorum videntur, animi, corporis, & fortunæ: Stoicis placet ea tantùm eſſe bona, quæ ſunt in animo: reliqua autem corporis & fortunæ, non bona, ſed commoda dici debere: lege libros Ciceronis de Finibus. 18 Qualis ſit auarus, deſcribit Euripides his verbis,

> Ὅστις δόμοις μὲν ἥδεται πληρουμένοις,
> Γαστρὸς δ' ἀφαιρῶν σῶμα δύστηνος κακοῖ,
> Τοῦτον νομίζω καὶ θεῶν συλᾶν βρέτη,
> Τοῖς φιλτάτοις τε πολέμιον πεφυκέναι.
> *Quiſquis oblectatur in opulentis domibus,*
> *Et ventrem fraudans corpus miſer vexat,*
> *Hunc exiſtimo, & deorum prædari ſimulacra,*
> *Et amicis ſuis hoſtem exiſtere.*

19 In Phædro Platonis aſſentator deſcribit beſtia grauiſſima, & calamitas maxima, & blandus conciliator fallacis amicitiæ. 20 Quæſtio qualitatis diuiditur in ſimplicē & comparatam: & ſimplex in tria genera, comparata verò in duo, vtraque poſtrema diuiſione vitioſa: ſimplicis enim qualitatis ſpecies duntaxat de rebus moralibus traduntur expetendis & fugiendis, æquis & iniquis, honeſtis & inhoneſtis. At verò quot penè rerum genera ſunt, totidem ſunt in qualitate ſpecies quæſtionum ſimplicium: itaque non ſolùm de his quæritur, ſed etiam de congruo & incongruo, ornato & inornato, pulchro & deformi, calido & frigido, humido & ſicco, graui & leui, duro & molli, &c. Et qualitatis comparatæ primum genus de eodem & diuerſo potius ad definitionē, quàm ad qualitatem pertinet, vt author eſt Ariſtoteles in topicis, & ipſe Cicero poſtea confirmabit. Nec etiam tantùm quæritur de maiore & minore, verùm etiam de pari: vt, An tanti facienda ſit fortitudo, quanti iuſtitia? Itaque valde mirum eſt, cur Cicero in his diui-

ſionibus adeò diuidendi leges contempſerit, vt non tantummodo res, de quibus agitur, mutilatas propoſuerit, ſed etiam membra alienis inſtruxerit: cuius tamen erroris culpam non tam Ciceroni, quàm Græcis authoribus, quos Cicero ſequutus eſt, tribuendam puto. 21 Peripatetici diuitias expetendas eſſe dicunt, quia conferunt ad beatam vitam, & paupertatem fugiendam, quia impedit actiones virtutis: at Stoici qui ab his diſſentiunt, nō tam rebus quàm verbis diuitias aiunt non expetendas, ſed ſumendas eſſe: & paupertatem non fugiendam, ſed reiiciendam: lege lib. 4. de Finib. 22 Si liberi iniuriam à parentibus acceperint, vlciſci non debent: Socrates in Critone Platonis diſputat, ſi iniuriam acceperis, ne vindicandam quidem eſſe, quia nullo modo iniuria facienda ſit: quæ Socratis ſententia plane Chriſtiana eſt. 23 Veteres Græci & Romani honeſtum eſſe cenſebant pro patria mori: hinc Fabij, Decij, Camilli, hinc Leonidas & Epaminondas clariſſimi & illuſtriſſimi ſua morte fuerunt. Hinc etiam illud Virgilianum,

—Pulchrumq́ mori ſuccurrit in armis.

24 De differentia amici & adulatoris: lege Plutarchi libellum. 25 Socrates comparat lib. 8. de Repub. Regem bono & fideli tutori, tyrannū lupo: lege etiam Ariſtotel. lib. 3. & 4. & 5. Polit. 26 Hæc contētio diſputatur in oratione pro Murena: & eloquētia præponitur iuriſprudentiæ. 27 Tranſit à theſi theoritica ad practicam, in cuius primo genere comprehenduntur quæſtiones politicæ & morales: vt cùm quæritur de iuſto & iniuſto, deq́; omnibus officiis humanæ vitæ: quales quæſtiones ſunt apud Cic. in lib. Offic. In ſecundo genere ſunt generales quædam diſputationes, quæ interdum interponuntur in cauſſis ciuilibus ad mouendos aut ſedandos affectus: vt cùm Cic. in 1. Philip. cohortatur Antonium, diſputat de vera & falſa gloria. Similis eſt partitio libro 3. de Oratore: Quæ verò, inquit, referuntur ad agendum, aut in officij diſceptatione verſantur, quo in genere quid rectum faciendumq́; ſit, quæritur, cui loco omnis virtutum & vitiorum eſt ſylua ſubiecta: aut in animorum aliqua permotione, aut gignenda, aut ſedanda, tollendave tractantur: huic generi ſubiectæ ſunt cohortationes, obiurgationes, conſolationes, miſerationes, omniſque ad omnem animi motum & impulſio, & ſi ita res feret, mitigatio.

Vtrum Cicero generalem doctrinam quæſtionis in theſin & hypotheſin, generaq́ theſeos ex Ariſtotelis topica doctrina ſumpſit?

Ariſtoteles primo libro topico πρότασιν & πρόβλημα communiter diuidit in quatuor ſpecies, de accidente, genere, proprio & definitione: de quibus ſingulis tum probandis, tum improbandis topicam doctrinam tradere inſtituit: quæſtionem in theſin & hypotheſin nuſquam in topicis diſtribuit. Quòd verò ad theſin attinet, alia eſt eius nominis ratio apud Ariſtotelem, alia apud Ciceronem: ille capite nono libri primi theſin vocat admirabilem & inopinatam alicuius philoſophi ſententiam, velut Antiſthenis, qui dicebat, nullam eſſe in rebus contradictionem: hic quæſtionem generalem quæ caret certis circunſtantiis perſonarū, locorum, temporum: & Ariſtoteles problema dialecticum, quod vult genus eſſe theſeos, ita diſtinguit, vt aliud ad ſcientiam, aliud ad actionē referatur, aliud nec huc, nec illuc primo & per ſe referatur: ſed tamen eiuſmodi ſit, vt ſcientiam vel actionem adiuuet: theſin verò non ita diſtingui. Itaque Cicero nec in prima quæſtionis diuiſione, nec in proxima diſtributione theſeos topicam vim Ariſtotelicæ diſciplinæ ſecutus eſt.

Loci autem qui ad quaſque quæſtiones accommodati ſunt, deinceps eſt videndum. Omnes quidem illi, quos ſuprà

diximus, ad pleraſq; ſunt, ſed alij ad alias, vt dixi, aptiores. [2] *Ad coniecturam igitur maximè apta, quæ ex cauſsis, quæ ex effectis, quæ ex coniunctis ſumi poſſunt.* [3] *Ad definitionẽ autem pertinet ratio & ſcientia definiendi.* [4] *Atq; huic generi finitimum eſt illud quod appellari de eodem & altero diximus, quod genus forma quædam definitionis eſt. Si enim quæratur* [5] *idémne ſit pertinacia & perſeuerantia, definitionibus iudicandum eſt.* [6] *Loci autem conuenient in eius generis quæſtionem, conſequẽtes, antecedentes, repugnantes, adiunctis etiam duobus ijs qui ſumuntur ex cauſsis & effectis. Nam ſi hanc rem illa ſequitur, hanc autem non ſequitur: aut ſi huic rei illa antecedit, huic non antecedit: aut ſi huic rei repugnat, illi non repugnat: aut ſi huic rei hæc, illius alia cauſſa eſt: aut ſi ex alio hoc, ex alio aliud effectum eſt: ex quouis horũ id de quo quæritur, idémne an aliud ſit, inueniri poteſt.* [7] *Ad tertium genus quæſtionis in quo quale ſit quæritur, in comparatione ea cadunt, quæ paulò antè in comparationis loco enumerata ſunt.* [8] *In id autem genus, in quo de expetendo fugiendóq; quæritur, adhibẽtur ea quæ ſunt aut animi, aut corporis, aut externa vel commoda, vel incommoda. Itemq; cùm de honeſto turpiq; quæritur, ad animi bona vel mala omnis dirigenda oratio eſt. Cùm autem de æquo & iniquo diſſeritur, æquitatis loci colliguntur. hi cernuntur bipartitò, & natura, & inſtituto. Natura partes habet duas, tuitionem ſui,* [9] *& vlciſcendi ius. Inſtitutio autem æquitatis tripartita eſt: Vna pars legitima eſt, altera conueniens, tertia moris vetuſtate cõfirmata.* [10] *Atq; etiam rurſus æquitas tripartita dicitur eſſe, vna ad ſuperos deos, altera ad manes, tertia ad homines pertinere. Prima pietas, ſecunda ſanctitas, tertia iuſtitia aut æquitas nominatur.*

Hæc-

1 Hactenus expoſita ſunt genera theſeos: deinceps ſingulorum generum vſus & tractatio oſtenditur: videtur autem Cicero ſignificare non omnes locos omnium quæſtionum communes eſſe,ſed alios aliorum magis proprios eſſe, & idcircò ſuos quibuſque quæſtionibus locos attribuendos: ſed ratio Ciceronis falſa eſt,& ob id rationis abſurda concluſio:nulla enim quæſtio eſt,cuius extremorum non poſſit quæri definitio, partes,notatio, coniugatio, genus, ſpecies, ſimile,diſſimile,contrarium,adiunctum,repugnans,cauſſæ,effecta,& totius quæſtionis teſtimonia: nec ſequitur ſi in omnem quæſtionem non omnia quadrant argumentorum genera,idcircò locos alios aliis quæſtionibus tribuendos eſſe:nam locorum ipſorum generalis & vniuerſa perluſtratio , & cum quæſtione collatio demonſtrabit,quæ ſuppeditent,aut non ſuppeditent argumenta, non autem illa locorum ad quæſtionem aſſignatio. 2 Subiicit coniecturæ tres locos, cauſſarum,effectorum,& adiunctorum : quæ locorum deſignatio vt vera ſit , tamen eſt inepta: quia hi loci non tantùm ad hanc quæſtionem maximè apti ſunt, ſed ad hanc quæſtionem maximè apti ſunt, ſed ad omnem quæſtionem. 3 Admonet,vt quum quæritur quid ſit res, eam rectè & legitimè definiamus, id eſt,propriè,breuiter,& perſpicuè,ſicut ars dialectica definitionis præſcribit. 4 Hoc ex Ariſtotelis doctrina ſumptum eſt capite quarto libri primi topici,ſed inconſtanter à Cicerone poſitum,qui paulò antè ſubiiciebat quæſtionem de eodem & diuerſo quæſtioni comparatæ qualitatis.Sic autem Ariſtoteles ait,Itemq́ue hoc,vtrum idem ſit ſenſus & ſcientia,an aliud,definitioni attributum eſt: in definitionibus enim idémne ſit,an alterum , multus vſus eſt : ad definitionemq́ue pertinent ea omnia quæ ſubiecta ſunt viæ & rationi eidem, cui definitio : atque hæc omnia talia eſſe ex hoc intelligi poteſt,quòd ſi poſſumus quid idẽ ſit,quid aliud, diſſerere,magna nobis de definitionibus diſputandi ſuppetet copia. Nam ſi non idem eſſe oſtendemus,definitionem infirmabimus: quanquam nõ id retro commeat:non enim ſatis eſt ad conſtruendam definitionem, idem eſſe docere: ad euertendam autem ſatis eſt non eſſe idem oſtendere. 5 Pertinacia eſt in vitio, perſeuerantia in virtute : illa in ratione bene animaduerſa , ſtabilis , & perpetua manſio: hæc abſque ratione ſtabilis & perpetua manſio. 6 Ex omnibus locis demonſtrari poteſt quæſtio de eodem & diuerſo : itaquæ hæc diſtinctio & deſignatio certorum locorum vana eſt. 7 De vſu quæſtionis comparatæ Cicero rem abſurdam & vanam præcipit:neque enim hæc quæſtio comparationibus tractatur potius,quàm reliquis argumentorum locis:vt ſi quæratur,an animi bona præſtantiora ſint bonis corporis,hæc quæſtio definitione,partibus,notatione,genere,forma,ſimilibus,diſſimilibus,contrariis, & reliquis argumentis tractari poteſt. 8 Hìc Cicero topicæ doctrinæ oblitus,quos locos antea deſcriptos quæſtionibus accommodare conſtituerat,non accommodat:ſed in rethorum confuſionem labitur,qui has præceptiunculas commẽti ſunt. Tota verò qualitatis ſimplicis quæſtio generalibus & dialecticis locis nõ minus facilè explicari & tractari poteſt,quàm quæſtio coniecturæ & definitionis: & loci, id eſt,præcepta de generibus bonorum & malorum , iuſtitiæ & iniuſtitiæ , propriè ſpectant ad philoſophiam moralem,ad dialecticam artem nihil ſpectant. 9 Hoc vlciſcendi ius naturale quidem hominibus eſt , ſed antiquiſſima generis humani labe & contagione vitioſum,& Euangelio Chriſti damnatum. 10 Hæc definitio eſt ethnica,& falſas æquitatis ſpecies continet : antiqua autem ſuperſtitione dij & ſuperi & inferi colebantur,& quidam heroës ex hominibus conſecrati.

Vtrum Cicero ex Ariſtotelis topicis hæc præcepta de vſu generum theſeos aſſumpſit?

Vt Ariſtoteles in topicis theſin non eſt partitus,neq; in ea ſignificatione vſurpauit,quam Cicero ſequitur: ita neque vſum & tractationem ſingulorum generum monſtrauit:& quamuis libro 6.vias omnes inſtituẽdæ definitionis diligen-

ter & accuratè perſequatur, non tamen id agit quod nunc Ciceroni propoſitum eſt: neque præceptiones ſuas ad communem de omnibus rebus diſſerendi vſum refert: neque omnino cum his topicis præceptis conſentit. De coniectura autem & qualitate, itemq́; de his quæſtionibus quæ ſunt actionis, nihil ſimile in Ariſtotelis topicis præcipitur.

[1] *De propoſito ſatis multa: deinceps de cauſſa pauciora dicenda ſunt. pleraq; enim ſunt ei cum propoſito communia. Tria ſunt igitur genera cauſſarum, iudicij, deliberationis, laudationis, quarum fines ipſi declarant quibus vtendum locis ſit. Nam iudicij finis ius eſt, ex quo etiam nomen. Iuris autem partes tum expoſitæ, cùm æquitatis. Deliberandi finis vtilitas, cuius hæ partes, quæ modò expoſitæ rerum expetendarum. Laudationis finis honeſtas, de qua item eſt antè dictum. Sed definitæ quæſtiones à ſuis quæq; locis quaſi proprijs inſtituuntur, in accuſationem defenſionemq; partitæ. In quibus exiſtunt hæc genera, vt accuſator perſonam arguat facti, defenſor aliquid opponat de tribus, aut non eſſe factum, aut ſi ſit factum, aliud eius facti nomen eſſe, aut iure eſſe factum. Itaque aut inficialis, aut coniecturalis prima appelletur, definitiua altera: tertia, quamuis moleſtum nomen hoc ſit, iuridicialis vocetur. Harum cauſſarum propria argumēta ex ijs ſumpta locis quos expoſuimus, in præceptis oratorijs explicata ſunt. Refutatio autem accuſationis, in qua eſt depulſio criminis, quæ Græcè στάσις dicitur, Latinè appelletur ſtatus, in quo primùm inſiſtit quaſi ad repugnandum congreſſa defenſio. Atq; etiam in deliberationibus & laudationibus ijdem exiſtunt ſtatus. Nam & negantur ſæpe ea futura, quæ ab aliquo in ſentētia dicta ſunt fore, ſi aut omnino fieri non poſſunt, aut ſine ſumma difficultate non poſſunt. In qua argumentatione ſtatus coniecturalis exiſtit. At cùm aliquid de vtilitate, honeſtate, æquitate diſſeritur, deq; ijs rebus quæ his ſunt contraria, incurrunt ſtatus aut iuris,*

ris, aut nominis: quod idem cōtingit in laudationibus. Nam aut negari poteſt id factum eſſe quod laudetur, aut non eo nomine afficiendum quo laudator affecerit, aut omnino non eſſe laudabile, quòd non recte, non iure factū ſit. [2] *Quibus omnibus generibus vſus eſt nimis impudenter Caſar contra Catonem meum. Sed quæ ex ſtatu contentio efficitur, eam Græci κρινόμενον vocāt. Mihi placet id, quoniam quidem ad te ſcribo, quâ de re agitur, vocari. Quibus autem hoc, quâ de re agitur, continetur, hæc continentia vocentur, quaſi firmamenta defenſionis, quibus ſublatis defenſio nulla ſit. Sed quoniam lege firmius in controuerſiis diſceptandis eſſe nihil debet, danda eſt opera, vt legem adiutricem & teſtem adhibeamus. In qua re alij quaſi ſtatus exiſtunt noui, qui appellantur legitimæ diſceptationes. Tum enim defenditur non id legem dicere, quod aduerſarius velit, ſed aliud. Id autem cōtingit, cùm ſcriptum ambiguum eſt, vt duæ differentes ſententiæ accipi poſſint. Tum opponitur ſcripto voluntas ſcriptoris, vt quæratur, verbáne plus, an ſententia valere debeat. Tum legi lex contraria affertur. Ita ſunt tria genera quæ controuerſiam in omni ſcripto facere poſſunt, ambiguum, diſcrepantia ſcripti & voluntatis, ſcripta contraria. Iam hoc perſpicuum eſt, non magis in legibus quàm in teſtamentis, in ſtipulationibus, in reliquis rebus quæ ex ſcripto aguntur, poſſe controuerſias eaſdem exiſtere. Horum tractationes in alijs libris explicantur. Nec ſolùm perpetuæ actiones, ſed etiam partes orationis iiſdem locis adiuuantur, partim proprijs, partim communibus: vt in principijs, quibus vt beneuoli, vt dociles, vt attenti ſint qui audiant, efficiendum eſt proprijs locis. Itemq́ narrationes, vt ad ſuos fines ſpectent, id eſt, vt planæ ſint, vt breues, vt euidentes, vt*

credibiles, vt moderatæ, vt cum dignitate. Quæ quanquam in tota oratione eſſe debent, magis tamen ſunt propria narrandi. Quæ autem conſequitur narrationem fides, ea perſuadendo quoniam efficitur, qui ad perſuadendum loci maximè valeant, dictum eſt in ijs, in quibus de omni ratione dicendi diximus. Peroratio autem & alia quædam habet, & maximè amplificationem: cuius effectus hic debet eſſe, vt aut perturbentur animi, aut tranquillentur, & ſi ita iam affecti antè ſunt, vt augeat eorum motus, aut ſedet oratio. Huic generi, in quo & miſericordia, & iracundia, & odiũ, & inuidia, & cæteræ animi affectiones perturbantur, præcepta ſuppeditantur alijs in libris, quos poteris mecum legere, quum voles. Ad id autem quod te velle ſenſeram, cumulatè ſatisfactum eſſe debet voluntati tuæ. Nam ne præterirem aliquid, quod ad argumẽtum in omni ratione reperiendum pertineret, plura quàm à te deſiderata erant, ſum complexus: feciq́; quod ſæpe liberales venditores ſolent, vt quum ædes fundúmve vendiderint [3] rutis cæſis receptis, cõcedant tamen aliquid emptori: quod ornandi cauſſa aptè & loco poſitum eſſe videatur. Sic tibi nos ad id quod quaſi mancipio dare debuimus, ornamenta quædam voluimus non debita accedere.

1 Tranſitus eſt à quæſtione generali ad propriam, quæ primùm diſtribuitur in tria genera, iudicij, deliberationis, & laudationis: deinde eorum vſus oſtenditur: ſed partitio hæc vitioſa eſt: quia ſunt innumerabiles quæſtiones propriæ, in quibus neque iudicium, neque deliberatio, neque demonſtratio verſatur: vt cùm quæritur de hac herba qualis ſit, de hoc fundo, de hac arbore. Porrò omnes quæſtiones proprijs & ſingularibus circumſtantiis definitæ, quemadmodum communes omnes & infinitæ, generalibus dialecticæ inuentionis locis inſtrui & explicari poſſunt. At Cicero quaſi doctrina topica his quæſtionibus abundè non ſufficeret, rhetorum commentitios locos hìc inculcat, neque ſolùm ſingulis quæſtionibus iudicij, deliberationis, demonſtrationis: ſed etiam ſingulis partibus orationis rhetoricos, vt appellat, locos, & à dialecticis locis diuerſos accõmodat: quæ conciſæ & minutulæ topicarum inuentionum ſubductiones ridiculam in inſtituenda iuuentute & puerilem infantiam pepererunt. Nam ſi præceptor aliquis explicandam orationem ſumpſerit, vbi coniecturalis ſit quæſtio, tam varij varia-

rum inuentionum loci ex rhetoricis libris occurrent, vt quos ſequatur, ipſe neſciat: ſunt enim loci de coniectura: ſunt etiam de tribus generibus cauſſarum: ſunt item alij de ſingulis partibus orationis: poſtremò ſunt generales & communes omnium quæſtionum loci. Quid igitur hìc præceptor faciet? aut quam artem inuentionis è tam multis ad explicandam orationem adhibebit? 2 Cicero librum de vita & laudibus Catonis Vticenſis mortui ſcripſit, & dignitate Catonis,& Ciceronis eloquentia temporibus illis valde laudatum:quem cùm Cæſar in lucem editum eſſe moleſtè ferret, duos libros aduerſus Ciceronianam Catonis laudationem edidit,qui ex re ipſa Anticatones dicerentur: vbi Ciceronem maximis laudibus extollens Catonis vitia collegit,atque in primis ei ebrietatem tanquã maximum probrum obiecit, quòd ab opificibus antelucanis ebrius deprehenſus erubuiſſet, ita tamen vt non Catonem ab illis, ſed illos à Catone deprehenſos putares. Qua de cauſſa fortaſſe Cicero dicit impudenter à Cæſare vituperatum eſſe Catonem, quòd in eo, in quo vituperaretur, maximè laudabilis viſus eſſet. 3 Ruta cæſa dicuntur, vt ait Feſtus, quæ poſſeſſionis venditor ſui vſus gratia concidit, ruendaque contraxit. Pomponius lib.18.Digeſt. Quintus, ait,Mutius reſcripſit,Ruta cæſa ædium fundive nõ ſunt,niſi id ſcriptum eſt:nam ruta cæſa ea ſunt,quæ neque ædium,neque fundi ſunt.Vlpianus lib.19.Si ruta & cæſa excipiantur in venditione,ea placuit eſſe ruta,quæ eruta ſunt,vt arena,creta, & ſimilia: cæſa eſſe,vt arbores cæſas,carbones,& his ſimilia. Cicero autẽ in pero ratione topici huius operis comparat ſe liberalibus venditoribus, qui emptoribus plura dant,quàm promiſerint: verùm dum liberalis erga Trebatium videri voluit,incidit in redundantem,& ſuperuacuam, & vitioſam effuſionem: quæ in tradendis artium præceptis maximè vituperatur, in quibus vt deeſſe, ſic redundare nihil debet: nam vt in faciendo, ſic in præcipiendo modus eſt omnium optimus. Prodigus autem fuit in prima locorũ enumeratione: prodigus item in antecedentium & conſequentium tractatione: prodigus denique in tam longa & vana quæſtionis explicatione:atque vt huius totius topicæ doctrinæ ſumma fiat, non pauciora quæ nihil ad artem topicam pertinent,quàm quæ pertinent, Cicero fruſtrà & inutiliter & inconſideratè profudit.

FINIS.

M. Tullij Ciceronis

PARADOXA AD M.Brutum.

AVDOMARI TALAEI commentationibus explicata.

AD

CAROLVM LOTHARINGVM Cardinalem ampliſſ.

NOLI putare (Carole Lotharinge Cardinalis ampliſſime) vnum tuo beneficio Petrum Ramum fratrem meum tibi deuinctum eſſe: omnes mortales (qui ſunt ſanè quàm plurimi) eius vigiliis & laboribus vel adiutos, vel excitatos eodem vinculo in perpetuum tibi deuinxiſti: liberaſti primùm magnæ oppreſsionis iniquitate: deinde (quæ ſumma tua benignitas eſt) optatiſsimam & gratiſsimam libertatem optatiore & gratiore dignitate cumulaſti. Ergo, vt antea tibi pro libertate fratri reſtituta gratias egeram, ſic primùm hoc munuſculum elaboraui, quo meá de tua tanta bonitate lætitiam tibi declararem. Petrus Ramus regia profeſsione per te ſibi conſtituta philoſophiam cum eloquentia próſitetur, vel potius philoſophiæ vſum in eloquentibus authoribus interpretatur: ego Petri Rami frater, inſtitutionis huius vias ſecutus, tantum bonū promouere & confirmare, tuumque hac de re diuinum iudicium vni in terris homini probare contendi, qui oratione multis barbariſmis copioſa, & ſolœciſmis ornata, quam in tuo nomine publicare auſus eſt, inſtitutionis huius nō modò authorem, perduellionis, maieſtatis, impietatis, omnium denique ſcelerum, quæ legibus vindicantur (hæc enim hominis verba ſunt) reum apud omnes gentes fecerit, ſed etiam patronos & defenſores errore phanatico agitatos, & lymphaticos in eadem oratione appellarit: huic, inquam, homini tam vehementer irato ſatiſfacere pro mea parte volui, & demonſtrare nō deſperatos neſcio quos ἀθέους eſſe, qui vſum philoſophiæ & fructum in eloquentibus poetis, oratoribus, philoſophis oſtendant: nec eſſe phanaticos, qui talem inſtitutionem probent & laudent. Itaque vt ſuperioribus commenta-

tionibus tibi nuncupatis, Rhetoricis inſtitutionibus, quæſtionibus Academicis, interpretationibus in primum ἠθικὸν Ariſtotelis, ita præſentibus in Ciceronis παράδοξα prælectionibus noſtris dialecticum artificium perpetua inuentionis diſpoſitioniſque ſerie continuatum docui, vt Lector iam deprehendat non magis in loquendo nomina, verba, cæteraſque orationis partes cæteris partibus, quàm in differendo argumenta argumentis connecti & coniungi: & quod in grammatica eſt etymologia de partibus orationis, id eſſe in dialectica inuentione de argumentis: quodque illic eſt ſyntaxis partium, hîc eſſe diſpoſitionem argumentorum. Atque etiam philoſophi omnes homini cùm à natura virtutes ingenerari putant, quæ deinde ſtudio & vſu perficiantur, tum hanc inuentionis diſpoſitioniſque logicam virtutem in primis homini tam naturalem faciunt, vt hominem ζῶον λογικὸν, & hominis differẽtiam ποιότητα λογικὸν definiant: ſic enim organum Ariſtoteleorum loquitur: vt mihi horribile viſum ſit ab illo atheorum & lymphaticorum fabricatore in ſua religioſa & ſapiente oratione multis verbis diſputari, hominem à natura dialecticum & logicum dicendum nõ eſſe: tanquam ipſe non ζῶον λογικὸν, ſed ζῶον ἄλογον ſe vellet affirmare. Verumenimuero (Cardinalis ampliſsime) vt tuam liberalitatem & magnificentiam, quæ ſempiternam laudem merita eſt, in nos & omnes veræ inſtitutionis & humanitatis amantes bene collocatam ſentias, noſtrum eſt beneficij tui omni ſtudio diligentiaq́ culti, non ſolùm iucundos & præſentes flores, ſed ſolidos & conſtantes fructus oſtendere: & tuum de hac præſtantiſsima inſtitutione iudicium huic ζώῳ natura ſua (vt vult) non λογικῷ, ſed ἀλόγῳ, & eius ſimilibus approbare. Vale. Datum Lutetiæ 8. Calendas Ianuarij.

1551.

M. T. Ci-

M. Tullij Ciceronis

PARADOXA AD M. Brutum.

A [1] Nimaduerti Brute, ſæpe Catonem [2] auunculum tuum, cùm in Senatu ſententiam diceret, [3] locos graues ex philoſophia tractare, abhorrentes ab hoc vſu forenſi & publico: ſed dicendo conſequi tamen, vt [4] illa etiam populo probabilia viderentur. [5] Quod eo maius eſt illi, quàm aut tibi, aut nobis, qui nos ea philoſophia plus vtimur, quæ peperit dicendi copiam: & in qua dicuntur ea, quæ non multum diſcrepent ab opinione populari. Cato autem perfectus (mea ſententia) Stoicus, & ea ſentit, quæ non ſanè probantur in vulgus, & in ea eſt hæreſi, quæ nullum ſequitur florem orationis, neq; dilatat argumentum, [6] ſed minutis interrogatiunculis, & quaſi punctis, quod propoſuit, efficit. [7] Sed nihil eſt tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile: nihil tam horridum, tam incultum, quod non ſplendeſcat oratione, & tanquam excolatur. [8] Quòd cùm ita putarem, feci etiam audacius, quàm ille ipſe, de quo loquor. Cato enim duntaxat de magnitudine animi, de continentia, de morte, de omni laude virtutis, de dijs immortalibus, de charitate patriæ, Stoicè ſolet, [9] oratorijs ornamentis adhibitis, dicere: ego autem tibi illa ipſa, quæ vix in Gymnaſiis & in otio Stoici probant, ludens conieci in communes locos. [10] Quæ quia ſunt admirabilia, contraq; opinionem omnium, ab ipſis etiam [11] paradoxa appellantur,

tentare volui, poſſentne proferri in lucem, id eſt, in forum, & ita dici, vt probarentur: an alia quædam eſſet erudita, alia popularis oratio. Eoq; ſcripſi libentius, quòd mihi iſta παράδοξα quæ appellantur, maximè videntur eſſe [12] Socratica, longeq; veriſſima. [13] Accipies igitur hoc paruulum opuſculum lucubratum his iam contractioribus noctibus: quoniam illud maiorum vigiliarum munus in tuo nomine apparuit: [14] & deguſtabis genus hoc exercitationum mearum, quibus vti conſueui, cùm ea quæ dicuntur in ſcholis [15] θετικὰ ad noſtrum hoc oratorium transfero dicendi genus. [16] Hoc tamen opus in apertum vt proferas, nihil poſtulo: non enim eſt tale, vt in arce poni poſſit, [17] quaſi illa Minerua Phidiæ, ſed tantùm vt ex eadem officina exiſſe appareat.

1 Præfationis duo ſunt capita, cur Cicero paradoxa ſcribere aggreſſus ſit, & cur hoc opuſculum Bruto nuncuparit. Primùm declaratur comparatione maiorum: Syllogiſmus eſt ſimplex primi generis:

Cato paradoxa copioſè & probabiliter diſputat:
Cicero in eo genere eſt pluſquam Cato:
Quare ipſe etiam tentare voluit, an oratorum more populariter & copioſè tractare poſſet.

Propoſitio primo loco ponitur. 2 Seruilia Catonis ſoror M. Brutum genuit: Cato igitur fuit auunculus Bruti. 3 Cato Vticenſis nõ ſolùm eloquens habitus eſt & diſertus, ſed valdè doctus & eruditus, qui idcircò ſe ad philoſophiam contulit, vt cognitis præceptis fortius & robuſtius orationis genus in forum & in ſenatum afferret. Plutarc. 4 Enallage eſt generum: neutrum enim (illa) refertur ad maſculinum (locos graues:) quæ ſyntaxis congrua ſenſu dicitur, non voce.
5 Aſſumptio ſyllogiſmi (Sum in eo genere pluſquã Cato) approbatur ex adiunctis perſonarũ. Cicero philoſophiam Academicorum ſequitur magis vberem & popularem: Cato doctrinam Stoicorum prorſus verbis aridam, & ſententiis abhorrentem ab opinione vulgi. 6 Cic. in Lucul. Stoicos irridens appellat captioſiſſimum genus interrogationis, cùm aliquid gradatim & minutatim additur aut demitur: atq; ibidem contorta & aculeata Stoicorum ſophiſmata dicit. Et lib. 4. de Fin. Pungũt (inquit) quaſi aculeis, interrogatiunculis anguſtis. Et Tuſc. 2. Quæ flamma eſt, per quam nõ occurrerint hi, qui hæc ſolùm punctis ſingulis colligebãt? Et lib. 2. de Orat. Ad extremum ſe ipſi compungũt ſuis acuminibus.
7 De his duobus orationis effectis, alterũ ad dialecticam referendum eſt, videlicet probabiliter differere: id enim argumentis efficitur. Alterum ad rhetoricam elocutionẽ, quæ tropis & figuris orationem illuſtrat. 8 Concluſio ſyllogiſmi exornatur collatione minorum: Cato tractat communes locos nõ omnino abhorrentes ab auribus populi, vt de fortitudine, de continentia, de morte contemnenda, de laude virtutis, de diis immortalibus, quorũ prouidentia mundus regatur: de charitate patriæ, pro qua mori dubitandum nõ ſit: ego verò materiam vix vel in Stoicorum ſcholis probabilem ad diſputãdum ſumpſi. 9 Cic. in Bruto,

Tuus(ait)auunculus,Brute,quemadmodum ſcis,habet à Stoicis id quod ab illis diſcendum fuit:ſed dicere didicit à dicendi magiſtris, eorumq; more ſeſe exercuit. Ibidem cùm Cicero Stoicos aridos & ieiunos vocat, Vnũ,inquit,Catonem excipio, in quo perfectiſſimo Stoico ſummam eloquentiam non deſiderem.

10 Proſequitur conſilium inſtitutæ ſcriptionis,tum à definitione,tum ab adiunctis paradoxorum:quia paradoxa ſunt admirabilia & cõtra vulgi opinionem, eademq; mihi Socratica & longè veriſſima vidẽtur, tentare volui an poſſent à me facilè & ornatè diſputari. 11 παράδοξον(vt ait Suidas) ἀπροσδόκητον, θαύμαστον, id eſt,inopinatum, admirabile. Fab.lib.9. παράδοξον alij nominarunt, id eſt, inopinatum. Cic.lib.4.de Finibus,Hæc illa admirabilia nos παράδοξα dicamus.

12 Socratica ſunt, nõ quia Socrates nihil vnquam his contrarium dixerit, ſed quia variã de rebus penè omnibus diſputãdum nonnunquam in has theſes inciderit:vt intelligi poteſt ex Socraticis apud Platonem & Xenophõtem ſermonibus,in quibus harum diſputationum quædam veſtigia reperiuntur. 13 Altera pars exordij declaratur à maiori ad minus:Cicero ſcripſit ad Mar.Brutum libros quinque de Finibus,& totidem quæſtionum Tuſculanarum : itaq; hoc etiam opuſculum ei dicare voluit. 14 Secundum argumentum eſt ab adiunctis huius operis: ꝙ iucundũ ſit & elegans & oratorium genus hoc declamationis. 15 Cicero(vt ait Fab.lib.10.) iam princeps in Rep.ſolitus erat in theſibus exerceri,quæ ſunt quæſtiones à ſingulis circunſtantiis ad vniuerſi generis diſputationem traductæ. hæ ſunt appellatæ Theſes, ꝙ in ſcholis ad diſputandum proponebantur. Vt enim(ait Cic.Tuſc.1.)antea declamitabam cauſſas,quod nemo me diutius fecit:ſic mihi nunc eſt ſenilis declamatio:ponere iubebam,de quo quis audire vellet,& id aut ſedens, aut ambulans diſputabam. 16 Tertium argumentum habet modeſtam extenuationem ex diſſimilibus. Non quæro vt hoc opuſculum in lucem edas, ſed tantùm vt exiſtimes ex eiuſdem authoris ingenio exiiſſe, ex quo maiorum vigiliarum libri in tuo nomine exierunt. 17 Phidias(vt ait Plin.cap. 8.lib.34.)præter Iouem Olympium,quem nemo æmulatur,fecit, & ex ebore Mineruam Athenis, quæ eſt in Parthenone aſtans. De eadem Pauſan.lib.1.ſic ſcribit,Cùm templum intraueris,quod Parthenona vocãt, quæcunq; ad aquilas (ſic enim locum iſtum appellant)conſpiciuntur,ad Palladis ortum deferuntur:parte ſuperiore Neptuni eſt propter Atticam cum Minerua contentio.Ipſum ſimulachrum ex ebore factum eſt,& auro:in medio galeæ imago ſphingis inſculpta eſt.

Οτι μόνον τὸ καλὸν ἀγαθόν.

Quod honeſtum ſit, id ſolùm bonum eſſe.

PARADOXON I.

VEreor [1] ne cui veſtrûm ex Stoicorum hominum diſputationibus, non ex meo ſenſu deprompta hæc videatur oratio: dicam tamen quod ſentio, & dicam breuius quàm res tanta dici poſſit. [2] Nunquam me hercle ego neque pecunias iſtorum, neq; tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque eas quibus maximè adſtricti ſunt, voluptates, in bonis rebus aut expetendis eſſe numerãdas duxi, [3] quippe cùm viderem homines his rebus

circumfluentes, ea tamen deſiderare maximè, quibus abundarent. Neq; enim vnquam expletur, nec ſatiatur cupiditatis ſitis: neq; ea ſolùm quæ habent, libidine augendi cruciantur, [4] ſed etiam amittendi metu. [5] In quo equidem continentiſsimorum hominum maiorum noſtrorum ſæpe requiro prudentiam, qui hæc imbecilla & commutabilia pecuniæ membra ſolo verbo bona putauerunt appellanda, cùm re ac factis longè aliter indicaſſent. [6] Poteſtne bonum cuiquam malo eſſe? aut poteſt quiſquam in abundantia bonorum ipſe eſſe non bonus? Atqui iſta omnia talia videmus, vt etiam improbi habeant, & obſint probis. [7] Quamobrem licèt irrideat ſi quis vult, plus apud me tamen vera ratio valebit, quàm vulgi opinio: neq; ego vnquam bona perdidiſſe dicam, ſi quis pecus aut ſuppellectilem amiſerit. [8] Nec non ſæpe laudabo ſapientem illum Biantem, vt opinor, qui numeratur inter ſeptem Sapientes, cuius cùm patriam Prienen cepiſſet hoſtis, cæteriq; ita fugerent, vt multa de ſuis rebus ſecum aſportarent, cùm eſſet admonitus à quodam vt idem ipſe faceret, Ego verò, inquit, facio: nam omnia mecum porto mea. [9] Ille hæc ludibria fortunæ ne ſua quidem putauit, quæ nos appellamus etiam bona. [10] Quid eſt igitur, quæret aliquis, bonum? Si quod rectè fit, & honeſtè, & cum virtute, id benè fieri verè dicitur, & quod rectum & honeſtum & cũ virtute eſt: id ſolùm opinor bonum. [11] Sed hæc videri poſſunt obſcuriora, cùm ſine appoſitione exemplorum lentius diſputantur. Vita atq; factis illuſtranda ſunt ſummorum virorum hæc, quæ verbis ſubtilius, quàm ſatis eſt, diſputari videntur. Quæro enim à vobis, num vllam cogitationem habuiſſe videantur ij qui hanc Rempub. tam præclarè fundatam nobis reliquerunt, aut auri, aut argenti

ad

ad auaritiam, aut amœnitatum ad delectationem, aut ſuppellectilis ad delicias, aut epularum ad voluptates? Ponite ante oculos vnumquemque Regum: vultis incipiam à Romulo? vultis poſt liberam ciuitatem ab ijs ipſis, qui liberauerunt eam? [12] *Quibus tandem gradibus Romulus aſcendit in cœlum?, iiſne, quæ iſti bona appellant, an rebus geſtis atq;* [13] *virtutibus? Quid autem Numa Pompilius? minúſne gratas dijs immortalibus capedines ac fictiles vrnulas fuiſſe, quàm* [13] *filicatas aliorum pateras arbitramur?* [14] *Omitto reliquos (ſunt enim omnes pares inter ſe, præter Tarquinium Superbum) Brutum verò ſi quis roget, quid egerit in patria liberãda, ſi quis item reliquos eiuſdem conſilij ſocios, quid ſpectauerint, quid ſecuti ſint: num quis exiſtat, cui voluptas, cui diuitiæ, cui deniquè præter officium fortis & magni viri, quicquam aliud propoſitum fuiſſe videatur?* [15] *Quæ res ad necem Porſenæ Quintum Mutium impulit ſine vlla ſpe ſalutis ſuæ?* [16] *Quæ vis Horatium Coclitem contra omnes hoſtium copias tenuit in ponte ſolùm?* [17] *Quæ vis patrem Decium, quæ filium deuouit, ãc immiſit in armatas hoſtium copias?* [18] *Quid continẽtia C. Fabritij?* [19] *Quid tenuitas victus M. Curij ſequebatur?* [20] *Quid duo propugnacula belli Punici, C. & P. Scipiones, qui Carthaginenſium aduentum corporibus ſuis intercludendum putauerunt?* [21] *Quid Africanus minor? quid maior? quid inter horum ætates interiectus Cato? Quid innumerabiles alij? nàm domeſticis exemplis abundamus. An cogitaſſe quicquam eos putamus in vita ſibi eſſe expetendum, niſi quod laudabile eſſe & præclarum videretur?* [22] *Veniant igitur irriſores huius orationis ac ſententiæ, & iam vel ipſi iudicet, vtrum ſe horũ alicuius, qui marmoreis tectis, ebore & auro*

fulgentibus, qui ſignis, qui tabulis, qui cælato auro & argento, qui Corinthijs operibus abundant: an C. Fabritij, qui nihil eorum habuit, nihil habere voluit, ſe ſimiles eſſe malint?

13 *Atq; hæc quidem, quæ modò huc, modò illuc transferuntur, facilè adduci ſolent, vt in rebus bonis eſſe negent: illud tamen artè tenent, accuratéq; defendunt, voluptatē eſſe ſummum bonum. Quæ quidém mihi vox pecudum videtur eſſe, non hominum. Tu cùm tibi ſiue deus, ſiue mater (vt ita dicam) rerū omnium natura dederit animum, quo nihil eſt præſtantius, neq; diuinius: ſic te ipſe abijcies atque proſternes, vt nihil inter te atque inter quadrupedem aliquid putes intereſſe?* 14 *Quicquámne bonum eſt, quod non eum qui poſſidet, meliorem faciat? Vt enim quiſq; eſt maximè boni particeps, ita & laudabilis maximè. Neque eſt vllum bonum, de quo non is qui id habeat, honeſtè poſſit gloriari. Quid autem eſt horum in voluptate? meliorémne efficit, aut laudabiliorem virum? An quiſquam in potiundis voluptatibus, gloria ſeſe & prædicatione effert?* 15 *Atqui ſi voluptas (quæ plurimorum patrocinijs defenditur) in rebus bonis habenda non eſt, eáq; quò eſt maior, eò magis mentem è ſua ſede & ſtatu dimouet: profectò nihil eſt aliud benè & beatè viuere, niſi honeſtè & rectè viuere.*

Peripatetici, qui cum populo ſentiunt, tria genera bonorum eſſe ſtatuunt, fortunæ, corporis, & animi. Zeno Stoicus ab his diſſentiens, vt antiquam partitionem corrigeret, duo prima de genere bonorum ſuſtulit, tertium duntaxat retinuit, vt id ſolùm bonum eſſe diceret, quod eſſet honeſtū, cætera nouis nominibus appellaret ὀφελήματα & ἀχχισήματα, id eſt, emolumenta & commoda non expetenda quidem, ſed eligenda vel ſumenda, quod Zenonis decretum quia eſt præter communem opinionem vulgi, παράδοξον vocatur: quod à philoſopho ob eam cauſſam inductum eſſe arbitror, vt detracta de mentibus hominū opinione boni in fortuna & corpore, auaritiam & voluptatem

luptatem tolleret, totum hominis ſtudium ad honeſtatem conuerteret, cætera quæ eſſent in corpore, vel extrinſecùs, non eſſe verè bona perſuaderet: in quam ſententiam Plat.lib.2.de Legib.philoſophatus eſt. Quæ enim (ait) vulgò bona appellantur, ea nõ rectè dicuntur bona: ſanitatem dicũt eſſe optimum, proximum huic pulchritudinem, tertium robur, quartum diuitias: infinita penè alia eiuſdem generis bona vocãtur: nam & acutè videre & audire, & aliis ſenſibus integrè vti, bona videntur: præterea poſſe tyrannica licentia facere omnia, quæ velis: ſummam deniq; beatitudinis aiunt eſſe, ſi, cùm hæc omnia habeas, ſtatim fias immortalis. Conuenit autem inter nos optimum eſſe iuſtis & ſanctis viris, vt hæc poſsideant: improbis autem peſsimum: atque vt exordium à ſanitate ſumamus, ſanum eſſe & videre & audire, & omnia facilè ſentire, & immortalem viuere peſsimum eſt: ſi cùm iſta omnia poſsideas, iuſtitiæ expers fueris, cæterarumque virtutum: minus autem malum, ſi quàm breuiſsimo tempore ita affectus vitam finieris. De his vtiq; rebus veſtros admonebitis: & cogetis poetas ſic loqui, & adoleſcentiam per cantus & numeros his congruentes erudire. Num ipſi animaduertitis? Ego enim ea quæ vulgò mala eſſe dicuntur iniuſtis bona eſſe confirmo, iuſtis autem mala: quæ verò dicuntur bona, bonis quidem verè bona, improbis autem mala. Plato igitur ſanitatem, robur, diuitias, & cætera eiuſmodi per ſe bona eſſe negat, ſed ratione duntaxat honeſtatis & vſu virtutis: quinetiam copulata cum vitiis mala, non bona dici cenſet oportere.

1 Prolepſis occupat ſuſpicionem ſimulatæ & non ſeriæ diſputationis: cui reſiſtitur per contradictionem. Cicero nõ dicit quæ ſentit: imò verò dicit quę ſentit.

2 Peripatetici (vt antè diximus) tripertitam rationem bonorum inſtituũt, fortunæ, corporis & animi: quæ partitio Stoicè corrigitur, ſublatis duobus primis membris, vt tertium ſolùm relinquatur in bonis. Propoſitio continet enumerationem aliquot rerum, quas Stoici de antiqua partitione bonorum remouent:

Nec fortunæ, nec corporis commoda bona ſunt:
Id igitur ſolùm bonum, quod honeſtum.

3 Diuitiæ multis argumẽtis confutantur, & eximuntur de genere bonorum. Primum eſt ab adiunctis. Syllogiſmus ſimplex primi generis:

Quæ adferunt inſatiabilem cupiditatem, bona non ſunt:
Diuitiæ afferunt inſatiabilem cupiditatem:
Diuitiæ igitur in bonis non ſunt.

Propoſitio non exprimitur. 4 Horatius metum diuitiis auari ſic deſcribit,

An vigilare metu exanimem, noctesq; diesq;
Formidare malos fures, incendia, ſeruos,
Ne te compilent fugientes, hoc iuuat? horum
Semper ego optarim pauperrimus eſſe bonorum. Iuuenal.Sat.14.
Tantis parta malis, cura maiore, metuq;
Seruantur: miſera eſt magni cuſtodia cenſus.

5 Secundum argumentum ſumitur à veterum teſtimoniis, adhibita tamen quadam correctione: quaſi eorum vita & opinio verbis repugnet: diuitias enim ponebant in bonis, & eas tamen contemnebant, de quibus lege Valerium capite 3.& 4.lib.4. Et Ouidium,

Pluris opes nunc ſunt quàm priſci temporis annis,
Dum populus pauper, dum noua Roma fuit.
Dum caſa Martigenam capiebat parua Quirinum,
Et dabat exiguum fluminis vlua torum.
Iura dabat populus poſito modo prætor aratro,
Et leuis argenti lamina crimen erat.

6 Tertium & quartum ſunt à repugnantibus: vnde exiſtunt duo ſyllogiſmi,

Nullum bonum malo eſt:
Diuitiæ malo ſunt:
Non ſunt igitur in bonis.
Et,
Bona bonum virum efficiunt:
Diuitiæ bonum virum non efficiunt:
Diuitiæ igitur non ſunt bona.

Tuſcul.5. Similis eſt concluſio in Tuſcul. quæſt. Non ſunt igitur ea bona dicenda, nec habenda, quibus abundantem licet eſſe miſerrimum: an dubitas quin præſtans valetudine, viribus, forma, acerrimis, integerrimisq; ſenſibus: adde etiam, ſi placet, velocitatem & pernicitatem: da diuitias, honores, imperia, opes, gloriam: ſi fuerit is qui hæc habet, iniuſtus, intemperans, timidus, hebeti ingenio atque nullo, dubitabíſne eum miſerum dicere? qualia igitur iſta bona ſunt, quæ qui habeat, miſérrimus eſſe poſſit? 7 Complexio illuſtratur per ſpecies quaſdam diuitiarum:

Pecus & ſuppellex in bonis non ſunt:
Diuitiæ igitur non ſunt bonæ.

8 Altera confirmatio eſt ab authoritate Biantis philoſophi, cuius idem apophtegma citat Valerius cap.2. lib.7. atque ita interpretatur: Pectore illa geſtabat, non humeris, non oculis viſenda, ſed æſtimanda animo: quæ domicilio mentis incluſa, nec mortalium, nec deorum manibus labefactari queunt: & vt manentibus præſto ſunt, ita fugientes non deſerunt. 9 Ludibria fortunæ ſunt, quibus fortuna hominibus illudit: hinc illud Iuuenalis,

Quales ex humili magna ad faſtigia rerum
Extollit, quoties voluit fortuna iocari.

Et Ouidij,

Ludit in humanis diuina potentia rebus:
Et certam præſens vix habet hora fidem.

10 Quintum argumentum ſumitur à coniugatis:

Quod rectè & honeſtè fit, id ſolùm bene fit:
Ergo id ſolùm bonum, quob rectum & honeſtum eſt.

Cato lib.3. de Finib. Ego (inquit) aſſentior Diogeni, qui bonum definierit, quod natura eſt abſolutum, cuiuſmodi eſt ſolum honeſtum. 11 Cicero tranſit à ſpinoſis & argutis rationibus Stoicorum ad magis populare & oratorium dicendi genus: eſt enim (vt ipſe ait Tuſcul.3.) reperiendi veri ratio duplex, non ſolùm in iis quæ mala, ſed in iis etiam quæ bona videntur: aut enim de ipſius rei natura qualis & quanta ſit, quærimus: aut à ſubtilitate diſputandi orationem ad exempla traducimus: Sequitur igitur inductio exemplorum, quæ vim quandam habent repugnantiæ:

Veteres Romani ſolam virtutem in bonis eſſe ducebant:
Non ſunt igitur diuitiæ bona.

Illud amplificatur vita & factis primùm Regum Romanorum, deinde Conſulum & Imperatorum illuſtrium, qui ſolam virtutem & honeſtatem in bonis ponendam eſſe iudicarunt. 12 Romulus poſt exceſſum ſuum Proculo Iulio dixit

xit ſe Deum eſſe, & Quirinum vocari, templumque ſibi dedicari iuſſit, vt ait Cicero libro primo de Legibus. Eius apotheoſim Ouidius ſecundo Faſtorum verſibus celebrauit:

Eſt locus, antiqui capreæ dixêre paludem:
Forte tuis illic Romule iura dabas:
Sol fugit, & remouent ſubeuntia ſydera cœlum:
Et grauis admiſſis decidit imber aquis.
Hinc tonat, hinc miſſis abrumpitur ignibus æther:
Fit fuga: rex patrijs aſtra petebat equis.
Luctus erat, falſæq; patres in crimine cædis:
Hæſiſſetq; animis forſitan ipſa fides.
Sed procul à longa veniebat Iulius Alba,
Lunaq; fulgebat, nec facis vſus erat,
Cùm ſubito motu ſepes tremuêre ſiniſtræ:
Rettulit ille gradus, horruerantq; comæ:
Pulcher & humano maior Trabeaq; decorus
Romulus in media viſus adeſſe via:
Et dixiſſe ſimul, Prohibe lugere Quirites,
Ne violent lachrymis numina noſtra ſuis:
Thura ferant, placentq; nouum pia turba Quirinum,
Et patrias artes militiamq; colant.
Iuſſit, & in tenues oculis euanuit auras:
Conuocat hic patres, iuſſaq; verba refert:
Templa Deo fiunt, collis quoq; dictus ab illo eſt:
Et referunt certi ſacra paterna dies.

13 Hic locus variè legitur, vel delicatas pateras, id eſt, pretioſas, & quaſi luxui dicatas: vel filicatas, ad filicis herbæ ſpeciem cælatas: vel deliacas, ex ære deliaco factas, cuius antiquiſſima gloria fuit (vt ait Plin. lib. 34. cap. 2.) mercatus in Delo concelebrante toto orbe. Numa Pompilius in ſacrificiis vaſa inſtituit, ſed fictilia, quæ poſtea auctis opibus longè pretioſiora fuerunt: nec tamen propter excellentiam materiæ magis grata diis fuerũt, quàm illa antiqua: quaſi dij mentes ſacrificantium, non elegantiam poculorum ſpectarent. 14 Tullus Hoſtilius (vt Florus lib. 1. ait) fortis bellator fuit, & Albanos domuit: Ancus Martius vrbem amplificauit: Tarquinius Priſcus ornamenta militiæ reperit: Seruius Tullius cenſum populi inſtituit: poſtremus Tarquinius tyrannidem exercuit, qua de cauſſa & rex & regnum ſublatum eſt, & inſtitutus conſulatus loco regni authore Iunio Bruto: de quo Virgil. 6. Aeneid.

Vis & Tarquinios reges, animamq; ſuperbam
Vltoris Bruti, faſceſq; videre receptos?
Conſulis imperium hic primus, ſæuaſq; ſecures
Accipiet, natoſq; pater noua bella mouentes
Ad bellum pulchra pro libertate vocabit
Infœlix. vtcunq; ferent ea fata nepotes,
Vincet amor patriæ, laudumq; immenſa cupido.

15 Cùm Porſena, rex Hetruſcorum, Tarquinios exules ingentibus copiis reduceret, vrbemque obſideret, Q. Mutius accepta à Senatu transfugiendi poteſtate, in caſtra Regis venit, & purpuratum quendam pro Rege deceptus interfecit,

ad Regemque pertractus, ardentibus focis manum impoſuit, quòd in cæde Regis peccaſſet. Martialis lib. 1.

Dum peteret Regem, decepta ſatellite dextra,
Iniecit ſacris ſe peritura focis.

16 Plin. lib. 36. cap. 15. hunc pontem Sublicium appellat, vbi Horatius Cocles ſolus aciem Hetruſcorum ſuſtinuit, donec pons ipſe à tergo rumperetur. Ob hãc virtutem, ſtatuam Horatio Romani in comitio poſuêre. 17 Publ. Decius Conſul bello Latino, poſitis apud Veſerim fluuium caſtris, cùm videret in acie partem ſuam inclinare, ſe ipſum & Latinos hoſtes diis manibus deuouit, & impetu in eos facto, ſua morte ſuis victoriam reliquit. Lege Liuium libro 8. primæ decadis. Pub. Decius eius filius, bello Samnitico patris exemplum imitatus, aduocato Liuio Pontifice, deuotum etiam diis inferis caput obtulit, vt narrat Liuius libro 10. primæ decadis. Iuuenalis Satyr. 8.

Plin. li. 34. cap. 5.

Plebeiæ Deciorum animæ, plebeia fuerunt
Nomina; pro totis legionibus, hi tamen, & pro
Omnibus auxilijs, & pro omni plebe Latina
Sufficiunt dijs infernis, terræq́; parenti:
Pluris enim Decij, quàm qui ſeruantur ab illis.

18 C. Fabritius oblatam ſibi à Pyrrho rege dimidiam partem regni repudiauit: nec pecuniam à Samnitibus oblatam attigit: & Ruffinum hominem conſularem, quòd decem pondo argenti haberet, Senatu Cenſor amouit. Vnde intelligitur quanta fuerit continentia Fabritij, quem Val. Maximus lib. 4. ait locupletem non multa poſſidendo, ſed pauca deſiderando factum eſſe. 19 M. Curius Dentatus, legatis Samnitum aurum offerentibus, cùm ipſe in foco rapã torreret, Malo (inquit) hæc in fictilibus meis eſſe, & aurũ habentibus imperare. 20 Cn. & Publ. Scipiones in Hiſpania Aſdrubalem vicerunt, & Hiſpaniam ſuam fecerunt, vt ait Florus: ſed rerum fœliciter geſtarum triſtem exitum tulerunt, propè cum totis exercitibus cæſi anno octauo quàm in Hiſpaniam iuerant, amiſſaque eius prouinciæ poſſeſſio foret, niſi L. Martij equitis Romani virtute & induſtria, contractis exercituum reliquiis, eiuſdem hortatu bina caſtra hoſtium expugnata eſſent. 21 Pub. Scipio Africanus maior, filius fuit Pub. Scipionis, qui in Hiſpania interiit, & ab Africa deuicta, Africani nomen inuenit: minor autem fuit filius Pauli Aemilij adoptatus ab Africani maioris filio: Marc. Portius Cato illo quinque annis inferior fuit, hoc autem ætate longè grandior. 22 Concludit primam partem orationis, quòd opes & diuitiæ in bonis non ſint: quæ concluſio exornatur comparatione diuitum, qui magnificis rebus abundant, & veterum, qui res ipſas contempſerunt. 23 Hactenus Cicero diſputauit aduerſus opes & commoda fortunæ: deinceps voluptatem refellit, quam plerique exiſtimant non modò bonum, ſed etiam ſummum bonum eſſe, & definiunt iucundum motum, quo ſenſus hiant: argumentum eſt ab aduerſis: Voluptas eſt pecudis propria: non igitur ſummum bonum. Socrates apud Platonem ſæpe voluptates puras laudat, quæ ſunt adiunctæ ſapientiæ: fœdas autem voluptates corporis & vita & verbis damnauit. Fuit enim cùm frugi, tum laborum & dolorum imprimis patiens: & apud Xenophontem cum Eutydemo diſputans, multa voluptatum incommoda commemorat: & in Phylebo, Animas (inquit) voluptates furioſæ perturbant, nec adoleſcere nos permittunt. 24 Alterum argumentum à repugnantibus, ita concluditur:

Omne bonum facit poſſeſſorem ſuum meliorem:
Nulla fœda voluptas facit poſſeſſorem ſuum meliorem:
Nulla igitur fœda voluptas eſt bonum.

25 Ea-

25 Eadem eſt cõcluſio proximi ſyllogiſmi,& vniuerſæ diſputationis, quæ paulò plenius & vberius ita fieri poterat: Cùm diuitias habere,voluptatibus perfrui, & reliquis fortunæ vel corporis commodis abundare non ſit bene viuere: reliquum eſt, vt bene viuere ſit idem quod rectè & honeſtè: vnde efficitur, vt quod honeſtum eſt, id ſolùm ſit bonum.

Οτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν.

In quo virtus ſit,ei nihil deeſſe ad beatè viuendum.

PARADOXON II.

[1] *NEc verò ego M. Regulum ærumnoſum, nec infœlicem, nec miſerum vnquam eſſe putaui: non enim magnitudo animi eius cruciabatur à Pœnis, non grauitas, non fides, non conſtantia, non vlla virtus,* [2] *non denique animus ipſe, qui tot virtutum præſidio munitus, tantoq́; comitatu virtutis ſeptus, quum corpus eius caperetur, capi certè ipſe non potuit. C. verò Marium vidimus, qui mihi ſecundis in rebus vnus ex fortunatis hominibus, in aduerſis vnus ex ſummis viris videbatur: quo beatius eſſe mortali nihil poteſt.* [4] *Neſcis, inſane, neſcis quantas vires virtus habeat. Nomen tantùm virtutis vſurpas: quid ipſa valeat, ignoras.* [5] *Nemo poteſt non beatiſſimus eſſe, qui eſt totus ex ſeſe, quique in ſe vno ſua ponit omnia.* [6] *Cui autem ſpes omnis & ratio & cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil poteſt eſſe certi, nihílque quod exploratum habeat permanſurum ſibi, ne vnum quidem diem.* [7] *Eum tu hominem terreto, ſi quem eris nactus iſtiuſmodi, mortis aut exilij minis: mihi verò quicquid acciderit* [8] *in tam ingrata ciuitate, ne recuſanti quidem euenerit, non modo non repugnanti.* [9] *Quid enim ego laboraui, aut quid egi, aut in quo euigilarunt curæ & cogitationes meæ? ſiquidem nihil peperi tale, nihil con*

ſecutus ſum, vt in eo ſtatu eſſem, quem neq; fortunæ temeritas, neq; inimicorum labefactaret iniuria. Mortémne mihi minitaris, vt omnino ab hominibus, an exilium, vt ab improbis demigrandum ſit? Mors terribilis eſt ijs, quorum cum vita omnia extinguuntur: non ijs, quorum laus emori non poteſt. Exilium autem terribile illis, quibus quaſi circumſcriptus eſt habitandi locus: [10] non ijs qui omnem orbem terrarum vnam vrbem eſſe ducunt. [21] Te miſeriæ, te ærumnæ premunt omnes, qui te beatum, qui te florentem putas: tuæ libidines te torquent: tu dies noctesq; cruciaris, cui nec ſatis eſt quod eſt, & idipſum quod habes, ne non diuturnum ſit futurum times. Te conſcientiæ ſtimulant maleficiorum tuorum: te metus exanimant iudiciorum atq; legum. Quocumque aſpexiſti, vt furiæ, ſic tuæ tibi occurrunt iniuriæ, quæ te reſpirare non ſinunt. [12] Quamobrem vt improbo & ſtulto & inerti nemini bene eſſe poteſt: ſic bonus vir & ſapiens & fortis miſer eſſe non poteſt. [13] Nec verò cuius virtus moresq; laudandi ſunt, eius non laudanda vita eſt, Nec porrò fugienda vita eſt, quæ laudanda eſt: eſſet autem fugienda, ſi eſſet miſera. Quamobrem quicquid eſt laudabile, idem & beatum, & florens, & expetendum videri debet.

Secundum Paradoxum (vt ait Cic. Tuſc. 5.) primo connexum eſt: Nam cùm Stoicus docuerit, nihil eſſe bonum, niſi quod honeſtum ſit, hoc probato, conſequens eſt beatam vitam virtute eſſe contentam: & quo modo hoc conſequens eſt illi, ſic illud huic: vt ſi beata vita virtute contenta ſit, niſi honeſtum quod ſit, nihil aliud ſit bonum. Vtrumque Cic. Tuſcul. 5. in vnam & eandem diſputationem incluſit: at verò nũc ſeparatim de honeſto & ſummo bono Stoicorum more propriis argumentis & diſtinctis rationibus diſſerit. Atque hoc item Zenonis dogma (beatam vitam in ſola virtute poſitam eſſe) Socraticum eſt: Socrates enim in Gorgia, cùm eſſet ex eo quæſitum Archelaum Perdiccæ filium, qui tũ fortunatiſsimus haberetur, nónne beatum putaret? Haud ſcio (inquit:) nunquam enim cum eo loquutus ſum. An tu aliter id ſcire non potes? Nullo modo. Tu igitur ne

de

de Perſarum quidem magno Rege potes dicere, beatúſne ſit: An ego poſſem, cùm ignorem quàm ſit vir doctus, & bonus? Quid tu in eo ſitam beatam vitam putas? Ita prorſus exiſtimo bonos beatos, improbos miſeros. Miſer ergo Archelaus? Miſer, ſi iniuſtus. Ex hoc igitur auguſto Socratis fonte Stoica diſputatio manauit, quæ tantam virtutis vim eſſe vult, vt nullis iniuriis fortunæ, nullo dolore aut cruciatu corporis in ſapiente frangi aut labefactari poſſit, in quo magna eſt Stoicis cum Peripateticorum familia contentio, apud Chriſtianos ridicula, qui beatam hominis vitam, neque tribus bonorum generibus definiunt, vt Peripatetici, neque in vna virtute mundana ponunt, vt Stoici, ſed eam totam ad Deum referunt.

1 Orditur ab exemplis M. Reguli, & C. Marij, in quibus latet aſſumptio primi ſyllogiſmi, vt à theſi ad hypotheſim facilioris intelligentiæ gratia reuocetur oratio: ſyllogiſmus autem preſſius ita concludi poteſt,

Qui in ſeipſo ſua ponit omnia, is eſt beatus:
Vir bonus in ſeipſo ſua ponit omnia: vt Marcus Regulus, & Caius Marius:
Itaque vir bonus eſt beatus.

Nec enim M. ille Regulus, vt ait Cic. in Piſonem, quem Carthaginenſes reſectis palpebris illigatum in machina vigilando necauerũt, videtur ſupplicio affectus: Et cùm, vt idem ait lib. 3. Offic. vigilando necabatur, erat in meliore cauſſa, quàm ſi domi ſenex, captiuus, periurus, conſularis remanſiſſet. Tubero in hiſtoriis ſcripſit, Regulum noctu in profundiſſimas tenebras à Pœnis clauſum fuiſſe, & ſummo diei & Solis æſtu oculos in cœlum intendere coactum aduerſus Solem. *Gel. cap. 4. lib. 6.*

2 Sic lib. 3. de Finib. Cato, Rectè, ait, ſapiens inuictus dicetur, cuius etiam corpus ſi conſtringatur, animo tamen vincula iniici nulla poſſunt. 3 C. Marius in rebus ſecundis fortunatiſſimus fuit, quia licet humili loco natus, tamẽ omnibus honoribus per ordinem functus eſt, Tribunatu, Aedilitate, Prætura, Legatione: quinetiam ſepties Conſul fuit, multisq; rebus præclarè geſtis de Iugurtha, Cimbris, Teutonibus triumphauit: idem victus à L. Cornelio Sylla, & pulſus ex Vrbe virtutem non amiſit, ſed eandem conſtantiam adhibuit, quam in rebus ſecundis: de quo Cic. poſt reditum, Vidi, inquit, ego fortiſſimũ municipem meum C. Marium, cùm eſſet ſumma ſenectute, non modò non infracto animo propter magnitudinem calamitatis, ſed confirmato atque renouato: quem egomet dicere audiui, ſe tum non fuiſſe miſerum, cùm careret patria, quam obſidione liberauiſſet: & cùm bona ſua poſſideri ab inimicis & diripi audiret: cùm adoleſcentem filium audiret eiuſdem ſocium calamitatis: cùm in paludibus demerſus concurſu & miſericordia Mynturnenſium corpus & vitam ſuam conſeruaret: cùm parua nauicula traiectus in Africam, quibus regna ipſe dederat, ad eos ſupplex inopsque veniſſet: recuperata verò dignitate ſe non commiſſurum, vt cùm ea quæ amiſerat, ſibi reſtituta eſſent, virtutem animi non haberet, quã nunquam perdidiſſet. 4 Concluſio ſyllogiſmi cum apoſtrophe in aduerſarium, qui virtutem verbo, non vita & factis vſurpat. Tale eſt illud Horat. lib. 1. epiſt. 6.

Virtutem verba eſſe putas, vt ligna lucum.

5 Propoſitio ſyllogiſmi continet deſcriptionem Stoici ſapientis à Chriſtiana religione alienam: ſacræ enim literæ admonent hominem, non vt in ſeipſo, & in proprio robore animi ſui, ſed in Deo optimo maximo ſua ponat omnia. 6 Ratio propoſitionis vera quidem eſt, eum qui ex fortuna pendet, certi nihil habere: nec tamen propterea ſapientem & beatum virum ſine Deo definire oportuit, qui

humana quadam virtute niteretur, & in eam ſpem omnem poſitam haberet: phi loſophari enim de virtute & de beata vita ſine Deo, & diuino numine impium eſt. 7 Occupat ea quæ contra virtutem dicuntur, eam videlicet metu mortis aut exilij terreri, & miſeram effici: huic igitur obiectioni reſiſtit, & metum mortis aut exilij negat in ſapientem cadere: argumétum eſt ab adiunctis ſapientis, quòd in vita ſic conſtans: & ſententia generatim ſic ponderanda eſt:

Vir conſtans mortem & exilium contemnit.
Sapiens eſt vir conſtans:
Sapiens igitur mortem & exilium contemnit.

Huc pertinet illud Horatianum lib. 3. Odarum, Ode 3.

Iuſtum & tenacem propoſiti virum
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida, neq; auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus:
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

8 Ingratam ciuitatem vocat, quæ F. Camillum, quæ Africanum, quæ Naſicam, quæ P. Lentulum bene meritos ciues in exilium miſit, aut exulare permiſit, de quibus lege Valerium capite 3. libri 5. 9 Enthymema eſt ex complexione & propoſitione, quibus ſi addat aſſumptio, ſyllogiſmus hoc modo perficietur:

Neque mors terribilis eſt his, quorum laus emori non poteſt, neque exilium his, qui totum orbem terrarum vnam vrbem eſſe ducunt:
At bonorum virorum laus emori non poteſt, & totus orbis commu nis quædam ciuitas illis eſt:
Neque igitur mors, neque exilium bonis viris terribile eſt.

10 Cato apud Ciceronem lib. 3. de Finib. Stoici, inquit, cenſent mundum regi numine deorum, cumque eſſe quaſi communem vrbem & ciuitatem hominum & deorum, & vnumquemque noſtrum eſſe huius mundi partem: & Socrates interrogatus cuiatem ſe eſſe diceret, Mundanum, inquit: totius enim mundi ſe incolam & ciuem arbitrabatur. Et Ouidius,

Omne ſolum forti patria eſt, vt piſcibus æquor,
Vt volucri vacuo quicquid in orbe patet.

11 Confirmat deinceps theſim ab aduerſis: qui locus preſſius ita concluditur quinta Tuſculana: Cùm enim fatentur homines ſatis magnam vim eſſe in vitiis ad miſeram vitam, nónne fatendum eſt, eandem vim eſſe ad beatam? Contraria enim contrariorum ſunt conſequentia: hic igitur enumerantur perturbationes, libido, dolor, metus, conſcientia ſcelerum, quæ ſceleratos homines, miſeros & infœlices efficiunt. 12 Concludit ſententiam ex aduerſis, qualis eſt apud Platonem in Alcibiade primo: Soc. Qui malè agit, nónne miſer? Alc. Maximè quidem. Soc. An verò & hi, quibuſcum hæc agit? Alc. Et hi quoq;. Soc. Nemo itaq; fœlix eſſe poteſt, niſi ſapiens, bonuſque ſit. Alc. Nemo. Soc. Sequitur vt mali homines miſeri ſint? Alc. Apprime. Soc. Non ergo qui diues ſit, ſed qui prudens, miſeriam vitat. Alc. Videtur. 13 Stoicus ſorites inuolutus & implicatus eſt, quem licebit ita clarius euoluere atque explicare:

Vita laudanda fugienda non eſt:
Cuius autem virtus laudatur, eius vita eſt laudanda:
Cuius igitur virtus laudatur, eius vita fugienda non eſt, ſed beata & florens exiſtimanda.

οτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα.

Quod æqualia ſunt peccata.

PARADOXON III.

Parua, inquit, res eſt, atque magna culpa. Nec enim peccata rerum euentu, ſed vitijs hominum metienda ſunt. In quo peccatur, id poteſt aliud alio maius eſſe, aut minus: ipſum quidem illud peccare, quoquò te verteris, vnum eſt. [2] Auri nauem euertat gubernator, an paleæ in re aliquantum, in gubernatoris inſcitia nihil intereſt. Lapſa eſt alicuius libido in muliere ignota, dolor ad pauciores pertinet, quàm ſi petulans fuiſſet: in aliqua generoſa ac nobili virgine, peccauit verò nihilominus. [3] Siquidem eſt peccare, tanquã tranſire lineas. quod cùm feceris, culpa commiſſa eſt: quàm longè progrediare, cùm ſemel tranſieris, ad augendam tranſeundi culpam nihil pertinet. [4] Peccare certè licet nemini. [5] Quod autem non licet. id hoc vno tenetur, ſi arguitur non licere. Id ſiquidem nec maius, nec minus vnquam fieri poteſt, quoniam in eo eſt peccatum, ſi non licuit, quod ſemper vnum & idem eſt, quæ ex eo peccata naſcantur, æqualia ſint oportet. Quòd ſi virtutes pares ſunt, inter ſe paria eſſe etiã vitia neceſſe eſt. [6] Atqui pares eſſe virtutes, nec bono viro meliorem, nec temperante temperantiorem, nec forti fortiorem, nec ſapiente ſapientiorem poſſe fieri facile poteſt perſpici. An virum bonum dices, qui depoſitum nullo teſte, cùm lucrari impunè poſſet, auri pondo decem reddiderit, ſi idem in decem millibus pondo auri, non idem fecerit? Aut temperantem eum, qui ſe in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit? [7] Vna virtus eſt conſentiẽs cũ ratione & perpetua conſtantia. Nihil huic addi poteſt quo magis

virtus ſit: nihil demi vt virtutis nomen relinquatur. [8] Etenim ſi bene facta, rectè facta ſunt, & nihil recto rectius eſt, certè ne bono quidem melius quicquam inueniri poteſt. [9] Sequitur igitur, vt etiam vitia ſint paria: ſiquidem prauitates animi rectè vitia dicuntur. Atqui quoniam pares virtutes ſunt, rectè etiam facta, quando à virtutibus proficiſcuntur, paria eſſe debent: itemq́; peccata, quoniam ex vitijs manant, ſint æqualia neceſſe eſt. [10] A philoſophis, inquit, iſta ſumis, metuebam ne à lenonibus diceres. Socrates diſputabat iſto modo. Bene hercule narras: nam iſtum doctum & ſapientem virum fuiſſe memoriæ traditum eſt. Sed tamen quæro ex te, (quando verbis inter nos contendimus, non pugnis) vtrum potius de bonis eſt quærendum, quid baiuli atq; operarij, an quid homines doctiſſimi ſenſerint? præſertim cùm hæc ſententia non modò verior, ſed ne vtilior quidem hominum vitæ reperiri vlla poſſit. [11] Quæ vis eſt enim, quæ magis arceat homines ab improbitate omni, quàm ſi ſenſerint nullum in delictis eſſe diſcrimen, & æquè peccare ſe, ſi priuatis, ac ſi magiſtratibus manus inferantur: quamcunq; in domum ſtuprum intulerint, eandem eſſe labem libidinis? [12] Nihilne igitur intereſt, (nam hoc dicet aliquis) patrem quis necet, an ſeruum? Nuda iſta ſi ponas, iudicari qualia ſint non facilè poſſunt. Patrem vita priuare, ſi per ſe ſcelus eſt, Saguntini qui parentes ſuos liberos emori, quàm ſeruos viuere maluerunt, parricidæ fuerunt. Ergo & parenti nonnunquam adimi vita ſine ſcelere poteſt, & ſeruo ſæpe ſine iniuria non poteſt. Cauſſa igitur hæc, non natura diſtinguit: quæ quando alteri acceſſit, id fit propenſius: ſi vtrique adiuncta eſt, paria fiant neceſſe eſt. [13] Illud tamen intereſt, quòd in ſeruo necando, ſi id fit iniuria, ſemel peccatur: in pa-

tris

tris vita violanda multa peccantur. Violatur is enim qui procreauit, is qui aluit, is qui erudiuit: is qui in ſede ac domo, atq; in republica collocauit: multitudine peccatorum præſtat, eoq́; pœna maiore dignus eſt. Sed nos in vita nō quæ cuiq́; peccato pœna ſit, ſed quantum cuique liceat ſpectare debemus. Quicquid non oportet, ſcelus eſſe, quicquid non licet, nefas putare debemus. [14] *Etiámne in minimis rebus? Etiam. Siquidem rerum modum fingere non poſſumus, animorum modum tenere poſſumus. Hiſtrio ſi paulùm ſe mouit extra numerum, aut ſi verſus pronuntiatus eſt ſyllaba vna breuior aut longior, exſibilatur & exploditur: in vita, quæ omni geſtu moderatior, omni verſu aptior eſſe debet, vt in ſyllaba te peccare dices? Poetam nō audio in nugis, in vitæ ſocietate audiam ciuem* [15] *digitis peccata dimetientem ſua? Quæ ſi viſa ſint breuiora, leuiora quî poſſint videri? cùm quicquid peccatur, perturbatione peccetur rationis atque ordinis.* [16] *Perturbata autem ſemel ratione & ordine, nihil poſſit addi quo magis peccari poſſe videatur.*

Quoniam Stoici virtutem volunt eſſe bonum quoddam natura perfectum, & ſapiētem definiunt eum, qui ſit omnibus abſolutarum virtutum numeris abſolutus, nec ſapiente quenquam ſapientiorem inueniri poſſe exiſtimant, vt eorum iudicio ſapiens omnis ſit ſapientiſsimus, & omnes ſapientes æquè ſapientes, & omnes qui ſapientes non ſunt, miſeri ſint. hoc conſtituto conſentaneum fuit, vt ipſi dicerent virtutes omnes ſapientium hominum, quandoquidem in ſummo gradu perfectionis exiſterent, non tantùm inter ſe pares eſſe, ſed ne in ſingulis quidem generibus vllam creſcendi acceſsionem habere: itemque vitia, quia ſumma eſſent, inter ſe paria & æqualia eſſe omnia: quod quidem paradoxon plus habet ſubtilitatis, quàm veritatis: non enim ſi omnia peccata æquè peccata eſſe dixerimus (quia ſpecies communem naturam generis ex æquo ſibi vendicant, vt homo non eſt magis animal, quàm beſtia) ſequitur etiam, vt omnia æqualia dicamus: quantitas enim & poteſtas ſceleris res quædam aduentitia eſt, quæ per omnes comparationis gradus parium, maiorum, minorum duci poteſt: & circunſtantiis rerum in quibus peccatur, alia

paria, alia maiora, alia minora peccata diiudicatur, velut ſocium fraudare & pupillum paria ſunt: & patrem occidere, grauius quàm ſeruum: & quempiam verberare leuius, quàm interficere. Hoc quoque paradoxon, ſicut reliqua alia, Stoici ex Socraticis ſermonibus videntur arripuiſſe: Socrates enim tametſi multis in locis vitia gradibus diſtinguit, vltimo tamen libro de Legibus: Si quis (ait) publicum furatus fuerit, ſiue paruũ, ſiue magnum, pari pœna puniatur: qui namque rem paruam ſuſtulit, quamuis minore vi, quàm qui magnam, rapuerit, æqua tamen cupiditate furatus eſt. Et Horatius in Epiſtolis ad hanc Socraticam & Stoicam ſententiam alluſit:

Lib.1. Epiſt.

Sit ſpes fallendi, miſcebis ſacra prophanis:
Nam de mille fabæ modijs cùm ſurripis vnum,
Damnum eſt, non facinus mihi pacto lenius iſto.

1 Verba ſunt cuiuſdam philoſophi Stoicum paradoxon refellentis: Parua res eſt, in qua peccatur: ergo paruum delictum. Cui Cicero ita reſiſtit, vt neget naturam peccati circunſtantiis rerum, ſed duntaxat genere prauitatum metiendam & æſtimandam eſſe: In quo quòd ad comparationem quantitatis attinet, cum Stoicis labitur, & ſubtilius quàm verius argutatur: ſyllogiſmus eſt connexus primus:

Si, cùm lineam rationis tranſiſti, culpa commiſſa eſt, quàm longè progrediare, nihil ad augendam culpam intereſt:
Sed, cùm extra lineam rationis prodiiſti, culpa commiſſa eſt:
Quàm longè igitur progrediare, nihil ad augẽdum peccatum intereſt.

Propoſitio declaratur ſimilitudine peccati, & rei in qua peccatur: quaſi hæc augeri vel minui poſſit, vt perſona domini maior eſt, quàm ſerui: illud verò nõ poſſit: quaſi violare dominum & ſeruum paria delicta ſunt: quod ita paradoxon & abſurdum eſt, vt iudiciis nõ modò indoctorum, ſed etiam ſapientium hominum repudietur. 2 Proxima diſſimilitudo illuſtratur ſimilitudine: Vt gubernatoris inſcitia ſiue paruam, ſiue magnam iacturam fecerit, vna & æqualis eſt: ſic intemperantis hominis libido, ſiue in ignobili, ſiue in nobili virgine lapſa fuerit, par & eadem eſt. Cicero lib.4. de Finib. Vt enim, inquit, gubernator æquè peccat, ſi palearum nauem euertit, & ſi auri, item æquè peccat qui parentem & ſeruum iniuria verberat. quod argumentum euertit deinceps his verbis: Hæc non videre cuius generis onus nauis vehat, & ad gubernatoris artem nihil pertinere: itaque aurum paleámue portet, ad bene aut malè gubernandum, nihil intereſſe: at, quid inter parentem & ſeruulum interſit, intelligi & poteſt & debet: ergo in gubernando nihil, in officio plurimùm intereſt, quo in genere peccetur: & ſi in ipſa nauigatione negligentia eſt nauis euerſa, maius eſt peccatum in auro, quàm in palea. 3 Aſſumptio ſyllogiſmi conſtat definitione peccati ex ſimilibus ſumpta: Vt enim ſpatia locorũ certo linearum ductu diſtinguuntur, ſic virtutes mediocritate definiuntur, extra quam qui prodeunt, peccare dicuntur: &, vt Stoici ſomniant, æquè peccare: Vnde Perſius Satyra 5. ait,

Nil tibi conceſſit ratio: digitum exere, peccas,
Et quid tam paruum eſt? ſed nullo thure litabis,
Hæreat in ſtultis, breuis vt ſemuncia recti.

Tranſilire igitur quaſi lineas, eſt tanquam certos officij terminos præterire, nec modum in agendo ſeruare: nam, vt ait Horatius,

Eſt

Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines:
Quos vltra citraq; neſcit conſiſtere rectum.

4 Secundum argumentum ſumitur ab altera definitione peccandi: ſyllogiſmus eſt ſimplex primi generis:

Quod non licet, id nec minus nec maius eſſe poteſt.:
Peccare, eſt facere quod non licet:
Peccare igitur, nec maius, nec minus eſſe poteſt:

Propoſitio & aſſumptio, ſi eſſentiam peccati conſideres, veræ quidem ſunt, vt omnia peccata dicantur æquè peccata: ſi verò qualitates & circumſtantias, falſæ: quia peccatorum alia aliis leuiora grauioraque ſunt: non igitur omnia paria & æqualia. 5 Tertium argumentum eſt à paribus: & ſyllogiſmus connexus primus, vbi retinetur antecedens, vt retineatur conſequẽs. Simile eſt argumentum lib. 3. de Finib. Quarum artium ſumma creſcere nõ poteſt, earum etiam contrarium ſumma non poterit augeri:

Ad virtutis ſummam accedere nihil poteſt:
Nec vitia quidem igitur creſcere poterunt, quæ ſunt virtutum contraria.

6 Hæc ratio non probat aſſumptionem, ſed hoc tantùm arguit, non eſſe eum virum bonum, qui ſemper bonus non ſit, nec temperantem, qui ſemper temperans non ſit: quod quidem Ciceroni propoſitũ nõ eſt ad probandum. 7 Hæc ratio probat definitionem virtutis æqualiter omnibus virtutibus conuenire, non tamen omnes virtutes æquales eſſe: vt definitio montis omnibus mõtibus æquè conuenit: nec tamen conſequens eſt, vt ſi omnes montes æquè montes ſint, protinus etiam æquales ſint. 8 Similitudinis vis quædam hic incluſa eſt à rectis lineis, vt quemadmodum recto rectius, ſic bono melius nihil ſit: quæ ſimilitudo item fallax eſt: vt enim omnes rectæ lineæ ſint æquè rectæ, quia à puncto ad punctum breuiſſimæ ſunt, poſſunt tamen eſſe inter ſe inæquales: quia aliæ aliis breuiores longioresque ſint. 9 Complexio ſuperioris ſyllogiſmi illuſtratur comparatione parium, vbi cauſſæ cum effectis conferuntur, virtutes cum rectè factis, & vitia cum peccatis: virtus enim eſt conſtans animi affectio, ſicut vitium: ſed illa honeſta & laudabilis, hoc turpe & vituperabile: vt autẽ illinc rectè facta, ita hinc prauè facta, id eſt, peccata proficiſcuntur. 10 Quartum argumentum nititur authoritate Socratis, qui lib. 12. de Legib. videtur hanc ſententiam de peccatis paribus indicaſſe, vt antè diximus. 11 Hoc argumentum in contrariam partem etiam valere poterit, vt ſi homines ſenſerint in delictis nullum eſſe diſcrimen, æquè prompti ſint ad interficiendum parentem, atq; gallum gallinaceum: nec minus dubitent hominem necare, quàm virgis cædere: hoc delirum commentum Horatius irriſit in Satyris, Satyra 3. lib. 1.

Comminxit lectum potus, menſáue catillum
Euandri manibus tritum deiecit, ob hanc rem
Aut poſitum ante mea quia pullum in parte catini
Suſtulit eſuriens, minus hoc iucundus amicus
Sit mihi? quid faciam, ſi furtum fecerit, aut ſi
Prodiderit commiſſa fide, ſponſúmue negarit?
Queis paria eſſe ferè placuit peccata, laborant
Cùm ventum ad verum eſt, ſenſus moresque repugnant:
Atq; ipſa vtilitas iuſti propè mater & æqui,

12 Cicero fingit per Mimeſim contradictiones aduerſariorum, vt reſpondeat his, quæ contra hoc paradoxon adferũtur. Soluit igitur primam quæſtionem de parricidio & nece ſerui, dupliciter: primùm, quòd hæc duo facta nonnunquã peccata non ſint, vt probat alterum exemplo Saguntinorum: deinde quòd ſi peccata

ſint,paria ſint: quod tamen poſterius, ſi qualitatem & quantitatem iniuriæ,& circunſtantias perſonarũ diligẽter attenderis, nullo modo probari poteſt. 13 Secunda πρόληψις Stoicos vehementius vrget, Plures ſunt circunſtantiæ in violando patre,quæ delicti magnitudinem augent,quàm in violando ſeruo:& propterea parricidium grauius punitur,quàm ledes ſerui: quod argumentum vt Cicero diſſoluat,in ſpinas & dumeta Stoicorum relabitur: nec tamen iſta tergiuerſatione quicquam aliud agit, quàm vt doceat eſſentiam & definitionem peccati omnibus peccatis æqualiter conuenire: quod quidem nemini dubium eſt: de comparatione verò delictorum,quæ ſumitur ex rerum circunſtãtiis,nihil reſpondet, vnde tamen æqualitas aut inæqualitas in delictis diſtinguenda & definienda eſt. 14 Tertia πρόληψις eſt eiuſmodi: Cùm in minimis rebus peccatur, leuius eſt peccatum: ergo cùm in maximis,maximum debet videri: cui Cicero reſiſtit primùm ex diſſimilibus,quòd res in quibus peccatur, modum non habeãt, animus modum quendam habeat. quæ quidem collatio nihil ad rem facit: deinde à minori ad maius,Hiſtrio ſi paululum errauit in pronuntiatione,valde reprehènditur: quantò magis in vita & moribus peccatum reprehendendum eſt? quæ comparatio non probat omnia peccata paria eſſe. 15 Peccata digitis dimetiri, eſt perpendere, & quaſi numerare quæ grauiora & quæ leuiora ſunt. Cicero alludit ad ſupputationem veterum,quæ digitorum flexu fiebat,vt Beda docet, vel ad poëtas,qui pedes verſuum digitis metiuntur: vnde Horatius:

Legitimumq́; ſonum digitis callemus & aure.

16 Vltimum argumentum ducitur ex cauſſis peccati: ſyllogiſmus ſimplex primi generis:

Perturbatio rationis,nec augeri,nec minui poteſt:
Peccatum fit perturbatione rationis:
Peccatum igitur nec augeri,nec minui poteſt.

Propoſitio ſyllogiſmi nimium paradoxa eſt, quia perturbationes in animis noſtris modò leuiores, modò grauiores ſunt: & homines magis & minus tum iraſcuntur, tum dolent, tum cupiunt,tum ſperant,tum metuunt, tum reliquis perturbationibus afficiuntur.

Οτι πάντες οἱ μωροὶ μαίνονται.

Omnes ſtultos inſanire.

PARADOXON IIII.

E[1] Co verò te non ſtultum, vt ſæpe, non improbum, vt ſemper, ſed dementem & inſanum rebus addicam neceſſariis. Sapientis animus magnitudine conſilii, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunæ, virtutibus deniq; omnibus vt mœnibus ſeptus, vincetur & expugnabitur, qui ne ciuitate quidẽ pelli poteſt? [2] Quæ eſt enim ciuitas? omníſne conuentus ferorũ & immanium? omníſne etiam fugitiuorum ac latronum cõgregata vnum

in

in locum multitudo? certè negabis. Num erat igitur illa tum ciuitas, cùm [3] leges in ea nihil valebant, [4] cùm iudicia iacebant, [5] cùm mos patrius occiderat; cùm ferro pulſis magiſtratibus Senatus nomen in Repub. non erat? Prædonum ille concurſus, & te duce latrocinium in foro conſtitutum, & [6] reliquiæ coniurationis à Catilinæ furijs ad tuum ſcelus furoremq́ cõuerſæ, num ciuitas erat? [7] Itaq; pulſus ego ciuitate non ſum, quæ nulla erat. accerſitus in ciuitatẽ ſum, [8] cùm eſſet in Republ. Conſul, qui tum nullus fuerat, eſſet Senatus qui tum occiderat: eſſet conſenſus populi liberi, cùm eſſet iuris & æquitatis (quæ vincula ſunt ciuitatis) repetita memoria. [9] At vide quàm iſta tui latrocinij tela contempſerim. Iactam & immiſſam à te nefariam in me iniuriam ſemper duxi, tamen perueniſſe ad me nunquam putaui: [10] niſi fortè cùm parietes diſturbabas, aut cùm tectis ſceleratas faces inferebas, tunc meorũ aliquid ruere aut deflagrare arbitrabare. Nihil neq; meũ eſt, neq; cuiuſquam quod auferri, quod eripi, quod amitti poteſt. [11] Si mihi eripuiſſes diuinam animi mei conſtantiam, meas curas, vigilias, conſilia, quibus Reſpubl. inuicta ſtat, ſi huius æterni beneficij immortalem memoriam deleuiſſes, multò etiam magis ſi illam mentem, vnde hæc conſilia manant, mihi eripuiſſes: tum ego accepiſſe me confiterer iniuriam. Sed ſi hæc nec feciſti, nec facere potuiſti, reditum mihi glorioſum tua dedit iniuria, nõ exitum calamitoſum. Ergo ego ſemper ciuis eram, & tum maximè, cùm meam ſalutem Senatus exteris nationibus, vt ciuis optimi, commendabat. [12] Tu ne nunc quidem es ciuis, niſi fortè idem hoſtis eſſe & ciuis poteſt. An tu ciuem ab hoſte natura ac loco, non animo factisq́ diſtinguis? Cædem in foro feciſti: armatis latronibus templa tenuiſti: priuatorum domos

ædesq́ ſacras incēdiſti. [13] *Cur hoſtis Spartacus, ſi tu ciuis? Potes autē eſſe tu ciuis, propter quē aliquando ciuitas non fuit?* [14] *Et me exulem tuo nomine appellas, cū omnes meo diſceſſu exulaſſe Remp. putent? Nunquámne homo amentiſsime te circunſpicies? nuquámne quid facias conſiderabis, nec quid loquare?* [15] *Neſcis exilium ſcelerū eſſe pœnam? meum illud iter ob præclariſsimas res à me antè geſtas eſſe ſuſceptū?* [16] *Omnes ſcelerati atq́ impij, quorum tu te ducem eſſe profiteris, quos leges exilio affici volunt, exules ſunt, etiam ſi ſolum nō mutarunt. An cùm omnes leges te exulem eſſe iubeāt, non eris tu exul? Num appellatur inimicus,* [17] *qui cū telo fuerit ante Senatum? tua ſica deprehēſa eſt. Qui hominem occiderit? tu plurimos occidiſti. Qui incendiū fecerit?* [18] *ædes Nympharum manu tua deflagrarunt. Qui templa deorum occupauerit?* [19] *in foro etiam caſtra poſuiſti.* [20] *Sed quid ego communes leges profero, quibus omnibus es exul? Familiariſsimus tuus de te priuilegium tulit, vt ſi in opertum Bonæ deæ acceſsiſſes, exulares: at te id feciſſe etiam gloriari ſoles. Quomodo igitur tot legibus eiectus in exilium, nomē exulis non perhorreſcis?* [21] *Romæ ſum, inquis. Et tu quidem in opertò fuiſti. Non igitur vbi quiſque erit, eius loci ius tenebit, ſi ibi eum legibus eſſe ſubiectum non oportebit.*

Quarti Paradoxi theſis, quæ vulgò adſcribitur, diſputationi non conuenit: non enim Cicero probat omnes ſtultos inſanire, ſed ſolos ſapientes eſſe ciues, vbicunq; fuerint, & omnes improbos fugitiuos & exules eſſe. itaq; potius inſcribendum eſt, ὅτι πάντες οἱ σοφοὶ πολῖται, καὶ πάντες οἱ μωροὶ φυγάδες. nec thetica quæ Paradoxis præponuntur, à Cicerone fortaſſe præpoſita ſunt, ſed vel à Tyrone, qui Ciceronis libros digeſsit: vel ab aliquo alio, qui negligentius animaduertit, quid hîc ageretur. Tota verò oratio à theſi ad hypotheſim traducitur: vt ſit magis popularis: cuius duæ ſunt partes: vnà, quòd Cicero non fuerit exul: altera, quòd P. Clodius licèt Romæ ſit, nihilominus tñ ſit exul. Nā P. Clodius paſsim Ciceronē cōtumelosè vexās, exulē appellabat.

1 Rincipium vehemens eſt ad obiurgandum dementem & inſanam maledicendi licentiam Pub. Clodij, quaſi de Cicerone victo triumphantis, & eum exulem vocitantis. Primus locus refutationis habet collationem minorum cũ maioribus: Sapiens'ne ciuitate quidem pelli poteſt, quid mirum ſi expugnari nõ poteſt? Quo in loco Cicero per allegoricam ſimilitudinẽ alludit ad fortiſſima præſidia oppidorum: facilius autem eſt vrbe expugnata ciuem eiicere, quàm vrbem & ciuem expugnare. 2 Princeps argumentum ſumitur à repugnantibus: ſyllogiſmus ſimplex eſt ſecundi generis,

Nulla ciuitas eſt congregata latronum multitudo:
Cùm Roma diſceſſi, congregata erat latronum multitudo:
Cùm igitur Roma diſceſſi, non erat ciuitas.

Propoſitio præcedit, deinde aſſumptio declaratur ex remotione cauſſarum ciuitatis: hæc enim conſtat legibus, iudiciis, conſuetudine, magiſtratibus. Similis eſt locus in oratione poſt reditum, Ego autem in qua ciuitate nihil valeret Senatus, omnis eſſet impunitas, nulla iudicia, vis & forum in iudicio verſarentur, cùm priuati ſe parietum præſidio, non legum tuerentur: Tribuni plebis & vobis inſpectantibus vulnerarentur, ad magiſtratuum domos cũ ferro & facibus iretur, Conſulum faſces frangerentur, deorum immortalium templa incenderentur, Remp. eſſe nullã putaui: itaq; neq; exterminata Repub. mihi locũ in hac vrbe eſſe duxi. 3 P. Clodius & leges pernicioſiſſimas tulit, & leges Heliam Fuſiamq; Reipub. ſalutares ſuſtulit. 4 Vetus illa magiſtra pudoris & modeſtiæ ſeueritas cenſoria ſublata eſt Piſone Gabinioq; Coſs. quadringentis, poſtquam cœperat, annis: Cic. in Piſonem. 5 Cùm 8. Cal. Februarij Trib. pleb. de reuocando Cicerone legem ferre ſtatuiſſent, P. Clodius multa de nocte forum, comitium, curiam armatis hominibus occupauit, & in Q. Fabticium & Pub. Seſtium impetum fecit: quo tempore multi foro pulſi, pleriq; etiam cæſi ſunt. Lege orationẽ pro Seſtio.
6 Cic. pro Domo ſua, ſatellites Clodij aliàs vocat gregales Catilinæ: itemque cùm in Piſonem & Gabinium inuehitur: Quod maius, ait, iudicium expectatis, nihil inter vos & Catilinam interfuiſſe, q̃ quòd eandem illam manum ex intermortuis Catilinæ reliquiis concitaſtis? ꝙ omnes vulgi perditos collegiſtis? ꝙ in me carcerem effudiſtis? ꝙ coniuratos armaſtis? ꝙ ferro meum corpus atque omnium bonorum vitam obiicere voluiſtis? 7 Complexio ſyllogiſmi exornatur antitheſi rerum diſſimilium. 8 In diſceſſu Ciceronis Conſul nullus erat: nec enim Piſo, neque Gabinius: lege orationem in Piſonem: in reditu Coſs. erant P. Lentulus, & Q. Metellus, qui Reipub. conſulerent. 9 Eludis ſuſpicionem acceptæ iniuriæ: Clodius enim gloriabatur ſe ſatis ſuperque perſecutum eſſe inimicitias cum Cicerone: negat igitur Cicero ſibi vllam à Clodio factam eſſe iniuriam: argumentum eſt à repugnantibus: ſyllogiſmus ſimplex primi generis,

Nihil quod auferri poteſt, meum eſt:
Fortunæ commoda auferri poſſunt:
Nihil igitur horum meum eſt.

10 Clodius pulſo Cicerone villas eius incendit, vrbanam domum diruit, in ea templum libertatis ædificauit, ſuppellectilem & reliquas opes haſtæ ſubiecit, vt ait Plutarchus in vita Ciceronis. 11 Confirmat id quod propoſuit rurſus à repugnantibus, atque ita concludit:

Si mihi virtutem eripuiſſes, iniuriam feciſſes:
Nullam autem virtutem eripuiſti:
Mon igitur vllam nobis iniuriam feciſti.

Sed in aſſumptione Cicero de ſe magnificentius gloriatur, q̃ veritas ipſa ferat: fuit enim in diſceſſu ſuo valde mollis & abiectus, quippe qui mutata veſte ſordidatus, ſupplex, & lachrymans, ad populum vicatim confugerit: nec verò tantam mollitiem animi, cùm ab aduerſariis obiiceretur & irrideretur, negare ipſe auſus

Pro Domo ſua. eſt. Accepi, inquit, magnum atque incredibilem dolorem: non nego: neq; iſtam aſciſco mihi ſapientiam, quam nonnulli in me requirebāt, qui me animo nimis fracto atque afflicto loquebantur: an ego poteram inficiari me eſſe hominem & communē naturæ ſenſum repudiare? 12 Probat Clodium Romæ eſſe exulem argumento à repugnantibus: ſyllogiſmus eſt ſimplex primi generis,

Hoſtis patriæ non poteſt eſſe ciuis.
Clodius eſt hoſtis patriæ:
Non eſt igitur ciuis Clodius.

Aſſumptio probatur ex factis Clodij. 13 Spartacus gladiator cùm è ludo Lentuli profugiſſet, congregata ſeruorum & ergaſtulorum multitudine bellum ſeruile excitauit. 14 Relabitur ad refutandum conuitium Publij Clodij à repugnantibus:

In meo diſceſſu ciuitas nulla fuit:
Non igitur exul fui.

15 Vrget Clodium ab exilij cauſa: ſyllogiſmus eſt ſimplex ſecundi generis:

Exilium eſt pœna ſceleris:
Meus diſceſſus non fuit pœna ſceleris:
Meus itaque diſceſſus non fuit exilium.

Idem argumentum eſt pro domo ſua: Hunc tu etiam pernicioſa peſtis exulem appellare auſus es, cùm tantis ſceleribus eſſes & factis notatus, vt omnem locum, quò adiuſſes exilij ſimillimum redderes? quid eſt enim exul? ipſum per ſe nomen calamitatis, non turpitudinis: quando igitur eſt turpe? reuera cùm eſt pœna peccati, opinione autem hominum, ſi eſt pœna damnati: vtrum igitur peccato meo exulis nomen ſubeo, an re iudicata? peccato iam neque id tu dicere audes, &c.

16 Syllogiſmus eſt integrè concluſus contra Clodium, cuius argumentum ſumitur partim ab adiunctis perſonæ, quòd improbus & ſceleratus ſit: partim ab authoritate legum:

Omnes ſcelerati, quos leges exilio affici volunt, exules ſunt:
Clodius eſt ſceleratus, quem leges exulare iubent.
Exul igitur eſt Clodius.

Aſſumptio probatur à quatuor communibus capitibus legum, & totidem ſceleratis factis Publ. Clodij, quibus ab eo Romanæ leges violatæ ſunt. 17 Cicero pro Milone, Comprehenſus eſt, ait, in templo Caſtoris ſeruus P. Clodij, quem ille ad interficiendum Cn. Pompeium collocarat: extracta eſt confitenti ſica de manibus: caruit foro poſtea Pompeius, caruit ſenatu, caruit publico, ianua ſe & parietibus, non iure legum, iudiciorumque texit. 18 Cicero pro Milone ita ſcribit de Clodio: Qui templum nympharum incendit, vt memoriam publicam recenſionis publicis tabulis impreſſam extingueret. Et de reſponſis Aruſpicum, Earum templum inflammauit dearum, quarum ope, aliis etiam incendiis ſubuenitur. 19 Cicero in Piſonem, Arma in templo Caſtoris, ô proditor templorum omnium, vidente te conſtituebantur ab eo latrone, cui templū illud fuit te Conſule, arx ciuium perditorum, receptaculum veterum Catilinę militum, caſtellum forēſis latrocinij, buſtum legum omnium & religionum. 20 Tranſit à communibus legibus ad teſtimonium priuilegij, id eſt, priuatæ legis, qua Senatus nominatim quæſtionem in Pub. Clodium decreuit de pollutis & violatis ſacris Bonæ deæ, quæ quotannis menſe Iunio pro ſalute Pop. Romani in domo Pontificis aut Conſulis multa de nocte à nobilibus matronis & virginibus veſtalibus in interiore parte ædium fiebant, à quibus non modò viri prohibebantur, ſed etiam picturæ aut ſtatuæ viriles, ſi quæ in ædibus eſſent, tegebantur: Clodius autem iuuenis captus amore Calphurniæ, ſumpta veſte muliebri, in hæc ſacra furtim ingreſſus eſt: de quo Cicero ad Atticum, Credo, ait, te audiſſe, cùm apud Cæſarem pro populo fieret ſacrificium, veniſſe eò muliebri indutum veſtitu virum, idque ſacrificium cùm virgines inſtauraſſent, mentionem à Q. Corni-

ficio

ficio in Senatu factum. Is fuit princeps, ne tu fortè aliquē noſtrûm putes: poſtea rem ex Senatuſconſulto ad virgines & Pontifices relatam, idq́ue ab his nefas eſſe decretum: deinde ex Senatuſcōſulto Coſs. rogationem promulgaſſe. 21 Prolepſis eſt à repugnantibus: Romæ ſum, inquit Clodius, non igitur exulo: cui Cicero reſiſtit à paribus:

In operto Bonæ deæ fuiſti, cùm te illic eſſe leges vetarent:
Et Romę item es, cùm legibus Romanis nullum in Vrbe ius manendi habeas.

Ὅτι πάντες οἱ σοφοὶ, ἐλεύθεροι· πάντες δὲ μωροὶ δοῦλοι

Omnes ſapientes liberos eſſe, & ſtultos ſeruos.

PARADOXON V.

LAudetur verò hic Imperator, aut etiam appelletur, aut hoc nomine dignus putetur: Quomodo? aut cui tandem hic libero imperabit, qui non poteſt cupiditatibus ſuis imperare? [2] Refrænet prius libidines, ſpernat voluptates, iracundiam teneat, coerceat auaritiam, cæteras animi labes repellat: tum incipiat alijs imperare, cùm ipſe improbiſſimis dominis dedecori ac turpitudini parêre deſierit. Dum quidem his obediet non modò imperator, ſed liber habendus omnino non erit. [3] Præclarè enim eſt hoc vſurpatum à doctiſſimis, quorum authoritate non vterer, ſi mihi apud aliquos agreſtes hæc habenda eſſet oratio. Cùm verò apud prudentiſſimos loquar, quibus hæc inaudita non ſunt, cur ego ſimulem me, ſi quid in his ſtudijs operæ poſuerim, perdidiſſe? Dictum eſt igitur ab eruditiſſimis viris, niſi ſapientem, liberum eſſe neminem. [4] Quid eſt enim libertas? Poteſtas viuendi vt velis. Quis igitur viuit vt vult, niſi qui recta ſequitur, qui gaudet officio, cui viuendi via conſiderata atque prouiſa eſt, qui ne legibus quidem non propter metum paret, ſed eas ſequitur atque colit, quia id ſalutare maximè eſſe iudicat? qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, niſi libenter ac liberè? cuius omnia conſilia, réſque omnes quas gerit, ab ipſo proficiſcuntur, eo-

demq; feruntur: nec eſt vlla res quæ plus apud eum polleat, quàm ipſius voluntas atq; iudicium? Cui quidem etiã (quæ vim habere maximam dicitur) fortuna ipſa cedit, ſicut ſapiens Poeta dixit, [5] Suis quiſq; fingitur moribus. [6] Soli igitur hoc contingit ſapiẽti, vt nihil faciat inuitus, nihil dolens, nihil coactus. Quod etſi ita eſſe pluribus verbis diſſerendum eſt, illud tamen breui conficiendum eſt, niſi qui ita ſit affectus, eſſe liberum neminem. Igitur omnes improbi, ſerui. Nec hoc tam re eſt, quàm dictu inopinatum atq; mirabile. Non enim ita dicunt eos eſſe ſeruos, vt mancipia, quæ ſunt dominorum facta nexu, aut aliquo iure ciuili: [7] ſed ſi ſeruitus ſit, ſicut eſt, obedientia fracti animi & abiecti, & arbitrio carentis ſuo, quis neget omnes leues, omnes cupidos, omnes denique improbos eſſe ſeruos? An ille mihi liber videtur, cui mulier imperat, cui leges imponit, præſcribit, iubet, vetat quod videtur? qui nihil imperanti negare poteſt, nihil recuſare audet? Si poſcit, dandum eſt: ſi vocat, veniendum: ſi eijcit, abeundum: ſi minatur, extimeſcendum. [8] Ego verò iſtum non modò ſeruum, ſed nequiſſimum ſeruum, etiam ſi in ampliſſima familia natus ſit, appellandum puto. [9] Atque vt in magna familia ſtultorum ſunt alij lautiores (vt ſibi videntur) ſerui: ſed tamen ſerui atrienſes ac tu, pari ſtultitia ſunt, quos ſigna, quos tabulæ, quos cælatum argentum, quos Corinthia opera, quos ædificia magnifica nimiopere delectant. [10] Ex ſummis, inquiunt, ciuitatis principes ſumus. Vos verò ne conſeruorum quidem veſtrorum principes eſtis. Sed vt in familia, qui tractant iſta, qui tergunt, qui vngunt, qui verrunt, qui ſpargunt, non honeſtiſſimum locum ſeruitutis tenent: ſic in ciuitate, qui ſe iſtarum rerum cupiditatibus dediderunt, ipſius ciuitatis

locum

locum penè infimum obtinent. [11] Magna, inquis, bella geſſi; magnis imperijs & prouincijs præfui. Gere igitur animum laude dignum. [12] Aetionis tabula te ſtupidum detinet, aut ſignum aliquod [13] Polycleti. Mitto vnde ſuſtuleris, & quomodo habeas: intuentem, admirantem, clamores tollentem cùm video, ſeruum te eſſe ineptiarũ omnium iudico. [14] Nónne igitur ſunt illa feſtiua? Sint: nam nos quoq; oculos eruditos habemus. Sed obſecro te, ita venuſta habeantur iſta, non vt vincula virorum ſint, ſed vt oblectamenta puerorum. Quid enim cenſes, ſi [15] L. Mummius aliquem iſtorum videret matellionem Corinthum cupidiſſime tractantem, cùm ipſe totam Corinthum contempſiſſet? vtrum illum ciuem excellentem, an atrienſem ſeruum diligentem putaret? Reuiuiſcat M. Curius, aut eorum aliquis, quorum in villa ac domo nihil ſplendidum, nihil ornatum fuit præter ipſos: & videat aliquem ſummis populi beneficijs vſum, [16] barbatulos mullulos exceptantem de piſcina, & pertractantem, [17] & murenarũ copia gloriantem: nónne hunc hominem ita ſeruum iudicet, vt ne in familia quidem dignum maiore aliquo negotio putet? [18] An eorum ſeruitus dubia eſt, qui cupiditate peculij nullam conditionem recuſant duriſſimæ ſeruitutis? Hæreditatis ſpes, quid iniquitatis in ſeruiendo non ſuſcepit? quem nutum locupletis orbi ſenis non obſeruat? Loquitur ad voluptatem: quicquid denuntiatum ſit, facit: aſſentatur, aſſidet, minatur. Quid horum eſt liberi? quid denique non ſerui inertis? [19] Quid iam illa cupiditas, quæ videtur eſſe liberalior, honoris, imperij, prouinciarum? quàm dura eſt domina, quàm imperioſa, quàm vehemẽs? [20] Cethego homini nõ probatiſſimo ſeruire res coegit eos, qui ſibi eſſe ampliſſimi videbantur, munera

mittere, noctu venire domum ad eum, precari, denique ſupplicare. Quæ ſeruitus eſt, ſi hæc libertas exiſtimari poteſt? [21] *Quid? cùm cupiditatum dominatus exceſſit, & alius eſt dominus exortus ex conſcientia peccatorum, timor, quàm eſt illa miſera, quàm dura ſeruitus?* [22] *Adoleſcentibus paulò loquacioribus eſt ſeruiendum. Omnes qui aliquid ſcire videntur, tanquam domini timetur. Iudex verò quantum habet dominatum? quo timore nocentes afficit? ánnon eſt omnis metus ſeruitus?* [23] *Quid valet igitur illa eloquentiſſimi viri L. Craſſi copioſa magis quàm ſapiens oratio? Eripite nos ex ſeruitute. Quæ eſt iſta ſeruitus tam claro homini tamq; nobili? Omnis enim animi debilitata & humilis & fracta timiditas, ſeruitus eſt. Nolite ſinere nos cuiquam ſeruire. In libertatem vindicari vult? Minimè. Quid enim? adiungit, Niſi vobis vniuerſis, Dominum mutare, non liber eſſe vult. Quibus & poſſumus, & ſeruire debemus. Nos verò, ſi quidem animo excelſo & alto, & virtutibus exaggerato ſumus, nec debemus, nec poſſumus. Tu poſſe te dicito, quandoquidem potes: debere ne dixeris, quoniam nihil quiſquam debet, niſi quod eſt turpe non reddere. Sed hæc hactenus. Ille videat quomodo imperator eſſe poſſit, quum eum ne liberum quidem eſſe ratio & veritas ipſa conuincat.*

Philoſophi libertatem & ſeruitutem non iure gentium, vt iureconſulti definiunt, vt liber ſit is, qui nemini pareat: & ſeruus, qui alicui ſubiectus mancipatusq́ue ſit: ſed iure naturæ, id eſt, mentis & rationis: vt cùm ratio in homine magiſtra eſt, & cupiditatibus imperat, etiam ſi corpore infirmus, vel captus ſit, tamen is liber eſſe dicatur: itemq́ue cùm ratio vincitur à cupiditatibus, licèt homo corpore robuſtus ſit, multisq́ue per vim ſubactis imperet, tamen is natura, id eſt, mente & animo ſeruus ſit: quæ diſputatio eſt Ariſtotelis primo Politico: & Socratis in Alcibiade primo, vbi docet prauitatem ſeruilem eſſe, virtutem verò liberam: & in Gorgia, vbi probat tyrannos mi

nimum in ciuitate poſſe, quia ſeruiant turpitudini, & poteſtate mentis, & rationis careant. Et apud Xenophontem lib. 4. Comment. Dic mihi, ô Eutideme, putáſne libertatem hominibus & Reipubl. magnam poſſeſsionem eſſe? Magnam, inquit. Qui igitur voluptatibus corporis inſeruit, & ob id à rebus optimis auocatur, húncine liberum eſſe putas? Minimè, inquit. Fortaſſe arbitraris liberi eſſe hominis bona & recta agere, ſerui autem habere aliquid intus, quod impediat, ne rationem ducem ſequatur. Sic, inquit, rurſus arbitror. Libertas igitur & ſeruitus per metaphoram à philoſophis vſurpantur, ad ſignificandum illic quidem principatum rationis cupiditatibus imperantis, hîc verò oppreſsionem mentis & rationis malis affectibus tanquam imperioſis dominis obedientis.

1 Principium videtur ironicè aliquem Romanum principem reprehendere, vt M. Antonium titulo & nomine imperatoris gloriantem: quæ iactantia eluditur à minori ad maius: ſyllogiſmus eſt eiuſmodi:

> Qui non poteſt ſuis cupiditatibus imperare, nec hominibus quidem poterit:
> Hic non poteſt ſuis cupiditatibus imperare:
> Tanto minus igitur hominibus imperabit.

2 Horatius libro 1. epiſtol. 1. regem principatu rationis & virtutis vſu in epiſtolis definit:

—At pueri ludentes, Rex eris, aiunt,
Si rectè facies.

Et Cic. pro Sylla, Niſi fortè, inquit, regium tibi videtur ita viuere, vt non modò homini nemini, ſed ne cupiditati quidem vlli ſeruiat, contemnere omnes libidines, non auri, non argenti, non cæterarum rerum indigere, populi magis vtilitati conſulere, quàm voluntati: nemini cedere, multis obſiſtere, hoc ſi putas eſſe regium, tum me regem confiteor eſſe. Et apud Perſas pædagogus primogenitum filium regis, vt ait Plato in Alcib. 1. aſſiduè admonere ſolebat, vt bene viuere conſueſceret, & omnibus his, quæ in ſeipſo eſſent, imperare, nec vlli omnino libidini ſeruire. 3 Primum caput Paradoxi, quòd ſolus ſapiens ſit liber, approbatur authoritate ſapientium & doctorum hominum, qui hanc ſententiam frequentiſſimè vſurparunt, vt conſtat ex libris philoſophorum & poëtarum: ſyllogiſmus eſt ex remotione antecedentis ad concludendum remotionem conſequentis.

4 Secundum argumentum ſumitur à definitione libertatis: ſyllogiſmus ſimplex primi generis:

> Poteſtas viuendi vt velis, libertas eſt:
> Solus ſapiens habet poteſtatem viuendi vt velit:
> Solus igitur ſapiens liber eſt.

Aſſumptio declaratur à factis ſapientis, quæ ſunt, Rectum ſequi, ſapienter prouidére, legibus parêre, liberè & loqui, & facere, & cogitare, voluntate & iudicio ſtare. 5 Prouerbium eſt: Sui cuique mores fingunt fortunam, id eſt, bona bonis, & mala malis euenire ſolent. Cæſar apud Salluſtium, Res, inquit, docuit id verum eſſe, quod in carminibus Appius ait, fabrũ eſſe quemq; fortunæ. 6 Concludit primum caput Paradoxi, & tranſit ad ſecundum, diſputans à contrariis. Sunt enim contrariorum conſequẽtia: vt ſi libertas eſt ſapientis, ſeruitus eſt ſtulti & inſipientis. quæ diſputatio quo planius intelligatur, Cicero duo genera ſeruorum diſtinguit: vnum legibus inſtitutum, cùm homines bello victi iure gentium alienæ poteſtati & dominationi præter naturam ſubiiciuntur, de quibus

Iureconſulti multa ſcribunt. Alterum natura definitum eſt, vt antè diximus, cùm ratio debilis & infirma, & à perturbationibus ſuperata non poteſt agere id quod vult, id eſt, rectum & honeſtum: tum enim dicuntur homines ſerui, quia prauis affectibus tanquam tyrannis ſeruiunt: ſic literæ ſacræ loquuntur, Qui peccatum committit, ſeruum eſſe peccati: Eædemq́; admonent paſſim ſceleratos homines eſſe in poteſtate & vinculis Cacodæmonis. 7 Secūda definitio ſeruitutis huic diſputationi conuenit: ſyllogiſmus eſt connexus primus:

Si ſeruitus eſt obedientia fracti animi, omnes improbi ſunt ſerui:
Sed ſeruitus eſt obedientia fracti animi:
Omnes igitur improbi ſunt ſerui.

Propoſitio probatur inductione hominum improborum per ſpecies, Voluptuoſi, auari, ambitioſi, habent animum fractum, & arbitrio carentem ſuo, & hi ſunt improbi. Si igitur ſeruitus ita eſt, improbi ſunt ſerui. Ac primùm de ſeruitute hominum voluptati deditorum agitur, qui turpiter parent mulieribus: ex hoc genere eſt incontinens ille apud Perſium Satyr. 5.

Nunc ferus ac violens: at ſi vocet, haud mora, dicas,
Quidnam igitur faciam? ne nunc cùm accerſor, & vltrò
Supplicet, accedam? ſi totus & integer illinc
Exieris, nunc nunc, hic, hic, quem quærimus, hic eſt:
Non infeſtiua lictor, quam iactat ineptus.

Et M. Antonius, qui Cleopatræ pretium libidinum Romanum imperium promiſit: & Hercules, qui imperata ab Omphale regina Lydorum penſa muliebriter tractauit: & Sardanapalus, qui inter ſcortorum greges delituit. 8 Complexio eſt ſyllogiſmi exornata comparatione maiorum. 9 Secuudum caput inductionis (quòd auari ſerui ſint, qui diuitias expetant & admirentur) diſputatur primùm collatione ſimilium,

Vt in magna familia ſerui atrienſes ſerui ſunt:
Sic in ciuitate principes auari ſuarum cupiditatum ſerui ſunt.

Serui atrienſes erant olim in familia præcipui, qui in atrio ſigna, tabulas, imagines, & pretioſam gazam cuſtodiebant. 10 Dialogiſmus ſequitur ad eleuandam & extennandam arrogantem authoritatem principum, qui deinceps comparantur mediaſtinis ſeruis viliſſimis & abiectiſſimis, & in familia res ſordidas tractantibus: idq́ue rectè: auaro ſiquidem homine nil eſt ſordidius. 11 Secundus dialogiſmus eſt, in quo refellitur aduerſarius ab adiunctis, auaritia, furto, & admiratione tabularum & ſignorum, quæ ex prouinciis Romam exportauit.

12 Aetionem Plin. cap. 7. lib. 35. inter clariſſimos pictores poſuit, quorum tabulæ ſingulæ oppidorum opibus venderentur. Idemq́; Plin. cap. 10. lib. 35. Clari, inquit, 107. Olympiade extitere Aetion & Telimachus. Aetionis ſunt nobiles picturæ Liber pater, item Tragœdia & Comœdia, Semiramis ex ancilla adipiſcēs regnum, anus lampadas præferens, & noua nupta verecundia notabilis. Cicero in Bruto, In Aetione, ait, Nicomacho, Protogene, Apelle, iam perfecta ſunt omnia. 13 Polycletus Sicyonius ſtatuarius, Ageladis diſcipulus, Diadumenon fecit molliter iuuenem centum talentis nobilitatum: item Doryphorum viriliter puerum fecit, & quem canona artifices vocant, lineamenta artis ex eo petentes velut à lege quadam: ſolusq́; hominum artem ipſe feciſſe artis opere iudicatur: fecit & diſtringentem ſe, & nudum talo inceſſentem, duosque pueros talis ludentes, qui vocantur ἀςραγαλίζοντες, & ſunt in Titi Imperatoris atrio. Item Mercurium, qui fuit Lyſimachiæ: Herculem, qui Romæ, Antæum à terra ſuſtinentem: Artemona, qui περιφόρητος appellatus eſt. hic conſummaſſe hanc ſcientiam iudicatur, & τορευτικὴν ſic erudiſſe, vt Phidias aperuiſſe. 14 Tertius dialogiſmus eludit pulchritudinem eiuſmodi operum, quæ à pictoribus & ſtatuariis efficiuntur:

tur: argumẽtum eſt à diſſimili, Non quemadmodum pueri, ita ſapientes his delicijs & venuſtatibus operum delectentur. qui locus exornatur domeſticis exemplis antiquorũ Imperatorum. 15 Mummius extincta Achaia repleuit vrbem, ipſe exceſſit non relicturus filiæ dotem: de quo Cicero in Offic. lib. 2. Quid, Luc. Mummius nunquid copioſior, cùm copioſiſſimam vrbem funditùs ſuſtuliſſet? Italiam ornare, quàm domum ſuam maluit? quanquã Italia ornata domus ipſa mihi videtur ornatior. 16 De mullorum delicijs, Cicero ad Atticum lib. 1. Noſtri, inquit, principes digito ſe cœlum attingere putant, ſi mulli barbati in piſcinis ſint, qui ad manum accedant. Feneſtella vult dictos eſſe à malleolorum calceorum ſimilitudine. Hi piſces gemina barba in labro inferiori inſigniuntur, vt ait Plin. lib. 9. nec in viuarijs, aut piſcinis naſcuntur, ſed ex mari huc aſportantur. *Plin. lib. 24 cap. 7.*

17 Murenæ item accerſebantur ad Romanas piſcinas ex freto Siculo, vt ait Macrobius lib. 3. cap. 8. quæ ex illo loco πλῶται vocantur, Latinè flutæ, quòd in ſummo ſupernantes, Sole torrefactæ curuare ſe poſſe, & in aquam mergere deſinunt, atque ita faciles captu fiunt. Martialis lib. 13.

Quæ natat in Siculo grandis muræna profundo
Non valet exuſtam mergere Sole cutem.

18 Aliud argumentum eſt de auarorum ſeruitute ex eorum factis, quòd ſpeculari miſerè ſeruiant, de quibus Horatius,

—Sunt qui
Fruſtis & pomis viduas venentur auaras,
Excipiantq́ senes, quos in viuaria mittant.

19 Tertium caput inductionis (quòd ambitioſi ſint ſerui) diſputatur ex eorum factis, quòd hi honoris cauſſa cogantur multa liberis hominibus indigna facere. Perſius Satyr. 5.

Ius habet ille ſui palpo, quem ducit hiantem
Cretata ambitio? vigila, & piper ingere largè
Rixanti populo, noſtra vt floralia poſſint
Aprici meminiſſe ſenes.

20 Cùm L. Lucullus prouinciam belli Mithridatici à Senatu impetrare vellet, Cethegum principem Senatus hominem flagitioſiſſimum officioſiſſimè rogare, & ad Preciam ſcortum Cethegi dona mittere coactus eſt. Lege Plutarchum in vita Luculli. 21 Confirmat item ambitioſos eſſe ſeruos, quia perfuncti honoribus oratores & iudices metuunt: ſyllogiſmus eſt eiuſmodi:

Qui metuunt, ſerui ſunt:
Improbi malè partis aut geſtis honoribus accuſationes & iudicia metuunt:
Tales igitur homines ſerui ſunt.

22 Prima adoleſcentibus ad gloriam commendatio ex cauſſis forenſibus erat, vt ait Cicero Offic. lib. 2. quarum etſi laudabilior eſt defenſio, tamen etiam accuſatio perſæpe probata eſt: ſic Lic. Craſſus adoleſcens accuſauit Carbonem, Publ. Sulpitius C. Norbanum, M. Cicero C. Verrem, C. Cæſar Dolabellam. Itaque multi Rectores prouinciarum conſcientia ſcelerum perterriti adoleſcentes oratores multis officiis ſibi conciliabant, ne ab his in iudicium vocarentur.

23 Poſtremo loco reprehenditur oratio Licinij Craſſi, quam habuit in maxima concione ciuium, quum aduerſus Philippum Conſulem cauſſam Senatus defenderet: cuius orationis idem exemplum citatur libro primo de Oratore, ſed verbis paululum immutatis. Negat igitur Licinium Craſſum ſapienter locutum eſſe, quum diceret Senatum populo Romano ſeruire debere: ſed Craſſus aliter ſeruiendi verbum vſurpabat, quàm hic Cicero, & apud populum populariter agebat.

οτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος.

Quod ſolus ſapiens diues ſit.

PARADOXON VI.

[1] QUæ eſt iſta in commomoranda pecunia tua tam inſolens oſtentatio? ſolúſne tu diues? Prô dij immortales, egóne me audiſſe aliquid & diciſſe non gaudeam? ſolúſne tu diues? Quid ſi ne diues quidem? quid ſi pauper etiam? [2] Quem enim intelligimus diuitem? aut hoc verbum in quo homine ponimus? Opinor in eo, cui tanta poſſeſsio eſt, vt ad liberaliter viuendum facile contentus ſit: qui nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius. Animus enim tuus oportet ſe iudicet diuitem, non hominum ſermo, neq; poſſeſsiones tuæ. Qui ſi tibi nihil deeſſe putas, nihil curas amplius, ſatiatus es, aut contentus etiam pecunia: concedo diues es. [3] Sin autem propter auiditatem pecuniæ nullum quæſtum turpem putas, [4] cùm iſti ordini ne honeſtus quidem eſſe poſsit vllus, ſi quotidie fraudas, decipis, poſcis, paciſceris, aufers, eripis, ſi ſocios ſpolias, [5] ærarium expilas, [6] ſi teſtamenta amicorum expectas, aut ne expectas quidem, at ipſe ſupponis: hæc vtrum abundantis, an egentis ſigna ſunt? Animus hominis diues, non arca appellari ſolet: quamuis illa ſit plena, dum te inanem videbo, diuitem non putabo. Etenim ex eo, quantum cuique ſat eſt, metiuntur homines diuitiarum modum. Filiam quis habet, pecunia eſt opus: Duas, maiore: Plures, maiore etiam. Si (vt aiunt) [8] Danai quinquaginta ſunt filiæ, tot dotes magnam quærunt pecuniam: quantum enim cuique ſatis eſt, ad id accommodatur, vt antè dixi, diuitiarum modus. [9] Qui igitur non filias plures, ſed innumerabiles cupiditates habet, quæ breui tempore maxi-

mas copias exhaurire poſſint, hunc quomodo ego appellabo diuitem, quum ipſe egere ſe ſentiat? [10] Multi ex te audierunt, quum diceres, Neminem eſſe diuitem, niſi qui exercitum alere poſſet ſuis fructibus, quod populus Romanus ex tantis vectigalibus iampridem vix poteſt. Ergo hoc propoſito nunquam eris diues, antequam tibi ex tuis poſſeſſionibus tantum reficiatur, vt ex eo tueri [11] ſex legiones, & magna equitum ac peditum auxilia poſſis. Iam fateris igitur, non eſſe te diuitem, cui tantùm deſit, vt expleas id, quod exoptas. [12] Itaque iſtam paupertatem, vel potius egeſtatem ac mendicitatem tuam nunquam obſcurè tuliſti: nam vt ijs qui honeſtè rem quærunt mercaturis faciendis, operis dandis, publicis ſumendis intelligimus opus eſſe quæſito: ſic qui videt domi tuæ pariter accuſatorum atque iudicum conſociatos greges, qui nocentes & pecunioſos reos, eodem te authore, corruptelam iudicij molientes, qui tuas mercedum pactiones in patrocinijs interciſas, pecuniarum in concionibus candidatorum, dimiſſiones libertorum ad fœnerandas diripiendáſque prouincias, qui expulſiones vicinorum, qui latrocinia in agris, qui cum ſeruis, cum libertis, cum clientibus ſocietates, qui poſſeſſiones vacuas, [13] qui proſcriptiones locupletum, qui cædes municipiorum, [14] qui illam Syllani temporis meſſem recordetur, qui teſtamenta ſubiecta, qui ſublatos tot homines, qui denique omnia venalia, delectum, decretum, alienam, ſuam ſententiam, forum, domum, vocem, ſilentium, quis hunc non putet confiteri ſibi quæſito opus eſſe? [15] Cui autem quæſito opus ſit, quis vnquam hunc verè dixerit diuitem? Eſt enim diuitiarum fructus in copia: copia autem declarat

*ſatietas rerum atque abundantia: quam tu quoniam nun-
quam aſſequere, nunquã omnino es diues futurus.*[16] *Meam
autem quoniam pecuniam contemnis, & recte, (eſt enim ad
vulgi opinionem mediocris, ad tuam nulla, ad meam modi-
ca) de me ſilebo, de te loquar. Si cenſenda nobis atq; æſtiman
da res ſit, vtrũ tandem pluris æſtimabimus pecuniam Pyr-
rhi,*[17] *quam Fabritio dabat, an continentiam Fabritij, qui
illam pecuniam repudiabat? Utrum aurum Samnitum,
an reſponſum*[18] *M. Curij? Hæreditatem*[19] *L. Pauli, an li
beralitatem Africani, qui eius hæreditatis Q. Maximo fra
tri partem ſuam conceſſit?*[20] *Hæc profecto quæ ſunt ſum-
marum virtutũ, pluris æſtimanda ſunt, quàm illa quæ ſunt
pecuniæ. Quis igitur (ſi quidem vt quiſque quod plurimi ſit
poſſideat, ita ditiſſimus habendus ſit) dubitet, qui in virtute
diuitiæ poſitæ ſint, quoniam nulla poſſeſſio, nulla vis auri
& argenti, pluris quàm virtus æſtimanda eſt?*[21] *O dij im-
mortales, non intelligunt homines quàm magnum vectigal
ſit parſimonia.*[22] *Uenio enim iam ad ſumptuoſos: relinquo
iſtum quæſtuoſum. Capit ille ex ſuis prædijs ſexcenta ſeſter
tia, ego centena ex meis. Illi aurata tecta in villis, & ſola
marmorea facienti, & ſigna, tabulas, ſupellectilem & ve-
ſtem infinitè concupiſcenti, non modo ad ſumptum fructus
ille eſt, ſed etiam ad fœnus exiguus. Ex meo tenui vectiga
li, detractis ſumptibus cupiditatis, aliquid etiam redunda-
bit. Uter igitur eſt ditior? cui deeſt, an cui ſuperat? qui eget,
an qui abundat? cuius poſſeſſio quò eſt maior, eò plus re-
quirit ad ſe tuendam, an quæ ſuis ſe viribus ſuſtinet? Sed
quid ego de me loquor, qui morum ac temporum vitio, ali-
quantum etiam ipſe fortaſſe in huius ſeculi errore verſer?*
[23] *M. Manilius patrum noſtrorum memoria (ne ſemper*

Curios

Curios & Lucinios loquamur) pauper tandem fuit: habuit enim ædiculas in Carinis, & fundum in Labicano. Nos igitur ditiores, qui plura habemus? Utinam quidem eſſemus. [24] *Sed non æſtimatione cenſus, verùm victu atq; cultu terminatur pecuniæ modus. Non eſſe cupidum, pecunia eſt: non eſſe emacem, vectigal eſt: contentum verò ſuis rebus eſſe, maximæ ſunt certiſſimæq́; diuitiæ. Etenim ſi iſti callidi rerum æſtimatores prata & areas quaſdam magno æſtimāt, quod ei generi poſſeſſionum maximè quaſi nocere poteſt: quanti eſt æſtimanda virtus, quæ nec eripi, nec ſurripi poteſt vnquam, neq; naufragio, neq; incendio amittitur: nec tempeſtatum, nec temporum permutatione mutatur?* [25] *Quæ qui præditi ſunt, ſoli ſunt diuites: ſoli enim poſſident res & fructuoſas & ſempiternas, ſoliq́; (quod eſt proprium diuitiarum) contenti ſunt rebus ſuis. Satis eſſe putant quod eſt, nihil appetunt, nulla re egent, nihil ſibi deeſſe ſentiunt, nihil requirunt. Improbi autem & auari, quoniam incertas, atque in caſu poſitas poſſeſſiones habent, & plus ſemper appetunt, nec eorum quiſquam adhuc inuentus eſt, cui quod haberet eſſet ſatis, non modò non copioſi ac diuites, ſed etiam inopes ac pauperes exiſtimandi ſunt.*

Sextum Paradoxon, vt pleraque alia, deducitur à Socrate libro de Republ. 7. In ciuitate, inquit, verè diuites nominabuntur, nō quidem auro, ſed iis rebus, quibus oportet virum bonum eſſe diuitem, nempe vita proba, atq; prudentia. Et apud Xenophon. lib. 4. Comment. Animaduertiſtine aliquando, ó Eutideme, quoſdam, cùm valdè pauca poſsideant, non modò ſatis habere, ſed etiam abundare: aliis verò ne valde quidem multa ſatis eſſe? Etiam mehercule, inquit: rectè enim in mentem reduxiſti: nam quoſdam noui tyrános, qui tanquam egeni ſint, ad iniuriam aliis faciendam impelluntur. Socr. Tyra nos igitur inter vulgus, eos verò qui paucis rebus contenti ſunt, & his rectè vtuntur, inter diuites ponemus. Mea, vt videtur, vtilitas me cogit fateri. Simili ratione Stoici cenſent ſapientes, etiam ſi mendaciſsimi

ſint,diuites eſſe,vt ait Cicero in oratione pro Muræna. Atq; hæc ſexta declamatio, ſicut aliæ ſuperiores, pro theſi diſputat hypotheſin, & inuehitur in M.Craſſum vulgò diuitem nominatum,in quem negat hoc nomen quadrare,quòd ſit improbus,& plus ſemper appetat:vbi diues Stoicè definitur contra vulgi opinionem, non qui multas fortunæ facultates habeat,ſed qui multis animi bonis inſtructus, modicis fortunæ copiis contentus ſit.

1 Initium orationis habet intentionem & depulſionem ex contradictione:

M.Craſſus diues eſt:

M.Craſſus diues non eſt.

Craſſi opes, vt ait Plutarchus in eius vita, ſummam ſeptem millium & centum talentorum efficiebāt,antequam exercitum duceret aduerſus Parthos, cùm etiam decimam ſuarum rerum Herculi conſecraſſet,& publicum epulum populo feciſſet, & ternas minas in ſingula capita ciuium contuliſſet: quarum opum maximam partem (ſi verum licet dicere) ex bellis ciuilibus atque incendiis ſibi comparauit,publicis calamitatibus abutens ad priuatam vtilitatem.Hunc itaque Cicero in tanta opulentia multis argumentis probat non eſſe diuitem,quòd auarus,& alieni appetens,quòd ſordidus,quòd iniuſtus,quòd omnibus ſceleribus & flagitiis tectus,& coopertus ſit. 2 Primū argumentū ſumitur à definitione diuitis,atque ita concluditur:

Omnis diues ſuis rebus contentus eſt:

Craſſus non eſt ſuis rebus contentus:

Non eſt igitur Craſſus diues.

Propoſitio ex vi nominis intelligi poteſt:diues enim,vt ait Varro,à diuo deducitur, q vt Deus nil egere videatur. 3 Aſſumptio amplificatur ex vita & factis Craſſi, de quo Plutarchus, Apud Romanos, ait, conſtat virtutes, quas plurimas Craſſus habuit,vnius auaritiæ ſordibus obſcuratas fuiſſe: hoc enim in ipſo præcipuum vitium,cætera quæ in eo erant,longè ſuperauit. 4 Q.Claudius Trib. pleb.legem tulit, ne quis Senator, quive Senatoris pater fuiſſet, maritimam nauem, quæ pluſquam ccc.amphorarum eſſet, haberet: id ſatis habitum ad fructus ex agris vectandos. Liuius lib.22. 5 Craſſus tertiò Conſul è templo Iouis Capitolini duo millia pondo auri ſuſtulit, vt ait Plin.lib.33. Idemq́ue ſæpius inuertit vectigal ærarij,vnde reus de peculatu fuit. 6 Craſſus multis hæreditatis cauſſa blandiebatur: quinetiam ſæpe teſtamenta ſupponebat, id eſt, ſuppoſitis perſonis falſa teſtamenta obſignabat: cuius auiditatem Cicero ridet in Offic. lib.3.Si dares hanc vim M.Craſſo,vt digitorum percuſſione hæres poſſet ſcriptus eſſe, qui reuera non eſſet, in foro, mihi crede,ſaltaret. 7 Iterat argumentum à definitione diuitis,atque ita concludit,

Diues id quod ſatis eſt,habet:

Craſſus non habet,id quod ſatis eſt:

Craſſus igitur non eſt diues.

Propoſitio declaratur exemplo ab adiūctis ſumpto, vt intelligatur qualis debeat eſſe diuitiarum modus pro conditione & circumſtantiis perſonarum. 8 Danao regi Aegyptiorum 50.filiæ fuerunt, quas inuitus & coactus 50.nepotibus, qui ex Aegypto fratre nati eſſent, in matrimonio collocauit. 9 Aſſumptio & complexio vna & eadem ſententia comprehenduntur: & id frequens eſt in orationibus Ciceronis. 10 Cicero nititur conuincere Craſſum Craſſi ipſius teſtimonio,& authoritate: ſyllogiſmus eſt ſimplex ſecundi generis,

Omnis diues exercitum poteſt alere fructibus ſuis, vt ait Craſſus:

Exercitum autem Craſſus alere non poſſet ſuis ſumptibus:

Craſſus igitur ſuo ipſius iudicio diues non eſt.

Hanc Craſſi ſententiam Plutarchus in eius vita reprehendit: Illud verò, ait, non rectè dicere ſolebat, Neminem omnino diuitem dici aut exiſtimari debere, qui ſuis facultatibus exercitum alere non poſſet: nullus enim eſt modus bellici ſumptus: nec vlla menſura bellum nutritur, vt ait Archidamus. 11 Legitimus exercitus ex Romano ciue conſcriptus videtur olim fuiſſe ſex legionum: quanquam etiam legimus pauciores aliquando fuiſſe, vt ternas, aut binas, aut quaternas: conſtabat autem legio, vt ait Vegetius, ſex millibus peditum & centum, equitibus autem ſeptingentis triginta vno: his adiuncti erant auxiliares, qui à ſociis vel fœderatis gentibus ad ſubſidium belli mittebãtur. 12 Proſequitur inſtitutam quæſtionem à repugnantibus: ſyllogiſmus eſt ſimplex primi generis:

Qui ſemper aliquid quærit, nunquam diues futurus eſt:
Craſſus perpetuum quæſtum facit:
Craſſus igitur nunquam diues erit.

Complexio prima eſt, aſſumptio ſecũda, quæ illuſtratur ſimilitudine hominum quæſtuoſorum, vt mercatorum, opificum, architectorum. Redditio comparationis amplificatur factis multis, quæ indicant Marcum Craſſum ſuis rebus contentum non eſſe, ſed ad rem auidiſſimum. 13 L. Sylla multos diuites proſcripſit, vt à ſuis, ex quibus erat vnus Craſſus, interficerentur, & eorum bona publicarentur: idemq; ſplendidiſſima Italiæ municipia ſub haſta vendidit, cæſis municipibus, Spoletum, Interamnum, Præneſte, Fluentiani: nam Sulmonem vetus oppidum iuſſit deleri. Lege Florum libro 3. & Appianum in bellis ciuilibus. 14 Craſſus Syllanis temporibus magnam partem vrbis à Sylla vaſtatam paruo pretio à dominis & poſſeſſoribus emit, cũ hi partim metu, partim egeſtate coacti, nihil Craſſo petenti negare auderent. Multa præterea bona ſub haſta Syllæ paruo pretio emit: hæc igitur Craſſo fuit meſſis Syllani temporis, id eſt, quæſtus longè vberrimus. 15 Propoſitio ſyllogiſmi approbatur à cauſſis, quæ diuitem faciunt, vnde ſyllogiſmus exiſtit:

Omnes diuites & copioſi ſunt contenti ſua ſorte:
Craſſus non eſt contentus ſua ſorte:
Craſſus igitur diues non eſt.

16 Occupat oſtentationem hominis auari: Ego, inquit, multa poſſideo, tu verò tenuem pecuniam habes. Hunc itaque refellit exemplis hominum continentiſſimorum, qui pluris virtutem, quàm opes æſtimarunt, quòd in illa non in his veræ eſſent diuitiæ. 17 Fabritius legatus ad Pyrrhum miſſus pro captiuis redimendis, oblatam à rege pecuniam reſpuit: & poſtridie cùm ad eum terrendum magnus elephas productus eſſet: Neque, inquit, heri me aurum commouit: neque hodie me beſtia cõmouebit. 18 M. Curius poſt tres honeſtiſſimos triumphos agellum ſuum fodiebat, & ædiculas incolebat, vbi rapis & oleribus veſcens, legatis Samnitum dona offerentibus: His, inquit, minimè auro opus eſt, quibus hæc cœna ſatis ſit: quique aurum habentes vincere, quàm aurum habere pulchrius eſſe iudicant. 19 Plutarchus ſcribit hæreditatem L. Pauli non magnam fuiſſe: erat enim, vt ipſe ait, minimè cupidus pecuniæ, ſed ſumptuoſus, & liberalis: nec multa habebat: ſed cùm dos vxori eſſet reddenda, vix eius patrimonium ſuffecit: huius filius Scipio Africanus minor à Scipionis maioris filio adoptatus paternam hæreditatem non attigit, ſed Q. Fabio maximo Allobrogico fratri ſuo conceſſit. 20 Poſtremum argumentum de veris diuitiis ita concluditur:

Vt quiſque quod plurimi ſit, poſſidet, ita ditiſſimus eſt habendus:
Viri boni virtutem poſſident, qua nihil eſt pretioſius:
Quare viri boni ditiſſimi ſunt habendi.

21 Exclamatio eſt contentioſa, quòd diuitiæ non ſint in abundantia rerum, ſed in parſimonia, & frugalitate vitæ: qualis ſententia erat lib. 4. Cic. de Repub. vt ait Nonius, Optimum vectigal & in priuatis familiis, & in Republ. duco eſſe parſimoniam. Et Horat. lib. 2. Odar. ita ſcribit,

Viuitur paruo bene cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum:
Nec leues ſomnos timor, aut cupido
Sordidus auſert.

Et Lucretius,

Diuitiæ grandes homini ſunt viuere parcè
Aequo animo, nec enim vnquam eſt penuria parui.

22 Hactenus diſputatum eſt contra auaros & quæſtuoſos homines: deinceps contra ſumptuoſos agitur: & quæſtio tractatur comparatè, vter ditior ſit, an qui diuitiis abundat, ſed immoderatè ſumptuoſus eſt: an quis mediocriter quidem diues eſt, ſed tamen frugi & parcus: qui locus explicatur ab adiunctis perſonarum:

Is cui ſuperat aliquid, diuitior eſt, quàm is cui deeſt: & qui nihil eget, quàm qui eget:

Frugi homini ſemper aliquid ſuperat: ſumptuoſo autem deeſt:

Quare vir frugi diuitior eſt, quàm ſumptuoſus, quantumuis locuples annuis reditibus.

Aſſumptio præcedit, propoſitio ſequitur. 23 M. Manilius, quem Cicero induxit in libris de Republ. cum Africano Lælio loquentem, ædiculas habuit in Carinis. qui locus Romæ fuit elegantibus ædificiis ornatus in morem Carinarum compoſitis: de quo Virgilius,

Romanoq; foro, & lautis mugire carinis.

Item fundum habuit in Labicano, quem locum Plin. cap. 5. lib. 3. in prima regione Italiæ ſitum eſſe ſcribit, non procul ab agro Latino & Hernico. 24 Iterat Stoicam definitionem diuitis, & exornat primùm à diſſimilibus:

Diuitiæ non ſunt in æſtimatione cenſus, ſed in moderata ratione vitæ.

Deinde à comparatione minorum cum maioribus:

Prata & areæ magni æſtimantur, quia poſſeſſiones ſunt quaſi certæ & ſtabiles:

Quantò magis eſt æſtimanda virtus, quæ nullis fortunæ iniuriis obnoxia eſt?

25 Concludit θετικὸν (quòd ſoli ſapientes ſint diuites, & omnes improbi pauperes) repetitis ad extremum Stoicis definitionibus diuitum & pauperum, quæ ſumuntur ab efficientibus cauſſis diuitiarum & paupertatis.

FINIS.

Audomari Talæi in

PRIMVM ARISTO= telis Ethicum librum PRAEFATIO,

AD

CAROLVM LOTHARINGVM Cardinalem Guiſianum.

REM magnam, & multorum hominum iudiciis probatam, tibi, Cardinalis ampliſsime, proponimus, hominis beatitudinem ab Ariſtotele deſcriptam: qua, ſi vera eſt, maius homini & melius ab Ariſtotele tradi nihil poteſt: ſin falſa, verendum eſt, ne ſummi boni ſpecie in ſummum malum incidamus. Itaque cùm ea de re primum Ariſtotelis Ethicum librum ad Nicomachum, ex Academiæ Pariſienſis inſtituto diſcipulis meis prælegerem, non ſolùm dialecticam lucem, ſed etiam philoſophicam libertatem in vero falſoq; & exquirendo & æſtimando adhibui, & ſummatim ſingulis de rebus quid verum & rectum videretur, explicaui: diſputauique contra ethnicum & paganum Philoſophum, quæſtionis huius & principium & extremum ignorantem: nam qui neſcit, aut non credit beatitudinem hominis à Deo proficiſci, & ad Deum referri, is humanæ beatitudinis principium & extremum neſcit. At Ariſtoteles hoc ſine carceribus & ſine meta curriculum inſtituit. Etenim cùm genus hominum ſempiternum feciſſet, nec primum hominem à Deo creatum vnquam ſibi perſuaſiſſet, huic errori impietas videlicet conſentanea fuit, vt homo principium ſuæ beatitudinis à Deo nullum duceret: cumque idem ſummum hominis bonum hac caduca & mortali vita concluſiſſet, quaſi poſt mortem hominis nihil eſſet futurum, huic alteri errori ſimilis impietas cõſentanea fuit, vt homo ad Deum beatitudinis ſuę exitũ non referret: nec ab eo rectè factorum ſuorum prǽmium vllum expectaret. Neq; verò ſolùm eiuſmodi ſine legitimis carceribus, & ſine legitima meta (quemadmodum dixi) curriculum inſtituit, ſed ita tortuoſum, aſperum & lubricum inſtituit, vt in eo athleta nullus ſine lapſu grauiſsimo, periculoſiſsimoque certare poſſit: neque quiſquam beatus Ariſtotelis beatitate futurus ſit, qui non idem ſempiterna miſeria & infœlicitate miſerrimus & infœliciſsi-

mus ſit futurus: atque adeò homini Chriſtiano magnæ non ſolùm temeritatis, ſed impietatis culpa verenda eſt, ſi quis à tali philoſopho Chriſtianæ veritatis præſidium vllum petendum exiſtimet. Sed hæc ſuis locis melius à nobis diſputabũtur. Quare ad Ariſtotelem de beatitudine hominis philoſophantem veniamus.

PRIMVS ARISTOTELIS LIBER AD NICOMACHVM, DE BEATITVDINE HOMINIS,

AB

AVDOMARO TALAEO explicatus.

Cap.I [1] *OMnis ars, omniſq́ doctrina, omnis actio, pariter & deliberatio, ad aliquod bonum referri videtur.* [2] *Itaque præclarè veteres bonum definiebant, quò referuntur omnia.* [3] *Fines autem inter ſe hoc ipſo diſcrepant, quòd alij ſunt actiones, alij præter has opera quædam.* [4] *Ac quarum rerum præter actiones alij fines ſunt, in his opera ſuapte natura ſunt actionibus excellentiora.* [5] *Cùm verò multæ ſint actiones, & artes, & ſcientiæ, multi ſunt etiam diuerſiq́ fines: medicinæ ſiquidem ſanitas, artis fabricandarum nauium nauis, diſciplinæ militaris victoria, prudentiæ domeſtica & familiaris opes.* [6] *Quæ autem artes aliqua vna facultate continentur (vt equeſtri diſciplinæ ars faciendorum frænorum, & cæteræ quæ circa inſtrumenta equorum verſantur, & hæc ipſa equeſtris diſciplina militariſq́ omnis exercitatio imperatoris arte & facultate, itemq́ aliæ alijs) in his omnibus fines earum quæ principatum tenent,*

nent, ſubiectarum & inferiorum rerum finibus ſunt anteponendi: illorum quippe cauſſa etiam hi expetuntur. Ac nihil intereſt an actiones ipſæ ſint fines actionum, an aliud quidpiam, quemadmodum in commemoratis artibus & diſciplinis.

Cùm hoc libro duntaxat propoſitum eſſet Ariſtoteli hominis fœlicitatem definire, idque totum definitione non ſolùm clara & perſpicua, ſed illuſtri & magnifica fieri potuiſſet, Ariſtoteles argutius & callidius multò quàm verius & facilius quæſtionem hanc & diſputationem multis rebus minimè neceſſariis onerauit, quas intelligentiæ memoriæque cauſſa tres in partes diuidemus, Procœmium, Reprehenſionem, & Confirmationem. Procœmium quatuor quæſtiones habet, Sitne aliquod ſummum hominis bonum. Cuius doctrinæ ſit. Qua ratione docendum. Quis eius doctrinæ idoneus auditor. Prima quæſtio generali ſummi finis definitione confirmatur: ſyllogiſmus connexus eſt primus:

Si quis eſt ſummus rerum expetendarum finis, propter quem cætera omnia expetantur, in eo ſummum eſt hominis bonum:
Aliquis autem eſt ſummus rerum expetendarum finis:
Quare ſummum eſt aliquod hominis bonum.

1 Connexæ propoſitionis ratio præcedit, natura & diſtinctione finium amplificata. Omnibus, inquit Ariſtoteles, hominibus qui conſilio, iudicio, voluntate rem quampiam ſuſcipiunt & efficiunt, bonum aliquod propoſitum eſt: vt Medico procuratio ſanitatis, Philoſopho inquiſitio ſapientiæ, Oratori actio cauſſarum ciuilium, Hiſtorico hiſtoria, Poëtæ carmen: & vt ad leuiores artes veniamus, ſartori veſtis, ſutori calceus, textori tela, ægricolæ meſſis. 2 Itaque veteres non ineptè Bonum & Finem vna & eadem definitione includebant, quaſi vtriuſque vna eſſet notio, idemq; bonum diceretur eſſe quod finis, cuius gratia quidq; fit. idque ex Philebo Platonis ſumptum videri poteſt, vbi Socrates finem propriè bonum cenſet appellandum. Quod, inquit, tale eſt, vt eius cauſſa fiat, quod ſemper ad aliud refertur, id in ratione boni collocatur: quod verò alterius cauſſa fit, in aliam ſortem, vir optime, reducendum videtur. 3 Finium autem diuiſio hìc manca & imperfecta eſt: nõ enim finis omnis aut ἐνέργεια, id eſt, actio, aut ἔργον, id eſt, opus, eſt: ſed tertium genus longè præſtantiſſimum in hac diſtributione deſideratur: θεωρίαν dico, id eſt, contemplationem, quam ab Ariſtotele de induſtria prætermiſſam eſſe arbitror, vt hac reticentia, & velut inſtructis cuniculis poſtea facilius ad oppugnandam ſententiam Platonis ingrederetur, qui beatam hominis vitam in Idea poſuit, & in Philebo vitam in contemplatione poſitam omnium diuiniſſimam & perfectiſſimam eſſe docuit. Eſſe autem finem aliquem θεωρητικὸν Quintilianus in artium diuiſione docet, quas ex triplici fine diſtinguit, cognitionis, actionis, & operis: & Ariſtoteles ipſe in topicis cùm agit de ornatu, ſimili artium diuiſione vtitur. Quinetiam in his ethicis libris fœlicitatem hominis non in actione tantùm, ſed etiam in contemplatione poſtea ſtatuet. Itaq; Ariſtotelis teſtimonio tertium finem θεωρητικὸν ad explendam partitionem apponere debemus. 4 Rectè autem præcipit opus eſſe melius actione, cùm operis cauſſa actio ſuſcipitur: ſemper enim in cauſſis principem locum finis obtinet: vt domus ædificatione melior, & meſſis agricultura, & tela textura, & vinum racematione. 5 Fines deinde inter ſe dupliciter diſtinguuntur: prima diſtinctio eſt naturæ & rationis, quæ ſua cuique & propria tribuitur: vt enim artes, ſic

artium fines inter ſe diſcrepant: ſed exempla quæ hîc adhibentur, minus idonea ſunt: non enim finis medicinæ eſt ſanitas, ſed adhibere ea quæ valent ad ſanandum, vt finem ſit adeptus medicus, etiam ſi non ſanarit. Neq; enim (vt in Topicis cap.2.lib.1.ait) vel orator omnibus modis perſuadere ſolet, vel medicus ſanare, ſed ſi nihil prætermiſerit eorum quæ adhiberi poſſint, tum denique & peritum eum & artificem iudicamus. Et Quintil.cap.17.lib.2. Tendit quidem, ait, ad victoriam, qui dicit, ſed cùm benè dixit, etiamſi non vincat, id quod arte continetur, effecit: nam & gubernator vult ſalua naue in portum peruenire: ſi tamẽ tempeſtate fuerit abreptus, non ideò minus erit gubernator, dicetq́ue illud notum, Dum clauum rectum teneam: & medicus ægri ſanitatem petit: ſi tamen aut valetudinis vi, aut intemperantia ægri, alióue quo caſu ſumma non contigit, dum ipſe omnia ſecundum rationem fecerit, medicinæ fine non excidet. Nec rei militaris finis eſt victoria, ſed facere omnia quæ ad vincendum pertinent. Idemq́ue de diuitiis & opibus in prudentia familiari iudicandum eſt: poteſt enim idem optimus eſſe paterfamiliâs, & pauperrimus. 6 Secunda finium diſtinctio verſatur in contentione dignitatis, eaq; magnam lucem ad propoſitionem proximi ſyllogiſmi afferet: nam ſi demonſtratum fuerit in finibus veluti in ſcalis certos eſſe gradus, vt alij inferiores, alij ſuperiores ſint, & ſuperiores ſemper inferioribus eſſe meliores, perſpicuum erit omnibus, ſi quis ſummus ſit rerum expetendarum finis, ſupra quem animo & voluntate altius aſcendere non poſſis, hunc ipſum optimum eſſe, & perfectiſſimum, in quo vita hominis beata verſetur. Quamobrem primi capitis diſputatio ad hanc concluſionem perducta eſt, vt cùm animus hominis in rebus expetendis ſemper aliquem finem & bonum ſpectet: fines autem varij multiplicesq; ſint, atque ita inter ſe affecti, vt à ſuperioribus inferiores dignitate vincantur, nemo dubitare poſſit, quin ſummus rerum expetendarum finis, idem optimus & perfectiſſimus ſit. His itaque iactis fundamentis ad primæ quæſtionis explicationem veniamus.

Cap.2. [1] *Ac ſi quis eſt vltimus extremúſque rerum agendarum finis, quem propter ſe, & cætera propter ipſum expetenda ducimus, ([2] neque omnia propter aliud optamus: ſic enim res ſerperet in immenſum, & inanis vanáque noſtra eſſet appetitio) conſtat illum eſſe rerum expetendarum extremum, ſummumq́ bonum: [3] cuius cognitio perceptioq́ magnam commoditatem ad vitam & mores rectè conformandos continet: vt tanquam ſagittarij propoſito nobis ſigno certius ad id quod opus eſt, contendamus: [4] quæ quum ita ſint, diligentia nobis adhibenda eſt, vt ipſum ſummum bonum, quid tandem ſit, & ad quod genus ſcientiæ facultatíſue pertineat, ſummatim complectamur. [5] Ei verò ſcientiæ, quæ reliquis imperat, maximeq́ præſtat, ſubiecta videri poteſt, cuiuſmodi eſt doctrina ciuilis: [6] hæc enim, quæ artes*

artes ſint vtiles Reipubl. & quas quiſque ciuium diſcere debeat, & quatenus, inſtituit: atq; etiam clariſſimas nobiliſſimasq; diſciplinas, vt eloquentiam, artem militarem, & domeſticam ſcientiam, huius legibus imperioq; ſubiectas videmus. [7] Quòd ſi reliquis artibus velut adminiſtris vtitur, quarum vis omnis actione cernitur, ſancitq; legibus & inſtitutis quæ ſunt illis facienda, prohibetq; contraria, hæc profectò doctrina ciuilis certo fine cõcluſa definitaq;, reliquarum diſciplinarum fines amplexabitur, vt in illo ſummum perfectúmque hominis bonum conſtituendum eſſe videatur. [8] Quamuis enim eadem ſit ratio eorum, quæ tum in ſingulos ciues, tum in vniuerſam Rempubl. conferuntur, at Reip. tamen cauſſam ſuſcipere, eamq; ſummo conſilio & ſtudio tueri, maius quiddam perfectiusq; eſt: optandum enim nobis eſt, vt etiam de vno ſoloq; ciue bene mereamur: at verò genti ciuitatibusq; multis conſulere longè præſtantius & diuinius exiſtimandum eſt.

Homines ignari, & dialecticæ & ſententiæ quæ tractabatur, librũ hunc in certa & propria membra non diuiſerunt, ſed imperitorum coquorum more diſcerpſerunt. Superiore enim capite non plena ſententia, ſed illuſtratio duntaxat proximæ propoſitionis continetur: cuiuſmodi ignoratione hoc opus pleriſq; in locis diuulſum ac diſſipatum eſt: quas tamen capitum ſectiones ideò ſecuti ſumus, non quia probaremus, ſed ne imperitis hominibus vſitatam rationem lectionis huius perturbare videremur. Primus hic ſyllogiſmus ad leges artis concluditur, & ex partibus veris componitur.

1 Propoſitio perſpicua eſt: inter enim Philoſophos & Chriſtianos conuenit, beatam hominis vitam omnium rerum maximè eſſe expetẽdam. 2 Et aſſumptio (quæ proxima parentheſi continetur) nihilominus aperta & probata omnibus eſt, quòd exploratum ſit omnibus in rebus expetendis aliquid eſſe extremum, in quo mens hominis conquieſcat, nec vltra idipſum appetitu & voluntate longius progredi poſſit. Hoc igitur ab Ariſtotele fundamẽtum rectè poſitum eſt, quo fœlicitatem hominis in ſummo ac extremo bonorum fine conſtituit: ſed cætera nequaquam ſimilia ſunt, vt in examine totius diſputationis apparebit. Nam cùm ad explicationem & conſtitutionem ſummi boni deſcendit, tam procul aberrat ab eo quod inquirit, quàm qui maximè. Quem tamen Philoſophum miſerandum iudicemus licèt, qui in tanta cæcitate & caligine temporum veritatis lumen ſecutus non ſit. At Chriſtianos quoſdam homines quis hoc tempore ferat, qui Ariſtotelis doctrinam falſam præſertim, & Chriſtianæ religioni repugnantem, tam ſanctè, tamque religioſè venerantur, vt eam non minus quàm ſacros, & à ſpiritu dei dictatos libros approbent? Itaq; in animaduertendis huius

Ariſtoteleæ diſputationis erroribus, non tam mihi certamen erit cum Ariſtotele, niſi cùm aut apertè veritatem Chriſtianam oppugnare, aut Platonem malitiosè calumniari videbitur, quàm cùm huiuſmodi hominibus, qui manifeſtiſſimam Ariſtotelis impietatē vel apertè defendere, vel diſtinctiunculis quaſi præſtigiis quibuſdam prætexere, glorioſum & præclarum eſſe ducunt. Nam ſi Ariſtoteles hoc tempore à mortuis excitaretur, eaque opinione, quam de Deo & Chriſto habemus, imbueretur, confeſtim decreta ſua tolleret, penituſque damnaret, quæ inepti quidam Chriſtiani ſtultiſſimè probant, & pertinaciſſimè ſequuntur.
3 Verùm ne ſegnes tardiue ſimus ad percipiendam moralem de beata vita philoſophiam, Ariſtoteles in ipſo ſtatim ſui operis veſtibulo nos inuitat, & quantum proſit hæc ad bene & beatè viuendum, oſtendit ſimilitudine ſumpta à ſagittarius, qualis ferè eſt apud Perſium Satyra 3.

Eſt aliquid quò tendis, & in quò dirigis arcum?
An paſſim ſequeris coruos, teſtaq́; lutoq́;
Securus quò pes cadat, atq; ex tempore viuis?

Cicero quoque hanc diſciplinam vtilem docet, quòd per eam certius & facilius homines ad beatam vitam perueniant. Summum bonum, ait, ſi ignoretur, viuendi rationem ignorare neceſſe eſt, ex quo tantus error conſequitur, vt quem in portum ſe recipiant, ſcire non poſſint: cognitis autem rerum finibus cùm intelligitur quid ſit, & bonorum extremum & malorum, inuenta vitæ via eſt, conformatioq́ue omnium officiorum. 4 Atque hæc de prima huius proœmij quæſtione, quam ſequitur deinceps ſecunda, Cuius doctrinæ ſit explicare ſummum bonum, quæ ex adiunctorū loco declaratur: Syllogiſmus connexus eſt primus:

Lib. 5. de Finibus.

Si doctrina ciuilis reliquarum artium princeps eſt, eius munus erit explicare quid ſit ſummum bonum:
Ciuilis autem doctrina reliquis artibus & diſciplinis præeſt:
Huius igitur munus erit explicare ſummum bonum.

5 Complexio primo loco adhibetur, Aſſumptio ſecundo, Propoſitio poſtremo. Sed hic Ariſtotelis ſyllogiſmus parum diſtinctè rem propoſitam concludit: nam alios nobis ethicos, alios politicos libros deſcribit: & in ſeptimo politico, cùm ethicæ doctrinæ ſummam quandam repetit, ait eam doctrinam in politicis alienam eſſe, & alieno loco tractari, vt Ariſtotelis iudicio duæ diſciplinæ videantur, politica & ethica, & præceptis diſtinctæ. Interpretes tamen ciuilis facultatis nomine, diſciplinam moralem putant intelligi: quia vt Grammaticæ eſt præcipere de loquendo: Dialecticæ de diſſerendo: ſic ethicæ artis de beatè viuendo. Et certè tota Ariſtotelis politica doctrina nihil aliud, quàm vſum & exercitationem ethicæ continet, de ciuitate & ciuibus, deque ciuitatum rectoribus: id eſt, de ſchola, de diſcipulis, deque magiſtris beatæ vitæ: ſed hoc Ariſtoteles parum perſpicuè dixit: itaque locus hic ſic intelligendus eſt, quaſi diceret Ariſtoteles, Vt grammatici eſt præcipere de grammatica, & rhetoris de rhetorica: ſic politici de ethica: quia vt illi ſunt exercitatores artium ſuarum, ſic politici morum. Itaq; ciuilem facultatem cæteris artibus imperare, ſic ἠθικῶς intellige, quaſi diceretur reliquarum artium hominibus à ciuili facultate beatè viuendi leges tradi. 6 Propoſitionis connexæ Ariſtoteles rationem aliquam reddere conatur, quæ quidem verè eſt, ſed ad rem parū facit. Non enim ſequitur, Si iuuare Rempublicam maius quiddam & perfectius ſit, quàm ſingulos, vt doctrina ciuilis beatæ vitæ leges & præcepta contineat & præſcribat. Hactenus de duabus primis exordij partibus: deinceps Chriſtianos admonitos velim, vt Ariſtoteleæ authoritatis opinione remota, ſimpliciter quid ab Ariſtotele dicetur mecum ipſi diligenter & attentè conſiderent, & intelligant quot & quanti lapſus ſint in reliqua parte diſputationis, & quàm temerè & inconſideratè non ſolum contra alios, ſed etiam pro ſeipſo de beata hominis vita diſſerat.

Atq; hæc quæ à nobis inſtituitur de ſummo bono diſputatio, quoniam ciuilis eſt, in his rebus verſatur: [2] *cui ſatis abunde copioſéq; factum fuerit, ſi quatenus rei natura feret, explicabitur:* *non enim in omni arte & inſtitutione, accurata explicationis diligentia, limatáq; ſubtilitas poſtulanda eſt: quemadmodum nec in hiis rebus quæ opificum manibus & inſtrumẽtis tractantur.* [3] *Atqui res honeſtæ iuſtæq; de quibus ſcientia ciuilis diſputat, tantam habent varietatem, tantumq; errorem hominibus adferunt, vt legibus & inſtitutis hominum valere, nõ natura & vi ſua conſtare videantur.* [4] *Sæpe etiam opinio de bonis nos inducit in errorem, quòd ex his multa incommoda detrimentaq; naſcuntur. Alios enim diuitiarum copia, alios vires ipſæ corporis peruerterunt.* [5] *Quamobrem ſi quis de ſumma beata vita diſſerere velit, is hoc tantummodo requirat, vt quæcunq; res inciderit, quæ ſit ratione explicanda, eam non exquiſita quadam ſubtilitate, ſed ſummatim curſimq; declaret: & ſi de rebus quæ frequenter accidunt, ei dicendum ſit, ſimile genus orationis, id eſt, non conſtans, ſed vtcunq; probabile ſequatur. Eadem ratio valere debet in omnibus rebus quæ oratione tractantur:* [6] *eſt enim hominis bene & liberaliter inſtituti eatenus in ſingulis rebus, quæ ad docendum propoſitæ ſunt, accuratum genus orationis flagitare, quoad rerum natura ferre poßit. Simili namque ducuntur errore & qui mathematicum veriſimilibus argumẽtis diſputantem probant, & qui ab oratore neceſſarias conſtanteſq; probationes requirunt.* [7] *Atqui quam quiſque rem nouit, de ea bene iudicat, eiuſq; ſatis idoneus iudex & arbiter eſt. De ſingulis itaq; rebus recte ſtatuet, qui fuerit in ſingulis diligenter exercitatus: atq; in ſumma de omnibus, qui fontes omnium re-* Cap.3.

rum ſcientia & cognitione complexus ſit: quæ cauſſa eſt cur ad audiendam percipiendamq́ue doctrinam ciuilem non ſit aptus atque accommodatus iuuenis,[8] quippe qui abhorreat ab his officijs quæ ad inſtitutionem humanæ vitæ, morumq́ue ſpectant, de quibus hæc noſtra omnis habetur oratio. Iam verò cum impetu quodam animi & perturbatione feratur, non ratione & iudicio vtatur, fruſtrà & inutiliter ſeſe ad eam diſciplinā audiendam & cognoſcendam comparabit: propterea quòd huius artis finis mācus & imperfectus eſt, niſi virtutis actio cognitionē, contemplationemq́ue ſequatur. Nihil autem intereſt, an ſit ætate iuuenis, an iuuenili temeritate ducatur & inſolentia, non enim in ætate vitium ineſt, ſed in perturbatione vitæ atq́ue rationis. Itaque huiuſmodi genus hominum nullam ſolidam atq́ue expreſſam vtilitatem ex cognitione ciuilis doctrinæ percipiet: quemadmodum nec impotētes, qui ſuis cupiditatibus & voluptatibus obtemperant. At his, qui vagos & inconſtantes appetitus animi rationi obedientes effecerint, doctrina beatæ vitæ admodum frugifera & vtilis erit. Ac de auditore quidem, & qua ratione intelligi debeat, & quid nobis his libris tractandum ſit, hactenus præfatum, primoq́ue loco dictum ſit.

Hoc tertio præfationis capite tertiam quæſtionem de genere docendi expedit. Ac ne quis ab eo certas & tanquam ex oraculo æditas ſententias de beata vita & virtutibus requirat, videtur Academicam prudentiam retinere, & tacitam ignorationis ſuæ ſignificationem dare voluiſſe.

1 Dicam, ait, de moribus, non exquiſita quadam ſubtilitate ac veritate rationum. quomodo igitur? ex communi hominum opinione. quid ita? quia quid bonum, quid malum, quid iuſtum, quid iniuſtum, quid vtile, quid inutile ſit, animo complecti, at verè iudicare vix poſſumus. Tanta ſiquidē eſt varietas opinionum, tantaq; diſſimilitudo, vt quod aliis bonū, idem aliis malum eſſe videatur: nec tantùm ſingulorum hominum priuatim, ſed etiam ſingulorum populorum publicè varios & diuerſos mores eſſe conſtat. Continentiam enim Lacedæmonij probant, quam Sybaritæ repudiant. Itaq; cùm probabilia tantùm ſint, quæ ſequimur, probabili oratione vtendum nobis eſt. Syllogiſmus ſimplex fit primi generis, hoc modo:

Res, de quibus agitur, probabiles tantùm ſunt:

Oratio

Oratio ſimilis debet eſſe rebus,de quibus agitur:
Satis eſt igitur ſi probabilis fuerit oratio.

2 Aſſumptio præcedit,de qua Plato in Timæo,Quoniam,ait,in omni oratione cum his rebus,de quibus agitur, naturalis quædam & germana debet eſſe cognatio,cùm de re ſtabili & immutabili diſputat, oratio talis ſit, qualis ſit illa,quæ neq; redargui,neq; conuinci poteſt:cùm autẽ ingreſſa eſt effecta & imitata quædam ſimulacra,bene agi putat,ſi veriſimilitudinem conſequatur. 3 Altera pars ſyllogiſmi iampridem exploſam & damnatam ſentẽtiam Pyrrhonis attingit, qui cenſebat nihil eſſe ſuapte natura bonum aut malum, ſed vel legibus,vel conſuetudine hominum,hoc vel illud tale videri: quod omnino falſum eſt: nec enim ſi in vitiis & opinionibus hominum multæ ſunt tenebræ,variiq; errores,ideò non conſtans & certa quædam beatæ vitæ & virtutis natura eſt, quam veteres philoſophi humana opinione & cogitatione non comprehenderunt:nec Chriſtiani homines ſuo ingenio,ſed diuino conſilio & monitu freti ad illius inueſtigationem & ſcientiam peruenerunt. 4 Alter error (inquit Ariſtoteles)in bonis eſt, quòd aliquando videantur obeſſe hominibus: quo argumento Stoici diuitias & commoda corporis à bonis reiiciunt: diuitiæ enim nutrimenta ſunt libidinum & flagitiorum:& robur detrimentum attulit Miloni Crotoniatæ,qui cùm arborem diſcerpere vellet ab eadem interceptus & intertritus interiit. 5 Complexio verò eſt. Quare cùm nihil ſit in quæſtione, quæ eſt de vita & moribus, certa veritate definitum & exploratum,ſed omnis vitæ degendæ ratio opinionibus hominum & inſtitutis teneatur,ſatis erit nobis pingui,quod aiunt,Minerua de fœlicitate & virtutum generibus philoſophari. 6 Relabitur autem denuò ad rationẽ proximi ſyllogiſmi de ratione docendi : quam ſimilitudine oratorum & mathematicorum illuſtrat . quo in loco oratores cauſidicos appellat, qui aut apud iudices, aut apud prætores,aut apud populum cauſſas dicunt,quales noſtris temporibus in foro Aduocatos appellamus: qui tamen (pace Philoſophi dixerim) & poſſunt aliquando,& nonnunquam ſolent vti neceſſariis rationibus: quemadmodum ex Ciceronis & Demoſthenis orationibus apparet.Itaq; vulgaris & ſcholaſtica magis quàm vera eſt opinio : quam Ariſtoteles in Rhetoricis ſuis , cùm à veteribus accepiſſet,amplificauit,& poſteris in hac re,ſicut in aliis, errãdi occaſionem præbuit. 7 Quarta quæſtio ſequitur de auditore philoſophiæ moralis, quis ſit idoneus,& quis non ſit: vnde duo ſyllogiſmi exiſtunt:primus ſic:

Quam quiſque rem nouit,de ea bene iudicat:
Vir bonus longo vſu vitæ peritus mores nouit:
Quare vir bonus de moribus rectè iudicabit.

Secundus autem ſic:

8 Qui ignarus vitæ cupiditatibus ſuis obſequitur, is non eſt idoneus auditor:
Iuuenis expers officiorum cupiditates ſequitur:
Iuuenis igitur non eſt idoneus auditor.

Sed tamen hoc argumentum malè ad iuuenem accommodatur, aliudque eſt rem noſſe & diiudicare, aliud vtiliter audire & diſcere: nec artes traduntur doctis & peritis, ſed indoctis: & inuenta eſt medicina ægrorum cauſſa : philoſophia autem eſt medicina animorum. Itaque præclarè Cicero Tuſcul.3.Qui verò,inquit, probari poteſt, vt ſibi animus mederi non poſſit,cùm ipſe medicinam corporis animus inuenerit? cumque ad corporum ſanationem,multum ipſa corpora & natura valeant, nec omnes qui ſe curari paſſi ſunt, continuò etiam conualeſcant, animi autem qui ſanari voluerint, præceptiſque ſapientium paruerint, ſine vlla dubitatione ſanentur, eſt profectò animi medicina philoſophia, cuius auxilium non vt in morbis corporis petendum eſt foris,omnibusque opibus viribusque , vt noſmetipſi nobis mederi poſſimus,elaborandum eſt. idque ipſum Horat.in Epiſt.confirmat:

Feruet auaritia miseraq; cupidine pectus?
Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem
Poßis, & magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? ſunt certa piacula, quæ te
Ter purè lecto poterunt recreare libello.

Et quid Euangelium Chriſtianum, quę eſt vera philoſophia, profitetur aliud aut pollicetur, quàm medelam & ſanationem animorum? An Chriſtus ſe ad vocandos iuſtos, non potius ad conſolandos & in viam reducendos iniuſtos ex illa cœleſti vita in hãc humanam veniſſe confirmat? quid de legumlatoribus antiquis, qui primi fuerunt magiſtri morum, doctoreſque vitæ, dicam? boníſne hominibus eos tuliſſe leges arbitramur? at vir bene moratus legibus & præceptis omnino non eget. quibus igitur? malis, opinor, vt hi laude & præmio ad honeſtatem adducerentur: ignominia & ſupplicio ab omni improbitate & vitiis arcerentur. At non poteſt, inquies, iuuenis de moribus iudicare: nec ægrotus de morbo ſuo poteſt æſtimare: accedet tamen nihilominus vt ille ad medicum, ita hic ad philoſophum. At perditus & diſſolutus eſt. Quemquámne adeò diſſolutum putas, vt nulla ratione colligi poſſit? Nam, vt ait Horat. in Epiſt.

Inuidus, iracundus, iners, vinoſus, amator?
Nemo adeò ferus eſt, vt non miteſcere poßit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem.

Polemo Athenienſis, iuuenis ætate & moribus, adoleſcentiam agebat in deliciis & voluptatibus: & in luſtris, popinis, conuiuiis, locis omnibus ita ſe geſtu, inceſſu, ſermone gerebat, vt non ſolùm petulans, ſed perditus & deſperatus omnino videretur. Verùm quum ebrius & ſertis redimitus cum ſociis & miniſtris libidinum ſuarum ſcholam Xenocratis philoſophi ingreſſus eſſet, audita eius oratione de temperantiæ laudibus, ſic repentè affectus & mutatus eſt, vt mox ab hiſce cupiditatibus adoleſcentiæ ad ſtudium virtutis traductus fuerit. Qualem verò medicum eum putaremus, qui ianua & domo ſua ægrotis interdiceret? Præterea cùm philoſophia moralis vna & eadem ſit & ſingulorum hominum & vniuerſorum, ſiue in ſolitudine, ſiue in familia, ſiue in ciuitate, aut quauis omnino ſocietate viuant, vt Ariſtoteles ipſe in Politicis docet, & cùm morales ciuileſque leges vniuerſo hominum in ciuitate viuentium generi à legiſlatore, id eſt, magiſtro ciuitatis & doctore, promiſcuè & communiter tradantur, ridiculum eſt quærere, qui ſint in ciuitate legum idonei auditores, quaſi non vna ſit cõmunis omnium & bonorum & malorum doctrina, nó vna ſchola, non vnus magiſter. Quamobrem iuuenes à philoſophia non ſatis iuſta ratione reiicit Ariſtoteles. Hactenus in Ariſtoteleam fœlicitatem quadripertita proluſio fuit, quam magna ex parte vitioſam eſſe oſtendimus. Quamuis enim primum quæſtionis caput apta ratione & argumentatione concluſum ſit: tamen vitioſa finium partitione & minus idoneis exemplis ineleganter eſt expletum, & ſecundum caput de doctrina ciuili parum diſtinctè concluditur atque exponitur: tertium autem magis tolerabile, quod Ariſtotelis ignorantiam de natura bonorum & malorum teſtatam prodit: ſed quartum de idoneo auditore philoſophiæ moralis adeò durum & abſurdum eſt, vt non tantùm ab opinione omnium abhorreat, ſed cum exemplis vitæ perſpicuis, & cum ipſa veritate manifeſtiſſimè pugnet.

Cap. 4. *Ut igitur ab ipſo capite repetitam rem proſequamur, cùm omnis ſcientia & deliberatio ad aliquod bonum referatur, dicẽdum nobis eſt, quid ſit ſcientiæ ciuili propoſitum, quódve*

quódve ſit rerum agendarum extremum ſummúmque bonum: [1] de cuius nomine ferè inter omnes conuenit: cùm beatitudo ab eruditis pariter & imperita multitudine appelletur, & hominem bene viuere rectéq; agere, idem quod beatum & fœlicem eſſe exiſtimetur: at verò quænam ſit beatitudo, magna ſanè dubitatio & controuerſia inter vulgus & doctos homines exiſtit. Alij enim beatitudinem re quapiam illuſtri, & in clariſſima omnium luce poſita definiunt, vt [2] voluptate, [3] diuitijs, gloria. Alij aliud eſſe arbitrantur: ſæpe etiam vnus atq; idem mutata opinione modo hoc, modò illud ſummum bonum ſtatuit, vt cùm eſt infirma valetudine, ſanitatem: cùm pauper eſt & egenus, diuitias. [4] Qui verò mentem habent ſuæ ignorantiæ teſtem & conſciam, hominem magnificè & ſapienter ea dicentem, quæ ingenij captum longè ſuperant, ſatis admirari non poſſunt. [5] Alij etiam beatitudo, præter alia multa, videtur aliquid eſſe ſua vi naturáq; bonum, quod omnibus cauſſa ſit, cur bona dicantur. [6] Verùm ſi omnes de ſummo bono ſententias exquirere, perſcrutaríq; velimus, ſuperuacuum & inanem laborem ſuſcipiemus. Satis erit præclaras & inſignes recitare, & quæ aliqua probabili ratione defendi poſſe videbuntur. [7] Nec illud nos lateat, diuerſas eſſe diſputationes, & quæ à principijs oriuntur, & quæ ad principia progrediuntur. Præclarè enim Plato dubitauit, atq; hāc quæſtionem attulit, vtra via tenenda eſſet in explicandis & tradendis artium præceptis: an quæ à primis initijs ad fines, an quæ ab ijs ad prima initia duceret: quemadmodum in ſtadio ab ijs qui præmia curſoribus proponunt ad metam, aut contrà à meta ad illos curritur. [8] Nam diſputationis initium à rebus notis & perſpicuis ducendum eſt, quarum duo

ſunt genera: aliæ ſiquidem ſunt notæ nobis, aliæ ſuapte natura. Ingrediendum autem eſt in hāc de ſummo bono diſputationem ab ijs rebus quæ ſunt cognitæ & exploratæ nobis: ob eamq́ue cauſſam, ſi quis de rebus honeſtis & iuſtis, omninoq́ue ciuilibus accuratè & ſtudioſè audire cupiat, is ingenuis moribus inſtitutus, & vſu virtutis excultus eſſe debebit. Fundamentum enim percipiendæ doctrinæ eſt rem eſſe: quæ ſi perſpecta cognitaq́ue fuerit auditori, quamobrem ſit, & quibus cauſſis probari demonſtrariq́ue poſſit, non admodum ille requiret: talis enim aut iam bonitate naturæ quodammodo in mente conſignata diſciplinæ principia continet, aut facilè percipere complectiq́ue poteſt: at cui neutrum horū ineſt, audiat Heſiodum,

Omnia cui pandit mentis ſolertia, fœlix,
Qui videt ad finem via quæ nos optima ducit:
Et bonus eſt, rectè ſequitur qui verba monētis:
Aſt hebes & ſurdus, qui nec ſcit recta, nec vllū
Audit doctorem, vir inutilis hic ſit & amens.

Abſoluto prooemio, & prima totius diſputationis parte expedita, duplex argumentationis genus Ariſtoteles ad exquirendam hominis fœlicitatem ſequitur refutationem & confirmationem: vt illa quidem, quid non ſit ſummum bonum, hac verò quid ſit, facilius & planius oſtendat: re tamen omni perſpecta & cognita, veritas ipſa clamabit omnes cùm veterum aliorum (excepto vno Platone, qui in illis cæcis ſuorum temporum tenebris aliquid veræ & diuinæ beatitudini conſentaneum viderit) tum etiam Ariſtotelis falſas omnino, & ex damnatis ſcholis profectas eſſe ſententias. Aggrediamur igitur ad refutationem huius inſtituti partem ſecundam, quam idcircò Ariſtoteles confirmationi præire voluit, vt reiectis & exploſis non modò plebeiis opinionibus, ſed his etiam quæ aliquam illuſtrem authoritatem habere videntur, audacius ipſe tanquam in arcem veritatis aſcendat: hoc enim Ariſtoteli vſitatum fuit (vt ex eius ſcriptis conſtat) quicquid alij dixerint ſenſerintve, cuiuſcunque modi id eſſet, non modò improbare, ſed etiam vehementer oppugnare, videlicet vt hac arte ſolus inter philoſophos ſapiens haberetur.

1 Quod eſt igitur huius reprehenſionis, quam inſtituit, initium? Cùm de ſummo bono, inquit, agitur, in nomine ipſo nulla, in re, magna ſolet eſſe diſſenſio: vulgus enim & homines eruditi communiter *εὐδαιμονίαν*, id eſt, fœlicitatem nominant. Sed cùm quid ea res ſit, quæritur, magna contentione, & opinionum altercatione inter ſe communiter omnes rixantur. Et ſummatim quidem docendi gratia ſententiæ de ſummo bono ad duo genera reuocari poſſunt: quædam

dam enim fuerunt ignobiles & obſcuræ, quædam illuſtres & celebratę, & magnis
argumentis defenſæ. Prioris generis eſt, vt ſanitas, quæ ægrotis: vt diuitiæ, quæ a-
uaris: vt eruditio, quæ indoctis ſummum bonũ videtur. vnde Horat. lib. 1. Epiſt.
ex opinione vulgi ait,

2 *Si ventri bene, ſi lateri eſt, pedibusq́ tuis, nil*
Diuitiæ poterunt regales addere maius.

Item Satyr. 3. lib. 2.

—*Omnis enim res,*
3 *Virtus, fama, decus, diuina humanaq́ pulchris*
Diuitÿs parent: quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, iuſtus, ſapiens, etiam rex:
Et quicquid volet, hoc veluti virtute paratum
Sperabit magnæ laudi fore.

4 Philoſophi verò quondam apud Græcos ſumma in admiratione fuerunt,
ſicut Magi apud Perſas, & ſacerdotes apud Aegyptios, cùm ea ſentirent & dicerẽt,
quæ longè eſſent ab imperitorũ hominum intelligentia ſenſuq́; diſiuncta. Poſte
rioris generis ſententiæ, quæ in aliquo honore fuerunt, tres memorantur: prima
voluptatis, ſecunda honoris, tertia ideæ. 5 quam Plato multis locis appellat bo
num per ſe, & cauſſam omnium bonorũ, in eaq́; fœlicitatem hominis ponit, cùm
animus vinculis corporis ſolutus, in cœlo æternæ ſapientiæ cõtemplatione per-
fruitur. 6 Et ſigillatim quidem, ait Ariſtoteles, ſententias hominum colligere
& recenſere infinitum ſit, fortaſſe etiam inane: quot enim homines, tot ſenten-
tiæ: & vt quiſque eſt affectus, ita ſuis moribus conuenientem fœlicitatem fingit,
Chærea in amore, Gnato in ventre, Thraſo in honore, Crœſus in diuitiis, Dioge-
nes in mendicitate: itaque quæſtio illa de finibus bonorum & malorum, inter ho
mines adeò controuerſa fuit, vt M. Varro diligens author, antiquitatis inueſtiga-
tor animaduerterit ad ducentas octoginta octo ſectas, non quæ iam eſſent, ſed
quæ eſſe poſſent, producit, vt ſcribit Auguſtinus: cuius etiam de tanta confuſione *Lib. 19. de Ci*
& vanitate opinionum verba ſunt. Innumerabiles diſſenſiones philoſophorum *uitate Dei.*
quis vnquam populus, quis ſenatus, quæ poteſtas, vel dignitas publica impiæ ci-
uitatis, diiudicandas, & alias probandas, alias improbandas, repudiandasq́; cura- *Eodem lib.*
uit? ac non paſſim ſine vllo iudicio confusè habuit in gremio ſuo tot controuer-
ſias hominum diſſidentium nõ de agris & domibus, vel quacunq; pecuniaria ra
tione, ſed de his rebus, quibus aut miſerè viuitur, aut beatè? vbi etſi vera aliqua di
cebantur, tamen & falſa prorſus eadem licentia dicebantur: vt non fruſtrà talis
ciuitas myſticum vocabulum Babylonis acceperit. Babylon autem dicitur con-
fuſio: nec intereſt diaboli, qui rex eſt eius ciuitatis, quàm contrariis inter ſe ri-
xentur erroribus, quos meritò multæ vanæque impietatis homines pariter poſ-
ſidet. Admonet igitur hoc loco diuus Auguſtinus, quod nos poſtea etiam clarè
docebimus, philoſophorum fœlicitatem, diabolicam fœlicitatem eſſe: vnde pa-
rum conuenit Chriſtianis, cùm veram beatitudinem à Deo diuiniſque libris
declaratam & expoſitam intellexerint, prophanam iſtam, &, vt ait Auguſti-
nus, diabolicam fœlicitatem, cum diuina permiſcere atque confundere. Sed
pergamus ad alia. 7 Deinceps facit digreſſionem de his, quæ in arte dialecti-
ca præcipi doceriq́;, in philoſophia morali, ſicut reliquis artibus, non doceri qui-
dem, ſed fieri tantùm debuerſit. Quærit de methodo totius huius operis Ethici,
quæ & qualis futura ſit: cuius inſtitutionis declarãdæ gratia methodus duplex ex
authoritate Platonis confirmatur: vna à principiis ad fines, id eſt (vt Ariſtotelei
interpretes aiunt) à cauſſis ad res effectas: altera ſuperiori contraria à finibus ad
principia, id eſt, ab effectis rebus ad ſuas cauſſas: & vtraq; conficitur ſimilitudine
ſtadiodromorum, qui & à carceribus ad calcem, & à calce ad carceres decurrunt.

Plato autem de ratione docendi in Philebo,& in Phædro hoc præcipit,ab vniuerſis & generalibus rebus ad ſubiectas partes progrediendum eſſe, quò facilius tota ars doceri percipique poſſit: quibus tamen in locis neq; diuiſio methodi,neq; ſimilitudo iſta eſt. 8 Soluit autem Ariſtoteles propoſitam quæſtionem diſtinctione rerum notarum,quarum aliæ dicuntur notæ & perſpicuæ nobis,vt ſingulares, quæ ad ſenſus noſtros perueniunt: aliæ natura & ſimpliciter, vt genera & ſpecies,quæ ſola mente & cogitatione continentur. Ab illo autem priore genere rerum,quæ ſunt notæ nobis,ſe auſpicari velle pollicetur, cùm tamen contrà omnino faciat: ſummum enim bonum primum ex cauſſis inquirit,id eſt,mente humana & actione virtutis,in quibus maxima vis ad beatè viuendum ſita illi videtur: deinde ſpecies virtutum,quæ nos ad beatam vitam ducſit, via & ordine exequitur: & à generalibus ad ſpecialia deſcendit. Quare ne dubitent Ariſtotelei vel definitiones illas rerum notarum huic loco repugnantes retractare: vel ſi pertinacius tueri ac defendere volent,exemplo totius operis authorem hunc inconſideratæ leuitatis condemnare, qui retrouerſus, ac prorſus aliter atque inſtituit, docendo proceſſerit, & à generalibus cauſſis principiiſque beatæ vitæ ad res ſpeciales vniuerſam diſputationem deduxerit. 9 Sed neſcio quomodo Ariſtoteles à digreſſione in digreſſionem digreſſus relabitur in ſuperiorem errorem de idoneo & non idoneo auditore huius artis. Idoneum autem duplicem deſcribit tribus primis verſibus Heſiodi. Aut enim quid faciendum fugiendumque ſit, per ſe nouit, aut rectè conſulentibus facilè obſequitur, & reliquis duobus verſibus,quis non ſit idoneus,ex contrariis indicat,qui videlicet neque rectam viuendi viam nouit, nec bene monentibus paret. Cuius Poetæ ſententiam Titus Liuius lib.2.decad.3. expreſſit his verbis, Sæpe ego audiui,milites,eum primum eſſe virum, qui ipſe conſulit, quid in re ſit, ſecundum eum qui bene monenti pareat. Et Cicero pro Cluentio, Sapientiſſimum dicunt eſſe eum, cui quod opus ſit ipſi veniat in mentem, proximè accedere illum, qui alterius bene inuentis obtemperat. Zeno autem Stoicus hanc ſententiam per antiſtrephon ſic immutauit,vt Diogenes lib.7.ait,

> Κεῖνος μὲν πανάριστος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται,
> Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ:
> *Ille quidem optimus qui rectè monenti paret.*
> *Bonus & ille, qui per ſe nouit & omnia.*

Præſtantiorem enim eum putabat, qui rectis aliorum monitis obtemperaret, quàm qui ſuopte ingenio quid optimum eſſet, in quaque re perſpiceret: in hoc enim tantùm eſſe laudem intelligentiæ, in illo etiam præclaram cupiditatem ſcientiæ & doctrinæ. hoc igitur quarto capite apparatus quidam eſt ad proximam refutationem,& duæ digreſſiones: vna de methodo aliena, & cui proprius in dialecticis præceptis locus eſt: altera de auditore planè abſurda, & cui ſenſus, ratio, veritas ipſa denique reclamat.

Cap.5. *Sed nos ad id vnde ſumus egreſſi, redeamus: [1] ratio degendæ vitæ à multis hominibus inducta non abs re vulgus & otioſiſſimos homines in eam opinionem adduxit, vt voluptatem ſummum bonum eſſe putent. Itaque vitam deliciis affluentem, & voluptatum pleniſſimam diligunt: ſunt enim tria genera vitæ, quæ digna videntur eſſe maximè, in qui-*

bus

bus homines ſtudium ponant, hoc primum voluptuarium, cuius modo mentionem fecimus: ſecundum ciuile: tertium, quod in ſcientia & cognitione verſatur. Ac imperita multitudo factis & moribus ad mancipiorum cōditionem proximè traducta, belluarum more & ritu ſenſuum & corporis voluptates immaniſſimè conſectatur,[2] *hac potiſſimùm inducta ratione, quòd pleriq; principes, & in imperio conſtituti eadem mollitie diffluunt, qua quidem rex Aſſyriorum Sardanapalus:*[3] *vrbani verò & ciuilibus officijs implicati, gloria & honore beatam vitam metiuntur, propterea quòd in obeundis muneribus Reipubl. conſilia ſtudiaq; clarorum hominum ad laudem, vt ampliſſimam rerū bene geſtarum mercedem reuocantur: ſed tamen latius patet gloria, quā id ſummū bonū quod quærimus:*[4] *neq; enim ſolùm ad eos peruenit, qui coluntur, ſed multò magis ad eos, qui colunt: Summum autē bonū (vt opinor) propriū eſt hominis beati,*[5] *atq; ita conſtans & ſtabile, vt ab eo vix auferri queat:*[6] *præterea ciues ingenui ideò cupidiſſimi ſunt laudis & gloriæ, vt alijs ſe viros bonos eſſe perſuadeant. Itaque teſtimonio ſapientium laudatorumq; hominum propter virtutes celebrari cupiunt: ex quo ſatis conſtat eorum iudicio, virtutem eſſe laude præſtantiorem, in qua conſtituendus potius videretur ciuilis vitæ finis:*[7] *ſed & ipſa multò imperfectior eſt, quàm vt ſummum & abſolutum bonum appellari debeat:*[8] *fieri enim poteſt vt is, in quo virtus inſit, dormiat, aut honeſta rationis officia penitus in vita deſerat,*[9] *multa etiam acerba & grauia patiatur, & in maximas calamitates incidat: at quiſquis ita fuerit affectus, eum nemo, niſi qui propoſitum aliquod in ſchola altercando tueatur, fœlicem, beatumq; dixerit. Sed hæc ipſa nunc omittamus: de his enim copioſè*

diſputatum eſt in his libris, quos ἐγκυκλίους inſcripſimus. 10 *Tertium genus vitæ poſitum eſt in contemplatione & ſcientia rerum, deinceps nobis conſiderãdum eſt: nam quòd ad quæſtuoſorum, & lucro deditorum hominum vitam attinet, hi ſolent alijs auferre per vim, atque vndique rapere: nec in diuitijs ſita eſt, quam quærimus, beata vita: has enim ſolis emolumentis homines metiuntur: nec propter ſe, ſed propter adiunctam ſpeciem vtilitatis expetunt. Quare potius in prædictis rebus voluptate, gloria, virtute, quas propter ſe diligimus, quàm in diuitijs, quas propter vtilitatem optamus, finis bonorum quærendus nobis eſſet: nec tamen in illis eſt, quamuis ad eam confirmationem multa rationes allatæ fuerint.*

Sententiæ de ſummo bono (ſicut paulò antè monuimus) ſic commodè & aptè ad intelligentiam diuidi poſſunt, vt aliæ dicantur ignobiles: quæ quoniam eruditis hominibus improbabiles ſunt, & per ſe leuitate ſua refelluntur, ab Ariſtotele ſine vlla reprehenſione neglectæ prætermiſſæque ſunt: aliæ verò magis probabiles & illuſtres ſunt, & à multis retentæ & defenſæ, quæ ex authoritate triplicis vitæ tripartito diuiduntur, vt prima ſit voluptatis, quæ voluptuoſorum: ſecunda gloriæ, quæ ambitioſorum: tertia contemplationis, quæ Platonicorum patrocinio defenditur.

1 Voluptas multos patronos hábet, qui exiſtimant hanc nobis inſitam ineſſe notionem, vt voluptatem natura duce ſequamur, dolorem fugiamus: hi ſunt plebei & imperiti, qui cùm ſenſibus & corpore tantummodo valeant, quaſi ſint expertes animorum, ſolam corporis curam gerunt. Magnum hoc quidem eſt argumentum, quod à primis inuitamentis naturæ ad amorem voluptatis rapiuntur.

2 Sed eandem quoque opinionem magis auget & confirmat authoritas clarorum virorum & illuſtrium principum, quos in delitiis, & in confertiſſima omnium voluptatum varietate vitam degere vident: ita exemplis horum facilè ſe in eandem erroris ſimilitudinem illabi & deduci patiuntur: vt hoc veriſſimè à Platone ſit dictum, quales in Republica principes ſint, tales reliquos ſolere exiſtere ciues. Talis fuit Sardanapalus Anacyndaridis, vel (vt alij ſcribunt) Anabaraxis filius, poſtremus rex Aſſyriorum vir muliere corruptior, quem inter domeſticos ſcortorum greges muliebri habitu penſa trahere, & puellis omnibus mollitie corporis, & oculorum laſciuia præcellere ſolitum, memoriæ proditum eſt: cuius fama & exemplum non modò Aſſyriam, ſed Græciam & Barbariam ad eandem vitæ rationem concitauit. huius epitaphium apud Ciceronem Tuſcul. 5. è Græcis conuerſum legitur, in quo gloriatur ſecum ſe omnes Aſſyriæ voluptates abſtuliſſe:

Hæc habeo, quæ edi, quæque exaturata libido
Hauſit: at illa iacent multa & præclara relicta.

Quid

Quid aliud, inquit Ariſtoteles, in bonis, non regis ſepulchro inſcriberes? Sed voluptatem dimittamus: nam ſi beſtiæ loqui poſſent, eam propriam ſui generis eſſe dicerent. 3 Secunda opinio de honore ab iis inducta eſt, qui ſe ad Rempublicam adminiſtrandam conferunt, cupiuntque ex rebus bene geſtis immortalem gloriæ fructum conſequi: vnde Virgilianum illud lib. 10. Aeneid.

—Sed famam extendere factis
Hoc virtutis opus.—

His perſuaſum eſt omnia conſilia, curas, vigilias, cogitationes, facta omnia ad gloriam nominis famamque referri oportere, ipſam verò gloriam nuſquam: ſed tamen honos in ſummo bonorum gradu non eſt, vt Ariſtoteles tribus argumentis confirmat, quæ quò facilius intelligantur, diſponenda nobis ſunt: Primum ſic:

4 Summum bonum proprium eſt eius, in quo ineſt:
Honos non eſt proprius hominis, cui defertur: quia etiam in honorante:
Honos igitur eſt non ſummum hominis bonum.

Ratio aſſumptionis admodum leuis eſt: non enim laus ea, quæ viro bono defertur, in eum qui defert, reciprocat: nec qui laudat alium, partem eius laudis, quam impartitur, ſibi vendicat: ſed qui laudat, ab obſequio & officio: qui verò laudatur, à virtutibus & rebus bene geſtis laudem conſequitur. Itaq; tam proprius eſt eius qui colitur, honos, quã propriæ virtutes eius ſunt, propter quas colitur. 5 Secundum autem argumentum ſic,

Summum bonum eripi non poteſt:
Honos eripi poteſt:
Honos igitur non eſt ſummum bonum:

6 Tertium & vltimum ſic,

Summum bonum ad aliud non refertur:
Honos refertur ad aliud: expetitur enim virtutis cauſſa:
Quare non eſt honos ſummum bonum.

Quid ais Ariſtoteles? Honorarine cupit vir politicus, & Reipublicæ deditus, vt bonus eſſe videatur? At ille (vt tute modò dixiſti) fœlicitatem ſuam metitur honore & gloria populari. Quod ſi ita eſt, virtutem ad laudem, non laudem ad virtutem referri putat oportere. Idque præclarè politicus ille Cicero pro Archia poeta confirmat: Nullam, ait, virtus aliam mercedem laborum, periculorumque deſiderat, præter hanc laudis & gloriæ: qua quidem detracta, iudices, quid eſt quod in tam exiguo vitæ curriculo, & tam breui, tantis nos in laboribus exerceamus? Et alio loco, Itáne verò tantis in laboribus Caius Marius periculisq; vixiſſet, ſi nihil longius quàm vitæ termini poſtulabant, ſpe & animo de ſe & gloria ſua cogitaſſet? at credo cùm innumerabiles hoſtium copias in Italia fudiſſet, atque obſidione Rempublicam liberaſſet, omnia ſua ſecum vnà moritura arbitrabatur: non eſt ita, Quirites, neque quiſquam noſtrum in Reipubl. periculis cum laude ac virtute verſatur, quin ſpe poſteritatis fructuque ducatur. Declarant idem Rerumpublicarum conditores, legumq; latores ſapientiſſimi, qui ciues ſuos præmio & laude ad ſtudium virtutis incitabant: quo argumento finem virtutis iudicabant potius honorem ſibi fuiſſe, quàm contrà, honoris virtutem. Et de honore quidem hactenus. 7 Oblata autem digreſſionis occaſione breuiter de virtute, cùm eam refutandam minimè ſibi propoſuiſſet, diſputat tamen Ariſtoteles: in qua negat poſitam eſſe beatam vitam, idemque ſcribit lib. 10. huius operis: ſed tam inconſiderata eſt rationum leuitas, vt permirum ſit, tam ſtultas ineptias ei Philoſopho in mentem veniſſe, qui ſolus in philoſophia regnare velit: rationes eius ſimpliciter ac ſeparatim diſponam, & ad ſingulas ex ordine reſpondebo: Prima igitur eſt:

Pro Rabirio

8 Summũ bonũ in dormiente, aut nihil in vita agente eſſe non poteſt:

Virtus in dormiente,aut ceſſante ineſſe poteſt:
Virtus igitur non eſt ſummum bonum.

Secundum caput tuæ propoſitionis quod ſumis(nihil agentem beatum eſſe non poſſe) tibi aſſentior,ô Ariſtoteles,ne pigros & deſidioſos de beata vita bene ſperare iubeam:ſed illud primũ vereor vt tibi audeã concedere : Virtus enim quemadmodum ceſſare poſſit in homine,qui ſit eius compos & particeps, non intelligo: an quià in ſomno ſuas actiones intermittit ? at ne in vigiliis quidem liberalitas aſſiduè dabit: nec fortitudo ſine vlla intermiſſione in periculis magnis & arduis verſabitur: nec tamen ob eam cauſſam vtrauis harũ otioſa erit, præſertim ſi cùm res & tempus poſtulabit,officio fungitur ſuo. Itaque neque vir liberalis quamdiu vigilabit,tamdiu manũ ad crumenam admouebit, vt perpetua & aſſidua largitione liberalitatis laudem retineat:nec vir fortis gladium ſemper euaginatum, & hoſtibus obiectum tenebit:ſed ſi cùm opus fuerit,vel ille largiatur, vel hic ſeſe periculis dedat, neuter horum ceſſator,ſed diligens & ſtudioſus virtutis exiſtimabitur. Quid igitur potes adferre,quamobrem virtus in homine ceſſet,& prorſus ab omni munere vacet ? an quia multis præſidiis & adiumentis eget : incidunt autem aliquando tempora eiuſmodi , vt his omnino deſtituta ſit ? at virtus præter ſe & vires ſuas nihil requirit : ſapientia enim ars bene viuendi in ſe tota conuerſa eſt,nec(ſicut reliquę artes)ad ſe tuendã externis adiumentis indiget:quod, vt copioſè, ſic Chriſtianæ religionis conuenienter & aptè à Stoicis diſputatum eſt,à quibus Ariſtoteles vehementer hoc loco vexatur,& dormire ſomniareq; dicitur, quòd actio virtutis tota animo contineatur, non corporis aut fortunæ inſtrumentis: & finis perfectioq́ue virtutis in hominis poteſtate ſita ſit,nõ in euentu fortunæ.At non poteſt,inquies, liberalis eſſe, cui facultates deſunt : imò verò pauperrimus idem & liberaliſſimus eſſe poteſt : & hæc virtus non in arca , ſed in animo eſt,firmaq́ue largiendi & conſtans voluntas,liberalitas à ſapientibus hominibus verè iudicatur,non ipſa plumbeorum vel æreorum nummorum ſupputatio. Quamobrẽ prima illa Ariſtotelis ratio de virtute iaceat prorſus ac intereat neceſſe eſt. 7 Secunda autẽ nihilo languidior & imbecillior apparebit:quam ſic argumentatione perſpicuam facere licebit:

Summum bonum non poteſt eſſe in miſeriis:
Virtus poteſt eſſe in miſeriis:
Virtus igitur non eſt ſummum bonum.

O mirificum atque egregium diſputatorem ! quis enim ex tot collegiis & ſodalitiis philoſophorum tibi dabit virtutem eſſe in miſeriis , præter tui ſimiles , qui te ſuperſtitioſius,quàm par eſt,admirantur? ne Epicurus quidem, & tota illa Epicureorum familia,quamuis ſit mollis & effœminata,tibi dabit: cenſet enim Epicurus,ſapientem in maximis doloribus dicturum eſſe , Quàm hoc ſuaue eſt , q̃ nihil curo: tantamq́ue eſſe vim virtutis, vt ſi malis omnibus vrgeatur, tamen ne vel tantillum quidem de ſua grauitate & conſtantia poſſit amittere. Quid cenſes facturos eſſe Stoicos, à quibus ſapiens iudicatur is , quem neque fortunæ temeritas , neque vlla hominum labefactare poſſit iniuria ? in hoc certè gradu tibi fortiter & viriliter reſiſtent , nec te de virtute tam ineptè balbutientem ferent. Quid,inquies,nónne virtus calamitatibus obruitur ? imò verò,vt illi ſapienter ac verè dicunt, in taurum Phalaridis beata & florens deſcendet, in eculeum aſcendet,in igne fulgebit:& quò grauiora erunt ſupplicia,quæ inferentur, eò beatior & glorioſior virtus exiſtet. Itaque vir bonus in ſumma laude gloriaq́ue verſabitur,ſi crucietur ac torqueatur : quod præclarè ante Ariſtotelem Socrates in Eutidemo admonuit,vt virtutis & ſapientiæ cauſſa non ſolùm incommodum, iacturam,dolorem, ſeruitutem patiamur, verùm etiam mortem, ſi ea nobis profutura ſit: nosq́ue tortoribus dilaniandos ac diſſipandos omnino dedamus: planè verò nobis Chriſtianis ſit impium,non hanc Ariſtotelis ſententiam damnare,cùm in noſtra religione nihil glorioſius fœliciusq́ue ſit martyrio, cruce, incendio,cæterisq́ue

tisque palmariis tormentorũ coronis,quæ Ariſtoteli mundanam,id eſt,vt diuus Auguſtinus ait,diabolicam fœlicitatem ſectanti, calamitates & ærumnæ & miſeriæ videntur. Tertia opinio de idea reſtat, ad quam Ariſtoteles delatus repentè aliò diuertit,ſimiliterque facit,atque hi,qui ædium limen aliquod ingreſſi,inde pedem illicò referunt. ſed quò tandem abit? ad diuites & quæſtuoſos,qui diuitiis,qui opibus, qui magna auri & argenti copia ſe beatos ac fœlices arbitrantur: quos duobus argumentis refellit. Primum eſt tale,

Vita beata non eſt violenta:
Vita quæſtuoſorum & diuitum eſt violenta:
Vita igitur quæſtuoſorum & diuitum non eſt beata.

Nullum enim facinus tantum eſt, ad quod ſuſcipiendum nõ impellat auaritia. Virgilius de Thracum Rege,

—Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Aeneid. 3.

Secundum argumentum ita concluditur,

Fœlicitas propter aliud expetitur nunquam:
Copia diuitiarum propter aliud expetitur:
Copia igitur diuitiarum non eſt fœlicitas.

Et rectiſſimè quidem mihi videtur Ariſtoteles voluptatem, honorem, virtutem, diuitias à vera & perfecta hominis fœlicitate excluſiſſe: hæ ſiquidem quatuor partes ſunt falſæ & impiæ fœlicitatis,quam,ſi melius loqui volumus,infœlicitatem decet appellare:quas cacodæmon peritiſſimus & grauiſſimus impietatis magiſter diſcipulis & ſectatoribus ſuis proponit, vt delicatis voluptatem, ambitioſis gloriam,vanis ſapientibus huius mundi virtutem mundanam,auaris opes: atq; ita ſubtiliſſimus & callidiſſimus ille doctor ſeſe ad vnius cuiuſque hominis ingenium,naturam,mores accommodat. Sed tamen in animaduertendis alienis erroribus tam multos ipſe Ariſtoteles commiſit errores, vt nihilo deterior & ſtultior ſit eius oratio, quàm res & ſententiæ eius oratione refutatæ: ſitque longè ſatius Philoſopho contra alios nihil dicere, quàm in aliis reprehendendis tam multa maiore reprehenſione digna dicere.

Cap. 6.

[1] *Itaque de his omittamus dicere: nam fortaſſe magis expedit vniuerſum, & reliquis rebus commune bonum conſiderare, & quomodo ab alijs dicatur, diligenter inquirere:* [2] *verùm cùm difficilis & moleſta nobis ſit huiuſmodi quæſtio, propterea quòd nobis amici ſunt, qui ſpecies introduxerunt: tamen hoc æquitatis eſt, fortaſſe etiam cuiuſdam neceſſitatis, vt hi præſertim qui philoſophantur, veritatis tuendæ gratia ſuas etiam ſententias mutent, & refellant: quamuis enim & earum authores, & veritatem ipſam venerandam & colendam putemus, plus tamen veritati, quàm authoritati concedere in philoſophia ſanctum præclarúmque*

iudicamus. [3] Primi authores huius ſententiæ atque opinionis non fingebant ſpecies, in quibus prior eſſet aliquid & poſterius: itaque ne in numeris quidem ſpeciem ponebant: atqui bonum dicitur & in ſubſtantia, & in qualitate, & in eo quod cum alio mutua relatione comparantur. Quod autem ſua vi naturáque conſtat, ſubſtantiáque eſt, natura ordine præcedit, id quod in comparatione & relatione quadam ſpectatur. hoc enim quod ad aliud refertur, quaſi propago & circulus quidam eſt, non ſolùm ſubſtantiæ, ſed eius etiam rei vt qualitatis, aut quantitatis, quæ ſubſtantiæ accidit: quare his tam diſtinctis diuerſiſq; generibus vna communis ſpecies non conueniet. [4] Deinde cùm vis ipſa boni tam latè pateat quàm natura: dicitur enim bonum in ſubſtantia, vt Deus: in qualitate, vt virtutes: in quantitate, vt modicum: in relatis, vt vtile: in tempore, vt occaſio: in loco, vt habitatio: & in alijs rebus eadem ratione ſatis apparet generale quidpiam à tam diſiunctis generibus communicari non poſſe: non enim in omnibus categorijs, ſed in vna ſola diceretur. [5] Præterea cùm eorũ quæ ad vnam communem ſpeciem referuntur, vna ſolùm ſit communis ſcientia, vt omnia bona vnius ſcientiæ legibus & terminis contineantur neceſſe eſt: atqui in vna atque eadem categoria, quædam diuerſis artibus & diſciplinis explicantur, vt occaſio, in bello quidem ſcientia militaris: in morbo, medicina: & modus, in alimento quidem medicina: in laboribus verò, palæſtra. [6] Sed quærat aliquis, quid tandem ſibi velint, qui ſpecies inſtituunt, quum vnumquódque ipſius nomine vocant? Ad ipſum namq; hominem & hominem vna atque eadem hominis definitio: neq; inter vtrumq; quatenus homo eſt, vlla eſt diſſimilitudo: quod ſi ita eſt, neque bonum, quia

bonum

bonum ſit, ab alio ratiône diſcrepabit. [7] Sed neque quia ſit æternum, ideò magis erit bonum: quemadmodum neque res candida, diuturnitate temporis ſit candidior, quàm ea quæ vno tantùm die candida fuerit. [8] Ac mihi videntur Pythagorei magis rationi congruenter ſenſiſſe, qui vnum in ordine bonorum ponunt, quos ſecutus eſt Speuſippus, nepos & diſcipulus Platonis: verùm hæc in aliam diſputationem reijcienda ſunt. [9] Quæ autem diximus, aliquam dubitationem adferunt, quod non communiter de omnibus bonis antea loquuti ſumus. Nam quum plura ſint genera bonorum, vnum eorum dicitur, quæ propter ſe expetuntur & amantur: quæ verò hæc efficiunt, aut conſeruãt, aut contraria repellunt, ab illis per ſe bonis hoc ipſum aſſequuntur, vt bona, quamuis tamẽ diſsimili ratione nominentur: vt ſatis perſpicuum ſit bona biſariam diſtribui in ea quæ per ſe, & in ea quæ propter illa, bona ſunt. Vt igitur bona per ſe conſideremus, & ab vtilibus ſeiungamus, videndum eſt an illa in vnam communem ſpeciem includi poſſint. Nemo bona per ſe non dixerit, quæ à reliquis bonis ſeparata ſemotáque ſequimur, cuiuſmodi ſunt ſapere, & videre, & voluptates aliquæ, & honores: hæc enim quãuis interdum propter aliud expetamus, tamen bona per ſe dicenda ſunt, aut nihil præter ſpecies erit in bonis. Quare videbitur inanis ſpecies, neque vniuerſa & communis cauſſa, cur omnia bona ſint. [10] Quòd ſi ſapere, & videre, & cætera generis eiuſdem ponuntur in bonis propter ſe expetendis, his omnibus vnam communem boni definitionem neceſſe eſt accommodari, non ſecus atque in niuem & ceruſſam valet vna communis ratio candoris. Atqui honori, prudentiæ, voluptati, variæ definitiones attribuuntur, hoc ipſo;

quòd bona ſunt: quare bonum communiter vna ſpecie minimè continetur. [11] *At quónam modo his prædictis rebus vna communis ſpecies eſſe dicitur? non enim ſimilis eſt ijs, quæ caſu aliquo in eandem appellationem venerunt: an quia ab vno bona manant? an quia ad vnum referuntur omnia? an potius ſimilitudine quadam inter ſe conſentiunt? vt enim in corpore viſus, ſic in animo mens, aliúdque in alio:* [12] *ſed hæc fortaſſe ſubtilis & accurata tractatio quoniam ad aliam philoſophiæ partem ſpectat, hoc tempore nobis omittenda eſt.* [13] *Eodem modo de ſpecie boni iudicandum eſt, quo de bonis propter ſe expetendis: nam ſi quod eſt vnum bonum, quod communione quadam ſub ſe reliqua bona complectitur, aut ſi quod eſt per ſe bonum ab alijs ſeiunctum, id nec in actionem hominis, nec in poſſeſſionem omnino cadere poteſt. Nunc autem id à nobis inquiritur, quod homines & facultate conſequi, & officio præſtare poſſint. Sed fortaſſe putabit aliquis ſpeciem boni vtilem eſſe ad actionem & adeptionem omnium bonorum, vt ſi eam tanquam aliquod exemplar intueamur, certius & facilius quæ ſunt nobis bona, perſpiciamus: & cùm perſpecta nobis fuerint, ſtudio & induſtria conſequamur.* [14] *Hæc quidem ſententia quamuis omnino abſurda non ſit, tamen videtur cum diſciplinis & artibus pugnare, quæ quum ad aliquod bonum referantur, & ſi quid deſit, ſemper idipſum requirant & veſtigent: omnes tamẽ illius communis ſpeciei ſcientia & cognitione ſe carere facilè patiuntur: atqui non eſt probabile eam, ſi tantopere iuuaret, ab artificibus aut prorſus ignorari, aut omnino negligi.* [15] *Exoritur etiam talis quæſtio, Quid adiumenti textor aut faber habiturus ſit, ſi ipſum bonum, quod eſt omnibus commune, cognoſcat? an*

aliqua

aliqua ratione medicus illuſtrior, aut imperator nobilior extiterit, qui ipſam ſpeciem boni ſcientia & cognitione comprehenderit? Videtur enim medicus non hac communi boni contemplatione ſpectare ſanitatem, ſed hominis, aut certè potius huius atque illius, quum medelam ſingulis hominibus adferat.

1 De tribus excellentibus propoſitis ſententiis duas reprehendit: vnam de voluptate, alteram de honore: quibus duas alias, quas nõ propoſuerat, interpoſuit, de virtute & diuitiis. Tertia ſequitur à Platone ſumpta, qui beatam hominis vitam ponebat in contemplatione & perfecta cognitione Dei, quem Ideam primam, & bonorum omnium cauſſam nominabat, vt Ariſtoteles ipſe teſtis eſt capite 4. cùm dicit, Quidam verò præter hæc complura bona, aliud quoddam per ſe eſſe putant, in quo ſatis eſt cauſſæ, cur cætera bona ſint omnia. quam ſententiam Plato multis locis vſurpat, vt cùm diſputat in Parmenide, Vnum eſſe rerum omnium principium extra omnia, & tamen in omnibus, ex quo, & per quod omnia ſint, & quò referuntur omnia: & in Conuiuio, Quærendum eſſe illud pulchrum, quo nihil ſit pulchrius, & quod aliis pulchritudinis ſuæ dignitatem largiatur: & in vltimo de Republ. Puram ſapientiam non alibi reperiri poſſe, quàm cùm ad Deum homo, vnde profectus eſt, reuerſus fuerit: & in Phedone, Sic vitam noſtram eſſe inſtituendam, vt minimum nobis ſit cum corpore commercij, vt puri & integri, cùm Deus nos hinc migrare iuſſerit, in cœlo cum ſimilibus, id eſt, cum puris & integris verſemur. Quod cùm Ariſtoteles ſciret, qui Platonem annos viginti audierat, prudens tamen & ſciens ſanctiſſimam ſententiam cùm captioſis, tum impiis calumniis labefactare conatus eſt: & quidem tam manifeſtiſſimus calumniator & impius hic eſt, vt in ipſis caſtris à militibus Themiſtio, Simplicio, Euſtratio (ſic enim eius interpretes, id eſt, pertinaces vel in erroribus defenſores appellantur) egregius imperator deſeratur: & tam cæco impietatis crimine tacitè damnetur. Quid igitur ait Themiſtius? Ariſtoteles perpetuò contradixit in ſpecie quadam fallaci, id eſt, ſophiſticè captioſeque diſputauit. Quid Simplicius? Ariſtoteles de Ideis potius ad verba, quàm ad ſententiam argumentatur. Quid Euſtratius? Poſſit aliquis Ariſtoteli iure obiicere, Videris, ô Ariſtoteles, de induſtria: quippe qui amicus & diſcipulus Platonis extiteris, aduerſus opinionem de Ideis adeò fallaciter & captiosè diſputaſſe, vt ex eo quod nihil dicturus eras, quod ad euertendam de Ideis ſententiam valeret, eam confirmares magis atque ſtabilires. Hæc ſunt Ariſtoteleorum de Ariſtotele iudicia. Quid Chriſtianos authores, id eſt, veraces, ſanctos, & religioſos contra mendacia iſta proferam? atque in primis theologorum principem Auguſtinum? Ipſum, inquit, verum & ſummum bonum Plato dicit Deum, vnde vult philoſophum amatorẽ eſſe Dei: vt quoniam philoſophia ad beatã vitam tendit, fruens Deo ſit beatus, qui Deum amauerit. Quicunque igitur philoſophi de ſummo Deo & vero iſta ſenſerunt, quod & rerum creatarum ſit effector, & lumẽ cognoſcendarum, & bonum agendarum, quòd ab illo nobis ſit & principium naturæ, & veritas doctrinæ, & fœlicitas vitæ, eos omnes cæteris anteponimus, eoſdemq; nobis propinquiores fatemur: quem locum tamen ſic ipſe poſtea retractauit, non quòd hanc ſententiam improbaret, ſed vt admoneret philoſophis ethnicis de religione nihil temerè credẽdum eſſe. Idem alio loco, Cùm philoſophorum alij ſummum bonum in corpore, alij in animo, alij in vtroque poſuerint, cedant omnes Platonicis, qui non dixerunt hominem beatum fruentem corpore, vel fruentẽ animo, ſed fruentem Deo: non ſi-

aut corpore, vel ſeipſo animus, aut ſicut amico amicus, ſed ſicut luce oculus fruitur: quamobrem non ſolùm Ariſtoteleorum confeſſione, ſed Chriſtianorum veritate Ariſtotelis impietas hoc loco grauiſſimè notatur, Platoniſque ſententia ab Ariſtotelis calumniis vindicatur. 2 At quàm eruditus eſt Ariſtoteles artificio ſimulationis ac diſſimulationis! quàm infuſcatus, quàm fallax, quàm fucatus, quàm diſſimulanter peruerſus ac maleuolus! Academicus initio videri vult, & Platonis præceptoris ſui gratiam amittere, quàm veritatis patrocinium deſerere ſe malle ſimulat: magnifica certè & nobili Philoſopho digna ſentẽtia. Sed quomodo veritatem tueri poteſt Ariſtoteles, qui Deum contemnit, irridet, de medio rerum tollit: qui tamen ſolus veritatem hominibus largiri & inſpirare poteſt? Verùm vt apertius fraus iſta Ariſtoteleæ diſſimulationis detegatur, Analyſi dialectica nobis eſt vtendum. Nam ſi quæſtio totius diſputationis ponatur, argumenta Ariſtotelis cernantur, argumentationes conſiderentur, hac dialectica luce multa falſa, multa aliena, multa inconſequentia, omnia penè impia cognoſci atque æſtimari poterũt. Platonis ſententia fuit diuinam quandam & humanam Ideam eſſe, & diuinam quidem ſapientiam Dei, & exemplar Deo propoſitum appellat, quo cuncta creata factaque ſunt: humanam verò Ideam vocat ſpeciem, & notionem in mente hominis impreſſam, quæ primùm confuſior & obſcurior eſt: paulatim verò vnà cum ætate clarior & illuſtrior efficitur: hominis autem fœlicitatem definit vera & perfecta ſapientia Dei, quam nemo in hac mortali vita conſequitur, ſed poſt mortem quum fruitur præſenti & explicata cognitione, & (vt Theologi loquuntur) viſione Dei, qui priuilegio quodam nominis dicitur bonum, quia ſit ſummè bonus, & fons & origo bonorum omnium, vt cum Platone ſacræ Literæ confirmant & teſtantur. Quid à Philoſopho de beata vita aut verius, aut ſanctius requiri poteſt? Ariſtoteles cùm in Platonẽ, tum in Deum impius, Platonem malitioſè calumniatur, & improbè Deum contemnit, quia in tota hac diſputatione modò contra diuinas Platonis Ideas diſſerit, modò contra humanas rerum perceptarum notiones in animis noſtris impreſſas, contra verò quæſtionem nihil dicit. Quæſtio igitur hoc loco exiſtat, An Idea boni, id eſt, ſapientia Dei, ſit ſummum hominis bonum: in qua totius controuerſiæ cardo verſabitur. 3 Primum Ariſtoteleæ contradictionis argumentum ex Idearum circunſtantia ducitur, vnde ſit ſyllogiſmus ſimplex primi generis:

> In quibus eſt prius aliquid & poſterius, in his non eſt communis Idea:
> In bonis eſt aliquid prius & poſterius:
> Bonorum igitur non eſt aliqua communis Idea.

Ariſtoteles ſtatim ab initio tergiuerſatur, & res alias agit: expectabam ab eo vt doceret beatam hominis vitam non eſſe in ſapientia Dei: verùm omiſſa quæſtione diſputationẽ à Deo, & diuinis Ideis ad humanas notiones captioſè deflectit: ſed tamen mos ei gerendus eſt, vt quocunque vocet, ſequamur. Platonis decretum quod ipſe ſumit, ad generales notiones, quæ humana cogitatione comprehenduntur, pertinet, in quibus nihil poteſt eſſe prius & poſterius, quòd omnia quæ ſub aliquo genere ſunt, ex æquo generis naturam ſibi vendicant. Quòd verò ex Platonis teſtimonio nullam numerorum Ideam eſſe dicit, falſum & commentitium planè eſt: nam Plotinus Platonicorum ſummus, in libro de Ideis & ente contrarium affirmat, vbi docet omnium rerum quæ in mundo ſenſibili ſecundum naturam ſunt, Ideas eſſe diuinas, quinetiam qualitatum & quantitatum quæ ſecundum naturam ſunt, in quibus nominatim numerũ conſtituit. Sed cætera attendamus: In bonis, ait, eſt aliquid prius & poſterius. quomodo? Nam bonum in categoriis ſingulis eſt, ex quibus ſubſtantia qualitatem, & qualitas relationem præcedit. Eſto, inquam, ſimplices rerum naturæ primùm nobis cogitantibus occurrant: deinde mutuis inter ſe affectionibus conferantur: prius ſit ſubſtantia quàm qualitas, prius qualitas quàm relatio: quid tum? an

propte-

propterea fieri non poterit, vt omnia quæ ſunt, vnius naturæ communicatione contineantur? & quæ vna cogitatione priora poſterioraque ſunt, alia ratione, ad communem originis ſuæ fontem & tanquam caput referantur? 4 Vrget Ariſtoteles, & id fieri non poſſe contendit, præclaro illo categoriarum ſuarum commento:

> Categoriæ nihil habent commune & vniuerſum:
> Bona ſunt in ſingulis categoriis:
> Bona igitur commune quidquam & vniuerſum non habent.

Taceo quæſtionem initio poſitam hac argumentatione minimè concludi, & rurſus hoc loco de humanis Ideis, non de diuinis agi: hoc enim alieni vitium in hac refutatione frequens eſt: ſed proterui & fallacis hominis captiunculæ, quas obtendit Platoni, nobis expediendæ & tollendæ ſunt. Plato non dicebat vnum bonum eſſe genus omnium bonorum, ſed vnum eſſe commune & vniuerſum bonum, nempe Deum, à quo eſſent omnia bona profecta, & quò ſpectarent omnia. Ariſtoteles ſententiam Platonis ſophiſticè traducit ad categorias ſuas, in quo dupliciter reprehendendus eſt, & quòd ſententiam Platonis de vniuerſo bono malè & peruersè interpretatur. & quòd categorias ſuas tanquam κυρίας δόξας, id eſt, catholicas dialecticæ doctrinæ ſententias nobis obtrudit, quæ commentitiam dialecticæ inuentionis & ſophiſticam confuſionem continent: nec tamen in hac confuſione ſequi poteſt, vt nihil ſit omnium bonorum commune: Ens enim Platonici idipſum commune eſſe contendunt, in cuius ratione & natura omnia quæ ſunt, ex æquo conueniunt. Itaque ſanctiſſimum & veriſſimum Platonis decretum contra calumnias Ariſtotelis facilè defendunt.

5 Tranſeamus ad tertiam refutationis huius partem: ſyllogiſmus ſimplex eſt ſecundi generis, hoc modo:

> Eorum quæ habent vnam Ideam, vna ſcientia eſt:
> Bonorum non eſt vna ſcientia: quia multæ ſunt artes & ſcientiæ bonorum:
> Quare bonum non eſt vna Idea.

Meminit tandem ſe à propoſito aberrare: contra diuinam Ideam aliquid dicere inſtituit, necdum tamē quæſtionem concludit propoſitam de beata vita, ſed contra doctrinam Idearum communiter diſputat: Multæ ſunt ſpeciales ſcientiæ bonorum, ergo non eſt vniuerſa. Hæc ſophiſtica captio eſt: poſſunt enim multæ ſpeciales eſſe rerum ſcientiæ, & tamen vna velut omnium mater, qualis eſt ſapientia, quę primam rerum cauſſam contemplatur, & ad eam rem omnes, vt ad finem ſummum & extremum refert. 6 Deinceps Ariſtoteles interrogatiunculis inſtat, & contra Platonem Ideas ſuis rebus non homonymas, ſed ſynonymas eſſe argumento à ſpecie probare conatur:

> Idea hominis & imago, id eſt, (vt Plato loquitur) ipſe homo & homo nomine conueniunt, & definitione eadem continentur:
> Non ſunt igitur Ideæ ſuis rebus homonymæ.

Platonici negant antecedens, & inter Ideam & rem, item quod inter veritatem & veritatis imaginem diſcrimen faciunt: inter igitur ipſum hominem & hominem, id eſt, inter diuinam Ideam hominis & hominem ex materia & formá compoſitum, quæris Ariſtoteles, quantum interſit? quantum (inquam) inter ſimplicem naturam & compoſitam, expertem materię, & materiatam, per ſe bonam, & cum bono communicantem, exemplar, & fictam imaginem: Plato enim ſpecies rerum omnium in Deo ponebat, ipſamq; Dei ſapientiam omnes Ideas complexam eſſe volebat: quas, cū cauſſæ eſſent ante res omnes creatas in Deo ſempiternæ, idcircò ſibi nomen boni magis vendicare confirmabat: 7 Quod poſtremum ineptiſſimo ſimilitudinis argumento ab Ariſtotele confutatur: Quemádmodum, inquit, res alba, quia diuturnior ſit, non magis nomen & naturam alboris

obtinet,quàm ea quæ vno duntaxat die ſit alba: ſic Ideæ diuinæ; quia ſempiternæ ſunt,non idcircò magis naturam & nomen boni ſibi attribuent,quàm res ex eis procreatæ,quæ ſunt mutabiles. Ludis,opinor,Ariſtoteles,& quaſi præuaricatorem in tua cauſſa de induſtria videris,dum leuiter & pueriliter argumentando Platonis authoritatem magis ſartam tectam,quod aiunt,à calumnia tueris. Quid enim comparatione tua futilius? quid ſtultius? quid abſurdius? in priore parte res eiuſdem ſpeciei,& vtrinque finitæ ſumuntur: in poſteriore altera infinita eſt, altera finita. Quæ poteſt igitur tam diſſimilibus,tamque diſiunctis naturis conuenire ſimilitudo? 8 Hic etiam calumniator appellatur Ariſtoteles,quòd ſciret à Pythagoreis ideas probatas, & Platonicæ philoſophiæ æmulum Speuſippum fuiſſe: Pythagoras autẽ Deũ appellabat *μονάδα*,id eſt,vnitatẽ,& *τὸ ἀγαθὸν*, id eſt,bonum. Speuſippus Platonis nepos in definitionibus ait Deum eſſe *ζῶον ἀθάνατον αὐταρκὲς πρὸς εὐδαιμονίαν οὐσίαν ἀΐδιον, τῆς τ᾽ ἀγαθοῦ φύσεως αἰτίαν.* id eſt,animal immortale,in quo ſatis ſit ad beatam vitam, ſubſtantiã ſempiternã, & cauſſam naturæ ipſius boni: vnde cõſtat Platonis & Pythagoræ de Deo,de vno, de Ideis,de beata hominis vita nõ diſſimilem fuiſſe ſententiam, nec duplicem ordinem bonorum & malorum à Pythagora deſcriptum cum Platonicis decretis pugnare. 9 Sed mirum eſt quàm Ariſtoteles cœleſte Dei numen & lumen horreat, quàm Deum vnum & animo & cogitatione refugiat,quamque non modò de mentibus hominum, ſed de medio rerum tollere contendat: argumentum eius proximum,quod ex diuiſione bonorũ naſcitur,falſum & impium eſt:

> Ex bonis alia per ſe, alia propter aliud bona dicuntur, & per ſe quidem,vt ſapere,vt videre,vt nonnullæ voluptates,vt honores:
> Non eſt igitur vnicum per ſe bonum:

Quid ad hanc argumentationem Platonici reſpondent? Neque ſapere, neq; videre,neque voluptatem,neque cætera eiuſmodi,quæ vulgò bona putantur,in bonis per ſe ineſſe: quòd eiuſmodi ſint omnia, vt ab Idea diuina generentur, eodemque ferantur: Deus enim omnium bonorum fons & author & finis eſt. At iſta tamen(inquis)à philoſophis nonnunquam bona per ſe dicuntur: non nego: ſed tunc comparantur tantùm cum bonis humanis,non etiam cum diuinis. Itaque cùm vtuntur hac diuiſione, vt bonorum alia per ſe, alia propter aliud expetenda ſint,hoc dicũt,bonorum humanorum quædam expeti propter aliud,quædam per ſe,id eſt,nõ propter aliud humanum bonum. Omnia autem quæ in hominem cadere poſſunt, ad Deum authorem referri oportere putant philoſophi omnes,exceptis Epicureis & Ariſtoteleis quibuſdam,quorũ impietas cùm aperta reliquorum philoſophorum ratione,tum certa & indubitata Chriſtianæ fidei veritate iampridem damnata eſt. 10 Septimum argumentum propoſitæ refutationis ſequitur: & ſyllogiſmus connexus ſecundi modi,

> Si hæc bona per ſe ſunt,habent communem boni rationem:
> Sed non habent communem boni rationem:
> Ergo non eſt illis communis Idea boni.

Aſſumptio fallax vel Ariſtotelis ipſius teſtimonio conuinci poteſt, qui paulò antè bona per ſe definiebat,quæ ſi vel ſola ſint, ab homine tamen expetantur: quæ certè definitio ſapientiæ,voluptati,honori, & ſimilibus, quæ Ariſtoteles appellat per ſe bona,communis eſſe poterit. Et concluſio ſyllogiſmi ſophiſtica & nugatoria eſt, in qua tota & ſola aſſumptio ponitur: debuit enim Ariſtoteles ex ſyllogiſmi ratione concludere: ergo non ſunt per ſe bona: in quo animaduerte quàm cæca ſit inuidia huius obtrectationis: nam paulò antè bona per ſe ſtatuit, quæ nunc non eſſe ſyllogiſmus hic, ſi ad legem dialecticæ artis conformetur,concludet, hoc modo,

> Si eſſent hæc per ſe bona,haberent aliquã communi boni rationem:
> Sed non habent:

Non

Non ſunt igitur per ſe bona.

11 Relabitur deinceps ad ſuperiorem homonymiam: cumque Ideæ à Platone dicantur ſuis rebus homonymæ, quærit ex quo genere ſint homonymorum, an quòd caſu aliquo in eandem nominis ſocietatem veniant? an quòd ab vno prodeant? an quòd in vnum recidant? an quòd ſimilitudinis aliqua ratione coniungantur? Platonici illud poſtremum probant in Ideis diuinis, ad quas vt ad vera exemplaria ſingulæ res expreſſæ factæque ſunt. Itaque ipſum hominem, & hominem, id eſt, Ideam hominis & rem ipſam natura quidem diſiungunt, ſed propter ſimilitudinem communitate nominis coniungunt. 12 Sed hanc diſputationem ſimulat ſe in eam philoſophiæ partem reiicere, quæ μετὰ τὰ φυσικὰ nominantur, vbi multò petulantiores & euidentiores calumniæ à Platonicis refutantur. 13 Hactenus Ariſtotelem ex eius oratione impudentiſſimum calumniatorem, tergiuerſatorem apertiſſimum, ſophiſtam malitioſiſſimum, hoſtem diuinæ maieſtatis & religionis execrandum percepimus. At fortaſſe deinceps ſeipſum corriget: immò verò maiora & clariora impietatis ſuæ argumenta dabit: Nam conſequentia antecedentibus longè peiora & deteriora reperientur. Quid enim ait? Syllogiſmum integrum proferam, ex ſecundo genere connexorum, vt deſperatæ illius mentis Ariſtoteleæ peruerſitas intelligatur,

Si quod eſſet commune omnibus bonum, id nec ab homine cognoſci, nec in vſum aliquem vitæ deduci poſſet:

At tale quidpiam quærimus, quod cognoſcatur & habeatur:

Nullum eſt igitur omnibus commune bonum.

Propoſitio falſa & impia: Deus enim non ſolùm poteſt ab homine cognoſci, ſed ſeipſum oſtendit, & ad ſe cognoſcendum homines multis modis inuitat: nec ſolùm Chriſtiani homines diuinis legibus inſtituti, verùm etiam ethnici, ſi modò admirabilem iſtam mundi machinam ſuſpiciunt, Deum aliquem primũ rerum omnium parentem, ſupremumque regem cognoſcunt: vt Socrates apud Xenophontem lib. 4. de Dictis & factis, præclarè diſſerit, & diuus Paulus in Epiſtolis verè confirmat: Manifeſta eſt, inquit, ira Dei in omnes impios & iniuſtos, qui veritatem Dei in ſua peruerſitate detinent: quod enim de Deo cognoſci poteſt, notum eſt inter illos: Deus enim eis aperuit & oſtendit. Nam inuiſibilia ipſius poſt creatum mundum, ex operibus intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoq; eius virtus & diuinitas: adeò vt excuſandi non ſint: quia cùm Deum cognouiſſent, non ſicut Deum laude & pietate coluerunt, ſed vani facti ſunt ſuis argutiis: & eorum cogitatio craſſis erat occultata & circumfuſa tenebris: Nam cùm ſe ſapientes prædicarent, ſtulti facti ſunt. Verùm Ariſtoteles, ais, iſta lumine naturæ videre non potuit. Si non potuit, cur arguitur à Paulo? Deinde ſi non potuit, cur tam ſtolidus & fatuus es, vt eius doctrinam probes, & ab eo vitæ degendæ conſilium petas, quem ſcias in vitæ tenebris errare? Sed tamen quamuis perfectam Dei ſapientiam in tanta caligine temporum conſequi non potuerit, tamẽ quodammodo Deum ex eius operibus agnoſcere potuit. Quid enim, ait Cicero lib. 2. de Natur. deor. poteſt eſſe tam apertum, tamque perſpicuum, cùm cœlum aſpeximus, cœleſtiaque contemplamur, quàm eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur? Et Plato omnibus locis authorem naturæ Deum mirificè coluit, quem (vt antè dixi) Ariſtoteles annos vnum & viginti audierat.

14 Verùm pergamus ad alia:

Si eſſet Idea inquirenda, eſſet potius in ſingulis rebus, vbi poſſet prodeſſe:

At non eſt inquirenda, quia in ſingulis ſcientiis non inquiritur:

Non eſt igitur vlla Idea.

Et in ſingulis artibus, Idearum inquiſitio eſt, ô Ariſtoteles, & ab ingenuis hominibus Idea communis omnium bonorum (vt abs te modò) minimè negligitur. Summa enim humanæ ſapientiæ eſt, Deum noſſe, contemplari, ſuſpicere, & ad

eum omnes humanas cogitationes & actiones dirigere. 15 At verò ad extremam contradictionis tuæ partẽ plumbeo (vt aiunt) pugione præceptorẽ tuũ pungis, cùm interrogas, quid illa communis Idea textori aut fabro conferat ad ſuas artes exequendas: quaſi verò de bene texendo aut ædificando, nõ de bene & beatè viuendo hæc doctrina ſuſcipiatur. Quamobrem cùm ex hoc vno capite cognoſcamus quàm fraudulentus, quàm malitioſus, quàm impius ſit Ariſtoteles, valde mirandum eſt religionis Chriſtianæ fundamentum à quibuſdam fieri, quum potius omnis impietatis fundamentum debeat appellari.

Cap. 7. [1] *Sed ſatis dictum ſit de ſpecie, & alijs illuſtribus de ſummo bono ſententijs: quibus omnibus confutatis, nunc ad propoſitum reuocetur oratio, vt quid tandem ſummum bonum ſit, intelligamus.* [2] *Nemini autem dubium eſt, aliud in alia actione atque arte bonum verſari. Aliud ſiquidem in medicina, aliud in ſcientia militari, & in reliquis artibus aliud eodem modo. Quod eſt igitur vniuſcuiuſque rei bonum? opinor, cuius cauſſa aliæ multæ actiones ſuſcipiantur: vt medicinæ ſanitas, artis bellicæ victoria, architecturæ domus, aliarumq́ artium aliud eodem modo bonum: & in omni actione deliberationéque ſuſcipienda finis eſt, cuius cauſſa res omnes geruntur & fiunt.* [3] *Quare ſi quod eſt rerum agendarum extremum, hoc ipſum bonum ſit agendum: ſin plura, hæc ipſa ſint agenda omnia: ad numerum ſiquidem variata tamen eòdem relabitur oratio. Danda igitur nobis eſt opera, vt clarius & apertius ſummum bonum declaretur.* [4] *Quoniam igitur plures fines in hominum ſtudijs eſſe, & alios aliorum gratia expeti, ſatis omnibus in promptu eſt, vt opes, tibias, ſummatímque omnia inſtrumenta; conſtat non omnes eſſe perfectos:* [5] *qui autem optimus, is abſolutus. Si quis igitur finis omnes perfectionis numeros habuerit, certè ſit quod à nobis quæritur ſummum bonum: ſin plures erunt perfecti, qui maximè fuerit abſolutus, ſummum bonum dicatur.* [6] *Cùm igitur multi ſint in rebus agẽdis finium gradus, qui propter ſe expetitur, melior*

lior

lior eſt eo, qui propter aliud optatur, & qui nunquam propter aliud expetitur, reliquos fines, qui & propter ſe, & propter aliud expeti ſolent, dignitate perfectioneq́; ſuperat: ex quo genere ſi quem reperias, eum vndique perfectum cumulatumq́; iudicato, qualis maximè videbitur eſſe fœlicitas hominis, quam & propter ſe ſemper, & nunquam propter aliud expetimus. [7] *Gloriam verò & voluptatem & intelligentiam, & omnem denique virtutem propter ſe quidem amamus: nam quamuis inde nullum conſequeremur emolumentum, ſingula tamen hæc ſua vi magnopere diligeremus: ſed fœlicitatis etiam cauſſa nihil horum non optamus, magna ſpe inducti, nos horum ope & beneficio ad beatam vitam peruenturos. At fœlicitatem nemo voluptatis, gloriæ, prudentiæ, aut aliarum rerum cauſſa expeti putat oportere:* [8] *quæ quàm perfecta ſit, quamq́; nihil omnino deſideret, cumulata rerum ſatietas, & mens ſuis votis expleta, in beatis hominibus oſtendit: quod enim ex omni parte perfectum bonum eſt, id ſatis eſſe nobis, nec quicquam præterea requirere videtur.* [9] *Satis autem eſſe bonum dicimus, non vni ſoli homini, & vitam ſine vſu & conſuetudine hominum degenti, ſed parentibus, liberis, coniugi, reliquis amicis & ciuibus.* [10] *quoniam ſic hominis natura ingenerata eſt, vt habeat quiddam innatum quaſi ciuile ac populare, quo cum hominibus humana quadam ſocietate coniungatur.* [11] *Sed tamen in eius quod ſatis eſt definitione, adhibendus eſt aliquis modus: Namque immenſum erit atque infinitum, ſi ad parentes, poſteros, amicorumq́; amicos hac in re progredi liceat. Hoc igitur rurſus nobis diligenter conſiderandum eſt,* [12] *vt ſit bonũ ſeipſo ad beatã vitam contentum, quod à reliquis fortunæ, corporis, & animi bonis ſepoſitum,*

ſeparatumq; ſua vi expetendam vitam, reiq; nullius egentem facit: qualis, vt opinor, eſt hominis fœlicitas omnium præſtantiſſima atq; abſolutiſſima, ſi cum alijs bonis non numeratur: [13] ſin cum alijs coniungitur, acceſsione vel minimi boni pluris æſtimanda. Nam cùm quidpiam ad aliud accedit, amplificare ſolet eius boni cui additur, præſtantiam atque dignitatem, vt eò bonorum virorum vita ſit beatior, quò ſit corporis, animi & fortunæ bonis plenior: at bonum quò maius, eò magis expetendum. [14] Quare ſatis eſt perſpicuum fœlicitatem bonum eſſe vndique perfectum, ſeq; ipſo contentum, cùm ſit extremus omnium rerum agendarum finis. [15] Sed omnes fortaſſe fœlicitatem ſummum eſſe bonum concedunt: quid autem ea ſit, hoc loco clarius enodandum atque explicandum eſt: cuius naturam, vimq; omnem perſpicere licebit, ſi, [16] quod ſit proprium hominis opus atq; munus, inueſtigemus. Ut enim tibicen & ſtatuarius, & quiuis artifex, & omnes, vt paucis dicam, qui circa aliquod opus actionemq; verſantur, in ipſo opere ſummum bonum ſuæ artis conſtituunt: ſic homo, quoniam proprium aliquod munus habet, quò referat omnia, in eo finem & perfectionem ſuæ naturæ collocabit. Ergo fabris & ſutoribus certa munera certaq; actiones erũt propoſitæ, hominis nullum erit proprium officium, ſed ad otium & ceſſationẽ natus erit? An non vt oculi, manus, pedis, & ſingularum partium ſuum munus eſt: ſic præterea quæ ſunt in corpore hominis, qui maximè animo & mente cernitur, certum genus officij, quod ſequatur, ponendum eſt? [17] quódnam tandem? quòd enim viuit homo, id habet cum ſtirpibus commune: at proprium munus hominis à nobis inquiritur: ab hoc igitur primùm vitam, qua alimur & augemur, ſeparare neceſſe eſt.

Dein-

*Deinceps in homine ſunt quinque ſenſus, ſed commu-
nes cum equo & boue, & reliquis mutis animantibus:
quid igitur proprium hominis reſtat, niſi vita in actio-
ne poſita, quæq; ab anima rationis participe gubernatur?
[18] Cuius porrò vis vna eſt rationi obediens, altera rationis ple
na, atq; intelligentiæ. [19] Itaque quum duobus modis facul-
tas animi rationalis appelletur, eam nunc aſſumamus, pro-
poſito noſtro magis conſentaneam, à qua proficiſcitur actio:
Quòd ſi ita eſt, proprium munus, atq; officium hominis eſt,
aut actio cum ratione congruens, aut à ratione ſaltem non
abhorrens. Officium aũt huius vel illius hominis, & hominis
boni in eodẽ genere ponitur, quemadmodũ citharœdi, & do
cti citharœdi: eademq; ſimilitudo valet in alijs rebus, cũ ad
quoduis opus dignitas virtutis accedit, quoties aliquid bene
ac præclarè geſtum memoratur ac prædicatur: citharœdi
enim eſt canere fidibus, docti & exercitati rectè ac ſciẽter ci
tharam pulſare. Quod cùm ita ſit, proprium munus homi-
nis in ea vita conſtituatur, quæ eſt mentis actio cum ratione
congruens, quam præclarè & cum dignitate ſequi probi eſt
hominis, & in exercitatione virtutum cõfirmati: quicquid
verò perfectum eſt, id ſua virtute perficitur & conſumma-
tur. [20] Quare ſummum bonum ſit actio mentis virtuti con
ſentanea: ſin plures erunt, ei virtuti, quæ princeps eſt & re-
gina reliquarum virtutum, longéque perfectiſsima. [21] Idq;
addendum eſt, in perfecta conſummatáque vita. Etenim
quemadmodum nec vna hirundo ſi conſpiciatur ad finem
hyemis, nec dies vnus ſi paulò mitior factus fuerit, ver proti-
nus efficit: ita nec dies vnus, nec exiguum ſpatium temporis
beatum fœlicemq; hominem reddit. [22] Hæc itaq; ſit defini-
tio circumſcriptioq; ſummi boni: ſic enim fortaſſe neceſſe eſt*

primùm adumbrare & leuiter informare: poſtea verò ſuis (vt aiunt) coloribus exprimere. [23] *Poteſt enim vnuſquiſque quæ præclarè ſunt definita, producere longius dicendo, & explicare cumulatius omnia, quæ progreſsione temporis paulatim inueniuntur, & adiuuantur: cuius quidem temporis beneficio adhibita longa obſeruatione artes quæ fuerunt initio perexiguæ, maximum cœperunt incrementum: cùm fuerit ſemper hominibus conceſſum, vt quod quiſque inueniſſet, ad explendas artes perpoliendasq́ adiungeret.* [24] *Verùm illud memoria nobis repetendum eſt, quod antè docuimus, accuratam docendi ſubtilitatem diligentiamq́ non ſimiliter in omnibus rebus requirendam eſſe, ſed in ſingulis, vt natura feret, genus orationis eſſe moderandum: quod exemplo fabri & geometræ declaratur: quorum vterq; cùm rectum angulum inquirat, non eadem tamen ratione contemplatur, ſed ille quidem quatenus recti anguli cognitio ad operis ſui fabricam confert: hic vero quid ſit, & qualis rectus angulus, conſiderat: quoniam in contemplatione & æſtimatione veritatis verſatur. Idem faciendum in reliquis ſtudijs, quæ ſunt à propoſita diſputatione aliena, pluribus verbis exponantur, quàm ea, quorum gratia omnis diſputatio atq; inſtitutio ſuſcepta fuerat.* [25] *Nec verò ſunt omnia declaranda ſuis cauſsis, ſed multis in locis rem eſſe, ſatis eſt oſtendere, vt etiam in artium principijs. Eſt enim primum & principium, rem eſſe: principiorum autem, quibus vtuntur in fundandis diſciplinis, alia ſpectantur inductione, alia ſenſu, alia conſuetudine, aliaq́ alio modo, quorum ſingula quantum cuiuſq; natura feret, illuſtria & explanata eſſe oportebit: magnopere ſiquidem proderunt ad ea, quæ deinceps nobis explicāda ſunt: Principium enim plus eſt, quàm dimidium*

totius

totius rei: multiſq́ rebus, de quibus poſt agitur, perſpicuitatem & lumen allaturum eſt.

Cùm Ariſtoteli eſſet conſtitutum, hominem ad beatam vitam perducere, placuit ei, priuſquam in viam deduceret, magnifico prooemio ad oſtentationem quandam & pompam ingenij totum hoc ſtudium commendare: Nam ſiue excellentiam fœlicitatis requiras, eam in ſummo bonorum gradu ſtatuit: ſiue dignitatem doctrinæ, reginam omnium artium huic muneri præficit: ſiue docendi rationem, facilem methodum pollicetur: ſiue auditoris perſonam, ſolos viros bonos, huius vitæ & laboris ſocios requirit, improbos procul reiicit. Poſt tantam magnificẽtiam præfationis expectabam, vt more & inſtituto legitimæ artis & doctrinæ rectiſſima & breuiſſima via ad beatam vitam vnà cum Ariſtotele contenderemus. At ille quàm longis, quàm flexuoſis, quàm moleſtis ambagibus & diuerticulis nos eluſit? Nam dum attenderemus, vt vera fœlicitas nobis ab illo definiretur, in contentione & altercatione voluptatis, honoris, virtutis, diuitiarum, & Ideæ nos errare peregrinariq́ue coëgit. Sed tamen domum aliquando redeamus: erroni duci hanc veniam concedamus, modò tandem reliqua via nihil fallat: at ſui ſimilis erit: & nos niſi cautè prouideamus, in ſimiles aut certè perículoſiores lapſus præcipitabit. Sequitur enim tertia pars diſputationis, in qua dum ſententiam ſuam de perfecta & abſoluta ſpecie fœlicitatis confirmare vult, ſic in lubrico verſatur, vt tam turpiter ruat in docendo, quàm ſuperiores hi, quos erroris & inſcitiæ condemnare non dubitauit. Animaduerti autem in informando homine beato duas Ariſtotelicę rationis partes eſſe, quarum vna definitionem beatæ vitæ quærit, altera repertam partibus ſingulis explanat, & confirmat.

1 Vt igitur via & ordine progrediatur oratio, quæramus primùm cum Ariſtotele, ſi poſſumus, quid ſit extremum bonorum omnium, quod in ſe numeros omnes beatæ vitæ contineat. Ad hanc definitionis inueſtigationem principio Philoſophus quatuor hypotheſes præfatur: 2 Quarum prima quidem eſt, ſed nihil niſi nugatoriam iterationem habet: nam primo capite ſatis probatum erat, quot artes eſſent, totidem artium ſolere exiſtere fines: & his exemplis illuſtratur, quæ teſtimonio Ariſtotelis ipſius & Quintiliani falſa eſſe oſtendimus.

3 Secunda in eodem vitio nugationis eſt, quæ ex ſecundo capite generalem notionem ſummi boni antea traditam & cognitam fruſtrà & inutiliter repetit:

4 Et tertia primo capite dicta iam fuerat de diuiſione finium in perfectos & imperfectos. Quid neceſſe eſt in arte, quæ perſpicuam & facilem breuitatem deſiderat, rem eandem ſæpius inculcare? 5 Quarta verò etiam hypotheſis ex ſecundo capite iteratur, quæ fœlicitatem ſtatuit eſſe abſolutiſſimum & perfectiſſimum bonum. Hîc Ariſtoteles (ſicut Socrates in Philebo Platonis) ſummum bonum ab adiunctis commendat, quòd ſit perfectiſſimum, & ſeipſo contentum: argumentum de abſolutione ſummi boni ex definitione ſumitur: 6 Vnde fit ſyllogiſmus ſimplex primi generis:

Bonum, propter quod cætera expetuntur, ipſum nunquam propter aliud, perfectiſſimum eſt:
Fœlicitas eſt eiuſmodi:
Quare fœlicitas eſt bonum perfectiſſimum.

Propoſitio vera & legitima boni abſolutiſſimi definitione conſtat: Aſſumptio ſi ad veram fœlicitatem accommodetur, vera quidem eſt: ſumma enim in homine perfectio ſoli beatæ vitæ conuenit: ſin de Ariſtotelea fœlicitate intelligatur, falſa: tantùm enim abſum ab Ariſtotelis ſententia, vt illud quod mox definiet, non modò ſummum bonum non arbitrer, ſed ne bonum quidem, quemadmodum cùm res & locus poſtulabit, pluribus verbis diſſeram. Nã q; ad aſſumptionis

approbationem, duas rationes attulit, ad eas facilis eſt reſponſio. Quis enim primus Chriſtianæ religionis elementis inſtitutus hanc diſſimilitudinem non irrideat? 7 Honos, voluptas, virtus, quãuis bona per ſe ſint, tamen ad fœlicitatem referuntur: fœlicitas verò nunquam propter aliud optãda eſt. Nam in ſacris & diuinis literis veritas non admonet fœlicitatem Ethnicorum nõ modò non optandam, ſed fugiendam & execrandam eſſe: quippe quæ nullum ex Ethnicis hominibus vnquam beatum & fœlicem fecerit, contrà verò potius omnem antiquitatem perdiderit, & perpetuis ærumnis & calamitatibus addixerit. 8 De altera probatione ſimiliter iudicandum eſt. Nam quemadmodum beata vita omni genere bonorum perfecta & cumulata eſt, ita ſeipſa contenta nihil maius aut perfectius deſiderat: ſed quàm ineptè & ridiculè copiam & ſatietatem in ſummo bono philoſophus definit? 9 Satis eſſe (inquit) dicimus non ipſi ſoli, ſed parentibus, liberis, coniugi, cæteris amicis & ciuibus: quandoquidem homo ad ſocietatem natus eſt. Quid argumẽto tam perſpicuè falſo Stoici (quid Stoicos dico?) imò verò ipſi Chriſtiani reſponderent? homines verè beatos non magnitudine facultatum & copia, ſed animo & virtute ſatietatem ſuam metiri: qua qui prædati ſunt, ſoli ſunt diuites, ſoli (vt ait Cicero) poſſident res fructuoſas & ſempiternas, ſolique (quod proprium eſt diuitiarum) contenti ſunt ſuis rebus: ſatis eſſe putant, quod eſt: nihil appetunt, nulla re egẽt, nihil ſibi deeſſe ſentiunt, nihil requirunt: nec tantùm auaram cupiditatem, ſed repugnantiam quandam in hac Ariſtotelis ſententia Stoici ipſi notarent. Quid enim minus conſentaneum eſt, quàm res maximè disiunctas, maximeq́; diſcrepantes, virtutem & fortunam coniungere? & fortunæ, qua nihil eſt inconſtantius, nihil leuius, beatam vitam alligare? vt ſi (quod & facillimè & frequentiſſimè fit) volubilis illa fortunæ rota conuertatur, repentè è beato fiat miſer, quia deſinit habere quod ſibi, quod parentibus, quod liberis, quod coniugi, quod amicis & ciuibus ſatis eſſe poſſit. 10 Et ratio Ariſtotelis malè accommodatur. Non enim ſi homo ciuilis eſt, neceſſe eſt eum multis opibus abundare, vt beatus exiſtat: & in ciuitate multos eſſe miſeros, quorum egeſtati ſuccurrendo, diues ille beatus beatitudinẽ ſuã oſtentet. Itaque hac ratione ſoli reges & principes, quibus infinita vis & copia auri & argenti ad largiendum ſuppeteret, eſſent beati, reliqui in ciuitate miſeri & infœlices. 11 Qui ne fortè ab hac Ariſtotelea ſententia ſtatim prouocent, quæ ſummam iniuriam pauperibus facit, ſuperior definitio retractatur, eique noua alia ſubſtituitur: quæ tamen eiuſmodi eſt, vt quocunque ſeſe verterit Ariſtoteles, iuſtam & veram reprehenſionem minimè poſſit effugere. 12 Summum bonum, ait, ſeipſo contentum dico, quòd detractis reliquis bonis vitam per ſe expetendam, & nihil requirentem efficit. Quod quidẽ probo, ſi de vera fœlicitate dicatur: eſt enim bonum abſolutiſſimum, ſed non ea abſolutione, quam Ariſtoteles arbitratur: & bonum ſeipſo contentum, ſed non ea ſatietate, quam ille ſtatuit. hæc duo ſunt adiuncta fœlicitatis, ſed vitioſè ad mundanam & falſam fœlicitatẽ accommodata. Quod ſequitur, diligentius nobis conſiderandum eſt: cupit ille nobis probare, homini, in quo ſummum bonum inſit, nihil deeſſe ad beatè viuendum: quam ob cauſſam? quia paulò antè docuit fœlicitatem eſſe perfectiſſimum, & ſeipſo contentum bonum. Nónne ſunt iſta acutè & ſubtiliter dicta?. ſint ſanè. Sed proxima nequaquam aptè cohærebunt. 13 Addit enim ſummum bonũ, quamuis perfectiſſimum ſit, addito vel minimo augeri & amplificari: Quid minus probandum eſt, quàm extremum bonorum eſſe abſolutiſſimum, & tamen maius & perfectius fieri poſſe? aut aliquem eſſe beatum, nec ſatis beatum? Quod enim ſummum & maximum eſt, huic nihil, quo maius ſit, addi poteſt: Deinde quid aliud ſonant ſubtilitates & argutiæ Ariſtotelis, quàm aliquod eſſe ſummum bonum, non tamen ſummum? & aliquod abſolutiſſimum, non tamen abſolutiſſimum? Quæ oratio hominis eſt intemperantis, nec quid ſibi dicendum ſit, attentè conſiderantis. Itaque locus hic de additamento bonorum ad beatam vitam à Stoicis

grauiter & accuratè reprehenſus eſt, quia ita diſputat, hominis ſupremum finem totum in hominis poteſtate eſſe poſitum & perfectum: nec fortunæ proſperis, aut aduerſis rebus augeri aut minui, ſed ex ſui ſimilibus tanquam granis aceruum conſtare: hæc autē grana quæ in hominis poteſtate ſunt, honeſta ſola ſunt, non fortuita. Et Cic. 3. de Finib. Ne illud quidem, ait, conſentaneum eſt, vt ſi cùm tria genera bonorum ſint (quæ ſententia eſt Peripateticorum) eò beatior quiſque ſit, quò ſit corporis aut externis bonis plenior: vt hoc idem nobis approbandum ſit, vt qui plura habeat, & quæ in corpore magni æſtimantur, eò ſit beatior: ſic enim corporis commodis compleri beatam vitam putant: qua Stoicorum animaduerſione quid verius? an ſtellarum luce Solis lumen augeri arbitramur? Atqui virtus Sol quidam mentis eſt: acceſſiones fortunæ & corporis, ne vel nebuloſæ quidem ſtellulæ lucem in hac comparatione obtinēt, nec vllum momētum habent ad beatè viuendum, vt Stoici non ſolùm rectè diſputant, ſed etiam Chriſtiani verè confirmant. Quàm eſt igitur hæc aggregatio bonorum cùm inanis & futilis, tum contra opinionem verè iudicantium, & contra rerum naturam veritatemque reperta? 14 Atque hactenus Ariſtoteles ſibi videtur fundamenta iecisse confirmationis ſuæ, quæ firmiſſima ſunt, ſi nitantur iudicio eius & ſuorū: ſin æſtimatione veritatis, vt infirmiſſima & debiliſſima ſtatim corruent. Quamuis enim ſuperiora illa ſummum, perfectiſſimum, ſeipſo contētum, inſint in abſoluta fœlicitate, nihil tamen horum de Ariſtotelea illa verè & aptè confirmari poterit. 15 Deinceps inueſtigat propriam notionem & definitionem rei ſibi propoſitæ, id eſt, ſummi boni, ſed tanto errore, tanta ignorantia, tanta confuſione, vt qui in plana & facili via incedere ſperet, hæreat in ſalebris, aut ſurſum verſus aſcendere, deorſum verſus præcipitetur. Quamobrem Chriſtianos homines qui minus iſta pericula animaduertūt, commonefaciendos arbitror, quàm omnibus conſiliis præceps & deuius ſit Ariſtoteles. Nam ſi hunc erronem ducem ſequantur, nō ad beatam vitam, ſed ad mundanam peruenient, id eſt, miſeram, infœlicem, ærumnoſam, diabolicam. 16 Principio quid ſit ſummum bonum, inueſtigatur in actione propria hominis rationi congruente, quæ multa exercitatione, longo vſu, vita bene & eleganter traducta perficitur & conſummatur. Atqui in tali actione vir Chriſtianus nunquam reperiet: non enim ſummum hominis bonum eſt, mundanas & Ariſtotelicas virtutes in vita perſequi, ſed cùm è vita diuinis virtutibus & beneficiis ornatus exceſſerit, in cœlo diuina luce & claritate perfrui: nec illud proprium eſt hominis, ſed commune cum angelis. At iſtud, inquies, Ariſtoteles ignorauit: credo equidem, & ob eam ipſam cauſſam magnopere Ariſtotelem errare dico: verùm quemadmodum reliqua via pergat, videamus. 17 Poſteaquam probauit aliquam eſſe propriam actionē hominis, quam nulla alia natura poſſit vſurpare, quænam ſit, ex tripartita diuiſione facultatum animi quærit: neceſſe eſt enim vt proprium illud munus hominis ſit aut viuere, aut ſentire, aut ratione vti: at primum nobis cum plantis & beſtiis, ſecundum etiam cum beſtiis commune eſt. Relinquitur igitur illud tertium, ratione vti, propriè ad hominē ſpectare, nec in vllam aliā rem poſſe trāſferri: 18 Deinde verò rationalem animi facultatem duas in partes diuidit, vnam obſequētem, alteram imperantem: ſed ſubtilius & argutius quàm verius & aptius: vna ſiquidem vis eſt animi rationis compos: nec appetitus ille ſenſuum propterea rationalis dicendus eſt, quòd rationi pareat, & rationis imperium, conſilium, authoritatem ſequatur. Hoc enim argumento equus rationalis erit, qui frænis & calcaribus ſui ſeſſoris parebit: & canis rationalis, qui ad nutum domini ſe totum accommodabit: quod cùm ſit abſurdum, neque ſenſus ſimiliter digni tanto nomine videbuntur, quamuis eos interdum ratio regat & moderetur, non ſecus atq; apud Poëtam rex ille Aeolus:

Luctantes ventos, tempeſtatesq; ſonoras,
Imperio premit, ac vinclis, & carcere frænat:

Illi indignantes magno cum murmure montis.
Circum clauſtra fremunt, celſa ſedet Aeolus arce,
Sceptra tenens, mollitq; animos, & temperat iras.

Quemadmodum igitur nec equi, nec canes, nec venti, ſic nec appetitus ſenſuum, quamuis rationi pareat, rationalis appellandus eſt. 19 Hactenus inueſtigauit proprium munus hominis in animo poſitum, quod eſt vti ratione, in quo tandem definitionem beatæ vitæ repertam putat: ſyllogiſmus eſt connexus primi modi:

Si proprium munus hominis eſt conuenienter rationi viuere, ſummum bonum eſt actio mentis virtuti conſentanea, in vita perfecta:
Proprium autem munus eſt hominis rationi congruenter agere:
Summum itaque bonum ſit actio mentis virtuti conſentanea, in vita perfecta.

20 Hoc principium & fundamentum eſt Ariſtotelеæ fœlicitatis, id eſt, impietatis: ponit enim Ariſtoteles fœlicitatem hominis in actione virtutis humanæ & mundanæ, hominemq; ſibiipſi confidere velut authori beatitudinis ſuæ iubet: at didicimus à Chriſtiana veritate hominis à ſeipſo bonum nullum eſſe, miſerumque eſſe, qui ſe ſua virtute fœlicem & beatum putet, Deo nihil attribuat. Diuus Auguſtinus, *De verbis Apoſt.* Philoſophi, inquit, huius ſeculi aliqui putauerunt non eſſe beatitudinem, niſi ſecundum carnem viuere, & bonum hominis voluptatem poſuerunt: iſti Epicurei dicti ſunt ab Epicuro quodam authore ſuo: ſed alij extiterunt, qui à carne ſe remouentes, & totam ſpem beatitudinis ſuæ in anima ſua conſtituentes, poſuerunt ſummum bonũ in virtute ſua: tales philoſophi Stoici nominati ſunt: illi ſecundum carnem, iſti ſecundum ſe: nec iſti, nec illi ſecundũ Deum viuẽtes. Errat Epicurus: falſum enim eſt beatum eſſe hominem, cuius in fructu eſt virtus animæ eius: beatus ergo eſt cuius eſt nomẽ domini ſpes eius. Et paulò pòſt: Epicurus itaq; in corpore ponens ſummum bonũ, in carne ſpem poſuit: ſed Stoicus in anima ponens ſummum bonũ, in ſe ſpem poſuit: homo autem Epicurus & Stoicus, ſed maledictus homo, qui ſpẽ ponit in hòmine. Hæc Auguſtinus. Ariſtoteles autem Stoicorum & Epicureorum amentiam ſua complexus eſt, qui beatã hominis vitam animo, & vita hominis metitur, nõ Deo: tantoq; vehementius ideò damnãdus, quantò plus damnati ab Auguſtino erroris habet: quem tamen philoſophum miſeratione dignũ eſſe iudico: ſi quid enim in tanta quæſtione explicãda peccauit, communi ignorantia temporũ peccauit. Inciderat in eam ætatem, qua docti ſimul & indocti velut noctuæ ad Solem veritatis caligabant, & pro pietate impietatem, pro religione ſuperſtitionẽ, pro vero Deo impium cacodæmonem colebant: Ariſtotelis, inquam, ſicut reliquorum veterum ethnicorum ignorationẽ miſerandam eſſe arbitror: at Ariſtotelei iſtud moleſtè ferunt: philoſophum tantum & tam excellentem erraſſe nõ potuiſſe prædicãt: & hac credulitate confirmata ſcholaſticas diſtinctiones vanas & impias ad huius erroris defenſionem confingunt: ꝙ Ariſtoteles de humana fœlicitate loquutus ſit, non de vera & perfecta: quæ ſanè diſtinctio veriſſima eſt. Ariſtoteles de humana & mundana fœlicitate, quæ impietas eſt, non de diuina & cœleſti, quæ à Deo nobis propoſita eſt, his libris diſputat. Verùm acutè philoſophantis eſt, non quid quiſq; dicat, ſed ꝗ rectè dicat, animaduertere: philoſophia enim ad veritatis inquiſitionẽ, non ad ſtultarũ opinionũ defenſionem reperta eſt. Quæ eſt autẽ iſta fœlicitas appellanda, quam qui habet, poſſit eſſe miſerrimus? Sumamus hominem aliquẽ ethnicum (res enim exemplo facilè declarari poterit) temporibus Ariſtotelis, omnibus Ariſtotelicis virtutibus ornatum, forma & integris corporis viribus præſtantem: addamus etiam opes, demus honores, coniugẽ, liberos, propinquos, amicos: cùm fuerit is ſine fide, ſine pietate, ſine Deo, ſine vera religione, dubitabis eum miſerrimum

rimum iudicare,quem Deus iuſtiſſimo iudicio damnatum, in locũ deſtinatum
miſeris cum principibus tenebrarum præcipitauit? Quam tu mihi igitur Ariſto
telis fœlicitatem prædicabis,qua qui præditi fuerũt ethnici, reuera infœliciſſimi
fuerunt,& cum peruerſis ſpiritibus in ſempiternã abiecti miſeriam? Sed poteſt
homo(dicent Ariſtotelei)ſine cognitione Dei & vera religione in puris naturali-
bus,optimis eſſe præditus moribus:ideoque beatus ſecundum opinionem Ari-
ſtotelis. Audiant igitur qui errorem tam manifeſtæ impietatis defendunt, non
philoſophi alicuius ethnici,ſed D.Pauli,id eſt,ſanctiſſimi,veriſſimiq; philoſophi *Ad Rom. ca*
contrariam ſententiam:Omne,inquit,quod non eſt ex fide, peccatum eſt. quam *pite 4.*
D.Auguſtinus aſſumpſit: Ante fidem, ait, & ſine fide, omnino nulla cuiuſquam *Ad Iulianũ.*
bona opera exiſtimãda ſunt:quoniam omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.
Idemq;:Omnis,inquit,infidelium vita peccatum eſt,& nihil eſt bonũ ſine ſum- *Lib. de vera*
mo bono:vbi enim deeſt cognitio æternæ & incõmutabilis veritatis,falſa eſt vir- *innocentia.*
tus etiam in optimis moribus.Finge præterea ad Ariſtotelis arbitrium hominem
ſine religione,ſine pietate,ſine deo:is Ariſtotelis definitione florẽs & beatus eſſe
poterit: atheum enim hominẽ eſſe temperãtem,liberalem,fortem, manſuetum,
iuſtum,cæteriſq; Ariſtotelicis virtutibus ornatum quid obſtabit?Atq; ita impios
& atheos homines licet reuera miſerrimos, tamen Ariſtotelis doctrina beatos
efficiet:quo quid poteſt eſſe abſurdius? quam doctrinam ne quis,velim,miretur
à nobis diabolicam appellari: ex antiquis enim oraculis, quibus cacodæmones
præfuiſſe ſcimus,iuſtitia,fortitudo, temperantia, reliquæ philoſophorum virtu-
tes docebantur,ad earumq; ſtudium & amorem homines inuitabantur,& à con
trariis vitiis deterrebantur: Apollo ſiquidem Glauco Lacedæmonio percontan-
ti, an depoſitam apud ſe ab amicis pecuniam negaturus eſſet, reſpondit nihil in
tereſſe,an Deum tentaret,an idipſum faceret: itaque fore, vt tota domus eius pe
riret, quod ita paucis poſt diebus accidit. Idemque Lacedæmoniis de ſua vrbe
conſulentibus dixit,Spartam nulla re alia,niſi auaritia perituram: & præceptum
illud quod erat Delphis inſcriptum,*Γνῶθι σεαυτὸν*, id eſt,Noſſe teipſum, Socra-
tes apud Platonem libro de Philoſophia ſic interpretatur, Cole prudentiam &
iuſtitiam: & Legumlatores antiqui leges quæ doctrinam virtutis tradunt,à cer-
tis diis,quos cacodæmones fuiſſe conſtat,accipere ſe profitebantur,vt Solon à Mi
nerua,Lycurgus ab Apolline,Minos à Ioue, Carondas à Saturno. Quamobrem
diabolus quamuis impietatis & ſceleris author & fautor ſit, tamen vt in terris di-
uini numinis maieſtatem ſibi vendicaret, & homines falſis virtutum vmbris in
ſuam ſectam, id eſt, ſempiternam miſeriam pelliceret, Ariſtotelicas iſtas virtu-
tes proponebat, præcipiebatque: quas qui adepturus eſſet, eum nihilominus
infœlicem & miſerum fore intelligebat: qua arte hic non Ariſtotelem tantùm,
ſed infinitos homines in fraudem & errorem impulit: hic eos quibus verum iter
ad beatam vitam, vera religio, verus Deus ignotus erat, decepit, fefellit, indu-
xit. Primus igitur Ariſtoteleæ fœlicitatis lapis angularis valde debilis eſt, & in-
firmus, immò corruptus, putrefactusque, in quo nulla ſolida & expreſſa,ſed ca-
duca & fragilis doctrina beatæ vitæ fundatur. 21 Reliqua videamus. Sum-
mum hominis bonum in vita perfecta, & vndique completa ponit Ariſtoteles:
in vita autem hac mortali & caduca fœlicitas omnino nulla eſt, nedum in per-
petua,& ad ſupremum diem continuata:à Deo enim optimo maximo beatitudo
nobis in cœlo proponitur: in terris dum hanc vitam degimus, omnes miſeriæ,
calamitãtes, ærumnæ, quæ ſempiternæ quietis & lætitiæ fructu compenſantũr.
Nec diſtinctione hìc vlla opus eſt: ſuſtulit hanc dubitationem diuus Auguſti- *De verbis*
nus, quem ſæpe nomino: Beata,inquit,vita non eſt niſi æterna:hanc volunt om- *Apoſt.*
nes: ſed ad tam magnam poſſeſſionem, & tam grandem fœlicitatem, qua itur,
conſtruxerunt ſibi viam erroris philoſophi: & alij dixerunt hanc, alij dixerunt
non hanc, ſed hanc: tenuit illos via erroris, quia ſuperbis Deus reſiſtit. Nec verò
pluribus argumẽtis diſſerendum eſſe arbitror,præſertim cũ inter homines Chri

ſtianos conſtet, ſitque luce ipſa clarius, fœlicitatem in hac vita quærendam non eſſe,ſed cùm hæc mortalis vita deſierit,in cœlo expectandam,cùm animus perpetua diuini numinis contemplatione perfruetur. Quamobrem, cùm vera fœlicitas hominis neque ſit actio mētis virtuti conſentanea,vt à nobis diſputatum eſt, neque ſit in hac vita nobis ſperanda, videant qui ethnicum hunc Philoſophum tam arctè tenēt,accurateque defendunt,quam viperam,quàm venenatam,quàm peſtiferam,quamque infeſtam religioni & veritati Chriſtianæ alant atque tueantur. 22 Ac deinceps prima illa fœlicitatis informatio primis & rudibus pictorum lineamentis ab Ariſtotele comparatur. Solent enim pictores lineari quadam pictura & vmbratili imaginem primùm carbone aliquo rudius effingere, poſtea adumbratam ſuis coloribus reddere & abſoluere: nec tamen in Ariſtotelis tabula,quam nobis exhibuit,adumbrationem vllam fœlicitatis,ſed potius picturam quandam infœlicitatis,ſi verè de toto opere æſtimare volumus, viuam & expreſſam cernere poſſumus. 23 Quod de artibus addit,quæ nó eodem tempore inuentæ & abſolutæ ſunt, id quidem verum eſt,ſed tamē ineptè ad id quod agitur,accommodatum:Aliud enim eſt artem inuenire, aliud inuentam via & ordine declarare: nec ſequitur,Si diſciplinæ ab exiguis initiis profectæ progreſſione temporis, & longa rerum obſeruatione vſæ ſunt,vt propterea ſic inuentæ doceri tradique debeant: ſed contrà omnino eſt,vt à clarioribus rebus ad minus notas,ab vniuerſis ad ſpeciales,à perfectis ad imperfectas deducantur. Itaque fallitur Ariſtoteles,qui artes primùm rudius & imperfectius,deinde politius tradi putat oportere: Longè enim differunt obſeruatio artis, & deſcriptio: Hæc à genere ad ſpecies ſibi ſubiectas deſcendit, illa à rebus ſingulis ad communē generis notionem aſcendit: Hæc ab animo ad ſenſus,illa à ſenſibus ad animum fertur.

24 Nec ad excuſandam ruditatem huius definitionis & explicationis toties illud iterandum & inculcandum fuit, Orationem rebus quæ dicuntur, ſimilem eſſe debere: in moribus autem & tota ratione beatæ viuendi nihil eſſe,quod accurata ſubtilitate & limata veritate indigeat: tantò enim diligentius & accuratius(bona venia Ariſtotelis dixerim) de beata vita, quàm de cæteris philoſophiæ partibus præcipiendum eſt, quantò res quæ hac doctrina continetur,cæteris rebus excellentior & præſtantior eſt: in cæteris enim artibus ea tractantur,quæ aliquam vitæ vtilitatem adferunt: in hac ſummum bonum quò referūtur omnia, quæ ſunt in vita expetenda,quæritur: cuius diligens tractatio tantò magis partibus omnibus proderit,quantò vtilius eſt ad rectè inſtituendam vitam, ſummum bonum,quàm quiduis aliud animo & ſcientia tenere. Itaq; Philoſophus in conſideratione & æſtimatione fœlicitatis non fabros rudes & imperitos, vt hoc loco Ariſtoteles, ſed doctiſſimos quoſque & acutiſſimos Mathematicos imitabitur:vt quæ de beata vita dicenda ſunt,non pingui,quod aiunt,Minerua,ſed accurata & diligenti tractatione meditationeque perſequatur. 25 Ac ne quis fortè ab Ariſtotele cauſſam aliquam,aut rationem inſtitutæ definitionis requirat, hoc loco admonendus eſt,principium eſſe huius artis, & caput vnum Ariſtotelicæ fidei, cui ſine vlla dubitatione,nulla etiam reddita cauſſa, ſectatoribus Ariſtotelicis credendum fidendumque ſit:

Principia, inquit ille, exquiſitis rationibus confirmari non poſſunt:
Definitio ſuperior,eſt huius artis principium:.
Exquiſitis igitur rationibus probanda nobis non eſt.

Quod autem præcipit,vt principia diligenter definiantur, intellige definitiones & diuiſiones,quæ ſola ſunt bene traditarum artium principia,faciles,exploratas, perſpectaſque eſſe oportere: alioqui ridicula res præciperetur,vt primæ,notiſſimæ,clariſſimæ res definiantur. Quomodo enim definirentur primæ definitiones? Vtilitas autem principiorum à Platone commonſtratur,laudaturque,vnde Ariſtoteles hunc locum tranſtulit: Principium,ait,vt eſt in prouerbiis, totius facti dimidium dicitur: atque illud nimirum rectè cœpiſſe omnes magnis laudibus. *Lib.6. de Republica.*

bus efferimus: ſed illud, vt mihi quidem videtur, plus eſt quàm dimidium: nec quiſquam hoc, vbi rectè fit, ſatis pro merito laudarit. Conſideremus hoc ſeptimo capite, ô Chriſtiani, qualem hominis fœlicitatem Ariſtoteles nobis depinxerit: cogitemus attentè, quum Ariſtoteles tam mirificè principia commendet, vt de ſuis dubitari nolit, quæ tamen nó modò falſa ſunt, ſed planè impia, vt in definitione fœlicitatis oſtendimus: cùm ipſe Platonis & veterum Philoſophorum principiis non crediderit, vt nos iubet ſuis credere, ſed malitioſiſſimè contradixerit, quid de huius hominis calũniis, impoſturis, erroribus iudicare debeamus.

Atqui non ſolùm ex concluſione, & ex his, ex quibus fit oratio, ſed etiam ex peruulgatis & decantatis veterum ſententijs ſummi boni cognitio nobis eruenda eſt: namque verum cum vero conſentit: falſum à vero protinus diſſentit. Cap. 8. *[1] Cùm igitur tripartita ſit ratio bonorum, fortunæ, mentis & corporis, quæ verſantur in animo, certiſſima ſunt, maximaq́ bona: & actiones virtutis ab animo proficiſcuntur: quod cùm rectè, & ad veterum ſententiam accommodatè dictum ſit à nobis, tum etiam illud præclarè poſitum, certis quibuſdam actionibus beatam vitam contineri: ſic enim fœlicitas hominis in animi bonis, non in externis vitæ commodis ſita eſt. Huc etiam pertinet, quod communi ſermone celebratur, eum qui ſit beatus, bene viuere, virtutiq́ congruenter agere. Nam propemodum ab omnibus fœlicitas appellatur tum vitæ proſperitas, tũ recta virtutis actio: [2] & quæcunque de ea diſputantur, ad ſuperiora illa bona mentis, rectaq́ officia videntur poſſe accommodari: quidam enim ſummum bonũ virtutem eſſe putant, quidam prudentiam, quidam ſapientiam, alij autem hæc tria ſimul, aut horum quidpiam, cum voluptate, vel non ſine voluptate: alij verò etiam cum prædictis externas opes & facultates copulant: atq́ hæc omnia partim à multis & antiquis, partim à paucis & claris hominibus dicuntur, quorum neutros omni ex parte aberraſſe, ſed aliquantulum de via deflexiſſe, quinetiam magna ex parte rectum iter tenuiſſe probabile eſt.*

Cum his enim qui ſummum bonum, aut omnem, aut aliquam virtutem eſſe confirmant, conſentit commemorata prius ſummi boni definitio: aut enim actio virtutis eſt, aut certè cum virtute copulata. [3] *Sed fortaſſe multum intererit, an poſſeſsionem virtutis, an vſum, an habitum, an actionem beatam vitam dixeris: fieri enim poteſt, vt habitus in homine ab omni honeſto officio ſit deſertus, vt in eo qui dormit, aut quouis alio modo in bonis moribus actionibusq; ceſſator eſt. At virtutis actio ceſſare nullo modo poterit: magna ſiquidem neceßitate ſemper ad aliquid rectè agendum rapietur: & quemadmodum apud Olympiam in maxima illa quinquennali celebritate ludorum, non forma, aut viribus corporis præſtantißimus quiſque corona donatur, ſed qui cum alijs magna & illuſtri contentione decertauit, (ex his enim qui in certamen deſcendunt, aliquis victor & olympionices efficitur) ſic in vita res honeſtißimas, & pleniſsimas dignitatis aſſequuntur hi, qui ſeſe in optimis vitæ ſtudijs exercuerint:* [4] *quorum vita ſuauis & iucunda eſt, propterea quòd perceptio voluptatis ex eo genere bonorum eſt, quæ inſunt in animo. At verò quæcunque res amatur ab homine, huic eadem iucunda delectabilisq; eſt, vt equorum cupido, equus: & theatri, theatrum: vt ſimilia conferamus, iuſtitia delectat homines, qui eius amore & ſtudio ducuntur: & omnis honeſtas dignitasq; rerum placet ijs, qui animo & ſtudio ad amorem virtutis rapiuntur: voluptates autem blandißimæ dominæ, quæ imperitæ multitudinis animos ſenſusq; iucunditate quadam perfundunt, cum honeſtate multum pugnant, quòd non reuera, ſed falsò & inepto ſenſu ſuauitatis iucundæ ſint: quæ verò comitantur virtutem, ideò bonos viros delectant, quòd naturalem*

atque ingenuam vim contineant oblectationis: in quo genere poſita ſunt officia & actiones virtutũ, quibus vt quiſque optimè natus inſtitutúſque eſt, ita maximè ſua ſponte ac natura gaudet. Itaque proborum hominum vita, voluptate, non tanquam extrinſecùs aſſumpta, ſed in animo penitus incluſa reconditaq; perfruitur. Præterea, qui præclaris factis non delectatur, minimè vir bonus & ſapiens iudicandus eſt: nec enim iuſtum dixeris, cui iuſtitiæ: aut liberalem, cui liberalitatis actiones odioſæ moleſtæq; ſint: eademq; ratio in reliquis honeſtatis partibus valebit. Quare cùm vniuerſis, tum ſingulis virtutum officijs ingenitam atque inſitam voluptatem ineſſe confitendum eſt, ſi de his rectè vir bonus ſtatuit: at quàm rectè ſtatuat, antea dictum eſt. Beata igitur vita optima, honeſtiſſima, iucundiſſimaq; eſt: nec verò hoc ſeparatim de illa prædicantur. ſicut in Epigrammate deliaco:

Pulchrius aſtræa, melius nil corpore ſano,
Suauius & voti compote mente nihil.

Hæc enim tria in optimis officijs coniuncta commiſtáque ſunt, quorum vnum aut è multis optimum fœlicitas à nobis appellatur. [5] *Nec tamen videtur eſſe præclaris animorum muneribus & ſtudijs contenta, ſed ad ſe tuendum & ornandum fortunæ quoque beneficijs & ornamentis egere. Vix enim fieri poteſt, ac ne vix quidem, vt qui anguſtia rei familiaris premitur, præclarè quicquam aut magnificè faciat, cùm pleraque vel amicorum ſtudio, vel diuitijs, vel publica authoritate non ſecus atque inſtrumentis efficiantur: & ſi nonnulla defuerint hominibus, vt nobilitas, liberi, pulchritudo, magnam labem & maculam vitæ ſoleant aſpergere: neque enim planè beatus eſt, qui in deformitate*

aliqua corporis, aut ignobilitate generis, aut ſolitudine & orbitate liberorum vitam degit: ac minus etiam fortaſſe beatus, cuius liberi ſunt ſcelerati ac perditi, aut cuius amici boni viri ex hac vita migrarũt. Quare ad bene beateq́ viuendum, fortunæ commoda neceſſaria videntur eſſe: ideoq́ permulti facile ſunt adducti, vt ex ijs alij beatam vitam proſperam fortunam, alij virtutem eſſe crederent.

Poſteaquam Ariſtoteles in cauſſa beatæ vitæ ſuo iudicio ſapientior ſuperiorq́ reliquis Philoſophis extitit, ſatisque res ſuas confirmauit, deinceps cum iis omnibus, quos tanquã bello vaſtauit, pacificatur, ſed hac conditione, vt victor leges victis imponat. Vt enim Alexander Magnus imperij ambitione inductus, nõ modò Græcorum, ſed Perſarum, & totius Orientis populis bellum intulit, vt iis victis profligatisque ſolus toto orbe imperium teneret: ſic Ariſtoteles Alexandrinæ cupiditatis magiſter idem in philoſophia, quod diſcipulus in terra efficere contendit, philoſophos omnes oppugnauit, &, vt ſibi viſus eſt, expugnauit: vt videlicet philoſophiæ regno potiretur, & victor triumphatorque philoſophorum præpotens & beatus regnaret. Quid verò, dicet aliquis: nónne præclarum & nobile eſt ſtultas opiniones corrigere, falſas tollere, prauas cum melioribus commutare? Præclarum certè, inquam, & magnum: quod ſi Ariſtoteles in hac quæſtione conſecutus eſt, regem, regem philoſophorum omnium eſſe oportuit: ſin eius opinio nihilo deterior & vanior eſt, quàm reliquorũ philoſophorum, videamus num potius Ariſtotelem regni cupidum & appetentẽ, quàm regem appellemus: Quid autem de philoſophis ethnicis in vniuerſum ſentire debeamus, Auguſtinus Epiſtol. ad Hieronymum admonuit: Quid, ait, timeam apud te nomen philoſophorum? qui non propterea vani ſunt, quia falſa dicunt, ſed quia & falſis plerumque confidunt: & vbi vera inueniuntur dicere, à Chriſti gratia, quæ eſt ipſa veritas, alieni ſunt. Sed quomodo Ariſtoteles in hac contentione cum reliquis paciſcitur? Cùm in prima parte definitionis fœlicitatem, in actione mentis virtuti conſentanea ſtatuiſſet, eius partis explicandæ gratia multorũ authoritates vnum in locum aggregauit: quas aliqua ex parte cum hoc inſtituto congruere, conſentireque demonſtrat.

1 Ac primum perueterem de bonorum diuiſione ſentẽtiam occupat, ex quibus primas partes bona mentis obtinent. Quantò enim animus illuſtrior eſt, tantò illuſtriores & clariores virtutes efficit: fortunæ autem & corporis acceſſiones paruæ & exiguæ ſunt: vt quemadmodum ſtellæ in radio Solis, ſic iſtæ in virtutum ſplendore vix, aut ne vix quidem appareant. Plato lib. 5. de Legibus, Cùm tria, inquit, ſint, in quibus homines ſtudium ponunt, vltimum eſt pecuniæ ſtudium, medium corporis, animi primum. Cicero, Sint, ait, tria genera bonorum, dum corporis & externa iaceat humi, ac tantummodo quia ſumenda ſunt, appellentur bona: alia autem diuina longè lateque ſe pandant, cœlumq́ue contingãt: vt ea qui adeptus ſit, cur eum beatum modò, ac non beatiſſium iam dixerim? Eadem opinio de dignitate virtutum, & honeſtarum actionum populari ſermone probatur, Εὖ ζῆν, καὶ πράττειν τὸν εὐδαίμονα: id eſt, eum, qui beatus ſit, bene viuere, & bene agere: qua oratione vetuſtas primam dignitatem ſummamq́ue bonis animorum tribuebat, quod certè approbandum eſt, modò tamen in vita & corpore vera fœlicitas ne ſtatuatur. 2 Sequuntur aliæ ſententiæ de ſummo bono, partim ſimplices, partim copulatæ. Simplices tres ab Ariſtotele ponuntur, prima

virtutis,

virtutis,ſecunda prudentiæ,tertia ſapiétiæ. Copulatæ ſex effici poſſunt: aut enim virtus, aut prudentia, aut ſapientia cum voluptate iungitur: aut rurſus hæ res iunctæ cum proſpera fortuna connectuntur: in quibus omnibus aliquid eſſe quod improbari, aliquid etiam quod probari, & ad ſuperiorem definitionem conformari poſſit, Ariſtoteles arbitratur. Sed reiectis aliis, tres tantum ipſe ſumit, virtutem, voluptatem, proſperam fortunam: cum quibus ſuam fœlicitatem conciliare conatur. 3 Argumento de virtute antea reſponſum eſt cap.5. Similitudo autem qua nunc vtitur, fallax eſt, & Stoicorum iudicio ridicula: qui non modò virtutis vſum, ſed ipſum etiam habitum per ſe præclarum & perfectum eſſe exiſtimant, nec virtutem cuiquam adeſſe, quin ea ſemper vtatur: nec verò ab actione magis virtutem poſſe ſeparari, quàm à fluxione fluuium, aut ignem à calore. Itaque quamuis vt athletis corporis exercitatio, ſic præſtantibus viris virtutis vſus laudem & dignitatem pariat: non tamen ſequitur, vt virtus in quoquam homine inſit, qui nihil in vita rectè, aut honeſtè prorſus agat: cùm ipſa ſemper hominem ad bene agendum excitet & inflammet. Atque hactenus cum virtute pactum eſſe videtur ea conditione, vt fœlicitas ſit virtutis actio, virtus autem ipſa ne ſit fœlicitas. 4 Tranſit hinc Ariſtoteles ad conciliationem voluptatis, quæ in ſummo bono ducenda non eſt, ſed ſummo bono voluptas perpetua comes adiungitur. Omnis enim honeſta actio plena eſt iucunditatis & delectationis: de qua libro decimo copioſius dicetur. Hoc loco ad eam rem explicandam tres perfecti ſyllogiſmi fiunt: Primus,

Cuius quiſque rei cupidus eſt, ea delectatur:
Vir bonus eſt honeſtæ actionis cupidus:
Itaque vir bonus honeſta actione delectatur.

Secundus,

Quæ per ſe iucunda ſunt, bonis viris afferunt delectationem:
Actiones virtutum ſunt per ſe iucundæ:
Quare voluptatem bonis viris adferunt.

Tertius,

Quæ iucunda æſtimantur, talia ſunt:
Actiones virtutis iucundæ æſtimantur:
Tales igitur actiones virtutis ſunt.

Quamobrem ſuperiora illa de virtute & voluptate teſtimonia cum Ariſtotelis fœlicitate ea ex parte conuenient, quæ ſummum bonum optimum & honeſtiſſimum eſſe dicitur, quod eſt virtutis: & iucundiſſimum, quod eſt voluptatis: quæ tria diſſimilitudine deliaci carminis beatæ vitæ ſimul adiuncta eſſe declarat: cuiuſmodi apud Theognidem poëtam legimus verbis penè iiſdem: ſed ſecundo verſu in pentametrum commutato,

Κάλλιϛον τὸ δικαιότατον, λῷϛον δ' ὑγιαίνειν,
Πρᾶγμα δὲ τερπνότατον, οὗ τις ἐρᾶ τὸ τυχεῖν.

5 Adiungit poſtremam ſentétiam de fortunæ acceſſione, quam diſputat neceſſariam eſſe fœlicitati: quæ diſputatio non ex Academiæ ſubtilitate, ſed ex infima imperitæ & damnatæ plebis fæce deprompta eſt: longè enim aliter à Platone lib.5. de Legib. didicerat, cuius oratio contrarium affirmat: Rectè igitur, inquit, ſermo noſter aſſerit valde diuites viros bonos non eſſe: quòd ſi boni non ſunt, fœlices non erunt. Sed, vt dixi, ignauia iſta, & imperitia vulgi eſt, quæ Ariſtoteli tantopere placuit, vt ad tegendam auariſſimam cupiditatem aliis quoque idem perſuadere conatus ſit: nec immeritò apud Lucianum ab Alexandro diſcipulo notatur, vbi Diogenes colloquitur cum ipſo Alexandro. Diogenes. Quid fles, ô ſtulte? nónne Ariſtoteles ſapiens te docuit, ne putares ea firma eſſe, quæ pendét à fortuna? Alexander. Sapiens? cùm ſit ille omnium adulatorum perditiſſimus: permitte quæſo me ſolùm Ariſtotelis facta ſcire: quàm multa à me petierit, quæ ſcri

pſerit, quemadmodum mea ad doctrinam & literas ambitione abuſus ſit, cùm me modò coleret atque laudaret ob pulchritudinem, tanquã & ea pars quædam eſſet ſummi boni: modò ob res præclarè geſtas atque ob diuitias: Nam & putabat in bonis eſſe, ne ſibi vitio verteretur, cùm & ipſe eas acciperet, præſtigioſus ô Diogenes, planè homo & fraudulentus. Hic tamen Ariſtotelis locus ſtultos & imperitos Chriſtianos ſua ſponte alioqui ad hanc diuitiarum libidinem propenſos tuetur ac protegit: nihil enim aliud ambitioſi atq; auari habent in ore, quàm hoc ſacroſanctum videlicet Ariſtotelis oraculum,

Nemo poteſt res præclaras agere, cui facultates deſunt:

cùm audire quotidie legereque poſſint aduerſam illam repugnantemque diuinæ atque æternæ veritatis vocem diuitias increpantis, & à vera fœlicitate deteſtantis ac reiicientis. Nam cùm iuuenis locupletiſſimus admonitus à Chriſto, vt abiiceret fortunas & opes ſuas, triſtis confeſtim diſceſſiſſet, Chriſtus ad diſcipulos ſuos conuerſus, Quàm difficulter, inquit, qui pecunias poſſident, in regnum Dei intrabunt: diſcipuli autem verbis illius obſtupuerunt. At Ieſus rurſus, Filij, inquit, quàm difficile eſt eos qui fiduciam in pecuniis ponunt, regnum Dei intrare! Facilius eſt camelum per foramen acus ingredi, quàm diuitem in regnum Dei ingredi. Neque verò diuitiæ inſtrumenta ſunt virtutis, vt Ariſtotelei exiſtimant. Conſideremus enim in ſingulis generibus virtutum, ſi inſtrumenta iſta deſint, an virtus nulla futura ſit: & an nihil ſine diuitiis præclarè agere poſſit. Quid igitur? qualis Regulus tum cum reſectis palpebris illigatum in machina Carthaginenſes cruciabant, nunquid fortiter & præclarè pati videbatur? Quid Ariſtides, cùm tam pauper Athenis eſſet, vt patre mortuo dotem filiabus Reſpub. largiretur, iuſtè agere & viuere non potuit? Quid cæterarum virtutum exempla proferam? An arbitramur liberalitatem marſupio & arca, non animo & voluntate contineri? An non liberaliorem eſſe, qui opera, quàm qui pecunia iuuerit? qui animo quàm qui nummo ſuſtentarit? Non arbitramur liberalius eſſe conſolari afflictos, ad bene ſperandum cohortari, reuocare à vitiis, ad virtutem & honeſtatem ducere, inſtituere, ſubleuare: (quæ omnia & ab animo proficiſcuntur, & referuntur ad animum) quàm largiri caducum aliquid & fortunæ ſubiectum, vt diuitias & opes ad ornandum & alendum corpus? Neque tamen in iis, ſi qua æſtimatio eſt, rerum ipſarum magnitudine & copia metienda eſt, ſed animo & voluntate. Quid enim aliud veritas in Euangelio denuntiat? Cùm ſederet Ieſus è regione gazophylacij, ſpectabat vt populus mitteret æs in gazophylacium: & multi diuites mittebant multa. Venit autem quædam vidua pauper, miſitq; minuta duo, quod eſt quadrans: vocatiſque ad ſe diſcipulis ſuis, ait Ieſus: Amen dico vobis, hæc pauper vidua plus miſit, quàm omnes qui miſerunt in gazophylacium: Nam omnes ex eo quod ipſis ſupererat, miſerunt: hæc autem è penuria ſua omnia quæcunque habebat, miſit totam ſubſtantiam ſuam. Perſequitur Ariſtoteles connexam ſuperioribus erroribus vanitatem, & à fœlicitate ſua deformes, ignobiles, cœlibes, ſicut antea pauperes, reiicit: in quo non ſolùm inſipientiam ſuam coarguit, ſed ſibi quoque ipſi in primis magnam facit iniuriam: Eſſe enim Ariſtoteles beatus non potuit, ſi verum hoc loco dicit: fuit enim ille ipſe deformitatis reprehenſor valde deformis, vt Diogenes Laërtius ait, & annulis veſteque ſplendida ad tegendam corporis deformitatem vtebatur. Et ſi ſolos nobiles vt principes, & reges, beatos Ariſtoteles exiſtimat: quo pacto medici filius, qui decocto patrimonio ipſe venena vendidiſſet, beatus eſſe potuit, ſi hoc loco vera dicit Ariſtoteles? De cœlibatu verò tametſi Euangelica veritate definita quæſtio eſt, monachis tamen & ſacerdotibus eam diſceptandam relinquo, vt videant ipſi an Ariſtoteli credendo ſe miſeros & infœlices exiſtimare velint. Quid verò de ſceleratis liberis, aut mortuis amicis reſpondeam? viuorúmne fœlicitatem labefactant? At hæc ſomnia ſunt eiuſmodi, vt à vetula aliqua delirante ſomnianda potius, quàm vt à philoſopho aliquo in præceptis bene viuendi ponenda eſſe videantur

deantur

deantur. Proſperam fortunam nullus vnquam grauis philoſophus, aut beatam vitam, aut beatæ vitæ adiunctam putauit, quam cum Theophraſtus Ariſtotelis diſcipulus mollis & delicatus ex opinione vulgi probaſſet, vexatus eſt libris & ſcholis reliquorum philoſophorum, quòd in Calliſthene ſuo laudarit illam ſententiam: Vitam regit fortuna, non ſapientia. Negant, inquit Cicero Tuſc. 5. ab vllo philoſopho languidius quicquam eſſe dictum. En Ariſtotelei veſtri principis non dico, vt antea, falſam & impiam, ſed ineptam deliramq́; de ſummo bono ſententiam intelligitis: Fortuna nihil leuius, nihil inconſtantius, nihil ſtultius. At Ariſtoteles nobis ſummum bonum hunc volubili & præcipiti rotæ innixum finxit, vt quoties de rotæ huius volubilitate vir bonus cogitabit, toties metuat de fœlicitatis maximique boni impendente atque imminente periculo, vt tuto & tranquillo animo eſſe nunquam poſſit.

Cap. 9.

[1] *Unde etiam quæſtio naſcitur, quid ſit, quod efficiat beatam vitam, doctrináne, an cõſuetudo, an alia quædam exercitatio, an diuina prouidentia, an caſus aliquis & fortuna:* [2] *ac ſi quod eſt alıud deorum immortalium munus in homines collatum, credibile eſt fœlicitatem quoque à dijs ad homines cœlitus demanaſſe: idq; maximè, quòd reliquis hominum bonis hæc ipſa præcellat: ſed de hac re aliâs fortaſſe magis proprio loco diſputabitur. Illud verò ſatis conſtat, etiam ſi cœlitus à dijs ad homines demiſſa non ſit, ſed comparata facultate hominis, & doctrina, & exercitatione: rem tamen eſſe maximè diuinam, ſummeq; admirandam: virtutis enim præmium, & finis optimus, cæleſtis, ac beatus eſt, iſq; ad multos homines latiſſimè propagatur, quum ab omnibus doctrina & ſtudio comparari poſſit, qui ſine vlla labe, vitioq; naturæ mentem ſanam, integrámque habent. Quòd ſi hac via & ratione beatum eſſe melius eſt, quàm fortuna & caſu aliquo, conſentaneum certè eſt, cùm ad naturam illuſtrem & eximiam acceſſerit confirmatio doctrinæ, ſtudiumq; exercitationis, tum beatam vitam exiſtere. Quæcunq; enim ſecundum ſuam naturam quàm optimè ſunt affecta, vt quàm optimè ſeſe habeãt, nata ſunt: itemq; cũ omnia præclara ſint, quæ gignuntur ex artibus, & omnib. cauſſis, tũ maximè, quæ ex cauſſa principe, omniũq;*

præſtantiſſima: [3] *valde autem abſurdum fuerit, fœlicitatem rem omnium maximam atq; honeſtiſſimam inconſtanti & cæca fortunæ acceptam referre.* [4] *Ad quod etiam declarandum ſuperior definitio fœlicitatis valebit: docuimus enim eſſe actionem mentis congruentem cum virtute: reliqua autem fortunæ & corporis bona partim neceſſitate quadam beatam vitam comitari, partim vi ſua velut inſtrumenta aliquid adiuuare: quæ omnia cum his quæ initio dicta ſunt, quàm optimè quadrabunt: ciuilis enim ſcientiæ finem ſummum bonum eſſe diximus, quæ id agit maximè, vt ciues bonos & bene moratos efficiat, & in optimis virtutum ſtudijs exercitatos. Quare merito ac iure confirmare poſſum, nec bouem, nec equum, nec aliud quoduis animal particeps eſſe fœlicitatis, cùm nihil horum ſit ciuilium officiorum particeps, quæ à virtutibus proficiſcuntur: ob eamq; cauſſam ne puer quidem beatus eſt, cùm per infirmam & imbecillem ætatem nondum ad obeunda officia rationis habilis promptusq; ſit: qui verò pueri beati vocãtur, non re vera, ſed expectatione quadam ſic appellantur: quòd nobis à puero magnam ſpem adferãt futuræ virtutis, ſummæq; probitatis:* [5] *nam ſummum bonum duas res maximè requirit, vt antè dixi, perfectam virtutem, conſummatamq; vitam: multæ ſiquidem viciſſitudines, varijq; rerum humanarum caſus incidunt: fierique poteſt, vt qui ampliſſimis fortunæ beneficijs ornatus ætate longiſſimè proceſſerit, in maximas incidat calamitates, quemadmodum in heroicis libris de Priamo Troianorum rege fabula nobis decantata eſt. Eum verò qui tam aduerſos fortunæ caſus ſubierit, & ſicut ille Priamus, mortem obierit, nemo beatum fœlicémque prædicabit.*

1 Ad illuſtrandam definitionem Ariſtoteleæ fœlicitatis quatuor quæſtiones diſputantur: Prima quærit de cauſſis efficientibus beatam vitam, quarum quatuor propoſitis duæ tolluntur, Deus & fortuna: duæ retinentur, doctrina & exercitatio: quæ oratio ſi tantummodo vana hominis loquacitate peccaret, vtcunque ferenda eſſet: Hic enim Græculi hominis mos eſt, vt quacunque de re dicat, in ea multus, quàm moderatus videri malit: nam cùm antea ſatis ſuperque docuiſſet ciuilem ſcientiam eſſe doctrinam beatæ vitæ, & beatam vitam actione & exercitatione virtutis definiſſet, tamen hoc loco idem ſaxum voluit, verſatque: & inani repetitione rem eandem ſæpius nobis inculcat. Sed hoc nugatoriæ repetitionis vitium Græco homini condonandum eſt: ſententiæ diligenter æſtimandæ ſunt, in quibus grauius peccatur. 2 Ariſtoteles enim maniſeſtiſſimum impietatis ſuæ argumentum nobis exhibuit, cùm diſputat bonum à Deo nullum hominibus tribui. Syllogiſmum connexum ſecundi modi arbitror diligentius animaduertendum eſſe: cuius propoſitio affirmatè conſtituta eſt:

Si quod eſt aliud deorum immortalium in homines collatum munus, credibile eſt fœlicitatem quoque à diis datam eſſe:
Sed fœlicitas à Deo data non eſt:
Nullum igitur bonum à Deo hominibus datur.

Aſſumptio quia totum impietatis crimen continebat, timidè & latenter indicata eſt his verbis. Sed de hac re aliàs fortaſſe magis proprio loco diſputabitur: illud verò ſatis conſtat etiam ſi cœlitus ad homines demiſſa nó ſit, ſed comparata virtute hominis, & doctrina, & exercitatione, rem tamen eſſe maximè diuinam: non enim hìc apertè dicit Ariſtoteles fœlicitatem nobis à Deo non dari, ſed vt quodammodo inuidiam tanti ſceleris declinaret atque auerteret, hac ſophiſtica verſutia vſus eſt, quam poſtea tamen apertiſſimè declarat. Cùm enim propoſuiſſet quatuor, quibus videbatur fœlicitas effici, Deum declinat, fortunam reiicit, conſuetudinis duntaxat & doctrinæ hanc vim & facultatem putat eſſe. Itaque vt hic Ariſtoteles qualis eſt, intelligatur: ſyllogiſmum totum rurſus perſpicuè intelligamus:

Si quod eſt bonum hominibus à Deo datum, fœlicitas eſt:
Sed fœlicitas non eſt à Deo data:
Nullum igitur bonum hominibus à Deo datum eſt.

Conſiderate iam mecum Ariſtotelei, quale fundamentum religionis Chriſtianæ nobis conſtituatis: conſiderate Ariſtotelem veſtrum hoc loco Epicureum eſſe. Sic enim Epicureus Cotta apud Ciceronem loquitur, vt hic Ariſtoteles: Virtutem, inquit, nemo vnquam acceptam Deo retulit, nimirum rectè: propter virtutem enim iure laudamur, & in virtute rectè gloriamur: quod non contingeret, ſi id donum à Deo, non à nobis haberemus. Neque neceſſe eſt vanitatem diſtinctionis comminiſci, qua defendatur Ariſtoteles: notæ ſunt atque apertæ eius præſtigiæ ad fallendum & imponendum non ſolùm præceptis traditæ, verùm etiam multo pluribus locis, quàm veritati & religioni expediebat, exercitatæ. Quis enim locum illum in Topicis non nouit, vbi Ariſtoteles docet, cùm inciderimus in periculoſum & difficilem locum, quem nec probare, nec ſuſtinere tamen velimus, temporis inſtantia vtendum eſſe? faciendumque quemadmodum hoc loco magiſter ipſe facit? Qui cùm Deo fœlicitatis humanæ cauſſam tribuere nollet, nec tamen id apertè propter impietatis crimen negare auderet, nobilem illam temporis inſtantiam de more occupauit. Sed hæc, ait, alio loco commodius fortaſſe diſputabuntur. Verùm cuius eſt, ô Ariſtoteles, aut diſputationis, aut temporis de prima, ſumma, propria, vera fœlicitatis humanę cauſſa quærere, niſi cùm de ipſa fœlicitate agitur? Cuius eſt diſputationis atque temporis de cauſſis bene ædificandi quærere, niſi cùm de architectura præcipitur? De cauſſis valetudinis vel tuendæ, vel reſtituendæ, niſi cùm de medicina dicitur? Cuius ergo eſt, ô Ariſtoteles? metaphyſicæ, credo: vbi eùm multa tuo more tenebris infinitis contur-

baſti, de Deo quid ſentires, certi nihil explicaſti: nullũ in phyſicis opus magnum atque egregium dediſti, quod cum diuina mente effectum eſſe diceres, at quid te de Deo ſuſpicatum eſſe putaremus: nõ fabricam mundi, nõ hominis, non animantium viuentiumq́; cæterorum, non prouidentiam horum omnium: vt hæc nobis de te conſiderantibus minimè mirum videri debeat, ſi nunc tandem fœlicitatis humanæ cauſſam Deo quoque, ſicut ſuperiora illa, detrahas: niſi fortè hoc aliquis excuſare velit, dicatque te mundanam quandam (id eſt quemadmodum antea de ſentẽtia Chriſtianorum dixi) diabolicam fœlicitatem definire. 3 Omitto fortunam, quæ iuſta ratione ab hac quæſtione reiicitur: 4 Nihil de doctrina ciuili & actione virtutis Ariſtoteleæ diſputo: de his enim à nobis ſatis multa dicta ſunt: 5 Venio ad illud conſectarium, quo probat Ariſtoteles, fœlicitatem non parte aliqua vitæ, ſed toto ætatis ſpatio fœliciter traducto eſſe dafiniendam: in quo argumentum de ſuppliciis, quæ ſupremis vitæ diebus interdum feruntur, leuiſſimum, & Chriſtianis hominibus abſurdiſſimum eſt: quaſi verò non ſint magis glorioſæ mortes fœliciter in periculis morientium, quàm in lectulis delicatis extinctorum, aut nõ luceat ipſa in periculis virtus, quemadmodum Ouidius ait l.b.5. Triſt.

Quæ latet, inq́; bonis ceſſat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguiturq́; malis.

Hoc Ariſtotelis argumento Chriſtus beatus non fuit: Quamuis enim ſanctiſſimè vixerit, & in morte virtutes omnes conſtantiſſimè retinuerit, incidit tamen in Priami calamitates, & à Iudæis indigniſſimè vexatus, & in crucem ſubleuatus turpiter & ignominioſè iudicio populi Iudaici mortem obiit. Priamus rex Troianorum maximis virtutibus & opibus, quinquaginta etiam liberorum prole ornatus ad ſenectutem vſq; fœliciſſimè vixerat, ſed illum & prole, & diuitiis, & regno orbatum, cùm ad aram confugiſſet, hoſtilis vis interemit: ſic enim de Priamo Virgilius ait,

Quinquaginta illi thalami ſpes alta nepotum,
Barbarico poſtes auro, ſpoliiſq́; ſuperbi
Procubuere.

Et paulò pòſt de Pyrrho interfectore loquitur,

Hæc dicens altaria ad ipſa trementem
Traxit, & in multo lapſantem ſanguine nati:
Implicuitq́; comam læua, detraq; coruſcum
Extulit, & lateri capulo tenus abdidit enſem.
Hæc finis Priami fatorum, hic exitus illum
Sorte tulit, Troiam incenſam, & prolapſa videntem
Pergama, tot quondam populis terriſq́; ſuperbum
Regnatorem Aſiæ iacet ingens littore truncus,
Auulſumq́; humeris caput, & ſine nomine corpus.

Ariſtoteles ſtultiſſimam vulgi opinionem ſequutus Priamum beatũ fuiſſe non putat, quòd ſupremis vitæ diebus tot res aduerſas paſſus ſit. Quæ mollities doctrinæ non tantùm à Chriſtianis, ſed etiam à molliſſimis Epicureis, vt antè dixi, reprehenditur, qui dicunt ſapientem ſi in tauro Phalaridis torqueatur, dicturum tamen quàm hoc ſuaue, quàm nihil curo: Neque ad tantam leuitatem refellendam veriſſima martyrum noſtrorum teſtimonia proferenda eſſe exiſtimo, cùm irridendus potius hic error, quàm argumentis refellendus eſſe videatur.

Cap. 10. *Sed requiretur fortaſſe nũc, cùm fœlicitas hominis ſit in*

perfe-

perfectione & perpetuitate vitæ, an non liceat quenquam, dum ſpiritu luceq́ fruitur, beatum putare: ſed extremum vitæ finem ſpectare [2] ſententia Solonis oporteat? & ſi hoc nobis concedẽdum eſt, an tum demùm beatus ſit futurus, cùm de hac vita diſceſſerit? [3] An hoc quidem probabile non ſit, præſertim cùm ſummum bonum confirmemus aliqua virtutis actione contineri? Quòd ſi fœlicem negamus eum, qui ſit mortuus (nec hoc ſapiens ille Solon ſtatuit, ſed tum putat in beatis tuto numerari poſſe, cùm deſierit eſſe miſerijs humanis, & calamitatibus obnoxius) attamen de hac quoq; re magna & difficilis quæſtio eſt: quemadmodum enim viuis nihil ſentientibus (vt ſi dormientibus aut peregrinantibus obtigerit hæreditas, aut rerum domeſticarum aduerſa quædam calamitas) ſic mortuis & bona, & mala ſine vllo ſenſu videntur accidere, vt decus & infamia: itemq́ liberorum & poſterorum res tum proſperæ, tum aduerſæ. Hæc etiam quæ ſequuntur, ſcrupulum quendam nobis inijciunt, quòd qui ad extremã vſq; ſenectutẽ ſanctiſſimè beatiſſimeq́ vixerit, & in ea ſanctitate perſeuerãtiaq́ rationis, è corporis vinculis euolarit, poſt mortem pro natura & conditione poſterorum commutari poſſe videatur: quorum alij bene, & cum dignitate viuant, alij contrà ſcelerate, & cum infamia, neque etiam in varijs caſibus, qui parentibus accidere poſſunt, vno ſemper atque eodem modo ſit affectus. Atqui hæc inter ſe rationum momenta pugnant, quòd abſurdum ſit quenquam poſt mortem tam variè commutari, vt modo beatus ſit, modo miſer: abſurdum quoque ſit, quæ poſteris viuisq́ contingunt, ne vel ad punctum quidem temporis ad mortuos parẽtes peruenire. Sed ad rem nobis propoſitã reuertamur: quæ ſi cognita perſpectaq́ fuerit,

fortaſſe ſatis erit ad id dijudicandum, quod quærimus. Si igitur extremum tempus expectandum eſt, vt decurſo vitæ ſpatio, tum demùm beatus aliquis habeatur, non quòd tum beatus ipſe ſit, ſed quòd antea, cùm viueret ex virtute & ratione fuerit, cur non ſit abſurdum, cùm in eo fœlicitas inſit, fœlicem tamen eo tempore verè non poſſe nominari? quia propter varios & ancipites fortunæ caſus homines dum viuunt, nolumus beatos affirmare: & quia beatam vitam firmam & ſtabilem eſſe, nec in aliqua parte ætatis, ſed in vniuerſa vita arbitramur: fortunam verò dominam viciſſitudinis ac varietatis ſæpe in eoſdem viuos quibus afflauit, ſubitò reflare. [4] Nam ſi ad nutum fortunæ beata vita nobis dirigenda eſt, eundem modò beatum, modò miſerum, nec ſatis conſtantem beatum, ſed [5] chamæleonti colorem ſubinde mutanti perſimilem eſſe verè confirmabimus. At verò nos ad caſum fortunamq́; fœlices eſſe nullo modo rectum eſt: non enim bonæ aut vitioſæ actiones in eius deæ poteſtate ſitæ ſunt, quamuis hominis vita (vt antè dictum eſt) huius muneribus & beneficijs egeat: Actiones autem quæ ducuntur à virtutibus, beatam vitam, quæ ab aduerſis vitijs, aduerſam, id eſt, miſeram & infœlicem gubernant. Atq; huic ſenſentiæ conſentaneum eſt id de quo agitur, propterea quòd nullæ in rebus humanis actiones tanta firmitate conſtantiaq́; nituntur, quanta ſunt hæ, quas virtus ipſa gignit, in quibus multò plus ſtabilitatis ineſt, quàm in ſcientijs & artibus: Atq; earum vt quæque maximè alijs dignitate præcellit, ita firmiſſima conſtantiſſimaq́; eſt: quòd in huiuſmodi principe genere actionum maximè & diutiſſimè vita fœlicis hominis propagatur: quæ cauſſa videtur eſſe, cur ab obliuione vindicetur, & fama prædicationéque hominum

perpetua

perpetua commendetur. Quamobrem vir beatus talibus officijs fungetur: talémque ſeſe præſtabit per vniuerſam vitam. Semper enim vel maximè in eas actiones incumbet, quæ ad decus & honeſtatem ſpectant, & caſus perbelle, vultúque ſemper eodem feret omnes, quum ſit verè bonus, [6] & quadratus ſine vlla reprehenſione. [7] Cúmque fortuna ſit effectrix multarum rerũ magnitudine, & exiguitate tum commodi, tum incommodi differentium, neminem equidem ignorare arbitror in paruis & exiguis rebus ſiue ſecundæ, ſiue aduerſæ fuerint, nullum eſſe momentum ad beatam aut meſeram vitam: magnis autem commodis fortunæ fœlicitatem augeri, quod multum ſplendoris & ornamenti vir bonus ex his conſequatur: quorum etiam vſus in vita ſplendidus & illuſtris exiſtit, ſin autem aggregatio maxima rerum aduerſarum, quoniam & dolores efficiunt, & actiones virtutis impediunt, ab his quidem beata vita frangitur & læditur: Sed tamen & in his ipſis quædam dignitas hominis eluceſcit, maximè quum quis ita animo affectus eſt, vt duros & acerbos caſus modeſtè pacatéq; ferat, non agreſti ſenſuum ſtupore, immaníque ſapientia, ſed generoſa celſitudine mentis atque nobilitate. Quòd ſi virtutis actiones (vt antè dixi) principes ſunt ad bene beatéque viuendum, nemo qui beatus ſit eſſe miſer poterit: nunquam enim committet, vt vllam ſceleris cuiuſquam inuidiam ſubeat. Nam vir bonus, & is quem ſentimus ſapientem, hanc mea quidem ſententia vim habet, qua externis fortunæ procellis, tempeſtatibuſq; nunquam ſuccumbat: & ex his quæ in ſeipſo poſita ſunt, ſemper optima & excellentiſſima quæque ſtudioſè perſequatur, quemadmodum & bonus imperator exercitum quem ducit, ad vſum belli rerúmque momenta

variè conuertit: & ſutor ad conficiendos calceos habiles & aptos ad pedem propoſitis ſibi pellibus quàm aptiſſimè poteſt, vtitur: itidemq; reliquarum artium homines & inſtrumentum, & materiam, ad id quod inſtituunt, accommodant. Quæ cùm ita ſint, ex beato miſer eſſe nemo poteſt: nec tamen beatus erit, quiſquis in eandem fortunam, quæ Priamum ſenem afflixit, inciderit: neque etiam varius atque mutabilis: quoniam beatũ hominem non facile quilibet caſus, ſed tantum graues & turbulenti de ſtatu dimouebunt: qui ſi tamen vehementius vrgeant, non ille quidem exiguo tempore, ſed diuturno perfectoq; ad illum ſummum (vnde exciderat) gradum fœlicitatis ſeſe rurſus extollet, cùm in ea longa progreſſione rerum geſtarum laude & gloria floruerit. Quæ res igitur obſtabit quominus eum beatum definiamus, qui perfectæ virtutis officium ſequitur, fortunæq; muneribus cumulatè fruitur non in aliqua parte ætatis, ſed in perfecta conſummatáque vita? an etiam ad hanc definitionem id accedere oportebit, vt præclarè fœlicitérque vitam ſit acturus, eodémque modo ſupremum vitæ diem obiturus? quoniam quæ euentura ſunt, quæq; ſequuntur, ita ſæpe ſunt obſcura, vt vix ſciri aut prouideri poſſint. Summum autem bonum perpetuitate, conſtantia, perfectioneq; vitæ à nobis definitum, circumſcriptumq; eſt. Quare ex his qui viuunt, beati illi quidem mihi videntur, qui tribus bonorum generibus, de quibus antè diximus, cumulati ſunt, ac beati quidem homines, id eſt huiuſmodi, vt in hac vita varijs fortunæ caſibus & inclinationibus temporum ſubiecti ſint, atq; obnoxij.

1 Cùm fœlicitatis definitio duas partes habeat, priorem Ariſtoteles cùm teſtimoniis aliorum, tum ſuis & propriis argumentis expoſuit: poſterioris explicandæ gratia quæſtionẽ hoc loco mouet, Sitne aliquis dum viuit, beatus appellandus?

landus? diſputatq́; ſummum bonum perpetuitate vitæ conſtare, cùm & ſingulæ partes ætatis bene & fœliciter actæ ſunt, & extremus ille tanquam actus finisq́; vitæ iucundè & proſperè concluditur. Sententia eſt non ſolùm contrà veriſſima Platonis monita,ſed etiam contra Chriſtianæ religionis pietatem,quæ fœlicitatem hominis non in vita,ſed poſt mortem in cœlo ſtatuit. At grauis eſt & minimè contemnenda Ariſtotelis authoritas,dicet aliquis: plerique enim tantum Ethnici huius authoritati tribuunt, vt non dubitent diuinæ authoritati comparare: quæ impietas eò magis execranda eſt,quòd ab hominibus Chriſtianis, id eſt, veram pietatem profitentibus defenditur. At contra hunc tantum errorem Euangelicam veritatem non opponam, quæ nota Chriſtianis eſſe debet, ſed contra Ariſtotelicæ authoritatis inſcitiam,vanitatemq́; D.Auguſtinum proferam: Dixit hoc Ariſtoteles? Adiunge illum petræ,& abſorptus eſt: Quid eſt Ariſtoteles? Audiant,quia apud inferos contremiſcit. Et certè hic error eſt Ariſtotelis proprius. Aliud enim à Platone doctus fuerat, qui multis locis affirmat veram fœlicitatem eſſe poſt mortem expectandam, non in hac vita quærendam. Etenim libro vltimo de Republica, ſicut in diſputatione de Ideis paulò antè meminimus, hoc ait,Si verè philoſophus eſt, illa apud eum multum valere debet opinio, vt non alibi puram ſapientiam ſe conſequi ſperet, quàm cùm è vita deceſſerit. Et in Phædone, Quare Socrates dum in hac vita ſumus, ita nos parare debemus,vt minimum nobis ſit cum corpore commercij, vt puri & integri, cùm Deus hinc nos migrare iuſſerit,cum ſimilibus, id eſt, puris & integris verſemur. Idemque Plato ſcribit in Epinomide,& in Conuiuio. Nec eſt quod excuſationis gratia diſtinctionem vanam ſomniemus: quòd Ariſtoteles humanitùs,Plato diuinitùs ſit loquutus: humana enim iſta fœlicitas, quæ ab Ariſtotele inſtituitur, à Chriſtianis aliàs mundana, aliàs diabolica dicitur: eaque fœlicitas impiorum & verè miſerorum propria eſt: quemadmodum ſuo loco antea planius & copioſius oſtendi.

2 Principio autem huius diſputationis citatur Solonis authoritas,qui à Crœſo rege Lydorum oſtentatis magnis opibus de regia fœlicitate interrogatus, Si quis, ait Herodotus lib.1.officiis vitæ rectè perfunctus diem quoque ſuum rectè obierit, is eſt,quem quæris, dignus qui vocetur beatus: priuſquam tamen ad obitum peruenerit,nequaquam beatus appellandus,ſed fortunatus. Huc illud Ouidij Metamorph.lib.3.ſpectat,

—Scilicet vltima ſemper
Expectanda dies homini, dici[q́]; beatus
Ante obitum nemo,ſupremaq́; funera debet.

3 Deinde argumenta leuiſſima ad vtramq; partem quæſtionis adhibentur de mortuis, quos alij viuorum caſibus affici, alij nullo modo mutari putant: atque vt verè dicam, quod res ipſa indicat, totum hoc genus argumentationis quod Ariſtoteles ſequitur,tam varium & inconſtans eſt, vt chamæleonti ſimile videatur. 4 Chamæleon,vt ait Plin.lib.8.cap.33.circa Phaſin naſcitur,& in India: ſolusq́; animantium nec cibo nec potu paſcitur, nec vllo alio, q̃ aëris alimento, & coloris natura mutabilior. Mutat namq; eum ſubinde,& oculis, & cauda, & toto corpore, redditq́; ſemper quemcunque proximè attingit, præter rubrum candidumque. Nullum animal pauidius eſt,ideoq́; exiſtimatur verſicoloris eſſe demutationis. Atqui vt Chamæleon colorem, ſic Ariſtoteles ſententiæ dictionem ſubinde nobis variat, qui hac vna diſputatione modò beatam vitam extra fortunam ſtatuit,modò caſibus aduerſis eandem ſubiectam facit. Ariſtotelis argumenta quò facilius qualia ſint,iudicentur,diſponam:

5 Si euentus fortunæ ſequamur,idem modò beatus, modò miſer erit:
At non eſt rectum fortunam ſequi:
Quare mutabilis & inconſtans beatus non erit, quem res aduerſæ non immutabunt. &,vt ait Horatius,

Si fractus illabatur orbis
Impauidum ferient ruinæ.

6 Itaque talem virum appellat quadratum à quadrata figura, quæ ex linea in ſeipſam ducta gignitur: ideoque & lateribus, & angulis æqualis ſibi omnino eſt: vnde propter hanc æqualitatem laterum & angulorum, cùm perfectum aliquid ſignificare volumus, metaphoris iſtis vtimur, redigere in quadrum, & quadrare: & quadratum hominem dicimus, vel quòd ſemper idem ſuiq; ſimilis, *ἰσονομίαν* illam & æquabilitatem vitæ factisque tuetur, vel quòd vir bonus & ſapiens totus eſt aptus ex ſeſe, & penitus in ſeipſum conuerſus, vt ſua virtute contentus nihil extrinſecùs à fortuna requirat, quæ Ariſtotelis oratio in virum bonum aptiſſimè quadrat: ſed neſcio quomodo repentè chamæleontis inſtar alius atq; alius apparet Ariſtoteles, vt qui modò fortunę varietatem contemnebat, nunc ab ea flecti beatam vitam, mutarique dicat: in quo meritò reprehenditur ab omnibus philoſophis ſtatuentibus tam exiguam eſſe vim fortunæ, vt nec virtutis vſum multum adiuuet, ſi adſit: nec ſi abſit, impediat. 7 Quid quòd nobis diligentiſſimè Ariſtoteleam rationem perpendentibus ſecum ipſa pugnare videbitur oratio? Nam ſi virtus in rebus aduerſis maximè ſplendeſcit & illuſtratur, vt Ariſtoteles ait, quæſo cur nõ tum vir bonus beatior & florentior exiſtet, præſertim cùm virtutis actio ſit cauſſa fœlicitatis? & ſi Priamus fortiter pro patria contra hoſtem dimicans interiit, cur non iudicabitur ille beatiſſimus, quem virtus integra & inuiolata, ne in extremo quidem ſpiritu deſeruit, ſed ad rogum vſq; proſecuta eſt? & cùm fateatur Ariſtoteles ſatis magnam vim eſſe in vitiis ad miſeram vitam, cur etiam non dabit eandem vim in virtute eſſe ad beatam? Contraria enim contrariorum ſunt conſequentia. Sed mirum eſt, quantũ Ariſtoteles in oratione quam de beata vita inſtituit, acutè philoſophantis diſſimilis ſit. Quamuis enim interdum falſa doceantur à philoſophis, mirabilis tamen eſt apud eos contextus errorum: reſpondent vltimi primis, medij vtriſque, omnes omnibus. At Ariſtoteles, vt alias ſæpe, ſic hoc loco non tantùm falſa, ſed inconſequentia & pugnantia dicit. Nam cùm ad conſequendam fœlicitatem, vnicam duntaxat cauſſam nobis propoſuiſſet, actionem perfectæ virtutis, interdum tamen viros bonos quamuis ſint iuſti, quamuis temperantes, quamuis fortes, quamuis reliquarum virtutum ſtudioſi, negat eſſe beatos, ſi morbo, ſi ignominia, ſi dedecore, ſi ſuppliciis & grauibus tormentis afficiantur. Quæ cùm ita ſint, quomodo poteſt Ariſtoteles non dicam impudentiæ, ſed inconſtantiæ & leuitatis crimen effugere? Sed vt extremum aliquid habeat oratio, ſubductis rationibus concludit, hominẽ in vita non abſolutè, ſed ex conditione appellandum eſſe fœlicem: videlicet ſi in abundantia fortunæ, dignitate & proſperitate rerum omnium virtutem in vita ſequutus præclarè & fortunatè moriatur.

Cap. 11. *Atq; hæc quidem hactenus.* [1] *Quæ verò poſteris amiciſque contingũt, ſi quis dixerit ad mortuos nihil omnino pertinere, valde ab amicitiæ legibus, & opinione populi diſcrepare videbitur. Sed cùm multa poſteris accidant, & magna diſſimilitudine, vt alia propius, alia longius mortuos attingant, de ſingulis diſputare longum & immenſum eſſet. In genere autem ſummatimq; fortaſſe ſatis erit, hoc modo: ſi quemadmodum viuorum calamitates aliæ plurimùm ad labefa-*

labefactandam beatam vitam valent, aliæ leuiores ſunt: ſic diſpares ſint quæ contingant amicis mortuorum, ob eamq́; cauſſã modò grauius, modò leuius mortuos afficiãt: [1] *quanquam multũ intererit, an viuis, an mortuis caſus eueniant: ac multò etiam magis, quàm an res nefariæ, grauesq́; imitatione hiſtrionum in tragœdijs repræſententur, an ab hominibus per furorem & ſcelus agantur. Animaduertenda igitur eſt hoc modo rerum diſſimilitudo, immò etiam fortaſſe magis de mortuis dubitandum eſt, an poſterorum fortunam ſiue proſperam, ſiue aduerſam communem ſentiant: videtur enim ex his quæ diximus, ſi quid ſit ſiue bonum, ſiue malum quod ad nos perueniat, id aut ſuapte natura, aut ipſis exile atq; exiguum eſſe. Siquidem non tantum ac tale eſt, vt aut eos qui beati non erant, beatos efficiat: aut his qui beati erant, beatam vitam auferat. Quare proſperi, aut aduerſi caſus videntur aliquid momẽti mortuis adferre, ſed tamen eiuſmodi, vt neque ex beatis infœlices, neque quiduis aliud efficiant.*

1 Tertia quæſtio ex occaſione ſuperioris quæſtionis mouetur, in qua de mortuis mentio quædam iniecta fuit, ad quos alij viuorum caſus pertinere, alij non pertinere arbitrantur. Res nõ ridicula modò & ſtulta, ſed ex antecedentibus expedita eſt. Si quis enim totam vitam ſecundum virtutẽ egerit, Ariſtotelis definitione beatus eſt. Qnare præteritum illud tempus reuocari nullo modo poteſt: & argumentum Ariſtotelis nõ in aliqua ſolida ratione, ſed in leuiſſima opinione vulgi fundatum eſt. Sic enim vulgus ait, ſi quis maiorum ſuorum gloriæ nõ reſpondet, Tu maioribus tuis magnum dedecus, magnamq́; infamiam attuliſti: quaſi viuorũ turpitudo & ſcelus mortuos afficiat atq; contaminet. 2 Vtitur autem comparatione minorum non explicata, ſed inuoluta, ne impietas de animæ mortalitate coarguatur: ſententia Ariſtotelis eſt, Multum refert an res nefariæ, grauesq́; gerantur aut recitẽtur in tragœdia, quoniam illic veræ ſentiuntur, hìc commentitiæ finguntur & repræſentantur. At multò magis refert viuis accidat calamitas, an mortuis: illis enim experientibus res acerbæ ſunt: his qui nulli ſunt, vt Ariſtoteles putat, velut in vmbra obiiciuntur. Nec mirum ſi Ariſtoteles ab Athenienſibus crimine impietatis dãnatus ſit, quòd dogmata quædã vt ἀθεὸς καὶ ἀσεβὴς peruulgaſſet. Sic autem de anima loquutus eſt Ariſtoteles, vt nõ modò cuiq; librum ipſum legenti, ſed ſummis eius ſectatoribus atq; interpretibus, Alexandro & Auerroi in impia de immortalitate animæ ſententia fuiſſe videatur: ad quam impietatem athei permulti Ariſtotelis autoritate delapſi ſunt: atque vtinam hodie ne tam multi laberentur: quibus diſputatio de animæ interitu Ariſtotelicum

problema quoddam eſt,vt illis nihil intereſſe videatur,mortalis anima ſit an immortalis:imò verò non problematis,ſed valde firmę conſtantisq́; probationis inſtar eſſe videatur.Sic enim Ariſtoteles de animæ interitu ratiocinatur:

Si nullum eſt proprium opus animæ ſeparatũ à corpore, mortalis eſt. Hæc propoſitio ab eo primo libro poſita eſt : ac ne quid inde malæ ſuſpicionis caperetur, contrarij dubitatione velata : ſed conſequenti diſputatione aſſumptio apertè & perſpicuè confirmatur, Nullum eſſe proprium opus animæ ſine corpore:memoriam enim Ariſtoteles,quæ animæ præcipuum de multis opus eſt,omnino ſine corpore nullam eſſe profitetur, & ideò in mortuis negat vllam ineſſe poſſe memoriam: intelligentiam verò quæ prima,ſummáq́; animæ actio eſt,totam cum corpore coniungit, negatq́; ſine ſpectris & ſimulachris rerum corporearum vllam eſſe. Quamobrem tametſi Ariſtoteles reticet, aut potius metu pœnæ publicæ deterritus occultat concluſionem huius ratiocinationis,difficile tamen non eſt in diſputatione de anima cùm talis propoſitio aſſumptioque ſumpta ſit, quid concluſerit & ſenſerit,intelligere.

Cap.12 *[1]Sed hæc hactenus hoc modo definita declaratáve fuerit: deinceps an ſummum bonum ſit τῶν ἐπαινετῶν,id eſt,ex laudabilibus, an potius τῶν τιμίων, id eſt, ex honorabilibus,inſpiciamus. Conſtat enim naturalem hominis facultatem non eſſe. [2] Quicquid autem ἐπαινετὸν, id eſt, laudabile eſt, ideò laudabile videtur, quòd aliqua qualitate præditum, ad aliudq́ quodammodo relatum ſit: iuſtum namq́ & fortem, & (vt vno nomine complectar) bonum virum,atque ipſam virtutem non propter ſe quidem, ſed ob præclaras actiones, operaq́ laudamus: & robore corporis curſuq́ valentem,cæterosq́ aliqua naturæ vi & præſtantia præditos ideò laudamus, quòd natura ſint apti ad aliquod excellens & laudabile munus præſtandum. Quæ vis nominis clarius ex deorum laudibus intelligi poteſt: quæ ſi ad nos referantur, ob id ridiculæ apparebunt,quòd laudes debentur his,quæ nõ propter ſe,ſed propter aliud laudantur. Quòdſi ἔπαινος,id eſt, laus in his quæ ad aliud referuntur,penitus eſt,nemo dubitat rerum optimarum ac præſtantiſſimarum nullam eſſe laudem, ſed eas multò nobiliori titulo nomineq́ proſequendas eſſe. Cuius rei hoc argumentum eſt, quòd deos beatos,fœlicesq́ ducimus, & ex hominibus eos, qui proximè deorum*

vitam

vitam imitantur. Idemq́ iudicium de bonis rebus & hone-ſtis faciendum nobis eſt: Nemo etenim fœlicitatem ἐπαινεῖ, id eſt, laudat vt iuſtitiam, ſed vt aliquid multò diuinius & melius in beatis & diuinis, & omnium optimis bonis eſſe du cit: rectè etiam videtur Eudoxus voluptate ſummũ bonum terminaſſe. Nam cùm ipſa in bonis numeretur, neq; tamen ſatis laudetur, ſatis confirmari putabat eam laudandis omnibus bonis eſſe meliorem: qualis autẽ eſſet Deus, tale ſummum bonum dicebat, quod ad hæc duo omnia quæ ſunt in hominum vita, referuntur. ἔπαινος enim, id eſt, laus virtutis eſt comes: qua homines ad res præclaras & honeſtas incitantur: ἐγκώμια autem à dotibus factisq́ corporis ſimul & animi petũtur. Verùm de hiſce nominum rationibus accuratè diſſerere magis proprium ſit oratorũ, qui delectationis aut hominis ornandi cauſſa laudationes ſcriptitant: modus autem nobis adhibendus eſt, propterea quòd hæc quæ dicta ſunt, ſatis doceant fœlicitatem eſſe τῶν τιμίων καὶ τελείων, id eſt, ex bonis honorabilibus & perfectis: idq́ nobis argumẽto eſt, quòd fœlicitas principium ſit, quò hominum conſilia & actiones omnes ſpectant: principium autem & cauſſa cur cætera omnia ſint, cæleſte quiddam καὶ τίμιόν τι, id eſt, ſummo honore colendum prædicandumq́ iudicamus.

1 Quartam & vltimam quæſtionẽ de circunſtantiis fœlicitatis diſputat: sítne τῶν ἐπαινετῶν, id eſt, ex laudabilibus, ἢ μᾶλλον τῶν τιμίων, ex honorabilibus? quæ duo vocabula quãuis apud Græcos vſu plerunq; confuſa ſint, ſcholaſtica tamen magis quàm vera & vſitata ſubtilitate diſtinguit: ſublatoq́; priore epitheto, poſterius ſcilicet τίμιον, id eſt, honorabile, maximè fœlicitati accommodatum eſſe cenſet. 2 Prioris partis ſyllogiſmus ſic eſt:

Laudantur ea quæ aliqua affectione prædita ſunt, quæque aliò referuntur:
Fœlicitas aliò non refertur:
Non igitur laudabilis fœlicitas.

Propoſitionis quæ ratio nobis adfertur? laudatur vir bonus, & virtus ipſa nõ propter ſe, ſed propter actiones: At Ariſtoteles in Rhetoricis contrà omnino ſcribit, actiones propter virtutes laudari, quoniam facta ſigna ſunt habitus: Quinetiam, *Cap. 9. lib. 1. ad Theodect.*

ait, laudamus virum bonum qui nihil agit, cùm virtute præditum credimus. qui locus cùm verus ſit (neq; enim actiones propter ſe laudabiles ſunt, ſed quia teſtificantur virtutem, quæ in ſe veram laudem continet) contradictioné hanc falſam coarguit. Et ſecunda propoſitionis ratio magis Ariſtotelis ſententiam infirmare, q̃ confirmare videtur. nam ſi ἔπαινος, id eſt, laus non eſt inferior Dei maieſtate, quanto minus hominis beatitatem dedecebit? Nihil igitur in huius diſtinctionis argumentis ſolidum atq; expreſſum eſt, quibus ἔπαινος, id eſt, laus à fœlicitate remouetur: & τιμὴ, id eſt, honos ei tribuitur: vtrumq; enim nomen de fœlicitate verè dici & affirmari poteſt: nec ſatis conſtanti vulgi teſtimonio Ariſtoteles ad confirmationẽ huius diſtinctionis vtitur: Non enim vulgus, nec docti omnino deos nõ laudant: Sunt enim laudes vt aliarũ rerum, ſic deorum à doctiſſimis hominibus perſcriptæ: &, vt Quintil. cap. 9. lib. 3. ait, proprium laudis eſt res amplificare & ornare, quæ materia præcipuè quidem in deos & homines cadit, tamen & aliorum animalium, & carẽtium anima. Et Ariſtoteles ipſe in Rhetoricis non hominẽ ſolùm & deum, ſed etiam inanimata, aliorumq; animalium vnumquodq; laudari præcipit: συμβαίνει καὶ χωρὶς σπουδῆς, καὶ μετὰ σπουδῆς ἐπαινεῖν πολλάκις οὐ μόνον ἄνθρωπον, ἢ θεὸν, ἀλλὰ καὶ ἄψυχα, καὶ τῶν ἄλλων ζώων τὸ τυχόν. Nec verò Ariſtotelem reprehendo, quòd Eudoxi philoſophi authoritate nitatur, cuius ſententiam de voluptate lib. 10. damnabit: ſed q̃ repugnante vſu Græci ſermonis, ſignificationum diſtinctiones excogitarit. Etenim quemadmodum τιμὴ non ſolùm de bonis abſolutis dicitur, ſed etiam de comparatis & aliò relatis: ſic ἔπαινος in vtriſq; ſimiliter ineſt. Sic enim Iſocrates ad Nicoclem ait τίμα τῶν μὲν ἀρχαῖς τῶν τιμῶν τοὺς οἰκειοτάτους, τοῖς δὲ ἀληθεστάτοις τοὺς δυνάστας. & Ariſtoteles ad Theodecten, τιμῶνται δὲ δικαίως μὲν καὶ μάλιστα οἱ εὐεργετηκότες, οὐ μὴν ἀλλὰ τιμᾶται καὶ ὁ δυνάμενος εὐεργετεῖν. Quibus exemplis quis non videt vanam & commentitiam eſſe τῆς τιμῆς καὶ τοῦ ἐπαίνου, id eſt, laudis & honoris differentiam? & cum vtroq; nomine fœlicitas appellari poſſit, Ariſtotelem in hac tota diſputatione nõ tam grauiter & verè philoſophari, quàm verè & ſubtiliter argutari voluiſſe? cuius vniuerſa oratione de ſummo bono ſingulis partibus expoſita, & diligenter animaduerſa verè tandem concludere licebit hoc vno libello tam multa eſſe offenſa, peccataque, vt hæc vna animaduerſio Chriſtianis & bonis viris eſſe ſingularis admonitio debeat ad legendos prophanos iſtos ethnici hominis libros non ſtultam perſuaſionem, ſed Chriſtiani iudicij libertatem prudentiamque adferendi: Nam vt inſigniores Ariſtotelis errores ſummatim repetam, & breuiter in epilogum conferam,

Capite primo, Fines inſipienter diſtribuuntur.
Cap. 2. Parũ diſtinctè docetur, cuius doctrinæ ſit hæc de moribus inſtitutio.
Cap. 3. Iuuenis auditor ſtolidè ab ethica diſciplina repellitur.
Cap. 4. Vana de rebus notis diſtinctio introducitur, nec ab Ariſtotele in ethicis libris obſeruatur.
Cap. 5. Honos & gloria falſa ratione virtuti tanquam fini ſubiicitur,
Otioſa virtus & calamitoſa mendaciter confingitur.
Cap. 6. Idea captioſè & impiè reprehenditur.
Cap. 7. Quæ initio dicta fuerant, nugatoriè repetuntur:
Abundantia ad fœlicitatem vulgi ſtulta opinione definitur:
Gradus in fœlicitate perfecta ſtultè & ineptè confinguntur:
Rationalis facultas falſa diſtinctione in rationalem & irrationalem frangitur:
Fœlicitas ipſa tandẽ nõ ſolũ falſa, ſed etiã impia definitione proponit.

Cap. 8.

Cap.8. Ad Ariſtoteleam fœlicitatem confirmandam alienæ authoritates fru ſtra aggregantur.
Cap.9. Deus velut hoſpes & peregrinus ab Ariſtoteleæ fœlicitatis ciuitate excluditur.
Cap.10. Fœlicitas in vita falsò conſtituitur & nominatur:
Fortuna modò vt neceſſaria ad beatam vitam probatur & laudatur, modò vt varia & mutabilis contemnitur, ſed nō minus varia & inconſtanti ratione.
Cap.11. Leuis & vana quæſtio de poſterorum caſibus agitatur.
Cap.12. Differentia inter laudem & honorem cōtra vſum & conſuetudinem loquendi traditur.

Quæ in hac diſputatione tam multa peccata reuocare homines non inſipidos ab inſana huius Ariſtoteleæ authoritatis opinione & exiſtimatione debent. At fundamentum eſt, dicet aliquis, Chriſtianæ religionis. Proh religionem Chriſtianam! Ariſtoteles eſt fundamentum religionis Chriſtianæ? à quo tandem iactum iſtud fundamentum? Neque enim Ariſtoteles Chriſtum venturum aut ſcierat, aut crediderat: neque hæc idcircò ſcripſerat, vt Chriſtianæ religionis fundamentum iaceret, imò verò ſi in Chriſtiana tempora incidiſſet, ſine dubio Chriſtum & Chriſtianos non minus oppugnaſſet, quàm Platonem locis omnibus oppugnauit, quibus de Deo ſanctius aliquid & melius dixiſſet: à quo igitur in ædificanda religione Chriſtiana fundamentum illud iactum eſt? An à D. Hieronymo? At Ariſtotelem veræ religionis ignarum fuiſſe confirmat. Lege, inquit, Platonem, Ariſtotelis reuolue verſutias, & probabis verum eſſe quod dicitur, Labor ſtultorum affligit eos. An ab Auguſtino? at quomodo de prophano Ariſtotele loquitur D. Auguſtinus? Dixit hoc Ariſtoteles: Adiunge illum petræ, & abſorptus eſt. Quid eſt Ariſtoteles? audiant quia apud inferos cōtremiſcit: An à D. Paulo? At Ariſtotelem & cæteros philoſophos argutiis ſuis occæcatos æternæ gehennæ ſupplicio ſubiicit: A quo igitur fabro hoc egregiū Chriſtianæ religionis fundamentum conſtitutum eſt? A fatuis nempe Ariſtotelis authoritate & admiratione capti neſcio qua captione duplicem nobis fœlicitatem faciunt, & probant vnam humanam, de qua Ariſtoteles: alteram diuinam, de qua ſacræ Literæ, & ſaniores, ſi qui fuerunt, philoſophi loqui dicuntur: verùm tam ſtolidus & ineptus diſtinctionis error diligenter nobis conſiderandus eſt. Satis, vt opinor, ſupérque antea docuimus Ariſtotelis fœlicitatē reuerea mundanam vanitatem & impietatem eſſe. At quónam pacto probari poteſt, hoc loco aut vnicā eſſe, aut duas fœlicitates hominis? Vna nobis ſit regula veritatis in his æſtimandis diſceptandiſque ſententiis, ſi cum Deo, id eſt, cum veritate conſentiant. Quid igitur Deus de hominis fœlicitate? Duplicémne ſtatuit, vnam humanam, alteram diuinam? In humana mundanáque vita fœlicitas nulla à Deo nobis proponitur: tota cohortatio eius eſt ad cœleſtem illam æternamque vitam: illa meta laborū noſtrorum nobis vnica propoſita eſt: huius autē vitæ ſpatium quaſi curriculum quoddam nobis decurrendum, antequam vllum præmium conſequamur. Ideoque perpetuò monemur, vt Deum vnicè diligamus, & omnes noſtras actiones, conſilia, cogitationes, mentes deniq; totas ad eius laudem gloriámque referamus. At fœlicitas, dicent aliqui, humana mundanáque ab Ariſtotele tradita non repugnat diuinæ & cœleſti fœlicitati, ſed ad eam ipſam ducit. Hic vehementer optauerim attentas cogitationes hominum iſtorū, vt animaduertant quæ contra Deum imprudentes loquuntur. Ariſtotelis fœlicitas ad diuinam fœlicitatem ducit? Videamus viam à Deo nobis deſcriptam, qua ad cœleſtem æternamq; vitam peruenimus, cum ea denique Ariſtotelis doctrinam conferamus. Si eòdem ducat, quò vocamur à Deo, profectò verum eſt, & directum iter Ariſtotelis: ſi non modò abhorreat Ariſtoteles à ſupera cœleſtique via, ſed retrò ac deorſum verſus retrahat, dubium eſſe nullo modo debet, quin Ariſtotelis fœlicitas valde contraria ſit atq;

aduerſa diuinæ fœlicitati. At primũ verum eſt: verum igitur & extremum. Deus enim docet nos nihil eſſe, niſi nobis miſeris & abiectis opem tulerit, niſi vias beatæ vitæ docuerit, niſi ſtudiorum noſtrorum dux, author & confirmator extiterit: Ariſtoteles hominem ſibiipſi confidere iubet, eumque non Deum (Deum enim Ariſtoteles à fœlicitatis humanę quæſtione capite nono amandauit) declarat eſſe authorem, & doctorem, & effectorem ſuæ fœlicitatis. Sacræ literæ docent iuſtitiam, temperantiam, fortitudinem, prudentiam hominibus à Deo tribui, nec eas virtutes perfectas ab homine teneri, ſed exiguas tantùm earum vmbras in eo conſpici, & quidem lumine diuino vmbras ipſas efficiente: Ariſtoteles docet hominem non ſolas vmbras, ſed ipſa lumina virtutum à ſeipſo ſumere, ſuaque ipſius ſola vi & facultate iuſtum, temperantem, fortem, prudentem fieri: Ariſtoteli non placet eum ſatis eſſe ad beatitudinem aptum, qui deformis ſit, aut cuius corpus aduerſa valetudine torqueatur: Deus claudos, cæcos, gibboſos, cæteriſque vitiis corporis deformatos à numero beatorum non excludit, & per famem, ſitim, morbos, tormenta, cruces, eculeos, ignes, aditum nobis in cœlum promittit. Ariſtoteles ait neminem niſi diuitem, & quidem maximis diuitiis affluentẽ eſſe beatum, vt ſibi, coniugi, liberis, propinquis, amicis ſatis habeat: Deus ait, diuiti introitum difficiliorem eſſe in cœlum, quàm camelo in foramen acus. Ariſtotelis doctrina hominem ſine formoſa coniuge & liberis miſerum eſſe declarat: Diuina doctrina & cœlibatum, & coniugium in vita laudat: quinetiam cœlibatum multò præſtantiorem & laudabiliorem coniugio eſſe monet. Ariſtoteles negat quenquam eſſe beatum, qui genere familiaque ſit ignobili: Deus verò piſcatores, fœneratores, fabros, agricolas, ſeruos, cæteraq; Ariſtotelis quidem iudicio mundi opprobria non modò ad fœlicitatem, ſed etiam ad principatum fœlicitatis adoptauit. Ariſtoteles conſtituit ſummum bonum in populari quadam prædicatione & gloria: Deus in odio hominum & maledictione: Ariſtoteles in proſperis rebus, & ad voluntatem noſtram fluentibus: Deus in rebus aduerſis, quibus pius animus exerceri probariq; poſſit: vt (quemadmodum apud Poëtam eſt) conſoletur ſe illa veriſſima conſolatione,

—Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit:
Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum
Tendimus in Latium, ſedes vbi fata quietas
Oſtendunt: illic fas regna reſurgere Troiæ:
Durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis.

Quamobrem ſi Ariſtoteles ab illo ipſo Deo, vt multi alij quondam, excitari poſſet, lumenq; Euangelicæ veritatis intueri, libros ſuos damnaret, atq; incenderet: ſeq; miſerrima, & infœliciſſima caligine mẽtis occæcatũ fuiſſe prædicaret: noſq; ſeruos tam impiæ & peruerſæ opinionis ſtultiſſimos & amentiſſimos appellaret. Minimè igitur decet nos, qui veræ lucis poſſeſſores videri volumus, ab authore ſuo damnatas tenebras, improbatoſque errores tam arctè tamque pertinaciter defendere, & gigantum more cum Deo & veritate bellum impium & nefarium pro homine ethnico gerere. Quamobrem valde mirandum eſt hominis huius authoritatem tam ſanctam grauemque eſſe, vt quæ ruinam & exitium veræ pietatis adfert, pro vnico religionis fundamento à Chriſtianis hominibus habeatur.

FINIS.